









THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

REGIONVM ET VRBIVM JVRIS VENETI.

TOMI QVINTI PARS QVARTA.



THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

REGIONVM ET VRBIVM JVRIS VENETI

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quam aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CVM PRAEFATIONIBVS

PETRI BVRMANNI,

J. U. D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI QVINTI PARS QVARTA.



LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

ANTONII STELLÆ,

Clerici Veneti,

ELOGIORUM VENETORUM NAVALI PUGNA ILLUSTRIUM,

LIBER.

Editio de novo edita, mendis emendata, Indiceque copiosissimo aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.
LECTORI SALUTEM.

NON dubito, quin alacri vultu librum hunc ſis accepturus; licet, ſecundum quantitatem, ſit exiguus; Cum autem ſecundum qualitatem conſideraveris, non inelegantem eſſe, reperies. Quia autem mos mihi non eſt, opera à me edenda prolixioribus præfationibus commendare, conquieſco ab his, & tantum ea, quæ te, Benevole Lector, *ex plurimis ſcire volui, dico. Forma eſt, ut opera mea reliqua, typi elegantiores, cura præ cæteris tanta, ut nihil operi, aut ejus exſpectationi deeſſe videatur. Textum quod attinet, vix credo correctiorem dari poſſe. Numero inſuper arithmetico paginas Editionis, opera* Vincentii Valgriſii M. D. LVIII. Venetiis editæ *ad marginem deſignavimus, quo Lector ſtatim obviam haberet, ſi fortaſſe paginæ editionis jamjam dictæ quodam in libro allegarentur. Indicemque, quo liber hic plane carebat, rerum, verborum, ſententiarumque accuratius obſervatarum, locupletiſſimum adjecimus. Hoc meo, Benevole Lector, labore interim fruere, pluraque indies meditanti fave. Vale.*

AD SERENISSIMUM ATQUE ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM,
LAURENTIUM PRIOLUM,
Venetæ Reipublicæ Ducem optimum,
IN
ELOGIA VENETORUM
NAVALI PUGNA ILLUSTRIUM,
ANTONII STELLÆ
Clerici Veneti,
PRÆFATIO.

SI quantum in te eſt dignitatis atque ſplendoris, Princeps benigniſſime, tantum in me eſſet ingenii atque doctrinæ, ſperarem profecto parem merito tuo, & deſiderio meo, aliqua ſaltem ex parte, incultis meis lucubrationibus, operam præſtare facile poſſe. Sed cum aliter in me eſſe perſpiciam (quam enim exiguum in me ſit ingenium optime ſentio) vitam ipſam, & ſi quid eſt ipſa mihi jucundius, acerbiſſimam eſſe puto. Verum cogitanti mihi, ac memoria ſæpiſſime repeten-

 peten-

petenti, quanta semper humanitate, atque animi propensione, omnes foveas, & amplexeris, non possum non vehementer sperare, multaque de meipso, in præsentia polliceri. Enimvero quum ad scribendi studia, retenta quidem animo, sed intermissa curis, atque negotiis me contulissem, id ipsum quod datur otii, perlibenter in *Venetis* rebus consumere decrevi. Verum si pro tuis in me meritis (quæ incredibilia pene extiterunt) parum cumulate gratias egero, quæso obtestorque, ne meæ naturæ potius, quam tuorum in me officiorum magnitudini, tribuendum putes. Tua enim in me beneficia, & perlibenter hodie fateor, & perpetuo prædicare non desinam; & nisi tibi gratias agam, ingratissimus, nisi perpetuo habeam, inhumanus, nisi de referenda gratia, dies & noctes, quoquo modo à me fieri potest, cogitarem, scelestus impiusque haberi merito possem. Quare operæ pretium me facturum existimavi, si cui fortunas omnes meas, acceptas referre debeo, eidem quoque lucubrationes meæ dicarentur. Sed quoniam (quod nunquam fieri posse arbitrabar) ad meritas tibi gratias referendas, mihi verba desunt, Deum Optimum Maximum precor, ut incolumi Principatu sis diu superstes, mihique ea mens contingat, ut perpetuo cultu, & observantia, nec obscura grati animi professione, te diutissime colam, observem, & venerer. Sed etsi non parum me suscepti negotii magnitudo, ab hujuscemodi instituto poterat avocare, fecit tamen præclara tua in me humanitas, ut hoc quicquid est oneris atque laboris, quod video quam sit difficile in primis, atque laboriosum, magno animo suscipere non dubitem. Laudent itaque alii *Græcos*, *Romanos*, *Macedones*, *Persas*, & id genus multos, mihi certe pulchrum, atque decorum est visum, patriæ stemmata, laudibus quibuscunque potui, brevi ac conciso orationis genere conscribere, fideli certe sinceroque labore. Quid enim aut melius, aut ad inflammandos juvenum animos, efficacius erat? Impressa namque semper erit, adolescentum animis, probatissimorum hominum memoria, primo etenim adversus exteros, arma pro libertate, tamquam pro aris & focis, corripuit civitas, mox pro finibus, deinde pro sociis, tum gloria, & Imperio, lacessentibus assidue usquequaque finitimis. Ego vero posui, quantum licuit in medio, multorum hominum vitam, mores; & res præclare ac prospere gestas, in quas omnis juventus, tamquam in speculum intuens, ea inde documenta capere, & quasi à fonte haurire posset, quibus vel publicis vel privatis rationibus optime consuleretur. Nam & juniores, ex multiplici historia, quadam quasi exemplorum copia, ad vitam instructiores redduntur. quam utiliter enim sit comparatum, ut studiosi adolescentes, ex aliena laude, alta & sublimia ingenia mirari assuescant, & ea quæ mirentur, omni cura, & diligentia, æmulari contendant, nemo est qui nesciat. In his vero nostris lucubrationibus id continetur, à quibus progressa principiis, hæc urbs paulatim adoleverit, quibus adulta viribus steterit, qua demum virtute, in multas gentes imperium propagaverit. Civitas namque libero jure, ad imperandum nata, continuo rei maritimæ studio, pollere cœpit, brevique illius opes, usque adeo sunt auctæ, ut toto mari terrori esset; nam *Veneti Pipinum* Regem, Regisque filium, *Rogerium Siciliæ*, ac *Viscardum Rogerio* fortiorem, bello vicere, tot gentes & populos debellarunt, numerosamque *Saracenorum* classem, nullis externis auxiliis adjuti, in ora *Syriæ* deleverunt. prætereo multa alia prælia, vel excitata fortiter vel gesta feliciter, in *Dalmatico* sinu, *Epeiro*, atque universa *Græcia*, quas provincias, felici admodum successu, suæ ditionis *Veneti* fecerunt, rursus & in ora *Pontici* maris, multa gessere, moxque ad *Tanaim* usque, arma *Veneta* sunt promota, item in *Syria* non pauca; nota sunt

præterea toto orbe, *Friderici Ænobarbi* Imperatoris tempora, cujus filium *Otthonem*, navali prælio victum, captumque ad Apoſtolicæ ſedis obſequium traxere. per tot inſuper bellorum motus, tot ſtrepitus, totque rerum novitates, libertatem tutati, jam adultam & ſtabilem, nepotibus reliquerunt. quod commune bonum, quo majore eſt ab illis virtute quæſitum, eo vobis eſt magis adnitendum, ne deterius poſteris relinquatis. Quis enim quæſo eſt qui dubitet, quin belli duces ex hac una Civitate præſtantiſſima, pene innumerabiles, ſemper extiterint, quæ una fere omnium, per mille centum, & eo amplius annos invicta, cæteris non obſcure ſervientibus, in terra *Italia*, incorruptæ ſinceræque libertatis decus tuetur, maris terrarumque ornamentum, & Chriſtiani nominis (ne dicam orbis) lumen ſingulare? Sed qui mihi ſe per Deum immortalem campus? quæ ſeges? quam lata, amplaque ad ſcribendum via? cum præſertim tantæ res, tam memorabiles, tamque celebres ſint, in hoc genere, ut minime mirari debeant, qui hæc ipſa fortaſſe legent. Etenim hujuſcemodi facinora, quæ tum ſua materia, quæ ardua eſt, & ſublimis, tum etiam rerum copia, & amplitudine, eximium quoddam, ac prope divinum ingenium exigerent, ut digne ſcribi poſſent, non autem, tenue & jejunum, quale mihi à natura datum eſſe hodie fateor; dignam tamen provinciam eſſe arbitrabar, in qua totis viribus elaborarem. Quantum vero ad hiſtoriæ fidem attinet, calumniam nullam pertimeſco, publice enim teſtari poſſum, nullum in hiſce meis Elogiis, locum eſſe, quem ex *Venetis* annalibus, & antiquis codicibus manuſcriptis, non excerpſerim, aut ex iis, qui ea de re, commentarios in lucem dedere. Quod ſi mihi tamquam domeſtico ſcriptori, fides eſſet abroganda, *Livius* lacteus eloquentiæ fons, qui *Romanos*, non *Punicos* annales, in texenda hiſtoria eſt ſecutus, fabulam non autem hiſtoriam, ſcripſiſſe diceretur. Quare ſic hujuſce mei ingenui laboris famam, improbe ſugillantes deſpiciam, ut meorum recte, integreque ſcriptorum conſcientia fretus, eos omnino contemnendos putem. Sunt autem, hæc noſtratia Elogia, Laconica brevitate conſcripta, eorum qui navali pugna, in civitate hac noſtra, atque Republica per ſexcentos & amplius annos, magna cum laude floruerunt. Inde ad noſtram uſque ætatem, veluti de eodem oleo, ſi hæc tibi placuiſſe cognovero, in aſpectum lucemque proferre non verebor; Trecenti enim qui ſequuntur anni, non minorem à me induſtriam exigent, quibus fere, cum *Turcis* fortiter eſt bellatum. Illud vero ab Amplitudine tua, ſtudioſiſſime contendo, ne eo conſilio exiſtimes, hujuſcemodi à me lucubrationes, ad te miſſas, quod te illis, aliqua ex parte indigere arbitrarer. eſſem enim ego vere ſtultus, ac demens, ſi Principi, omnium qui unquam fuerunt, prudentia & religione clariſſimo, ac numeris omnibus abſolutiſſimo domeſtica exempla, quæ ipſe, jampridem, ad unguem ſingula novit, proponere, ac in medium afferre auderem. quin id potius feci, ut aliquid favoris, authoritate tua, quæ ampliſſima eſt, labori noſtro acceſſiſſe videretur, etiamſi tibi omnia ſuppetere certo ſcio, quæ conſequi ingenio, vel uſu homines, aut diligentia poſſunt; quæque tanto Principe digna cenſentur, tamen non alienum fore, ſum arbitratus, ſi ſub tanti Principis nomine, quem exteræ quoque gentes admirantur, hæc in lucem darem. ut enim loca alioqui, ſordida & obſcena, reflexu ſolis illuſtrantur, ita ut hæ, qualeſcunque lucubrationes noſtræ, virtutis tuæ luce, radiiſque ſplendeſcant, magnopere ſpero. nihil enim mihi tui nominis celebritate dulcius, nihil jucundius, nihil charius. nam ſi quis unquam, qui virtutum cumulo, & admiratione, hominum ſibi voluntatem devinxerit, quique omnium ſtudia, & animi propenſionem promeritus ſit, eſt inventus, tu mihi unus ex omnibus ſemper es viſus. cum enim omnium

disciplinarum genere animum excoluisses, omniumque virtutum præsidiis, esses undique septus, prudentia tamen, atque religione, cæteris plurimum excellis, quæ duæ in te virtutes, tantum omnium prædicatione eminent, quantum in eorum nullo, qui sunt hodie, in amplissimi Principatus fastigio collocati. Erunt autem Amplitudini tuæ, quemadmodum spero, nostra hæc non injucunda, non quod desint tibi, qui melius possint, & velint, res *Venetas* illustrare, sed quia vel pulchrius est à pluribus, vel ad nominis immortalitatem, famamque adipiscendam tutius, ex qua potissimum lectione, perspicere facile poteris, ad quam fortium, sapientiumque civium Rempublicam moderandam, omnium consensu, atque etiam acclamatione, quod nunquam antea contigisse, certo scimus, accesseris. Quæ vero sequentur, cum egregiis animi tui dotibus, tum ingenii felicitate, tam prospere succedent, ut nemo sit, qui non Rempublicam ipsam beatissimam, teque felicissimum fore arbitretur. quumque multa & ampla commoda, ex hac tua administratione, luce clarius appareant, majora tamen, atque feliciora in posterum expectantur. Accipies itaque tu, munusculum hoc nostrum, hilari animo, lætaque fronte, meæ erga te, familiamque tuam observantiæ, pignus non vulgare. Tuæ enim sapientiæ, magnitudinisque animi est, non quod tibi debeo, sed quod in præsentia, pro viribus persolvere possum, benigne candideque, & sincera animi propensione accipere. Quod si mihi à te tribui hoc, concedique sentiam, tunc forsan, me tibi cumulatè satisfecisse, facile credam. Vale *Venetæ* Reipublicæ Decus eximium. *Venetiis* Calen. Febr. M.D.LVII.

ELENCHUS ELOGIORUM.



ANTO-

ANTONII STELLÆ,
Clerici Veneti,
ELOGIA VENETORUM NAVALI PUGNA ILLUSTRIUM.

1 *HORLEI Elogium.*


RIT equidem, hæc tibi, vix dum jactis civitatis nostræ fundamentis, prima bellandi laudis corona, qui christianæ pietatis veræque religionis studio incensus, octoginta omnis generis navium classe extructa, in gratiam *D. Gregorii* Pontificis Maximi & *Pauli* Exarchi *Ravennatis* Ducis, ex urbe, ab *Ildeprando*, *Luithprandi*, *Longobardorum* Regis nepote, & *Prædeo Vincentino* homine, bellica virtute claro, vi pulsi, adversus gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, omnique copiarum genere abundantes, & in vestigio mori potius, quam vinci solitas, justissime arma sumpsisti, atque *Prædeo* prius, vita & regno spoliato, & *Ildeprando*, qui vivus in *Venetorum* potestatem venerat, in triumphum ducto, Exarchum ipsum, in sedem, postliminio veluti jure, restituendum curasti. quo facto, *Venetum* nomen, animi robore, & rebus præclare gestis, tanto tamque excellenti rerum successu, primus illustrasti. Debet etiam
2 non tam utile, quam necessarium, hoc tibi civitas munus, quod militarem disciplinam, omnemque bellandi artem condidisti. neque vero ullus unquam ex nostris est repertus, qui cum in aciem prodierit, aut ordinem, aut locum unquam deseruerit, nec dimicandi magis, quam vincendi finem imposuerit. Juvenes namque primo ætatis flore, dum per ætatem, militarem laborem, ferre possent, florentes robore, & viribus, ne turpi veluti otio torperent, neve militarium operum expertes, arma tractarent; novo, sed celebri quodam instituto, militarique disciplina, penes omnes gentes, & populos, semper celebrata, quæ ignavis, interdum animos addit, quaque *Veneta* postea res, in immensum crevit, imbuendos, instituendosque summo studio, & diligentia contendisti. Enimvero juventus, mirum in modum exercitata, navali, terrestrique prælio assueta, solis & frigoris patiens, umbræ negligens, delitiarum ignara, parvo contenta cibo, laborare, decurrere, cum agilibus saltu, cum velocibus cursu, cum validis lucta certare: arcu & sagittis, exactissima cura instruebantur, atque inter se, in dies singulos, militum quisque, tanquam in procinctu positus, in modum justæ pugnæ concurrens, equitando, jaculando, omnia-
3 que militari labore tolerando, animum simul & corpus, miro quodam studio exercebat. quandoque etiam belli simulachra agere, educere exercitum, aciem instruere, disponere cornua sole-
A bant, turpe namque per soccordiam senescere arbitrabantur. quo effectum est, ut miles, his artibus apprime eruditus, non sibi solum, sed posteris etiam, æternam gloriam compararit. Ingens enim egregiumque decus, *Venetæ* genti, *Ravennæ* urbis receptio præbuit. Sed *Horleus*, quam bellica re fortunatus, tam domi infelix. Nam cum in patriam, hac tanta famæ celebritate, ovans rediisset, domesticum odium evitare non potuit. Siquidem cum ortam inter *Heraclianos* suos cives, & *Equilinos*, qui *Jesulani* postea sunt appellati, ob fines discordiam offendisset, varioque ob id eventu, per biennium hinc inde, fuisset bellatum, undecimo sui principatus
B anno, suis ob nimiam animi elationem, tanquam domesticæ illius discordiæ præcipuus author invisus, ab ipsis tandem in eo prælio interfectus occubuit. magno rerum humanarum documento, quam caducæ, fragilesque sint mortalium res, & quam minimum humanæ felicitati credendum, ut intelligat mortalitas, nihil esse inconstantius iis, quæ tantopere, ut æterna miramur. Nam
usurpato veluti imperio, cuncta suo arbitratu re- 4
gere, multa turbulenter, ac temere moliri, plebisque tantummodo commoda tueri, novis & sellulariis hominibus præsidio esse; contra vero nobilitatem, asperrimis edictis, crebrius quam decebat persequi, & late undique summovere, ac
C perturbare Rempublicam seditionibus anhelans. Ex quibus rebus, tantus in civitate tumultus, tanta perturbatio, sub ipsa prope nascentis urbis primordia, est orta, ut major etiam inde timor, quam ex hostium certamine, sit consequutus. à quo justæ tandem, & debitæ sunt temeritatis pœnæ solutæ.

VICTORIS HERACLIANI Elogium.

Auctæ usque adeo, ad eam diem, erant *Venetorum* opes, validiorque in dies fiebat eorum potentia, ut cuilibet finitimarum insularum, & urbium, bello par, facile videretur. Invidebant proximæ civitates, urbis nostræ amplitudi-
D ni, & successui, nec pati poterant, tam felicia incrementa, sperabantque facile contra eam moliri aliquid posse, si uno eodemque tempore, intestinis seditionibus (quibus adhuc agitabatur) &
bellis externis vexaretur. Quare non vicinæ so- 5
lum urbes & populi; sed exteræ quoque gentes, *Venetæ* felicitati, & nascenti prope laudi, atque opibus, maxime invidebant. petit id vitium semper sublimia ut ignis, estque (ut dicitur) cœcum, quippe cum alienos successus, corrumpere nititur, in suam cladem præceps, quam sæpissime ruit. parebat tunc *Italia* tota *Gallorum* dicto, *Venetique* soli omnium, libertatis suæ

memores, patriæ jura tuebantur. Quamobrem *Carolus Francorum* Rex, ab amplitudine rerum gestarum, *Magnus* cognomento dictus, *Pipinum* filium spurium, virum tamen animi, corporisque robore strenuum, cum imperio mittit. Hic magnis coactis copiis, quibus ne *Italia* quidem tota, non modo *Venetiæ* partes, obsistere poterant, præterquam quod loca hæc omnia suburbana, subito barbarorum incursu pene oppressit, *Venetos* quoque terra marique urget, prohibetque diligentius, ut omnis importandi commeatus facultas *Venetis* adimeretur. ad civitatem postea ipsam, quæ intra tutissima stagna, Dei Optimi Maximi munere est sita, atque contra aras & focos, contra libertatem, contra vitam, fortunasque nostras, animum adjecit, collectaque non parva suorum manu, anhelans ratibus, per æ-
6 stuaria, cum tota mole, barbararum gentium, cruoris & prædæ avidus ferebatur, in flexuosum usque canalem, tam gravi, ancipitique bello, ut propius periculo fuerint, qui vicere. raro pugna ulla magis sæva est visa. tunc pro se quisque ex insulis, & suburbanis locis, in *Rivumaltum* demigrant (sic enim dicta est, pars urbis celeberrima) locumque ipsum, præsidiis muniunt. *Victor Heraclianus* tunc, homo & animi ferocia, & maritimarum rerum peritia edoctus, atque à *Venetis*, ad id potissimum delectus, placato prius de more civitatis Numine, constanti animi robore, præsto fuit; qui cum intrepide, ferocissimas gentes adoriretur, tam funestum, tamque atrox, hinc inde bellum est commissum, ut victi postea, profligatique à *Venetis* Divina ope barbari, terga dare, maximo cum gentis probro, sint coacti. qui vero audacter prælium conservarant, partim ferro, partim aquis, ruptis arte & dolo ratibus occubuerunt, deditque nomen loco, ut à tam memorabili *Gallorum* cæde, insignique clade, *Canalis Orphanus* deinceps, ad nostram usque ætatem, sit appellatus. Sicque *Pipinus*, qui Labyrinthum fuerat sine filo ingressus, tam infeliciter pugnavit, quam impie tale facinus fuerat adortus. *Paulus Ciuranus*, à quo *Ciuranorum*
7 familia originem habet, strenuam tunc patriæ operam navavit, qui civitati, classe rem frumentariam, quam celerrime potuit suppeditavit. quo authore tanta frumenti copia exuberavit, ut non solum periculo hostili, sed fame quoque urbem liberasse videretur. Quare turbatus *Pipinus*, castrisque exutus, cum ignominia, tum ingenti etiam suorum strage, *Brundulum*, *Palestinam*, *Albiolam*, *Fossam Clodiam*, & *Heracliam*, quæ tum etiam *Venetæ* ditioni parebant capit. *Methamaucum*que desertum optimatium fuga, locum alioqui nobilem, quod ibi tunc Ducum sedes, ac regimen rerum paulo ante fuerat, occupat. quæ loca prius per deditionem acceperat, quæque non omnino perierant, tam fœde est populatus, ut non prophana solum loca, sed etiam sacra, donariis omnibus inde ablatis, temerario ausu, barbarorumque more, igni ferroque consumpsit. hinc postea cum discessisset, spretæ forsitan religionis causa; *Mediolani*, juvenis adhuc, eodem quo cum *Venetis*, parum prospere pugnaverat anno, supremum ætatis suæ diem obiit. Interea *Michaël Curoplates* Imperator fœdus cum *Carolo Gallorum* Rege, ita iniit, ut *Veneti* suis legibus, ac jure viverent, immunitate eis servata, quam
8 ad eam diem, in terra *Italia* retinuerant. Sed *Venetus* victoria parta, ne formidolosus hostis, iterum viribus repetitis, subito improvisu, audacter, tale facinus aggredi conaretur, authoritate & gloria adauctus, atque in optimam spem, quæ raro homines deserit, erectus, Ducariam sedem, quæ antehac *Heracliæ*, & inde *Methamauci* evagari passim videbatur, neque locum stabilem, aut domicilium certum habebat, felici, augustiorique veluti omine, in *Rivumaltum* transtulit; anno salutis humanæ D.CCC.IX. à primis vero civitatis nostræ fundamentis. CCCLXXXVIII. Quod bonum, felix, fortunatumque *Veneto* nomini judicetur. Sintque *Venetæ* res perpetuo florentes, sint incolumes, sint beatæ.

ANGELI BADUARII Elogium.

Angelus Baduarius, quem *Particiacum* antiqui, à familiæ nomine sic appellabant, suscipiendi belli contra *Pipinum*, præcipuus hortator & author, & qui primus vel ob id in *Rivoalto*, Ducalem postea sedem, summo omnium studio, magnoque consensu est consecutus, solerti vir ingenio fuit, religiosæque gravitatis, atque ju- 9
stitiæ fama inclytus, & ad Rempublicam administrandam in primis idoneus. quippe Reipublicæ salutis initium, est ipsa rerum mediocritas, & mensura, super eaque, quasi super fundamento, firmissime est ædificandum, enitendumque summopere, non tam ut auro, divitiisque opulentissima appareat, quam ut virtutibus prope infinitis imbuta, felicissima in primis, celeberrimaque habeatur. Hic relicta *Methamauco* urbe, in *Venetas* hasce insulas, faustissimo quidem, uti videmus, auspicio concessit; omniumque postea insulanorum assensu, & approbatione decrevit, ut hæc perpetua, æternaque *Venetorum* Principum sedes, in posterum haberetur. Magnus undique in hunc locum factus est concursus, ingens nobilium manus, veluti in novam civitatem evocati, cum liberis, conjugibus, sacris, pretiosissimisque rebus convenere. Sed cum novam civitatem, viribus & robore juvenum, affatim à se munitam cerneret, haud minoris momenti fore ratus est, si eandem consilii ope fulcisset. Quare *Baduarius*, præclaram legum institutionem ordinavit, qua longe aliarum Rerumpublicarum hæc una optima haberetur, concilia, cœtusque hominum, jure sociari, quæ civitates appellantur instituit, ut ab eo urbis visceribus, qui sunt cives, consultum optime videretur. Civibus 10
namque ordine distributis, alios sacris præfecit, alios opificiis destinavit, alios rei militari vacare coëgit; existimans res necessarias & opes, ex opificiis suppeditari oportere. earum autem tutissimam custodiam esse, tum rei militaris exercitationem, tum pietatem in Deos. Omnes itaque numeros earum rerum, per quas optime Respublica constitui queat, absolvit. miserabilibus prospiciebat, pauperibus multa erogabat, parique discrimine proceres, humilesque tractabat. Is plura consilio quam vi gerens, Principum auspiciis magis, conciliandisque per amicitiam Regum novis gentibus, quam bello, aut armis rem *Venetam* augere studuit. Verum debet etiam, plurimorum hominum judicio, *Baduariæ* familiæ, longe de patria meritæ, non civitas tantum ipsa, quæ Ducaria, augustissimaque illa Principum sede, & foro, à te fuerit, amplissime, honorificentissimeque primo ornata; sed & Christiana Respublica, quæ templis non paucis, aucta honestataque fuerit. neque enim illud ignorabat, nullum diu Principem esse regnaturum, nisi justitia, & religione præpolleret, huc omnes ingenii nervos intendit, ut religione, atque justitia, Civitas per eum stabilita videretur. Siquidem *Olivolense* phanum, ubi nunc Patriarchalis 11
est locus, Apostolorum principi, ab *Urso Particiaco*, *Angeli* pernecessario, qui tertio loco, eam sedem obtinuit, eo tempore erectum, annales fide digni, aperte testatum, posteris reliquerunt.

Addo

Addo & *Laurentii* atque *Severi* Ædes, à *Particiacis* fuiſſe erectas. *Zachariæ* quoque templum & Cœnobium, ſub id tempus, conditum eſſe ſatis conſtat, in quod ipſius prophetæ corpus, cum parte ſalutiferæ crucis, ac Dominicæ veſtis, & alterius quæ Deiparæ virginis fuerat, ſacris à *Leone* Imperatore dono acceptis, non minus religioſe quam pie reponi curavit. his donariis *Veneti* ſacraria ſua, & auxerunt, & adornarunt, quibus tum *Leo*, favere plurimum videbatur, cui *Veneti* viciſſim contra *Saracenos*, alioſque hoſtes ſocialem claſſem ſunt polliciti, miſſus tunc legati nomine ad Imperatorem fuit, *Juſtinianus Baduarius Angeli* filius. Sunt præterea qui affirmant *D. Joannis* templum, eodem Principe ædificatum, quem locum hodie *Bragolam*, ab antiquo forſan, veterique loci cognomine, nuncupari credimus, atque etiam *Danielis* Eccleſiam à *Bragadenis* patricii ſanguinis viris, eo tempore extructam apparet. Sed verius vero eſt, omnia in humanis, diutius non poſſe feliciter conſiſtere. nam
12 etſi optimus eſſet princeps, inventi tamen ſunt, qui invidia atque odio perciti, in eum conſpirarent; qua conjuratione detecta, ſontes ſupplicio fuerunt affecti, atque ſic iiſdem è medio ſublatis, motus ille pauloposſt reſedit; civitatemque ſuſpectis hominibus, protinus purgatam reddidit, civileſque diſcordias, quæ adhuc, tanquam reliquiæ factionum durabant, penitus ſedavit & ſuſtulit. perditi enim viri, ex urbibus pellendi ſunt, quæ eſt civitatum pernicies, & ſentina dedecoris pergit interea *Baduarius*, patriam conſilio & opera juvare, nam ad omnes hoſtium conatus opprimendos, claſſem contra *Ulricum Aquilegienſem* Patriarcham, ambitioſum hominem, ac *Venetæ* libertatis inimiciſſimum, atque in publico concilio hæreſis nomine antea damnatum parat. Quam ubi milite, ac cæteris quæ ad uſum navium pertinent, inſtruxerat, contra *Ulricum* educit, eumque juſto prælio captum, cum nobilibus ex ſuis non paucis, *Venetias* in triumphum ducit. *Veneti Carnorum* loca (ſtratis undique hoſtibus, multiſque oppidis, partim vi, partim deditione receptis) hoſtiliter adorti, paſſim ferro & igni omnia populantur, diripiunt, incendunt, eoſque intra ſuos fines continuerunt. ob idque poſteris, tam egregii, tamque celeberrimi trium-
13 phi, exemplum memorabile reliquit. Enimvero taurorum ludi, quibus princeps & patres, Bacchanalicis diebus interſunt, ob eam ſunt victoriam inſtituti; quem morem ad noſtram ætatem conſtantiſſime ſervari perſpicimus, eo quoque die, ſacra in aurea *D. Marci* Æde, ſolenni pompa, muſicis non paucis adhibitis, operantur, ut debitæ gratiarum actiones, Deo Optimo Maximo perſolvantur. *Heracleam* quoque, quam Novam civitatem hodie appellamus, in qua natus altusque fuerat, *Gallorum* incurſu pene oppreſſam, labore & cura inſtauravit. Hic poſtea cum annis decem & octo Reipublicæ præfuiſſet, ſenio potius quam morbo confectus obiit; urbemque belli gloria ſatis illuſtrem, quod deerat ſanctiſſimis temperatam legibus, atque optima pace reliquit. ſicque urbem prius legibus, ſanctiſſimiſque inſtitutis, quam opibus aliove fortunæ præſidio munivit. neque enim aliunde magis florent Reſpublicæ, quam ſi legum vigeat authoritas; nec ibi Tyrannus oriri poteſt, ubi ex legum arbitrio geruntur omnia. *Angeli* corpus ad ſepulturam, Ducali pompa eſt datum, in Cœnobio monachorum *D. Hilarii*, ab ipſo antea, proprio ære extructo, ampliſſimiſque donariis poſtea, à *Juſtiniano* filio, qui ei ſucceſſit, ſimul cum *D.*
14 *Zachariæ* templo locupletato; nam ex *Servuli* delubro monachos, *Joanne* Abbate ſuadente, eo

A loci tranſtulit, & collocavit. erat tum monaſterium in extrema *Rivialti* parte, nunc vix illius veſtigia ſuperſunt. *Patavini* enim cum de finibus, cum *Venetis* dimicarent, locum ipſum hoſtiliter ſolo æquarunt.

PETRI GRADONICI Elogium.

Quum multa variaque bellorum genera, contra *Narentanos*, *Gradonicus* fuiſſet expertus, neque tamen inferior multo videretur, *Sclavos* etiam qui omnem *Dalmatiam* atque *Illyrium* ſuæ ditionis fecerant, totamque eam maris
B partem, infeſtam habebant bello domuit, atque intra ſuos fines ſtare coegit, quibus rebus bene optimeque pacatis, ſexaginta triremium claſſem, in *Saracenos* ex *Africa* ſolventes, quique *Italiam* magna ex parte vaſtarent, poſtea movet, quæ *Theophilo*, *Michaëlis Conſtantinopolitani* Imperatoris filio, juncta, hoſtes acerrime, majorique ſpe adoriretur, ob idque eſt princeps, Protoſpatarii dignitate, quæ ampliſſima tunc habebatur, donatus, cujus cohortatione, & ſuaſu, ad id fuerat concitatus. pugnatum eſt primo, cum *Sabba* eorum Duce in magna *Græcia*, ad *Tarentum*, in- 15
clytam *Calabriæ* urbem, in ultimo *Italiæ* loco
C circa *Salentinorum* confinia ædificatam, à *Tara Neptuni* (ut quidam volunt) filio, quæ deinde à *Laconibus*, qui Duce *Palanto*, in ea venerunt loca, eſt aucta, dimicatumque eſt aliquantulum infeliciter. mox vero *Maurus*, ut hoſtem iterum ad certamen alliceret, fugitabundo ſimilis, ſimulatoque in patriam reditu, *Crottonem* conceſſit præclariſſimam urbem, in *Tarentino* ſitu poſitam, athletarum olim multitudine memorabilem. ibique *Venetus*, qui conſtantiſſime pugnabat (degeneres enim animos timor arguit) vel quod eſſet numero inferior, vel quod à ſociali *Græcorum* claſſe, inter primum pugnæ ardorem ſit deſtitu-
D tus, tumultuoſe à tergo, tam fœdam cladem eſt perpeſſus, ut ex numeroſa illa claſſe, excepta Ducaria triremi, quæ ſaluti ſuæ, fuga conſuluit, ne ſcalmus quidem unus evaſerit. Ea victoria elati *Saraceni*, qui nulla antea laceſſiti injuria, humani generis otia turbare fuerant adorti, plus nimio etiam invaleſcebant. Quare procaci veluti excurſu, in *Dalmatiam*, magno impetu irrumpere decreverant, omnemque maritimam illam oram, cum *Hiſtria* ferme tota, in morem rapidæ procellæ, ſeſe effundentes, cæde, incendiis, & rapinis, cuncta promiſcue vaſtarunt, atque 16
oppida multa, vi capta ſpoliantes, templa Deo-
E rum immortalium, tecta urbium, vitam denique omnium civium, ad exitium, & vaſtitatem trahebant; *Venetas* poſtea onerarias naves, exoticis mercibus onuſtas, quæ *Maura* claſſe in altum conſpecta, in *Tergeſtinum* ſinum ſeſe receperant adepti, diripiunt; negotiatores non paucos, navaleſque ſocios, ac remiges, ad unum trucidant (jam enim ex eo tempore, ob maris commercium, non incelebres erant *Venetorum* opes) *Narentani* tunc, adverſis *Venetorum* rebus, ferociores effecti, rupto violatoque fœdere, *Hiſtriæ* aliquot loca, & præſertim *Caprulas* prædabundi proceſſerunt. Sub id ferme tempus, *Benedictum*
F Pontificem Maximum ejus nominis tertium *Venetias*, ut *D. Zachariæ* Ædem, & corpus viſeret, veniſſe dicitur. quo *Pancratii*, & *Sabinæ* corpora, *Agnetis Maurocenæ* illius Cœnobii, earumque Monialium primæ, precibus, & rogatu, ex urbe pauloposſt miſit. Sed ne à religione Ducem alienum fuiſſe credamus, ſatis conſtat, ſub initia ſui Ducatus, Eccleſiam *D. Paulo* conditam, locum hodie, ab areæ forſitan magnitudine, frequentique mercatu inſignem, ab ipſo-

met, & filio, quem sibi collegam asciverat, ab
17 *Urso Particiaco*, *Olivolense* Antistite, inauguratam fuisse. qui & ipse senio jam confectus, *D. Laurentii* templo, vestales virgines adjungendas curavit. Sed & *Maurus* Antistes, qui *Urso* successor est datus, *D. Margarithæ* phanum, anno urbis circiter quadringentesimo erexit. Hæc *Petro Gradonico* Duce, in urbe gesta reperio; qui undetrigesimo sui principatus anno, cum Ducarium ex *D. Zachariæ* templo peteret, à quibusdam, qui in eum conspiraverant, vulneratus occubuit. nam quia virtute, prudentia, & felicitate præstabat, gloria in invidiam, apud improbos eum vertit. Tumulatus fuit in Cœnobio *Zachariæ*, quod crebro, pietatis studio invisebat.

URSI BADUARII Elogium.

Pacis dulcissimum, & pulcherrimum nomen, quæ vel injusta, utilior, quam justissimum bellum, sæpius est visa, ita studiose primo est complexus, ut cum *Narentanis* & aliis, piraticam exercentibus, qui totius inferi maris oram, non mediocriter infestam habebant, honestissimis conditionibus jungenda, *Urso* authore sit actum:
18 quo etiam tempore, triumviri magistratus, tam nobilis, quam Reipublicæ necessarius, primo crearentur, sunt tamen qui affirmant magistratum illum, *Aureo Mastropetro* Duce excogitatum, hos legum Tribunos, vel ne à communi usitatiorique nomine recedam, advocatores in hunc usque diem appellari non ignoro. qui interfecti *Gradonici* Ducis parricidium ulciscerentur, tumultuantemque civitatem, pacatam atque tranquillam redderent. præcipuum enim eorum est munus, de criminibus judicare, atque tum hoc, tum illud, severa animadversione corrigere. tuerique severissime Civitatis jura, atque ob id sanctissimo cuique collegio, vel Decemvirali quidem, quod jure, omnium gravissimum habetur, interesse licet. hunc magistratum, summa cum Reipublicæ laude agebant, cum hæc commentaremur *Joannes Baptista Contarenus*, *Petrus Lauretanus*, & *Hieronymus Ferrus*, nemini posthabendi, ob summam eorum integritatem, & innocentiam, quas in Senatoriis viris, statuo esse maximas. Sed ne transversum quidem unguem, ab *Ursi* facinoribus, quæ pro patria, ut rem etiam Christianam juvaret, præclare gessit discedam; *Saracenos* vigesimo post anno, quam cum *Sabba* eorum Duce, à *Petro Gradonico Venetorum*
19 Duce, apud *Tarentum*, rursusque apud *Crottonem*, infeliciter est pugnatum, non infausto omine debellavit. Hi namque, posteaquam *Creta* Insula, multos annos sunt potiti, duplicique victoria de *Venetis* parta, superbe elati, plus nimio indies invalescebant. nam *Ionii* ora, celeri cursu enavigata, *Dalmatiam* duce *Galba* ferociter adorti, miserabili clade affecit. hinc progressi, *Gradum* dura obsidione circumsedere, contra quos, *Ursus* vicinæ urbis periculo exterritus, triremibus triginta, optime instructis, classem movet, eosque subito accessu turbavit, ut navibus inde repente eductis, in altum abire sint coacti, quos cum *Ursus* strenue insequeretur (affuit etiam tum præcipue industriæ fortuna) insignem victoriam, paucissimis ex suis vulneratis est adeptus. *Saraceni* vero partim cæsi, partim fluctibus mersi, totoque supero mari expulsi, ingentem cladem sunt perpessi. plurimum tunc in ea pugna, *Joannis Baduarii*, *Ursi* filii, & postea in *Salentinis* ad *Tarentum* oppidum, militaris virtus, animique robur enituit, ob idque collega à populo, patri est datus. rursus etiam contra *Narentanos*, qui pacem à Duce oblatam, amplecti negligebant,
A sed loca prædabundi, continuo infestabant, aliquot navium classe, strenuam ab *Urso* expedi- 20
tionem, magno felicique rerum successu, navatam constat. Verum ob rem prospere feliciterque, adversus *Saracenicos* incursus gestam, à *Basilio* Constantinopolitano Imperatore Protospatarii dignitate, quæ tunc erat, omnium illius Imperii maxima, est insignitus. Ob idque Princeps, animi gratitudine, atque ut cum Imperatore muneribus contendere, mutuisque officiis certare, invicem videretur, duodenas magni ponderis, maximique pretii campanas, ei dono misit, quibus tum primum, *Græci* sunt usi. In *Urso* qui-
B dem tanta in donando, gratissimi animi magnitudo enituit, ut in referenda gratia, pro levissimo etiam munusculo, tenuissimique officii genere, amplissimas quasque res sæpissime reponeret. Instauratur eo Duce Deiparæ Phanum, quod vulgo *Sancta Maria Formosa* appellatur, quo etiam tempore, vetus quoddam, intestinumque odium, quod inter *Venetos*, & *Vulpertum Aquilegiensem* Antistitem vigebat, hujus opera & consilio omnino resedit. Et quoniam exploratum cuique facile est, *Venetam* urbem, in sex parteis, quas regiones vocant, esse divisam, eam tunc
C coli primo cœptam video, quam *Dorsum durum*, hodie dicimus, ab eo (ut arbitror) quod priusquam locus inhabitari cœpisset, prædurus esset 21
illic scopulus, in dorsi forsan speciem productus. *Ursus* itaque, belli pacisque artibus clarus, cum decem & septem annis Reipublicæ præfuisset, obiit. ejus cadaver ad *D. Zachariæ* est delatum.

JOANNIS BADUARII Elogium.

Urso Baduario vita functo, *Joannes* ejus filius, ex hac familia Dux tertius Rempublicam administravit, qui usque adeo magni & laudis amore flagrantis ingenii aciem intendit, ut æmu-
D latione decoris, paterna gloria vehementissime angeretur. hic ut à religione primo exordiar, Phano *D. Cornelio* & *Cypriano*, apud *Medoacum*, egregii ut tum res ferebant operis extructo, fratris necem ulturus, ingenti classe, adversus parricidas comparata, magno memorabilique prælio eos fudit. *Comaclum* itaque oppidum invadit, nam ab oppidanis illis scelus fuerat perpetratum. idque justa acie diripit. Sævitum solum, contra injuriæ authores, tum constat. Cæteris tamquam hominibus parcendum duxit. Sola enim laude *Veneti* contenti, nihil ex victis hostibus, præter victoriæ nomen sibi quæsivere, inhuma- 22
E num credo rati, vel impium potius, nobile animal, rationis, rerumque cœlestium capax, servitio adigere. virtutem namque in bello, clementiam in victoria, Imperatorem decere arbitrabatur. His ita gestis, cum diuturno, deploratoque morbo laboraret, ne Respublica Principe, qui eam regeret, in aliquod discrimen incideret, *Petrum Candianum*, sibi viventi surrogari, diligentissima cura postulavit. cui propria etiam manu, lætaque fronte, Principis insignia, maximo animi moderationis documento tradidit. Et ne ullum unquam laborem, pro patriæ charitate, vitare videretur, quem civium periculis sub-
F levandis, impertire optimum duxit. Mortuo *Candiano*, populi precibus victus, dum novus Princeps crearetur, iterum honoris insignia recepit, atque Principatum assumit, ne quam interim cladem adiret Respublica, erexitque hortatu, & præsentia sua, cives mœrore affectos; quem paulo post deponendum, sponte semetipsum in ordinem redigens curavit. populo persuadens, ut successorem Ducem, omnino eligerent. Vetus illa magistra pudoris, & modestiæ continentia, nunquam

quam antea, nec poſtea, in annalibus hujuſcemodi eſt viſa. Obiit in propria domo, cum annis ſex civitatem integerrime gubernaſſet, & in gentilitio ſuo ſepulchro tumulatur.

23 *PETRI SANUTI Elogium.*

Petrus ex *Candiana* familia, quam *Sanutam* hodie appellant, bellicis quibuſdam navibus primo, contra *Narentanos*, *Veneti* nominis hoſtes acerrimos, qui maria hæc noſtratia, latrocinio fœdabant, ſubitiſque excurſionibus de more ſuo infeſtabant, & deprædabantur, fruſtra inſtructis, mox ſuo ductu, duodecim navium claſſe, eos bello repetit. pugnatur hinc inde magno ardore, fuitque res *Veneta* diu ſuperior, nam quinque hoſtium naves fractas emerſit. Sed variante fortuna (nunquam enim minus reſpondent eventus quam in bellis) Princeps qui aut moriendum, aut vincendum decreverat, *Narentanorum* Ducem, letaliter vulnerat, mox ipſe dolo & aſtu, à tergo adortus, ſupervenientibus etiam auxiliariis copiis, undique barbaris, poſt atrocem pugnam, victus media ſuorum ſtrage, fortiter dimicando, militibus multis, utrinque prius deſideratis, in ſuo veſtigio, duobus in pectore vulneribus acceptis occubuit. ſicque vitam, quam à patria fuerat mutuatus, eam illi jure optimo repoſcenti reddere voluit. ea namque mente, pro
24 Republica dimicabat, ut vinceret, aut ſi id iniqua fata non permiſiſſent omnino inter confertiſſimos hoſtes, fortiter dimicando oppetere, nec incruentam barbaris victoriam relinquere, nec ullam unquam reliquiſſet, niſi iniqua mors prohibuiſſet. cecidit ea pugna, magnus *Venetorum* numerus, ſed hoſtium duplo major, fregitque ea clades ſupra modum gentis animos, proſperis rebus aſſuetos, & ne ipſi cæderentur in medio, ad fugam inclinarunt Ducis. qui fortiſſime pugnando mori maluit, quam ſalutem aliquam cum turpitudine ſperare, animo ſecum reputans, ablata ſpe fugæ, nihil eſſe ſatius, quam cruentam hoſti victoriam relinquere, mortem morte fugere; ex honeſto interitu, glorioſam ſibi vitam quærere. fortunam enim ſæpe virorum fortium eſſe amicam, Martem fugientem militem potius inſequi, quam fortiter dimicantem. cuncta etiam Deorum numina, benignum æquumque victorem, fovere ſolita. contra vero inſolentiſſimum perdere. Ducis autem cadaver, *Gradum* ab *Hiſtris* delatum, ibi pro dignitate funus eſt celebratum.

25 *PETRI TRONI Elogium.*

In maxima, ingentique totius urbis trepidatione, quæ ex *Petri Candiani* Ducis nece, à *Narentanis* interfecti, ita cives omnes invaſerat, ut Patres à minori cura, ad ſummum timorem traduceret, uno omnium conſenſu, *Petrus* cognomento *Tribunus*, Ducis nuper interfecti nepos, quem recentiores forſan, *Tronum* pauciſſimis literis mutatis appellant, eligitur. Vir ſingulari virtute, conſtantia, gravitate, & juſtitia præditus, quibus rebus, is maxime excellit, qui plurimum præſtat. fuit hic tanta animi integritate, & innocentia, ut illis etiam temporibus optimis, cum vix unum, aut alterum invenire ne quam in tam proba civitate poſſes, ſolus tum Reipublicæ præfici dignus ſit judicatus; ſubitoque à *Leone* Imperatore protoſpatarius efficitur. hic ut benemerenti patriæ, & civibus conſuleret, mœnia conſtrui voluit, ferreaque catena *Euripum* majorem interclusit, ad arcendos libero ingreſſu hoſtes, neve ſubito impetu, urbem turbare ali-
A qua ex parte poſſent. eo animo motus, quod *Hunnos*, quos hodie *Ungaros* vocamus, *Pannonia* recenti tunc ſede, moviſſe præſenſerat. Sunt *Hunni Scythicum* genus hominum, gens dira, 26
omnique ratione penitus carens, humanique cruoris ſitiens. quibus & mos eſt, non ſolum mortalium cædem, non abominari, immo humanum ſitire ſanguinem, ſed ne parentibus quidem parcere, quos ſenio jam, & ætate confectos, fruſtillatim diſſectos, avidiſſime devorant, itemque hoſpitali ſanguine litare, infantium ora ferro diſcindere, cadaveribus hoſtium famem explere. hi *Venetarum* opum fama allecti, relicta antea *Ma-*
B *cedonia*, *Myſia*, *Achaja*, ac utraque *Thracia*, quas provincias nullo reſiſtente populantur, nihil non obvium corrumpunt, incendunt, ac in omnem ſexum crudeliter ſæviunt. per *Germaniam* poſtea, in *Illyrium* veniunt, brevique omnem illam regionem, & mox *Hiſtriam* ferme totam, atque *Venetiam* expugnant, impetum faciunt, prædam agunt, ſeſe modo in unum, modo in alterum locum recipiunt, agros vaſtant, obvios ſine alicujus ætatis diſcrimine interficiunt. progreſſi *Heracleam*, *Equilium*, *Clodiam*, *Methamaucum*, aliaque oppida, lembis quibuſdam, tumultuarie inſtructis, pari clade afficiunt. perque in-
C teriora hæc littora debacchati incendiis, & rapinis, cuncta vaſtarunt, regionem uberrimam & opulentam, ſuburbanaſque omnes inſulas, templis auro excultis, ac donariis refertis ditiſſimas, 27
ſacrilega cupiditate ſpoliarunt, eaſque ædes, religionis odio evertere. In omnem ſexum atque ætatem ſævitum, pueri, virgines, matres ad ſtuprum raptæ. Stupra cœdibus, cœdes ſtupris additæ. Interim Princeps artis militaris ſcientiſſimus, nihilo ſecius ſuos armis exercebat, vigiliis defatigabat, ne virtus per otium marceſceret animorum. Quamobrem in ſpem ſummam ingrediuntur *Veneti*, & libertatis finium recuperandæ, & patriæ, non fortunis ſolum, ſed vita
D etiam ipſa defendendæ. Summo itaque ardore, contra *Ungaros* arma ſumunt, fortiter invadunt, pugnatumque eſt; *Petro Trono*, Civitatis, & claſſis Duce, tanquam pro aris & focis, per dies aliquot. accenſis utrinque animis, ancipiti fortuna pugnæ, contra hoſtes multitudine fretos, quæ bellicæ rei ſæpius nocet. demum *Veneti* quos pudebat, Barbaros tam propinquos urbi, diutius ferre moderate, non minus religione, quam armis inclyti, Divina tum magis ope freti, minoribus multo ac pro tanto negotio opus eſſet copiis, hoſtem aggreſſi, qui per annum terram
E *Italiam*, omnium feliciſſimam everterant, *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum principum die, illuſtri victoria ſunt potiti. eodem ferme loco, quo fuerat cum *Pipino*, centeſimo circiter anno, à *Ve-* 28
netis antea, feliciſſime dimicatum. Verum *Petrus* quod reliquum habuit vitæ, prudentiſſime circa Reipublicæ ornamenta, egit. Obiit undevigeſimo ſui Principatus anno. Corpus in Cœnobio *D. Zachariæ*, eſt reconditum.

PETRI SANUTI Elogium.

Hiſtri, qui centeſimum ex illo annum, *Veneti* nominis hoſtes acerrimi fuerant, varioque
F eventu cum eis, de maris poſſeſſione certarant, Februario menſe, in Ædem *D. Petro* dicatam, quæ tunc *Olivolenſis*, nunc vero *Caſtellana* nuncupatur, piraticis quibuſdam navigiis, ſuperato tacite nocturno curſu, fanatico, ſuburbanoque hoc ſinu, clam virgines non paucas, quæ nuper fuerant matrimonio locatæ, atque in id templum, de vetere civitatis noſtræ more, cum magno, pretioſiſſimoque corporis ornatu convenerant,

 quo

quo omnis eorum supellex, ab omnibus publice
spectaretur, essentque ipsæ populo spectaculo,
vel etiam, ut eo loci, sponsalia celebrarentur,
sacrilega rapacitate, secum abduxere, magnaque
inde præda, ac cæde perpetrata, *Caprulas* pe-
tiere. Qua re statim cognita, *Petri Sanuti* Du-
29 cis auspiciis, *Venetus* miles, tumultuarie tunc
repertus, eos in dividenda præda occupatos, ci-
tra nostrorum occisionem oppressit. Omnibus
ferme aut captis, aut ad unum cæsis. fuit is *Sa-
nuti* filius, qui navali prælio, adversus *Narenta-
nos* periit. parta itaque victoria, omnique inde
præda incolumi recepta, urbem triumphans in-
greditur, ob idque ludos quosdam, tunc insti-
tutos, quidam scribunt, qui *Mariani* appellaban-
tur, qui per quadringentos & amplius annos per-
severarunt; Sed tertio *Ligustico* bello, *Clodiana*
pugna, *Andrea Contareno* Duce, cum ita exhau-
stum ærarium esset, ut ne Deorum quidem cultui
sufficeret, Patrum decreto, uno veluti edicto,
penitus sunt sublati. mansit autem, tam celebris
victoriæ, diuturna quædam memoria, quod Prin-
ceps & Senatus, *D. Mariæ Formosæ* templum,
Calendis Februariis, solenni pompa, quotannis
invisit, ob id forsan, quod ab illius loci homini-
bus, qui præclarum in ea pugna specimen dede-
re, fortiter contra raptores sit pugnatum. est
etiam *Comaclum* oppidum, ob injuriam *Venetis*
illatam, atque quod oppidani illius loci, res
quasdam ablatas, restituere neglexissent, hujus
ductu, vi expugnatum. mansitque in conditio-
ne, atque pacto, publica fide adhibita, ut *Co-
30 maclini*, deinceps ab injuria perpetuo abstine-
rent. *Justinopolitani* vero, qui tantum facinus
perpetrarant, ut virgines ex sacro loco, rapere
essent ausi, veriti ne proprio sanguine pœnas lue-
rent, ultro se *Venetis* dediderunt. sicque pacem
magis necessariam, quam speciosam, à nostris
acceperunt. cum quibus nihil aliud actum repe-
rio, nisi centum cadorum vini pactiones. qui ab
Histris, Principi singulo quoque anno integre
solverentur. Dux vero cum septennio civitatem
rexisset, naturæ fatoque concessit & majorum se-
pulchro infertur.

URSI BADUARII, & PETRI ROSULI Elogium.

Narentani à *Sclavis*, *Scythica* gente orti, præ-
da tantum, & rapto viventes, atque latro-
ciniis, magis quam antea infesti, qui *Dalmatiæ*
littora, suis non contenti finibus, magno cum
Venetæ gentis probro, diutius tenuerunt. Cum
multo etiam infestiores essent, quam ut æquo
animo moderateque ferri, ex civitatis dignitate
possent, nam urbem ferme ipsam, quadam veluti
obsidionis specie, premere jam videbantur, ma-
31 la enim pravaque ingenia, quo meliore sunt for-
tuna, eo inclementius exercent ingenium in eos,
quos injuriæ habent opportunos, premere nam-
que *Venetorum* loca, media rerum quiete, cru-
deliterque vexare non destiterunt. Quare tribus
& triginta navibus, quas *Gombarias* tunc appel-
lari, nonnulli affirmant, cæterisque ad bellum
necessariis, accuratius quam antea comparatis,
totius belli administrandi summa *Urso Baduario*,
& *Petro Rosulo*, constantis, maximique animi
viris est demandata, qui ut eorum conatibus,
obviam irent, ne deinceps *Narentani*, turbulen-
ter, aut temere, turbas aliquas commoverent,
seditionemve concitarent, classe faustissimo qui-
dem omine, in altum educta hostes viriliter sunt
aggressi cum quibus conflictare, & pro patriæ di-
gnitate quotidie dimicare, erat omnino mole-
stum; eos itaque latrociniis magis quam bello
A assuetos, secunda pugna profligarunt, eorumque
postea oppida non pauca, partim loci opportu-
nitate, & natura, partim etiam humano opere
munita, in *Venetorum* ditionem receperunt. sic-
que unde jus stetit, victoria inclinavit. fusi sunt
fugatique hostes, ac multa cum strage eorum co-
piæ disjectæ. *Baduarius* & *Rosulus* ita strenue in
acie sunt versati, ut omnes aperta prædicatione,
post pugnam testati sint, utrius partis, hi Du- 32
ces belli fuissent, eam haud dubie vincere opor-
tuisse. *Narentani* autem, ea clade attriti, ægre
se recipientes, pacem pretio redemerunt, nec
postea *Venetum* otium perturbare sunt ausi. his
B ita gestis, *Ursus Baduarius*, & *Petrus Rosulus*,
qui nullis civibus, ad eam diem, celebritate, &
gloria fuerant inferiores, urbem ovantes repe-
tunt.

PETRI URSEOLI Elogium.

Patriæ amor & charitas, cui nasci unumquem-
que, vel gravissimo *Platonis* testimonio, non
ambigimus, hunc licet invitum, ac reluctan-
tem, neque omnino se tantæ rerum moli, pa-
rem existimantem, Principis tamen sceptrum,
in *D. Petri* Æde, ubi miro omnium ordinum
C consensu, ingentique gaudio fuerat electus, su-
mere coëgit. qui domi forisque longe clarissimus,
ita vixit, ut omnes facile in sui admirationem
traxerit: neque tamen conceptam de se hominum
animis spem est frustratus. fuerat namque ea tem-
pestate, *Petri Urseoli* probitas cunctis spectata.
Quare sublato è medio *Petro Sanuto*, Ducario-
que igne & flamma consumpto, atque aurea *D.
Marci* Æde, magna ex parte conflagrata, hic
unus pium illud opus, primo aggressus, studio 33
& labore, proprioque ære, ampliori augustiori-
que quam antea forma, & apparatu restituit.
Tabulam auream insuper, miro Græcanico ope-
D re, *Byzantii* confectam, ad aram maximam col-
locandam curavit. *D.* quoque *Marci* corpus ab
incendio servatum honestissimo in loco condi jus-
sit. mox Rempublicam ob *Sanuti* Principis ne-
cem, non parum tumultuantem, publicisque &
privatis incendiis, magnopere consternatam, quæ
totam urbis faciem, miserabili clade deformave-
rant, in veterem libertatem, ac dignitatem vin-
dicavit. Etenim non solum *Marcianam Theodo-
rique* Ædem, ac Ducarium, sed trecentas etiam
privatas domos, quæ propinquitate, & vi ven-
torum incendium aluerant, tunc arsisse manifeste
constat. in his tamen adversis, infelicissimisque
rebus, *Urseolus* sic prudenter se gessit, ut paca-
E tiora omnia postmodum reliquerit. ad Rempu-
blicam namque augendam, militaribusque orna-
mentis honestandam, animum referens, *Sarace-
nos* utramque *Italiæ* oram, bipartita classe fœdan-
tes, quique *Barium Dauniæ* oppidum, terra ma-
rique obsidebant, & *Capuam*, *Campaniæ* urbem
celeberrimam vastabant, memorabili navali præ-
lio superavit, magnaque strage fudit, qua acie,
Saracenorum vires ita conciderunt, ut ab eo tem- 34
pore, nunquam *Italiam*, tam valide petere sint
ausi, quum *Barienses* prius, qui longa & acri
obsidione fatigati, animum jam desponderant,
commeatu juvisset. quo parto triumpho *Venetias*
F repetit, atque civitatem aliquantulum male affe-
ctam reperit, à Ducis interfecti perneceffariis,
qui urbis otium turbare tentabant. à quibus ta-
men vim omnem abstinuit, & in conscios quæri
vetuit, ne plures inventi odium augerent. mox
cum *Otthone* Imperatore illius nominis, II. qui *Ve-
neto* nomini ob *Sanuti* mortem, infestior aliquan-
tulum esse videbatur, in gratiam rediit. cum *Ju-
stinopolitanis* deinde fœdus percussit, cum quibus
recens

recens orta erat discordia, ut ipsi *Veneto* Principi
quotannis centum amphoras vini persolverent. ab
his postea, ad pietatem animum adjiciens, reli-
gionem sanctissime coluit, quam mortales, &
magnam esse ducunt, & merito plurimi faciunt.
Quare publicis privatisque rebus omnibus, ex
animi sententia prius recte compositis, Principa-
tu sponte se abdicavit, atque *Joanne Gradonico*,
& *Joanne Mauroceno*, qui *Georgii* Phano, Tri-
buni *Memii* Ducis prærogativa *Urseolo* vita fun-
cto præfectus, locum plurimum auxit, ambobus
generis, atque hujusce tam honesti, tamque re-
35 ligiosi facti consciis, secum abductis; relicta uxo-
re & filio, quem Angelico nuntio, antequam
uxor, ventrem gestaret, se suscepturum accepe-
rat. quo in lucem postea edito, perpetuam (id
annuente *Felicia* conjuge) deinde continentiam
sincere servavit. *Venetiis* occulte, ignoto habi-
tu, altero sui principatus anno, nondum exacto
profectus; in *Aquitania*, *Galliæ* provincia, in
Cœnobio *D. Michaëlis de Cussano*, sic enim lo-
cum appellant, reliquum vitæ, sanctitate & reli-
gione clarus egit. celebreque *Petri Urseoli* nomen,
in eo terrarum tractu, hodie viget. Verum an-
tequam patria excederet, cum officia multa, ac
prope infinita, erga pauperes, quorum cubicu-
la, clanculum sæpius adibat, & clericos, ac
templa contulisset, tum illud mea quidem senten-
tia, cætera vicit, quod privatas suas ædes, e re-
gione fori, pium hospitium, sub *D. Marci* no-
mine perpetuo fore sanxit, multa pecunia partim
tunc, partim quotannis numerari jussa. ascripsit-
que loco prædia paterna, in pauperum alimo-
niam. huic loco Sacerdotem *Venetum*, moribus
& doctrina clarum Ducis authoritate solitum
præesse accepimus. obtinuit paulo ante hoc mu-
nus, *Joannes Baptista Egnatius*, vir omnium ju-
dicio doctissimus, præceptor quondam meus,
36 qui & domesticam historiam, *Valerium Maxi-
mum* hac in parte imitatus, felicissimo stylo con-
scripsit. ibi nunc publico decreto, literarum gy-
mnasium est constitutum. Sed fuit tam optimi
Ducis nostri propositi author præcipuus, *Ro-
mualdus Ravennas*, cui *Camaldulenses* Monachi,
originem sui ordinis acceptam referunt. hic mul-
tos, pio hortatu, & vitæ exemplo, ad mona-
sticæ solitudinis cultum traxit. *Urseolus* demum
vita functus, inter cœlicolas translatus, miracu-
lis illustris ad nostram usque ætatem habetur.
Sunt præterea qui scriptum reliquere, *Petrum
Urseolum*, qui aliquamdiu procul à patria pere-
grinatus abfuit, ad *Michaëlis* Phanum, quod
Muriano præjacet, monasticam vitam professum,
ad supremum usque vitæ tempus mansisse.

PETRI URSEOLI
Hujus nominis secundi Elogium.

Veneti qui plurimum semper insitatæ virtu-
ti, tribuendum censuere, hunc *Petri Ur-
seoli* prioris filium trigesimo ætatis suæ anno, Du-
cem elegerunt, quippe exploratum habebant,
neminem aut justius, quam gravem virum, aut
prudentius quam doctum, imperare posse. ea
37 causa fuit, cur Principatus illi maturius deman-
daretur. hanc dignitatem, ejus pater Divino
quodam vaticinio multo ante nuntiarat. Sed
Urseolus inito principatu, nihil habuit potius,
quam multos statim Reges ac Principes, quoad
fieri poterat, sibi conciliare; misso ad hæc *Joan-
ne* filio, qui legatum apud *Otthonem* Imperato-
rem hujus nominis III. ageret, persuasum enim
habebat; nullum esse firmiorem statum, nullum
præsidium tutius, hominum benevolentia, quæ
Principes & civitates, fortius quam armis munit.

A egit postea cum *Basilio*, & *Constantino* Impera-
toribus ut *Veneti* à portoriis, publicisque vectiga-
libus immunes perpetuo forent. mox patriam ab
omni barbarorum metu, & incursionibus liberam
reddere est aggressus, ob id debacchantibus per
annos multos, infestissimis piratis, cum quibus
variante sæpius fortuna, per annos centum cir-
citer & septuaginta, de maris possessione, fuerat
pugnatum, indicto bello, magnam navium co-
piam instruxit. Erat tum vernum tempus, &
ad navigandum aptissimum, quando *Urseolus*,
non minus religione, quam armis inclytus, no-
vo sed pio instituto, & in hunc usque diem, re-
B ligiosissime servato, peractis sacris, in *Olivolensi
Æde*, acceptisque Imperatoriis ornamentis, de
manu, *Dominici Gradonici*, patritii *Veneti*, ac 38
Olivolensis Ecclesiæ Antistitis, qui rem Divinam
antea fuerat operatus, *D. Marci* tutellaris numi-
nis vexillo, in ipsa Christi servatoris nostri A-
scensionis luce, septimo sui Principatus anno o-
ram solvit, ut tam claro, & religioso principio,
prospera cuncta, numinis favore succederent, ex
quo non dubia præsensio, divinatioque rerum
bellicarum, & longa infracti animi patientia, ac
cuncta denique Justitiæ temperamenta proflue-
rent. cui urbem, cives, lares, sacra, propha-
C naque omnia, tam sancte, quam pie commenda-
vit. nec ignorabat vir egregius, rem *Venetam*,
armis satis, sed multo plus religione posse profi-
cere. felici itaque navigatione usus, phanatico-
que sinu celeriter emenso, præter *Aquilejam* &
Gradum, *Parentium Histriæ* urbem petiit. Sed
tantum abfuit, ut hostes subita belli mole territi
manum consererent, ut non solum ipsi, sed &
aliis quoque, audita *Parentinorum* deditione, pa-
cem magno auri pondere, redimere maluerint
quam belli fortunam tentare. Quare *Narenta-
nos*, contra quos *Veneti* classem præcipue move-
rant, cæterosque *Illyricos*, qui piraticam exer-
D cebant, sic è medio sustulit, ut pirata in toto
mediterraneo mari quæreretur. *Liburnos* & *Dal-
matas* inter sylvas, & paludes continere coëgit. 39
Demum *Iapidia*, *Histria*, *Liburnia*, *Illyrio*,
*Dalmatia*que tota, cum insulis, viam fatis ad
majora rerum incrementa aperientibus, mira ce-
leritate est potitus; præter *Corcyram* nigram, &
Pharon insulas, nam cum oppidani, pacem à
Veneto, æquis conditionibus, nollent accipere,
loca vi fuerunt expugnata, ac militi data in præ-
dam, Ducis jussu. nec prius tamen est cum *Na-
rentanis* bellari desitum, quam inter pacis condi-
tiones quam petebant supplices, *Venetorum* etiam
E potentiam, magis quam antea formidantes, id
præcipue cautum sit, ut non modo leges *Venetas*
accepturos se sponderent, sed ut religionem au-
gerent, mutatisque moribus pietatem colerent,
Christum humani generis liberatorem, longe re-
ligiosius adorarent, illumque unicum & verum
Deum, pio affectu exclamarent, quin etiam ad-
derent, se nunquam imperata detrectaturos, mox
Venetis omnia damna quæcunque ad diem intu-
lissent, integre rependerent, nec deinceps maria
incursionibus vexarent, sed à tam nefandis latro-
ciniis avidas, rapacissimasque manus amoverent.
Nihil tum *Veneti*, per sexcentos fere annos, ter-
F ra marique, suo Imperio adjecerant, continue-
rant namque sese, propriis æstuariis inclusi litto- 40
ribus. primus itaque fortunæ felicioris accessus,
Dalmatiæ receptio fuit, unde futuram maris po-
tentiam, felicissima expeditione, sub *Petri Ur-
seoli* ductu, sunt auspicati. quibus rebus foris fe-
liciter gestis, *Gradum* munit, deinde domum,
hoc tanto rerum successu, triumphans reverti-
tur. publice tum decretum fuisse constat, ut
cum ipse, tum posteri, non *Venetiarum* solum,
sed

sed *Dalmatiæ* quoque Principes, in posterum dicerentur; quo etiam nomine *Henricus* Imperator qui *Otthoni* successit, in publicis literis, *Urseolum* appellavit. missi tunc primum, ex patritio ordine, in singulas civitates & Insulas novi magistratus, qui rei praeessent. parta pace, domi quoque pari studio, cuncta recte constituit, curavitque ut Justitia in civitate, rerum omnium gubernatrix haberetur: sic ut nihil ad veram gloriam, viro strenuo, ac sapienti deesse videretur. hoc tempore *Ottho* Imperator hujus nominis III. *Roma* profectus, cum *Venetias* voti causa invisisset, pallium aureum, quod annuum *Veneti*, ex fœdere pendebant remisit; qui cum *Urseolus Venetiis* per dies aliquot, nonnulla de civitate, & Republica familiariter egit. multæ tunc immunitates, mercati & portus celebrandi jura, ab *Ot-*
41 *thone* fuerunt imperata; nam & Ducis filium *Veronæ* antea, lustrico die, primæ unctionis sacramento, tamquam lustrator admoverat. Cæterum dum hæc agerentur, *Saraceni Italicæ* prædæ assueti, *Capuam* instauratis animis, denuo invadunt, eamque occupant. *Barium* quoque longa obsidione premunt, quibus inedia laborantibus, *Urseolus* auxiliari *Græcorum* classe, in barbaros movet, quibus fugatis & cæsis, iterum triumphans urbem ingreditur, quo anno *Turcæ Hierosolymam* urbem, antiqua religionis claritate famosissimam, & ob Christi Servatoris nostri necem, apud posteros semper celeberrimam, magno cum Christiani nominis probro capiunt diripiuntque. Interim *Petrus Urseolus*, *Otthonem* filium, & *Joannem*, quem collegam sibi, id annuente populo, ob rem præclare in *Illyricos* gesta asciverat, *Byzantium* ad *Basilium*, & *Constantinum* Imperatores fratres legatorum nomine misit. qui cum benigne fuissent excepti, *Mariam* ex sorore neptem, *Joanni Urseolo*, in matrimonium grandi dote collocant, eumque cum fratre, multis ornatum muneribus, *Venetias* remittunt. Talis erat tunc *Venetorum* status, quum rerum humanarum fortuna domina, *Urseoli* felicitatem, deformare voluit. Enimve-
42 ro quintodecimo sui Ducatus anno plurimum in civitate est laboratum, fame primo, quia insolita frigoris vis, ita fruges retardavit, ut suo tempore, maturescere non potuerint. mox pestilentia quæ famis comes, semper solet esse, hæc usque adeo in homines, immanissime est grassata, ut multi passim inedia, fœde morerentur. *Joannes* Ducis filius, & *Maria Constantinopolitana* ejus uxor, quæ paulo ante è *Byzantio* fuerat profecta, continuatis quasi funeribus tunc obiere. Verum ad levandam Ducis molestiam, populus *Otthonem* filium, quartum & decimum tunc annum agentem, patri collegam constituit. hoc eodem tempore *Faletrii* viri patritii, *D. Benedicti* Ædem, & Cœnobium, proprio ære condiderunt. Princeps vero cum Ducarium, ac *D. Marci* templum absolvisset, optime de pietate & religione meritus, fortunas omnes suas, dividendas testamento jussit. partem namque primam filiis dari voluit, alteram pauperibus elargiri, tertiam ad sarta ædium sacrarum tecta tuenda, quartam vero, & quicquid vel in nominibus reliquum habebat, in Marianis ludis impendi curavit. postremo cum duodeviginti annis, civitati præfuisset, cœlum unde prius venerat, postliminio veluti jure revisit. Corpus ad *D. Zachariæ* Ducali pompa est delatum.

43 *DOMINICI CONTARENI Elogium.*

Non incommodè quidem, fortes Principes, & re bellica claros, *Dominicus* Dux sequitur qui per id temporis, omnibus sapientia, & eloquentia plurimum præstare putabatur, ex no-
A bili, & illustri *Contarenorum* familia, pietate insignis, nec armis ulli priorum Ducum inferior, cujus virtus, vel tum præcipuè, præclara est visa, quod septimo sui Ducatus anno, ingenti comparata classe, *Iaderam* munitissimam *Dalmatiæ* urbem, quæ *Urso Justiniano* urbis Prætore prius ejecto, à *Venetis* tunc, ad *Solomonem Pannoniæ* Regem defecerat, in ditionem iterum cepit, & ad illius obsequium (multis licet conatibus) tandem retraxit, cum in ea pugna, nullum non optimi Ducis, & Principis officium præstitisset; consilio insuper ad vires, quibus hostis longe superior erat addito; cæsoque præsidiario milite, ab omni
B alia in cives injuria temperatum. & ut eorum animi, ad meliorem in posterum spem excitarentur; si quid in ipso pugnæ ardore, eversum esset, ad id instaurandum, animum mentemque adjecit. ut quantum antea iræ, quæ est inimica consilio, & præsertim in ipsa victoria, quæ natura insolens, 44
& superba esse solet indulserat, tanto plus studii, in ornanda adhiberetur. cujus rei fama, & rumore, aliæ urbes accensæ, quæ deditionem facere tentabant, in fide pristina mansere. quas Princeps optimus cum in suam amicitiam, & fidem denuo recepisset, semper eas, cives, liberosque suos, non modo tuendas sibi, sed etiam augen-
C das, atque ornandas curavit; ut *Contareni* humanitate, levatæ potius, quam acerbitate aliqua, violatæ viderentur. Interim *Marco Contareno*, civitatis prætore relicto, cum *Venetias* versus Princeps vela daret, de *Gradensi* expugnatione, ab exploratoribus navigiis certior factus, *Peponem* Patriarcham, belli authorem, gravi impetu fuisset adortus; nisi *Benedicti* Pontificis Maximi illius nominis noni gravissima authoritas, quæ plurimum semper apud *Venetos* valuit, tunc præcipue intercessisset. Sunt præterea qui affirmant, socia arma pro *Græcis*, contra *Robertum*, *Viscardum* cognomento dictum, *Normannum* genere, *Contareni* ductu, à *Venetis* sumpta. Nam *Vis-*
D *cardus*, cum longe lateque Imperii sui fines propagasset, *Apuliæ*, Magnæque *Græciæ* Ducatum occupavit. At *Contarenus*, ne optimi Principis officio, ulla ex parte deesse, ullo unquam tempore videretur, singulo quoque sabbati die, Em- 45
porium in *Martiana* area, magno quidem civitatis usui accommodatum, memorabili plane instituto, ut vel in hoc patriæ commoda tueretur, fieri perpetuo sanxit. ubi quamplures omnis generis merces, hinc inde etiam asportatæ venales exponerentur. Immunitates præterea non paucas, ab *Henrico* Imperatore ejus nominis III. sæpius frustra tentatas *Bono Dandulo*, & *Dominico Sylvio*,
E qui ei in Ducariam sedem successit, ad id præcipue legatis, egregie obtinuit. ea præterea omnia, quæ è Republica esse arbitrabatur, statim à principio studere cœpit. jus atque leges, & illas quidem salutares sanxit. viros bonos artibus incumbentes, consilio & opera plurimum juvit, ut suo exemplo, & cæteri Principes idem facerent, & juniores ad omne decus amplectendum accenderentur. Hujus quoque Principis ætate, *Leonem* Pontificem Maximum & ipsum ejusdem nominis nonum, quem *Platina* tam bene, de Christiana Republica meritum testatur, *Venetias* venisse repperio, ut *D. Marci* corpus inviseret, qui ducentis & am-
F plius abhinc annis, civitati præerat; cujus Ædi, cum remissiones culpæ, & errorum condonationes, aliaque privilegia dedisset, *Romam* est re- 46
versus. Sed *Dominicus* cum Rempublicam ex animi sententia, bene optimeque compositam reliquisset & quæ patriæ utilia, & cuivis bono recta esse viderentur, fieri curasset, (erecto prius *D. Nicolao*, cognomento *Littoreo*, Cœnobio; & inde versus continentem oram *D. Angelo* Virginio)

ginio) innocentissime sexto & vigesimo sui Principatus anno moritur, & in ipso *D. Nicolai* templo tumulatur. sed *Angeli* Phanum in monachorum Cœnobium (ut sunt res humanæ semper mutabiles) postea est translatum, eo nunc, quia pestilentia in urbe, multi languere cœperant, ad contagia tollenda, publico decreto deferuntur, ut cœli gravioris offensam excutiant, quo præsidio civitas tota contagione levari, facile possit. reliquit *Contarenus* liberos aliquot post se, à quibus *Jacobus Contarenus*, qui post Procuratoriam dignitatem, Ducariam est adeptus, longo ordine originem habuit.

HENRICI CONTARENI & JOANNIS MICHAELIS, *Elogium.*

Sacro bello, & rerum magnitudine, ac frequentia illustri, egregiis militibus, pro se quisque certatim nomina dantibus, *Venetos* qui contra *Saracenos* aliosque Christiani nominis hostes,
47 christianam rem, magno impendio sunt tutati, in hoc congressu, tam pia quam decora contentione, magnum decus ingentemque operam attulisse, omnibus exploratum esse scio. maxime enim memorabilis illa expeditio, æternaque memoria consecranda videtur. Nam *Galliæ* Principes, & major *Europæ* pars, *Urbani* II. Pontificis Maximi monitis excitati de *Hierosolymis* recuperandis, communi omnium sententia, parique alacritate, consilium cœperant. Verum indicti belli famam secuta religiosa civitas, ducentarum navium classem quantam ad eam diem, nunquam emiserat, armasse traditur. quæ cum in *Dalmatiam* remigium prius explevisset, ex *Ionia* in *Aegeum* cursum tenuit: cui *Henricus Contarenus Dominici* Ducis nuper defuncti filius, qui primus repudiato veteris sui Sacerdotii titulo, pro *Olivolensi*, Castellanus Præsul voluit appellari, & *Joannes Michael Vitalis* Ducis filius, cum Imperio præfuerunt. Sed cum *Rhodum Veneta* classis petiisset, quæ aliquandiu, ob hyemis asperitatem, stationem illic habere voluerat; à *Pisanis Venetis* infensis, qui insulam prius non invalida classe occuparant, hostiliter fuit excepta. At *Veneti*, qui omnia prius experiri, quam ad arma concurrere mallebant, eos per legatos, à
48 bello temperare, perbenigne monent. sed cum illi oblatam pacem negligerent, atrox hinc inde prælium committitur. nec dirimi, nisi noctis interventu, certamen potuit; Superiorque *Venetus* factus, duas de viginti triremes hostibus eripuit, in quibus quatuor millia hominum capta fuere, quos *Venetus*, restituta etiam classe, religiosi instituti haud immemor relaxavit. hinc transgressi, *Smyrnam* primo adventu capiunt, & reliquam *Syriæ* oram, *Turcis* subjectam occupant, atque inde *D. Nicolai* Episcopi, ac *Theodori* martyris corpora abstulerunt, mox *Lycii*, & *Pamphylii*, *Ciliciique* maris littus legentes, *Joppensem* portum tenuere: atque novas semper copias, novosque commeatus, ad satietatem, ne quid hostile paterentur, & bellica instrumenta, quæ tum necessaria, atque usui opportuna esse videbantur, præclare in castris convectabant. ibique tandiu permansit, quoad Christiani, *Hierosolymis* sub signis & auspiciis *Gotifredi Bolionii*, sunt potiti. Victoria itaque sacræ hujusce militiæ parta, & votis, quæ sacramento adhibito, antea nuncupaverant, ad Christi sepulchrum rite solutis, *Venetias* incredibili pene gaudio, & lætitia affecti, tam justæ victoriæ compotes rediere sexto Idus decem-
49 bris, tertio ex quo *Venetiis* oram solverant anno. *D. Nicolai* corpus, in Ecclesia ejusdem nominis,
A quam à *Dominico Contareno* Duce, in littore erectam superius est demonstratum, multa religione hodie visitur. Turrim non longe ab Æde, ne Sancti reliquiæ clam à piratis surriperentur extruxit, quæ nunc vetustatis exemplo conspicitur.

ORDELAPHI FALETRII Elogium.

Gotifredo Bolionio, *Hierosolymitano* Rege, altero post adeptam victoriam anno, vita functo, *Balduinus* ejus frater successit, qui cum adversis quibusdam præliis, fractus jam animo esset, certiorque de *Boemundi* captivitate factus,
B animum fere despondisset, *Venetorum* opem, & auxiliaria arma, implorare coactus. Quare *Ordelaphus Faletrius*, *Veneti* Senatus Princeps, qui res longe maximas, pro vera religione, moliri studebat, cum christianam rem trepidantem, & labantem cerneret, instructa centum triremium classe, eam in *Syriam* suis auspiciis duxit. quæ tam felices rerum successus habuit, ut expugnatæ *Tyrus*, *Sydon*, *Berithus*, & *Ptholemais*, quæ à recentioribus *Accon*, novissimeque corrupto
nomine *Acris* appellatur, urbes vetustate & opu- 50
lentia, quondam clarissimæ. mox quoque ad *Nili* ostia, *Faranniam* tum maritimum oppidum, non
C expugnatum solum, sed eversum; atque in *Saracenorum* invidiam, ingenti opulentaque præda inde est abducta. quibus magnifice gestis, *Balduinus* privilegia non pauca *Venetis* in *Syria* concessit. Sed *Ordelaphus*, postliminio reversus, non parvam triumphi speciem retulisse est visus: nec diu tamen res *Veneta* quievit, nam cum *Patavinis* ad *Bebias*, bellum non incruentum est admissum. ob id credo, quod *Ravennates*, & *Taurisini*, socia arma, cum hostibus junxerant, ut tamen *Patavini* ea clade consternati, ad *Henricum* Imperatorem confugerent. qui rebus bene
D hinc inde compositis, eos dimisit, aderant forte, aliis quibusdam de causis *Vitalis Faletrius*, Ducis pernecessarius, *Stephanus Maurocenus* & *Ursus Justinianus* Legati. Sub id ferme tempus, duplex incendium, quod propinquas domos, Ædesque sacras depavit, magnam urbis partem consumpsit, nec opem, aqua comportanda, fundendaque aliave ratione, cives ferre poterant; quod vapor fumusque adversus, loco quemque suo, stare diutius non sinebat. Conflagravit & *D. Mosis* Phanum, quod non sine gravissimi animi mœrore hoc repeto, nam quoties mihi in men-
tem venit, adversi aliquid, illi Ædi accidisse, 51
E ferrum in latus meum stringi sentio. etsi quonam adverso fato nescio, ingratissimus is mihi fuerit locus, cui cum integerrime, per tot lustra, atque ob omnium oculos, & tanquam in theatro positus servierim, nihil tamen aliquorum perfidia qui ad honores obrepserunt, vel ex minimis illis sacerdotiis sit datum, cum hoc ipsum tantum mihi vitio dederint, quod plus æquo (ut eorum interim utar vocabulo) in literis incubuerim. Omitto alias multas in me, vel actas aperte, vel occulte illatas injurias, ut tamen Dei Optimi Maximi ope, atque exemplo, præcipue fretus, o-
F mnia eorum in me scelera, quoad potui vici, totque ac tanta in me convicia sæpissime illata, æquo animo, moderateque tuli. hominum enim insolentium contumelias parvifeci, & ut sunt leves ejusmodi homines, a me facile despiciuntur. Sed illustrarunt tandem paulo ante innocentiam nostram, perditorum hominum injuriæ; nunc enim clarissimorum virorum quorundam beneficio, in puppi sedeo, cum vix mihi esset antea apud eos in sentina locus. Essetque hic fortasse locus deplorandi, vel nostri seculi calamitatem,
vel religionis jacturam, quando qui literas, in 52

A. Stella. B nostro

nostro hoc ordine amplectuntur, agresti Vatinianoque odio, ab indoctis insectantur. Sed ut in multis eorum erroribus, ita in hoc præsertim connivendum esse duxi, redeoque ad historiam. Sexdecim quoque insulas, posteriore incendio continua clade arsisse, cum Ducarii parte, annales tradunt. quo etiam anno, *Methamaucum* partim aquis, partim igne, duobus contrariis elementis, sit consumptum. Annales *Veneti*, quos *Blondus*, historiarum scriptor egregius hac in parte sequitur affirmant, *Henricum* Imperatorem ejus nominis IIII. quum forte apud *Taurisium* ageret, & paucos ante dies, *Faletrii* Ducis filiæ, sacri fontis præstitisset officium, *Venetias* venisse, ut *D. Marci* corpus inviseret, & vota jam nuncupata persolveret. testantur id ipsum præter *Bernardum Justinianum*, qui patriam historiam per annos CCCC. luculentissime conscripsit, multa cum huic civitati, tum etiam monasteriis privilegia augusta beneficentia concessa. narrant præterea eo tempore, urbem ingenti terræ motu fuisse concussam. ex quo sulphureus quidam ignis, è terra scatens, *D. Hermacoræ* Phanum combussit. manus autem *Joannis Baptistæ*, qua Christum Deo genitum ostendit, atque ipsum unigenitum, ad *Jordanem*
53 amnem, baptismi lavacro respersit, intra medias flammas, illæsa est reperta. Sed quoniam ita fert plerunque sors, ut malum sæpius malo addatur; *Iadrenses*, *Joanne Mauroceno*, *Veneto* magistratu, ex urbe turpiter ejecto, oppidoque *Pannoniæ* Regi dato, à nostris desciscentes, *Calomani* Regis arma & trophea, inani ab eo libertatis spe allecti, sequi maluerunt. quos cum Rex, contra fœdus, cum *Venetis* antea percussum, & à nostris sanctissime servatum, in fidem recepisset, cæterasque *Dalmatiæ* urbes, quæ tum *Veneto* parebant Imperio, aut ad defectionem solicitasset, aut sua sponte deficientes, in ditionem suam, contra jus fasque traxisset, paulopost in *Pannoniam* reversus, diem suum obiit. Interim *Ordelaphus*, his anxius curis, nec ulla re, quæ agenda, audendaque magno Duci esset prætermissa, tantam injuriam ulcisci anhelans, tertiodecimo sui Ducatus anno, augusto mense, parata classe, in *Dalmatas* movet, & *Iaderam* defectionis caput, terra marique obsidet; oppidum militibus cingit. *Hungari* qui ad levandam urbem obsidione, ex *Pannonia* venerant, fusi, fugati, tota *Dalmatia* cessere. Quare *Venetus* spem bene gerendæ rei facile concipiens, bellica omnia instrumenta, ad urbis mœnia admovit. Oppida-
54 ni contra, nihil minus quam victoriam sperantes, ultro se supplices, dediderunt. Inde *Siccum*, castra movens, omnium spe celerius, vi capit, ac mœnibus nudat. ibique *Stephanum Justinianum* reliquit. quo metu perculsæ reliquæ *Dalmatiæ* urbes, ad officium rediere. Dux itaque vindicata universa *Dalmatia*, finibusque propagatis, *Liburniam* quoque præsenti rerum successu, suo adjecit imperio. additumque *Croatiæ* titulum, Duci *Veneto* tunc primo constat. Quamobrem cum domum rediisset, captivis multis *Illyrici* regulis, secum in triumphum adductis, tanta lætitia, tantoque gaudio, est à suis exceptus, ut non *Græcorum* aut *Romanorum* triumphi speciem solum adæquasse, sed multo etiam longe superasse videretur. fuit victoriæ dies, pridie Calendarum Quintilis, qua luce, *D. Pauli* Apostoli, gentium doctoris commemoratio, à christicolis celebratur. Nec interim *Pannones* segne otium terruerunt, sed collecta ingenti militum manu, repente ex *Pannonia* affuerunt, adeo sæpe minimis momentis, rerum mutationes fiunt. hujus rei fama, ut primum *Venetias* venit, Dux magno, & erecto animo, haud quaquam cessandum ratus, jussis

A confestim militibus naves conscendere, majorem quam antea classem parat, atque in *Dalmatiam*, Majo mense rediit, ne provincia ab hostibus, 55
præsidio vacua reperta succumberet. Itaque acrius de integro obortum est bellum, hinc spes, inde desperatio animos irritat. & quo fortius & confertim, magis utrinque pugnatur, eo plures vulnerantur. nullo inter arma, corporaque intercidente telo. par utrinque pertinacia, par virtus, par animus, eadem spes, similis fiducia. Cum ergo diu anceps fuisset certamen, ut in *Venetis* castris, neque Dux militi, neque Ducis miles defuisset, & *Faletrius* strenui militis, & optimi
B Ducis operam navaret, velletque phanaticum *Ungarorum* impetum sustinere; transfixus telo latus, dum in prima acie, ubi plurimum periculi, ac laboris ostendebatur, hortator re magis quam verbis adest, ante militum oculos concidit. Dignus certe Dux, qui diutius in humanis esse meruisset. hic *Veneti*, de Principis morte soliciti, acrius ad pugnam incubuerunt. incertus diu mars, dubiaque victoria fuit, multis utrinque cadentibus; sed tanta postea fuga, & trepidatio nostros invasit, ut parum minimumque abfuerit, quin omnes, aut capti, aut cæsi, in hostium potestatem venirent. Ducis corpus, à
C suis ablatum, ne barbari, triumphum Ducis corpore honestarent, *Venetias* est delatum, atque magna funeris pompa, elatum, in ipso *Martia-* 56
næ Ædis vestibulo, quod à læva templi adjacet, marmoreo sepulchro est conditum undevigesimo sui Ducatus anno. affecta gravissimo luctu civitas, legatos quamprimum decernit, qui aut pacem, aut saltem inducias, à *Pannone* impetrarent. missi tum ad id fuerunt, *Vitalis Faletrius*, *Ursus Justinianus*, & *Marinus Maurocenus*: qui pacem in quinque proximos annos, cum hoste, id ipsum aliquamdiu renuente, tandem sanxerunt. Templa duo hujus tempore sunt erecta, unum
D salutiferæ Cruci, cum Virginio *Venetiis*, alterum *D. Cypriano Muriani*, hoc à *Gradonicis*, illud à *Badariis*. Tabulam præterea, auro gemmisque ornatam, ad altare majus, Aureæ *Martianæ Ædis* positam, suo studio fuisse excultam, carmina quædam, aureis literis, in eadem tabula inscripta testantur. Sub quo pium illud quoque opus institutum reperio, ut Dux singulo quoque anno, *D. Georgii* Phanum, frequenti Senatu religionis causa petat.

DOMINICI MICHAELIS Elogium. 57

Optimo Principi, melior successit, qui majorum exempla hac in parte præsertim, ar-
E dentissimo animo secutus, se suosque, pro patriæ dignitate tuenda, pro fide, & religione Christiana conservanda devovit. Nam cum intra paucissimos annos, *Gotifredus*, *Balduinus*, *Boëmundus*, aliique Duces non pauci, qui fatali necessitati (cui nemo unquam repugnare potuit) concessissent; ita *Venetæ*, christianæque res omnes, in *Syria* faciem mutarant, ut retro sublapsæ pedem referre, in dies, magis ac magis viderentur. Quamobrem *Dominicus Michaël*, vir impiger, haud cunctatior ad prælium factus, navibus ducentis é portu eductis inter quas erant one-
F rariæ octoginta, magno studio & cura ornatæ, in *Calixti* Pontificis Maximi gratiam, difficillimis iisdem Reipublicæ temporibus, studium non vulgare impendit, quod à majoribus veluti hæreditarium acceptum, non tantum servare, sed enixe etiam augere, *Veneti* semper curarunt. Obsidebatur tunc terra marique, magna contentione, *Joppe Syriæ* urbs, aspero & importuoso littori, nostri maris imposita. præerant in conti- 58
nenti *Gallorum* Duces, quibus *Veneta* classis, rerum

rum

rum omnium bellicarum inſtructiſſima affuit. at-
que *Saracenicam* claſſem, quæ *Joppem*, ſeptin-
gentarum navium claſſe, arctiſſima obſidione pre-
mebat, adeo improviſo inſultu disjecit, ut magna
fere earum pars, mediis fluctibus ſit oppreſſa, quæ-
dam naves captæ, paucæ fuga dilapſæ. ex *Tur-
cis* deſiderata ſeptem millia fuere. ex quo & urbs
obſidione levata, & *Joppe Venetorum* armis op-
pugnata, non ſine magno labore eſt recepta. præ-
da, quæ opulentiſſima fuit, inter milites, æquis
partibus, Ducis juſſu eſt diviſa. Secuta paucis
poſt diebus altera victoria, decem ex eodem ho-
ſte, navibus captis, cum prætoria, quæ pretio-
ſiſſimis mercibus fuerant onuſtæ. Inde progreſ-
ſus *Venetus*, totam *Syriæ* oram legendo, res par-
tim amiſſas recuperavit, partim etiam periclitan-
tes tueri nitebatur. Nec *Galli* interim, impigre
rem agebant, ſed *Tyrum* urbem, omnium præ-
ter *Hieroſolymam* & *Antiochiam*, totius *Aſiæ* po-
tentiſſimam, antea fruſtra, per quatuor menſes,
immenſis conatibus oppugnatam, à terra adorti,
Venetos hortabantur, ut à mari oppidum, vali-
diſſimis viribus oppugnarent. tenuit dies aliquot
59 obſidio, urbemque ipſam, in fertiliſſimo ſolo po-
ſitam, & frugum parentem (quis crederet?)
obſidione ac fame, ad humanos cibos compulit.
Verum cum *Galli* trepidi, mox in caſtris agerent,
quod *Sultanum Ægyptium*, maximis copiis affu-
turum nuntiaretur, de fuga cogitare inceperant,
quando ipſi ſoli, graviſſimo diſcrimine, hoſti-
bus objicerentur. *Veneti* autem, quibus mare ad
fugam pateret, facile relicta provincia, inde abi-
turi. quod cum *Venetus* Dux reſciſceret, ut ma-
jori clariorique animo rem inceptam chriſtiani
perſequerentur, ſcirentque ſe à *Venetis*, ſi qua
vis à barbaris ingrueret, nunquam deſeri, claſſem
primo propius terram adducit, deinde navium
omnium gubernacula, in caſtris ad *Varinundum
Hieroſolymitanum* Antiſtitem, publico edicto de-
ferri juſſit. alii tabulas, ex ſingulis navium cari-
nis revelli, aliave remigii inſtrumenta adempta,
& in caſtris delata ſcribunt, quæ firmiſſima con-
ſtantiæ ſigna haberentur. qua ſpe, cum diutius
noſtri, urbem obſidione cinxiſſent, dolo magis
quam virtute, tandem & aſtu, quæ an recte
fiant, in hoſte non requiruntur, urbe non ſine
tamen *Venetorum* clade, pridie Calendarum Ju-
lias ſunt potiti. populoque *Veneto* parere eos do-
cuit & quas regiones, quaſque gentes, nullæ no-
60 bis ante literæ, nulla vox, nulla fama notas fe-
cerat, eas *Dominicus Michaël*, & exercitus, *Ve-
neta*que arma peragrarunt. fuit ea victoria Chri-
ſtianis admodum læta. Data tunc *Venetis* in *Sy-
ria* privilegia non pauca, ſed quoniam fuerat
obſidio illa, longa & laborioſa, & quia procul
à patria, Dux pecunia, quæ bellorum nervi ap-
pellatur, indigens; ne milites ſtipendii cauſa,
aut ad hoſtes deficerent, aut caſtra relinquerent,
ex corio bubulo, ad tempus ſcorteos nummos,
publica forma obſignari juſſit, eamque claſſiariis,
ea conditione numeravit, ut domum reverſis,
aurea, argenteave pecunia, fide optima integra-
que daretur. Quare quandiu in *Syria Dominici
Michaëlis* ductu, & auſpiciis, contra fidei & re-
ligionis hoſtes, à noſtris eſt bellatum, imagina-
ria veluti pecunia, mutuo inter ſe utebantur.
Reſtat adhuc in ea familia, tam clarum, tam-
que illuſtre authoritatis exemplum, nam in ejus
gentis inſignibus, aurei nummi, gentilibus ſuis
ſignis videntur, jam tum à Duce illatis, cum
antea aliud inſigne *Michaëles* geſtarent. Sed quum
res *Venetæ* à *Joanne Conſtantinop.* Imperatore (quem
noſtrorum quidam *Calojanem* appellant) ob rem
præclare in *Syria* geſtam, non mediocriter con-
61 citarentur, Dux inde abire eſt coactus. Quare

A *Rhodum* prius, celebrem *Carpathii* maris inſulam,
quæ *Venetis* multa, ad claſſem neceſſaria, præ-
te alia denegarat, invadit, & diripit. mox *Chio*
Mediterranei æquoris inſula occupata, *Iſidori*
corpus, inde *Venetias* aſportavit, quum tamen
diutius in ea inſula hybernaſſet, *Samum* poſtea,
appetente jam vere, *Lesbum*, & *Andrum*, *Ægæi*
maris loca oppreſſit. quibus circa *Cycladas* geſtis,
Methonem Peloponeſi urbem, in ditionem rece-
ptam, opulenta ibi facta præda, atque inter ſuos
diviſa, militari præſidio munitam reliquit. inde
prætervectus, *Iaderam Veneto* nomini infeſtam,
memorabili apud cæteras rebelles urbes exemplo,
B magna ex parte diruit, ac præſidio nudat, ne locus
alioqui natura munitus, ſedes belli fieret hoſtibus.
Spalato deinde, ac *Tragurio Pannonum* urbibus,
in ora *Dalmatiæ*, armis receptis, domum gloria
& divitiis plenus, trigeſimo ex qua diſceſſerat
menſe eſt reverſus. nobiliſſimo apud poſteros, ſi
ut mirari, ita & imitari in animum inducerent,
virtutis & religionis exemplo. Verum quoniam,
neque majus eſt aliquid, neque admirabilius,
quam quod is qui multos vicerit, ſeipſum demum
vincat: nihil enim unquam cum vera virtute,
laudeque geſſeris, niſi in ipſam animi modeſtiam, 62
oculos prius detorqueas. tanta quidem fuit *Do-
C minici Michaëlis*, vel animi moderatio, vel etiam
in patriam charitas, ut *Siciliæ* Regnum ſponte
ſibi oblatum, forti animo negligeret. Sed nihil
magis decorum, *Dominicus Michaël*, feciſſe in ea
expeditione eſt viſus, quam quod ſummo honore
in patriam attulit, lapidem illum, ſuper quem
Abrahamus, Dei juſſu, *Iſacium* filium voluit in-
terimere. atque eum ſuper quem Moſes Deum
eſt allocutus, & illum ſuper quem Chriſtus hu-
mani generis ſervator, apud Tyrum diſcipulos
docens ſedebat. quem, unum eundemque eſſe,
multi affirmant. is ſpectatur hodie, ſuper altare,
in ædicula *Joannis Baptiſtæ*, quæ nunc aurea æde
D comprehenditur, ea parte, qua ad fori portam,
vel ad geminas columnas itur. attulit & veram
quandam Chriſti imaginem, parieti affixam ad
Januam ædiculæ *Joannis Baptiſtæ*, in ipſa *D.
Marci* Æde, ubi Lampades aliquot matutino
tempore accenduntur. cum his etiam vehere cu-
ravit, lapidem ex porphyretico marmore, miro
naturæ artificio cavatum, ubi nunc in eodem
templo luſtrantur infantes, adduxit poſtea ſecum
ex *Pera* ablatam *D. Donati* corpus. Hujus Du-
cis tempore Cathedralis Eccleſia arſit, quam *Bo-
nifacius Faletrius* Epiſcopus, *Vitalis Michaëlis* 62
ſucceſſor, poſtmodum inſtauravit. *Marcus* præ-
E terea *Julianus*, patritii ordinis vir, publicam Chari-
tatis Ædem, cum Canonicorum Cœnobio erexit,
templum nunc ſplendidum, præcipuaque religio-
ne præditum, cui nobiliſſimum conclave, cum
celeberrimo collegio accubat. Dux autem cum
Rempublicam annos undecim, magni ac fortis
animi judicio gubernaſſet, extremum vitæ diem
morte confecit, & publico funere eſt elatus. ejus
ſepulchrum, in veſtibulo *D. Georgii*, è regione
fori, majoris cognomento dicti, hodie conſpi-
citur.

PETRI POLANI Elogium.

F Non poſſum ſine magno, gravique piaculo,
memoriam tui *Petre Polane*, tacitus in præ-
ſentia præterire. nam *Dominici Michaëlis* Ducis
ſoceri tui ſecutus exemplum, belli paciſque arti-
bus longe optimus, ac ſummis animi, corporiſ-
que dotibus ornatus, patriam legibus, ac præ-
clariſſimis inſtitutis fundare, opera & conſilio tu-
tari, optimum factu, ſemper es arbitratus. Tra-
dunt ſcriptores, quos ſequi hac in parte duxi- 63

mus, sub prima hujus Principis initia, *Fanum Piceni*, seu *Umbriæ* amœnissimam urbem, in *Adriatico* littore, inter *Pisaurum*, & *Sennogalliam* positam; quia diutius, à finitimis bello, & armis acerrime vexaretur, ultro sese, & civitatem, in *Venetorum* fidem, & amicitiam contulisse. ex quo nostri semper eos, non modo tuendos, sed etiam augendos, atque honestandos voluere. *Fannenses* pecuniam, & mille olei libras, annui tributi nomine, ad aureæ *Martianæ* Ædis usum, sunt polliciti. Constat non multo post, arma à *Venetis* sumpta, contra *Pisanos*, veterem injuriam, sibi à *Joanne Michaële* Ducis filio, & *Henrico Contareno* apud *Rhodum* illatam, ulcisci volentes; plus tamen cladis, quam intulerant acceperunt, gravioresque in dies calamitates subire videbantur, nisi *Eugenii* illius nominis III. Pontificis Maximi authoritas intercessisset, qui *Pisis* oriundus, iniquissimo ferebat animo civium suorum stragem. Sed *Polanus* interim, ut civibus, & patriæ consultum à se prudenti consilio, in posterum videretur, cum *Dalmatis* egit, ut quandocunque *Veneti* Principes, in hostes moverent, aut quindecim navium classis, sub *Vene-*
65 *tis* signis in altum educeretur, singulæ urbes, singulas triremes, aliave ad classem opportuna instruerent. *Patavini* à *Venetis* hoc tempore, ob finium discordiam defecere, trecentique ex ipsis postea in pugna capti, atque aliquandiu custoditi, sine pretio postmodum dimissi fuere. quod ad clementiæ famam conciliandam, multum contulit. ex eo enim facile patet, *Venetos* tam clementia humanitateque, quam militari etiam virtute, multas gentes, & populos vicisse. Sed dum hæc in *Venetia* fierent, *Rogerius*, *Rogerii* comitis *Siciliæ* filius, mortuo *Gulielmo Apuliæ* Duce, non *Daunia* modo, sed magna *Græcia*, *Lucania*, *Campania*que potitus, *Italiæ* Regem se dictitabat. atque inde devictis ingenti clade, in *Africa Saracenis*, & *Tunetis* Rege, sibi tributario effecto, ensis capulo, prospero felicique rerum successu auctus inscripsit.

Apulus & Calaber, Siculus mihi servit & Afer.

Is *Hemanueli* etiam Imperatori bellum indixit, indictum fortiter gessit. vastata est omnis *Græciæ* ora, & *Byzantium*; in cujus gratiam à *Venetis*, contra ipsum *Rogerium*, classem celeri studio, parari est decretum. hanc cum *Polanus* Dux, eo animo ductaret, ut in *Rogerium* moveret, fœdissima tempestate superveniente, triremes per
66 aliquot dies, non parum jactatas, apud *Caprulas* continuit. ubi Princeps vel prægravante ætate, vel aëris intemperie gravi morbo conflictatus, in deploratam valetudinem incidit. placuitque ex Senatusconsulto, referente *Dominico Mauroceno*, qui *Polano* in sedem successit, ut Dux in patriam rediret: atque *Joannes Polanus* Ducis frater, & *Rhainerius* filius, classi præficerentur. qui accepto Imperio, cum ad *Corcyram* insulam *Adriatico* sinu, irrequieto cursu emenso devenissent, eam ferociter invadunt, modicoque negotio, ex hostium manu vi ereptam, militarique præsidio munitam, Imperatori restituunt. hinc solventes *Corinthum Achajæ* caput, totiusque *Græciæ* decus, atque nobilissimum quondam totius *Europæ* Emporium, & *Thebas* præclaram *Bœotiæ* urbem, in potestatem accipiunt. mox omnia *Rogerii* loca tumultuose invadunt, cum strage rerum omnium, quacunque irent. Postea Rex prælio à *Venetis* fusus fugatusque, navibus viginti amissis, trepidus & inglorius, fugam arripuit, inde nostri magno impetu aversi, *Siciliam* aggrediuntur, omnique injuriarum genere affligunt. Oppida munita, improviso adventu capta, & incensa, multarum ætatum opera, clarissimaque virorum monumenta, miserabiliter extinguunt. parum minimumque abfuit, quin insulam ferme omnem, suæ ditionis fecerint. fuit 67
igitur eo tempore *Græcia*, à calamitoso prælio *Venetis* armis defensa. Ducis interitus, qui non multo victoriam præcesserat, in causa fuit, quo minus frater & filius, maritimi Duces, ob rem præclare gestam, gloriose triumpharent. hoc Duce *Bonfilius Michael*, qui in Servatoris phano, Vicarium agebat, cum cæteris qui ibi rem Divinam faciebant, Canonicum dogma suscepere. nec multo post *Clementis* Ædem, inter almi Spiritus, & Gratiarum Cœnobia, *Petrus Gatilosus* construi fecit. quo etiam tempore inter *Murianum* & *Majurbium*, *Jacobi* cognomento *Palustris* diversorium, *Ursi Baduarii*, & *Joannis Troni* opera est erectum. quem locum *Cistercinæ* virgines olim tenuere; nunc sacrorum curam, ibi *Francisci* gymnopodes habent. Sed *Polanus* cum Ducatum annis unde viginti tenuisset, vitam deseruit. funus *Murianum*, ad *D. Cypriani* est elatum.

MAUROCENI ejusdem cognominis, & MARINI GRADONICI Elogium. 68

Non minorem triumphi speciem, retulisse videri possunt, *Maurocenus* ejusdem cognominis, *Dominici* Ducis filius, & *Marinus Gradonicus* collega, ex omni patritio ordine viri lectissimi, qui *Anconitanis*, navali prælio devictis, ac quinque eorum triremibus captis, contra *Histros*, maritimis latrociniis diutius assuetos, quique omni tempore, in præda, & sanguine versabantur, triremes quinquaginta, felicissimis auspiciis educentes, *Polanos* primo oppugnare, atque armis aggredi tentant. Quare ubi literis & nuntiis, oppidani certiores sunt effecti, bellum maximum & formidolosum, contra eos per Duces decerni, atque parari, *Venetos* Imperatores, confestim per caduceatores monent, atque ad concordiam hortantur. nihil populare arbitrati, quam ut depositis utrinque ferocibus animis, æquis conditionibus, in suam amicitiam rursus recipiant. Assentiuntur *Veneti*, qui nihil unquam maluerunt quam pacem, quique sola laude contenti, nihil ex victis hostibus præter victoriæ nomen, sibi quæsivere. Quare post varias hinc 69
inde conditiones oblatas, has postea libens uterque populus est complexus, ut bina millia pondo olei, *Martianæ* Ædi, quotannis persolverent. *Parentini* tunc suis viribus diffisi, auxiliarias copias, quoties Dux in aliquos movisset, sunt polliciti. hos *Hemonenses* secuti, non auxiliaria tantum arma, sed annuum olei tributum, daturos se constituerunt. quibus rebus compositis, *Maurocenus* & *Gradonicus*, absque ulla occisione aut strage, domum ovantes sunt reversi, atque à *Dominico Mauroceno* Duce, & civibus, benigne fuerunt excepti.

VITALIS MICHAELIS Elogium.

Hic à pace primum auspicatus, avitum inter *Venetos*, & *Pisanos* inflammatum odium, animi facilitate atque clementia lenivit. Sed tranquillo otio diutius perfrui, adversante præsertim fortuna, civitati non licuit. Nam *Hemanuel Constantinopolitanus* Princeps, homo haud miti ingenio, neque mansueto, sed qui multa in *Venetos*, per summam injuriam, & contumeliam perpetraret (ut *Græcum* hominem possis agnosce- 70
re) indigne ferebat, *Venetos* noluisse contra *Gulielmum Siciliæ* Regem, qui *Rogerio* successor est datus, arma sumere. Quare obliterata veteris beneficii memoria, à *Venetis* paulo ante accepti, qui

qui sociali bello, *Græcorum* fortunas, æque ac
suas, contra *Rogerium Siciliæ* Regem, impense
fuerant tutari, contra eos subito impetu arma
movit; *Venetosque* omnes, qui in tota *Græcia*
mercaturam fecerant, custodiri jubet: percusso
prius fœdere, cum *Stephano Pannoniæ* Rege,
Venetorum hoste infestissimo, quo Duce, *Spalatum*, *Tragurium*, & *Ragusium Dalmatiæ* urbes,
vafro callidoque *Græcanico* commento diripuit.
mox negotiatores omnes, quos recenti decreto,
totius *Græciæ* emporia, frequentari denuo jusserat, simulataque pace, per nuntios, fide publica evocarat, uno die, contra jus gentium, comprehendi jubet, eorumque bona in publicum redigi. *Sebastianus Cianus* interim, & *Aureus Mastropetrus*, qui spe renovandæ amicitiæ, *Byzantium* legati nomine petierant, magnæ quidem inter *Venetos*, existimationis viri, qui Ducalem
postea dignitatem sunt adepti, tantæ rei atrocitate vehementer commoti, *Venetias* subito iti
71 nere repetunt; cumque tam infandum facinus,
in Senatu de more retulissent, *Vitalis* Dux, in
quo summa elucebat virtus, & in periculis fortitudo, nihil in tam aperto rerum discrimine cunctatus, triremes centum, intra dies totidem, onerariasque viginti parari, omnibusque ad bellum
necessariis instrui jubet, quibus *Histri*, ex pacto
antea cum *Venetis* facto, decem addidere statimque ipse oram solvens, *Leonardo* filio pro
Duce relicto, urbes prius ab hoste vastatas in ditionem recepit. *Eubœam* deinde & *Chium*, *Aegei* maris, ac Imperii loca, hostiliter invadens,
nec ætati, nec sexui parcendum duxit, in quo
prælio maxima operis pars, *Vitalis Michaelis*
fuit, qui cum pugnandi artem, & audaciam ostendisset, consilio etiam omneis anteibat. Quare *Hemanuel Venetis* armis oppressus, veritusque
regno deturbari facile posse, Legatos iterum sibi
mandari, avidissime postulat. missi *Antistes Equilinus*, *Græci* sermonis non ignarus, & *Manasses Baduarius*, vir Consularis, per quos *Græcus*, promissa tandem bonorum restitutione, æquis postea
conditionibus pacem impetrat. nec quievit tamen, quin solita perfidia usus, adversi aliquid,
contra *Venetos* strueret; nam dimissis legatis, cum
72 exploratum haberet, Imperii vires, longe inferiores esse, quam *Venetorum*, nec ob id cum eis
congredi auderet, fontes & flumina, unde *Veneti* aquam hauriebant, veneno infecit, ex quo
pestilentia subito exorta, ex nostris quamplures
absumpsit. periere tunc, adverso fato *Justiniani*
omnes, cuncti enim pro charissimæ patriæ salute, & pro Reipublicæ incolumitate, arma sumpserant. ne autem *Justiniana* familia tam bene de
patria merita, funditus interiret, Dux qui hoc
unum præter alia civitatis incommoda permoleste ferebat, cum *Alexandro* Pontifice illius nominis III. per literas & nuntios egit, ut *Nicolaus* ejusdem familiæ, qui sacra Deo Optimo Maximo ad *D. Nicolai* littorei faciebat, à Canonibus ea in parte solveretur, liceretque ei ad suæ
gentis sobolem restituendam, *Annam Vitalis*
Ducis filiam, quam unicam habebat, uxorem
ducere. concessit eam veniam impune *Alexander*
Pontifex, dederat enim eodem exemplo paulo ante hujusmodi facultatem, *Constantiæ Gulielmi Siciliæ* Regis filiæ, ut soluto tunc religionis vinculo, ad prolem suscitandam, *Henrico* Imperatori, *Friderici Aenobarbi* filio nuberet. Sed faustissimæ *Justinianæ* nuptiæ fuere. nam liberos
mares sex, fœminas vero treis, ex eo tam felici
73 conjugio suscepere. quo pacto familiam pene lapsam, è tenebris in lucem restituere. mox *Nicolaus*
pristinæ castitatis & religionis haud immemor,
ad Cœnobium rediit, ædificato prius non longe à

A *Torcello* Virginio, quod *D. Adriano* dicatum esse
voluit, in quo *Anna* uxor, monasticam vitam,
ad supremum usque ætatis tempus, sanctissime
egit. claruerunt ambo multis miraculis, perstititque ad patrum nostrorum ætatem, tabula quædam, in Æde *Nicolai* littorei, in qua utriusque
imago, magna cum admiratione spectabatur.
Civitas vero perculsa, ob tam atrocem, tamque
funestam rem, quæ urbem quoque ipsam, adeo
sæviente morbo populabatur, ut animam agentium corpora, terra alte lateque effossa, miserabiliter obruerentur. In Ducem, totum id malum populus contulit, qui in summam civium in
B vidiam adductus, septimo & decimo, sui Principatus anno, est interfectus. funus ad *D. Zachariæ* delatum. hoc duce, Procuratoria dignitas,
quæ amplissima est, & Principi proxima, tunc
primum in urbe fuit excogitata. obtinuit eam primo *Angelus Faletrius Ordelaphi*, Ducis filius, cui
templi aurei cura, fuit demandata.

SEBASTIANI CIANI Elogium. 74

Nullus certe priorum Ducum, ad hanc diem,
nec contentionis magnitudine, nec celeritate conficiendi, *Ciani* trophea potuit adæquare.
C Siquidem gloria fuit illustris, ac pervagata multorum, amplissimorumque, vel in suos cives,
vel in patriam, vel in omne genus hominum,
fama meritorum, omnia enim decora, & insignia, quibus Imperii *Veneti* dignitas fulget, huic
accepta sunt ferenda. Enimvero oblatrent licet
multi, cæterique urbis amplitudini, atque splendori, improbe invideant, hæc quidem civitas,
Alexandrum Pontificem *Friderici Aenobarbi* Imperatoris insidias fugientem, atque ideo *Venetiis*,
intra charitatis Cœnobium, ignoto vilique habitu, multis jactatum fluctibus, totaque *Europa*
exulem, atque inopem, quique totius *Italiæ* Prin
D cipum fidem suspectam habebat, latenter excepit, & fovit. Qua re cognita ab Imperatore,
Venetis bellum denuntiat, eosque imperii hostes
appellat, minæ non vulgares legatis pro pace
cum Pontifice missis adduntur, atque ira percitus, omnes suas vires in eos intendit, milites statim scribit, omniaque parat, quæ ad belli usum
necessaria videbantur. Verum *Cianus* triginta 75
longis navibus comparatis, accepto de manu Pontificis, qui rem Divinam fecerat, vexillo, his verbis; perge *Ciane*, & *Venetum* nomen invictum,
juvantibus Diis, præsta. qui felicibus auspiciis
oram solvens, *Friderici* Imperatoris filii classem,
E quam quinque & septuaginta triremium fuisse constat, juxta *Salborium Histriæ* promontorium est
congressus: locum alioqui ignobilem, sed qui
victoriæ magnitudine, clarior aliquanto sit effectus. quo in loco, extant adhuc carmina quædam,
in antiquissimo marmore incisa, in pariete templi *D. Joannis* Baptistæ, quæ tantæ victoriæ monimentum, testatum relinquunt. Divina ope parta victoria, nulla cædes, nullus captivus ex *Venetis*,
hostium tamen multi desiderati, longe etiam plures captivi sunt effecti. duabus præterea *Otthonis*
navibus, in ipsa pugna, mediis aquis obrutis,
octo & quadraginta captis, in quibus Imperato
F ria fuit, cum *Otthone* ipso, qui *Venetias* vivus
ductus, magnam triumphi speciem exhibuit maximumque Principi, & patriæ decus præbuit.
Unde *Alexander Venetorum* opera, longo post
tempore, pristinæ suæ dignitati restitutus, pax
inter ipsum, & Imperatorem mox conciliata, 76
Veneti Principis majestatem, multis tropheis &
fascibus, quibus Princeps hodie utitur excoluit.
atque inde maris desponsationem, & culparum
omnium veniam, cum *Marcianam* Ædem, tum

 cha-

charitatis, & *Jacobi* de *Rivoalto* invisentibus concessam, statis quibusdam diebus constat. quæ sunt & erunt (& si scriptorum hac in re variat fides) monimenta tantæ victoriæ sempiterna. Nihil enim in tanta rerum gestarum gloria contingere potuit, aut ad illud præsens decus pulchrius, aut ad nepotes memorabilius, quam ut is Princeps, supplex *Venetias* peteret, quem plures olim gentes & populi flexo antea poplite adirent. nec ab re factum à patribus arbitror, qui totius belli seriem, in suo comitio, celebri pictura, exprimi publice decreverunt, ut res latius in urbe vagata, manaret ad posteros, edixit præterea, ut quoties Princeps in publicum prodiret, patres frequentes semper adessent, atque cærulea vestimenta, eaque annua, sub natalitia festa præconibus, singulo quoque anno liberaliter donarentur. Multa insuper extant hujusce Principis, in patriam ornamenta. nam geminæ etiam columnæ teretes, præstanti forma, *Constantinopoli*, ad nos advectæ, in ea *Marcianæ* areæ parte, quæ ad meridiem spectat, eo Duce sunt erectæ. ibi nunc sontes
77 capitali supplicio afficiuntur. Hic bipartitam majore *Eurippo* civitatem, ligneo ponte, omnium maximo, primus junxit, qui à *Germanorum* emporio, ad *Rivumaltum* excurrit. Inde exhaustum ærarium, ea temporis novitate, quadam mutui ratione, à *Vitale Michaele* Duce, hujus nominis II. frustra antea excogitata, in melius restituendum curavit. Splendidam quoque, aureamque *D. Marci* Ædem, in hanc ipsam, quam nunc aspicimus formam, acceptam multi referunt. Tabulamque auream, dignitatis eximiæ, gemmis & margaritis instauravit & auxit, testes sunt literæ, in ea exsculptæ. erat tunc *Angelus Faletrius* tantummodo procurator. Verum post amplissimi *Ciani* Ducis legatum, quum ille duplici curæ impar esse crederetur, alter fuit suffragio creatus, ut hic sacris Thesauris, ille recentioris legati procurationi præesset. famaque est, illam piam nummorum dispensationem per procuratores, pauperibus tunc primo institutam. Is antiquata illa, simplici suffragiorum ratione, duodecim virorum suffragio, qui *Michaelis* Ducis parricidium fuerant ulti, Dux omnium, qui in civitate fuerant, locupletissimus, incredibili omnium lætitia est declaratus. qui alium postea eli-
78 gendi ordinem, aliquanto cautiorem, supremo sui Ducatus anno instituit. Illam quoque pecuniæ largitionem, quam Principes, altero à suæ electionis die, per forum evecti, in argumentum, vel lætitiæ, vel liberalitatis, profe effundunt, gratia simul & benevolentia multitudinem devincire cupientes, ab hoc ipso excogitatam video. Hic prægravante ætate, & morbo, seipsum abdicans, ad *Georgii* Phanum, e regione fori concessit. ibique non multo post vitam deseruit. octavo sui Principatus anno, ejus sepulchrum marmoreum, in ipso Cœnobii vestibulo conspicitur, ubi omnium sacerdotum collegia, quotannis suis manibus parentare, testamenti sui tabulis sanxit. urbe prius optimis institutis ac legibus, magnificentissimisque operibus illustrata. *Petrum* filium, qui post *Henricum Dandulum* Ducalem sedem, omnium consensu est adeptus, hæredem ex asse reliquit, ea tamen lege, & quasi divinaret, ut si absque liberis è vita decederet, omnes familiæ suæ fortunæ, quæ omnium amplissimæ habebantur, partim *D. Marci* Ædi, partim etiam *D. Georgii* Cœnobio ascriberentur: ex ipsismet postea testamenti tabulis, in ima cera illud addidit, ut singulis carceri *Marcianæ* mancipatis, duo panes & vini mensura, pietatis causa quotidie darentur.

HENRICI DANDULI Elogium. 79

Salve tu quoque heros magnanime, in hoc fortissimorum Ducum albo, & gentis nobilitate, & animi robore, merito referende; qui nisi Reipublicæ præfuisses, eam minime, tam claram tamque illustrem hodie videremus. In quo certe viro, nescias quid prius laudes; nam cum in bello gerendo, fortunatissimus sit visus, in rebus etiam agendis, consilio plurimum præstitit, quippe cum *Byzantium*, pro pace cum *Hemanuele* Imperatore impetranda petiisset (qui præter incommoda multa *Venetis* data) *Anconitanos* ab eis alienavit, & *Stephanum Pannoniæ* Regem, callido, vafroque ingenio, contra eosdem concitavit, adeo certe a *Græco*, scelesto alioqui, & perfido homine, indignis est habitus modis, quod constantius, liberiusque Rempublicam gessisset, ut objecta sibi, contra jus gentium, ante oculos, candenti lumine, ænea tabula, visu pene fuerit captus. Hic postea eo in primis nomine, cum honoribus etiam amplissimis & laboribus maximis, pro Republica persunctus esset. Dux magnifico patrum ac populi consensu creatus, majorem quam antea operam patriæ optime de se meritæ, impendere accuratius contendit. Enimvero *Polam* & *Mugliam*, 80
Histriæ civitates, quæ à *Pisanis* fuerant occupatæ, *Joannis Basilii*, & *Thomæ Faletrii* ductu recipit, quarum magnam partem diripit, direptam incendit, earumque mœnia, haud uno loco disjecta, ne hostis amplius se eo reciperet, solo æquat. Sic *Polanis* rebus accisis, *Bonifacius Monferratensis*, & *Balduinus Flandriæ* comes, aliique *Galli* Duces non pauci, *Venetias* venerunt, ut contra *Turcas Saracenosque*, loca sacra, temerario ausu, ac nefando prorsus, execrabilique scelere infestantes, communi animo consilioque moveret. Sacrum illud bellum pietatis causa susceptum gestumque perfici non posse videbatur, nisi *Græci* prius, infida perniciosaque gens, quæ aliquantulum à recto dogmate dissentire videbatur, ad officium revocarentur. Sed ut facilior eis, ad rem tam opportunam, tamque Reipublicæ christianæ necessariam peragendam, aditus pateret, *Venetorum* opem deposcunt. Quare *Henricus* publica privataque ira vehementer incensus, ob violatum legatorum jus, quod penes cunctas nationes sanctum habetur, opinione celerius classem parat, humanis stimulis est religio addita (huic enim non res *Veneta* solum, sed religio ipsa omnium maxime curæ fuit, laboravitque pluri- 81
mum, non tam ut maxima, opulentissimaque civitas esset, argenti & auri possessione, quam ut felicissima, & virtutum ornamentis celeberrima haberetur) Quamobrem *Gallorum* Ducibus sociis, sacrisque auspiciis rite peractis, *Rhainerio* filio pro Duce relicto, Idibus Octobribus, *Venetiis* profectus, omnem *Illyrici* oram recepit. nam *Histri*, *Lyburni*, *Dalmatæque*, Pyraticam factitantes, & præsertim *Iadertini*, qui à *Venetis* quinto jam desciverant, *Ungarorum* partes secuti, bello tunc à *Venetis* fuerunt domiti, atque ob suam perfidiam, ignominia affecti. *Pannoneque* hoste, inde armis expulso, leges acceperunt, ne quid postea turbulenter, temereve committerent. reliquas autem urbes, quæ adhuc in fide permanserant, in officio prudentissime continuit. *Histris* etiam tributariis effectis, & præsertim *Tergestinis*. *Byzantium* mox suo ductu adnavigans, cum classe ducentarum, ac quadraginta navium, *Alexium* Juniorem, *Isacii* filium, in Regnum restituit, quo postea per fraudem, à *Murciphilo*, scelestissimo homine, è medio sublato, urbem ipsam *Venetæ* felicitatis æmulam iisdem sociis, *Græ*-

Græcis prius ademptam, *Latino* nomini asseruit,
sicque male partum Imperium, cum vita simul,
82 ignominiose *Murciphilus* amisit. Capta urbe, in
quo pugnæ ardore, *Dandulus* miram virtutem
præstitit, omnia prius fuerunt emendata, quæ
antea minus rite, secundum christianum dogma
fiebant. deinde Duces in unum collecti, *Balduinum Flandriæ* comitem, Imperatorem eligunt.
Thomas vero *Maurocenus*, *Veneti* patritiique sanguinis vir, primus Patriarcha est dictus (ita enim
inter se prius convenerant) ut *Veneti* Antistitem,
quem mallent eligerent, si *Gallis* Imperium sorte
cessisset, ne penes unam gentem, utræque essent
dignitates. *Thomas* Patriarcha *Romam* profectus,
ab *Innocentio III.* Pontifice Maximo sacris est
initiatus, mitraque & lituo pastorali insignitus,
postea *Constantinopolim* reversus, *Balduinum* Imperiali stemmate inauguravit. præda ingens tunc
parta, auri, argenti, gemmarum, margaritarum, pretiosæ vestis, & suppellectilis, multa
Græcanica opera; & præsertim, quatuor illi ænei equi, qui in vestibuli supercilio templi à fronte alacri statu prominent, opus est illud *Lysippi*,
à *Tiridate Armeniorum* Rege, *Neroni* primo donati, mox à *Constantini* Imperatore *Byzantium*
advecti, inde postea *Danduli* opera *Venetias* adducti; magnam de se spectantibus admiratio-
83 nem præbent. eo enim gradu motuque corporis stant, ut jamjam desilire, in subjectam planitiem pariter omnes velle videantur. testatur *Bernardus Justinianus* historiæ scriptor gravissimus
vidisse eos aliquando in gemma signatos, atque
Romæ, dum ibi legatum ageret, in arcu triumphali *Constantini* sculptos. *Luciæ* præterea corpus, quod è *Sicilia Constantinopolim* fuerat allatum, *Venetias* cum classe vehi curavit. *Gallus*
vero Princeps, *Henrico* Duci, quoniam in eo
bello, clara egregiaque facinora edidisset, *Lilia*
in suis insignibus deferenda in posterum concessit, edixitque ut in ea urbe *Venetus* magistratus
perpetuo esset. Adjecit postea *Dandulus*, *Veneto*
Imperio, quartam totius *Romaniæ* Principatus
partem, quo nomine deinceps *Veneti* Duces sunt
appellati, atque Imperii nomen tunc primo sunt
adepti. *Cretamque* insulam patriæ adjunxit, inde
Ragusium, & *Dyrrhachium*, atque *Corcyram*, ubi
Jacobum Delphinum præsidii loco relinquendum
jussit, *Thomæ Mauroceni* Antistitis ductu, qui
Roma discesserat, acquisivit. plura quoque, cum
ad Reipublicæ statum, quam suo consilio stabilivit, tum ad religionem ipsam, Deique Optimi
Maximi cultum spectantia, eo Duce sunt acta.
& nisi inopportuna, ejusdem Principis mors con-
84 tigisset, *Veneti* Imperii gloria, longe maxima,
ejusque fines longius quoque, tanti viri auspiciis
processissent; qui nonagenario major, tertiodecimo Ducatus sui anno *Byzantii* vitam naturæ
reddidit, atque in atrio *D. Sophiæ* sepultus. fuerat ea Ædes à *Justiniano* Imperatore, multo antea condita. ejus cadaver postea effossum à *Maumethe*, secundo *Turcarum* Imperatore, *Amuratis*
filio, qui *Constantino* Imperatore, civitate, &
vita spoliato, urbeque totius Orientis nobilissima
potitus, in qua Christiana pietas, millesimum ac
centesimum, supra nonagesimum annum floruerat, sacram *Sophiæ* Ædem, prophanam fieri,
impio jussu voluit. Imperatoria arma, quibus
Henricus fuerat indutus, ensisque & clypeus, aliquandiu penes *Turcarum* Imperatores steterunt,
mox vero à *Solymano Selymi* filio, *Gentili Belino*,
pictori sui temporis egregio, qui è *Venetiis Byzantium* evocatus, regiam multis tabulis, rerum
novarum, ad oblectationem, & *Maomethis* imaginem pinxerat, dono data fuerunt. atque *Venetias* ab eodem asportata, *Marco Dandulo*, Do-

A ctori & Equiti præstantissimo, *Mathæi* Equitis
Viri clarissimi, patri optimo atque integerrimo
donata. Sed *Marcus* ut erat excelso animo atque
invicto, cum ab eo Principe, originem non habere affirmaret, ob idque sibi munus illud minus 85
competere existimaret, ea fide Optimi *Henrici*
Principis successoribus deferenda curavit. Duce
vita functo, ne *Veneti*, qui in ea urbe, tamquam in novam coloniam, nominibus datis, veteris patriæ fere immemores habitabant, sine aliquo magistratu essent, *Marinum Zenum* Prætorem, concordi electione crearunt, fuitque primus, qui novum *Byzantii* magistratum gessit.
B Inde *Zenæ* familiæ, bene optimeque postea cessit,
ut si quando magni aliquid, inter Senatum *Venetum*, ac *Turcarum* Duces agi oporteret, per
Zenos viros Patritios fatali quodam eventu, exequi semper videretur.

RAINERII DANDULI, & ROGERII PERMARINI Elogium.

Victoria contra *Græcos* parta, aliis peremptis,
aliis bello subactis, ut Imperii loca, quæ
ex fœdere cum *Gallis* icto, ad *Venetos* jure belli
pertinere videbantur, melius commodiusque, *Ve-*
C *netæ* ditioni adjungerentur (quarta enim captorum oppidorum pars, *Venetis* cessit, omnesque
Aegæi fere ac *Ionii* maris insulas, ea de causa sunt
adepti) classis non parva, rebus omnibus est in- 86
structa *Rainerio Dandulo*, *Henrici* Ducis filio, &
Rogerio Permarino, Procuratoria tum dignitate
illustri, egregiis propugnatoribus, omniaque præsenti animo administrantibus præfectis: egressa
classis, in ipsis *Hadriatici* maris finibus, cujus
nulla pars, à periculo, cæde, ac latrociniis vacua
erat, *Leonem Vetranum Genuensem*, prædonem
nefarium, piraticis incursionibus navigantes vexare, & rebus spoliare est aggressa: quem me-
D morabili prælio, cum novem longis navibus captum, *Corcyram* adducunt. ibique publice laqueo,
præpostera veluti morte, vitam finire jusserunt,
eo prius ostentandi gratia, vivo per insulam à *Venetis* non multo ante receptam ducto. In quam
Insulam, tanquam in Coloniam, vel in quam rem
magis meus inclinat animus, *Petrus Michael*,
Stephanus Foscarenus, & *Sigibertus Quirinus*, sunt
missi. Mox classis *Veneta*, *Methonem* & *Coronem* Insulas, quæ tanquam piratarum domicilia
videbantur, expugnat, quas *Raphael Zenus*, præsidio custodivit. Cæteras deinde *Aegæi* maris
Insulas, quæ *Constantinopolitano* paruerant Impe-
E rio, partim patriæ, partim privatis hominibus 87
vindicatas, ejectis prædonibus præsidio firmat.
(erat enim ea profectio ex *Illyrico*, in *Ionium* &
Aegeum euntibus, maxime pestifera, ac perniciosa) interim *Græcus* quidam Regulus, *Henricus*
nomine, *Malliacus* comes, *Ligusticis* navibus fretus, *Cretam* Insulam, centum olim urbium fama clarissimam, ac omnium quæ sunt in *Aegæo*,
Cretico, *Libyco*, *Aegyptio*, ac *Carpathio* mari celeberrimam, ausus aggredi, atque armis hostiliter tentare, eamque fere totam in ditionem receperat, nisi *Rainerius Dandulus*, cujus animum
jampridem, paterna gloria vehementer incende-
F rat, affuisset, cui duplicata classe, Imperium est
demandatum, à quo adductis triremibus ad infestissimam Insulæ partem, hostis adeo fortiter est
repulsus, ut non solum Insula *Venetis* armis sit
defensa, sed quatuor etiam *Genuensium* naves,
cum ipso *Henrico* captæ, in *Danduli* potestatem
devenerint. Regulus ipse ultimo supplicio, Imperatoris jussu est affectus. Per id tempus grata
patria, *Rainerium Dandulum*, in demortui *Gratiani Georgii* locum, procuratoria dignitate inter
Ve-

88 *Venetos* augustissima, honestavit, & auxit. Ve-
rum ad *Cretensium* motus, in posterum compe-
scendos, *Veneti*, patritii plebeique ordinis viros
non paucos, pedites hos, illos equites, in eam
Insulam, tanquam in novam Coloniam, publico
decreto miserunt: cui Ducario nomine, *Jacobum*
Teupulum, hac veluti prærogativa, quod *Byzan-*
tii plura, integerrime innocentissimeque perfun-
ctus erat; præficiendum curarunt. hunc ego fuis-
se arbitror, qui Ducalem dignitatem *Venetiis*,
post *Cianum* obtinuit. Neque tamen *Ligur*, quem
nunquam *Venetus*, neque lacescendum bello, ne-
que tentandum putavit, inceptam provinciam
deseruit; quin dolo malo & astu, quibus gens
ipsa, in *Venetos* semper est usa, *Cretam* seditione
prius turbatam invadit, crebrisque incursionibus
deturbat, atque Insulanos ad defectionem solici-
tat, vel ob acre, præposterumque illius gentis
ingenium, vel quod ægre ferebat hostis, binos
Principes interceptos, ignominioso mortis gene-
re fuisse affectos. ad eorum tamen insanos cona-
tus reprimendos, *Dandulus* fortiter, strenueque
obstitit. Brevique est tota ea Insula pacata, qui
cum triumphum sibi decerni cuperet, *Cretici*que
agnomen adipisci, nihilque minus, quam insi-
89 dias timens, ab hoste improviso prælio circum-
ventus, venenato telo transfigitur, ut tamen di-
gnam, virtute sua, mortem obierit. ejus corpus
Candaci (est ea urbs hodie celeberrima, ac to-
tius Insulæ emporium) funebri pompa sepultu-
ræ datum. Fuit ea res origo, & quasi semina-
rium maximæ cladis, hinc inde acceptæ, & il-
latæ, inter *Venetos* & *Genuenses*, cum quibus us-
que ad ultimum suæ gentis, & libertatis interi-
tum, est pugnatum.

LEONARDI QUIRINI, & MARCI GUSSONII Elogium.

Vix fuerant *Veneti*, *Cretensium* rerum nego-
tio, & cura, quæ maxima certe fuerat, so-
luti, quum in majorem postea molem, majusque
discrimen, urgentibus fatis inciderant. Nam
Vatazus Græcanici sanguinis vir, quia ea tempo-
ris novitate fretus, qua *Veneti* ad *Cretam*, in di-
tionem retinendam, totis viribus nitebantur,
quasdam *Ægæi* insulas occupavit, quum ad *Cretæ*
insulæ nobilissimæ imperium anhelaret; essetque,
prævalentibus jam *Venetorum* armis, illius po-
tiundæ deplorata spes, vafro ingenio, aliud iter
90 ingressus, cum *Exagonarum* Rege, fœdus de *By-*
zantio invadendo percussit. erat tum *Byzantii* Præ-
tor ex jure jam antea, per *Henricum Dandulum*
Ducem in ea urbe, jure belli quæsito, *Theophi-*
lus Zenus, vir neutiquam negligendus. Cæte-
rum & coloni ab initio missi eo aderant. Sed
Zenus non impiger, cum imminentis belli aper-
tum periculum cerneret, Senatum ea de re cer-
tiorem facere optimum arbitratus, Principem,
& Patres, per nuntios, quo in discrimine res
tanti Imperii, armis & virtute parti; in præsen-
tia esse viderentur, monet. qui nec tardandi,
nec differendi facultatem esse, mature perspi-
cientes, *Leonardum Quirinum*, & *Marcum Gus-*
sonium, lectissimos viros, validæ classi, ex Se-
natusconsulto præficiunt. qui nihilo segnius
spartam ornare, omnique officio, ac potius
pietate contendentes, oram felicissimis auspi-
ciis solverant; decreverantque communi con-
silio, in *Illyrico* ad ea oppida perlustranda, ali-
quantulum commorari, quando *Byzantium*, ab
hoste jam obsideri, subitum nuntium est allatum.
quare majori studio & diligentia, occasionem
opportunissimam nacti, iter arripuerunt. quæ
cum in cæteris rebus, tum in bellis, omnium
A gerendarum est mater, & opifex optima. Quam-
obrem inceptum jam iter perficientes, celeri-
ter in *Hellespontum*, classem trajiciunt. immine- 91
bat ferociter barbarus *Constantinopolitanis*. Sed
nostri non perculsi erant metu, non consilium,
non animus defuit. nam cum hoste congressi,
magis animis, quam viribus freti, in certamen
descendunt, omnia circumspicere, atque agita-
re cœperunt, summa sua prudentia, quæ vera
est militaris fortitudinis parens. vicerunt egre-
gie *Veneti*, præsentia & hortatione Ducum, est-
que tunc à *Marco Gussonio*, constantius quam
audacius pugnatum, obiitque non solum optimi
B Imperatoris sed & militis strenui munera: victo-
riaque, quæ semper ad æquitatis partem inclinat,
sunt potiti. præerat hostium classi, *Leo Gaval-*
la, fama ea tempestate illustris, cum quo *Veneti*
fortiter dimicantes, etsi viribus longe inferiores
essent: rem tamen fortitudine & celeritate pro-
spere gesserunt. quatuor & viginti hostium na-
vibus, à *Venetis* interceptis, cæteris metu & in-
sectatione disjectis. præda militibus est concessa,
addita est victis ignominia, captivis enim anten-
nis religatis, triumphali velificatione, *Byzan-*
tium urbem, adhuc trepidantem ingressi, obsi-
dione levarunt. excipientibus magna cum lætitia
C & plausu oppidanis rebus ita pacatis, quibus ni-
hil tum fieri potuit honoratius, cum paucis die- 92
bus ibi essent morati, in patriam felicissimo cur-
su reversi, ingenti lætitia & non minus illustri,
quam celeri victoria, civitatem affecerunt. *Mar-*
cus Gussonius vero, non minus armis, quam reli-
gione clarus, Phanum virginis, quod nunc Cru-
cigeri tenent, & *Matthæi* ædem, templa à suis,
proprio ære fundata, donariis non paucis orna-
vit.

ANDREÆ TEUPULI Elogium.

D Sunt & *Teupulis*, qui pro patriæ salute, in tot,
ac tantas dimicationes, sese objecere, maxi-
ma suorum majorum decora, fortiaque & illustria
ejusdem gentis facinora, quæ nequaquam fuerant
à me silentio involvenda. nam ubi sublime ali-
quid, & excelsum versabatur, ibi semper impi-
gerrime sese, & præclare exercuerunt. ex qua
familia veluti ex equo *Trojano*, viri bello, pace-
que clari, genuino splendore, in lucem non pau-
ci prodiere. Inter quos enituit *Andreas Teupu-*
lus, *Jacobi* Ducis filius, qui non minus laude,
& rerum gestarum gloria, quam Ducaria digni-
tate florebat; & *Petri* etiam frater qui *Mediolani*
Præturam, magna sua cum laude egit; atque
E *Joannis*, qui in gratiam *Gregorii* ejus nominis IX. 93
Romani Pontificis (cujus preces aspernari, non
minus impium est, quam ab officio alienum)
quinque & viginti navium classem ad *Appuliæ* ur-
bes oppugnandas contra *Fridericum* Imperatorem
Pontificis *Romani* infestissimum hostem, Sena-
tus decreto ductavit. Verum *Andreas* & corpo-
ris viribus, & animi magnitudine pariter insi-
gnis, sexaginta triremium præfectus, ferre opem
patriæ, succurrere saluti, fortunisque commu-
nibus animum intendit, nec minus quicquam cu-
ræ habens, quam quod geri è Republica opor-
teret; cum classe, frumento, stipendio, cæte-
F risque rebus, satis probe ornata, primo in *Hi-*
striam venit, atque *Polanos*, qui ex antiquo jam
fœdere, triremem dare neglexerant, fossa, val-
lo, propugnaculis, mœnibus, & omnifariam
munitionibus nudat; ne præsidium aliqua ex par-
te haberent, quos ne ad internecionem daret, pe-
cunia mulctandos curavit. Inde per *Hadriatici*
sinus lævam enavigans, *Dyrrhachium Epiri* urbem,
Ciceronis exilio celebrem appulit, ut triremes
cum

cum *Genuensibus* conjungeret. Enimvero *Genuenses* qui inducias in annos IX. *Stephano Justiniano* & *Marino Mauroceno*, qui Ducalem sedem, post *Teupulum* tenuit, legatis ad id *Romam* missis, cum *Venetis* fuerant pacti, atque *Gregorii* Pontificis authoritate addito anathematis spiculo sancitas,
94 ab iis per legatos petiere, ut sibi communi nomine contra *Pisanos*, magno *Friderici* favore fulcitos, auxilio esset, classem enim supra centum triremium contra *Genuenses* instruxerant; quippe id in fœdere cautum videbatur, ut alter alteri, quandocunque opus foret, afferret opem, estque ob id à *Venetis*, tam valida classis, magno illuc cum dispendio missa. Sed *Ligur* in certamen ab hostibus provocatus, non expectatis amplius auxiliariis navibus, in eos movet atque trucidat. quo nuntio audito, *Teupulus* qui omnia, quæ ad militiam spectabant, optime noverat, iter retro flectere optimum duxit. nam cuncta *Ægæi* loca, in officio manere, per id tempus sunt visa: Quamobrem classem iterum ad *Polam*, quæ refectis viribus, denuo a *Venetis* defecerat, duxit, urbemque (multo acrius quam antea accensus) ferociter adortus diripit. victos ad internecionem persequitur. omnique injuriarum genere affligit, nec alicui parcit, non minus ipse optimi Ducis, quam fortissimi militis officio functus. denique nullum est cladis genus, quod tum ingrata civitas, non sit perpessa. His fortiter gestis, domum repetens, omnium ordinum consensu benigne excipitur.

95 *RAINERII ZENI Elogium.*

Vix fuerant ab *Andrea Teupulo*, exauctorati nautæ, quum aliud nefarium, omnique imbutum odio bellum subito oboritur. *Iadrenses* namque obliti, quæ vel secunda fortuna, à *Venetis* habuerant, vel adversa toties fuerant experti, pulso *Joanne Michaële*, tum urbis Prætore, quinto à *Venetis*, ad *Ungaros* transfere, atque *Belæ* eorum Regis arma secuti illius vexilla, animose extulerunt. quam injuriam *Veneti* ulcisci cupientes, *Rainerium Zenum*, virum gravissimum, ex *Zena* familia, à *Zenone* Imperatore Augusto oriunda, cum quinque & viginti triremibus, ac onerariis viginti, toti bello præficiunt, qui ex quo Dux fuit declaratus, nihil prolatandum ratus, terra marique civitatem adortus, eam per menses duos, omni bellorum genere oppugnans, post non multas suorum strages, secundo Julii die prælio fregit, & domuit; nam oppidani oppugnationis artificio, & belli asperitate, vehementer deterriti, se urbemque dediderunt; atque imperata facturos, tamquam ex syngrapha sunt polliciti. *Rainerius* vero in prima acie pugnans, nihil sibi reliqui, ad virtu-
96 tem fecit, atque adversus hostes, non minori obstinatione, quam animi vigore dimicavit; ad quos prælio devincendos, non alio quam *Rainerio* Duce, fuerat opus. neque enim contra imbelles populos, arma movit, sed contra eam gentem, quæ & bellica olim virtute, celeberrima fuerit, & hodie quoque, à majorum suorum laude non degenerarit. recepta urbe, *Petrus Dandulus*, *Divi Marci* procurator & *Stephanus Justinianus* legati ad *Belam*, *Pannoniæ* Regem, pro componendis rebus sunt missi; qui sic prudenter negotium gessere, ut Rex ipse, jus omne, quod tam ipse; quam sui majores, in ea urbe, quocunque jure sibi antea vendicarant, *Venetis* libentissime condonarit. *Joannes Michaël*, qui à *Iadertinis*, urbe ignominiose fuerat ejectus, quoniam in ea obsidione, egregiam & ipse operam navarat, *Clodiensis* Prætor, statim est designa-

A tus. moxque Procuratoria dignitate auctus. Prætor tum in eam urbem missus (ut quidam volunt) *Stephanus Justinianus*, sed ut alii *Dominicus Maurocenus*, uterque tamen prudentia, & animi robore singularis; qui bellicosissimum alioqui populum, metu teneret, quem fides non tenuerat. *Rainerius* autem, in patriam reversus, quum inter cives pulcherrime staret, Procurator primum, mox *Mari- 97
no Mauroceno*, quem unus & quadraginta viri, primo crearunt, concordi electione, successor est datus. quo Duce bellum contra *Ligures*, crudele & perniciosum, hostium præsertim pertinacia est susceptum. in quos *Zenus* irruens, eos magno
B animi ardore aggressus, parique successu profligavit; captisque septuaginta triremibus, cum prætoria puppi, *Friscum Ligusticæ* classis præfectum, *Venetias* in triumphum duxit. ob tam singularem, tamque insignem victoriam, *Rainerius* Dux repudiato veteri suo gentilitio insigni, albas lineas duas, totidemque cæruleas, quas ex militari vexillo, jure belli erepto ademerat, posteris ad hanc usque diem, tamquam per manus acceptas, deferendas curavit. Urbem præterea majori quam antea sumptu instauravit. nam publicas vias, vicosque omnes, atque plateam lateritio lapide sterni fecit, & Pontem qui à *Ger-*
C *manico* emporio, ad *Rivum altum* excurrit, majorem ampliorem que, quam antea à *Ciano* Principe fuerat extructus, fieri jussit. primusque ad capitis insigne, limbum aureum addendum curavit. Sed quum ex diuturnis belli calamitatibus, exhaustum jam esset ærarium, quædam fuere à Principe vectigalia excogitata. inter quæ, quum novum, atque in Civitate inusitatum, ex mola 98
commentus, esset, in quandam civilis discordiæ flammam incidit, cui cum mederi studiosissime cuperet, in eum à nonnullis est conspiratum; adduxitque tumultus ille, Rempublicam in maximum discrimen; nam & Princeps qui populum
D verbis mitigare inceperat, ne quid detrimenti Respublica pateretur; ictu lapidis fuit violatus. insana plebs, quasdam nobilium domos, in ea trepidatione diripuit; in sontes postmodum est graviter animadversum. Procuratorius etiam numerus, eo Duce, bis est auctus, atque primo *Marcus Superantius*, mox *Jacobus Molinus*, dignitatem sunt adepti. demum *Rainerius*, decimoseptimo sui Principatus anno, nonis Julii è vita decessit. Cadaver ad Gemellorum Ædem fuit delatum. Sub hoc tempus *Actiolinus Patavinorum* Tyrannus, quem multi *Ecelinum* vo-
E cant, humani generis portentum, ac quædam totius *Italiæ* fax, contra quem *Veneti*, ut *Patavinorum* rem adjuvarent, milites, arma, commeatus, & naves miserant, *Martini Turriani*, *Mediolanensis* Principis ductu debellatus; ignominiæ impatiens, præ nimia ira, omnium miserrimus, est morte consumptus. quum Tyrannidem, omni flagitiorum genere, annos viginti exercuisset.

LAURENTII TEUPULI Elogium. 99

Duo per id tempus celeberrima erant, totius
F orbis emporia, Barbaris *Damiata*, nostris vero *Ptolemais*, colonia maritima, amæno montium jugo clausa, celebrisque ob arenas, quas tot retro seculis, vitrariis officinis exhibet, inter *Carmelum* montem, & *Sydonem* urbem posita, nunc *Accon* recentiori nomine appellatur, in confinibus *Armeniæ* & *Syriæ*, haud longe ab *Antiochia*, in qua urbe, quæ erat, conventu mercatorum frequentissima, non *Veneti* solum, sed *Genuenses*, & *Pisani*, jus antea, sibi quæsitum habebant. Demum orta est inter *Venetos*, & Li-

Ligures, veluti inter duos opulentissimos populos, maritimarum rerum gloriam sibi vendicantes discordia, quibusdam etiam simultatibus inter eos, tunc reviviscentibus. nam Ædem *D. Sabbæ*, quæ *Venetis* antea per annos fere sexaginta cesserat, *Genuenses* temerario ausu, eam sibi vendicare conati, sacrum prophanantes, instar arcis communiunt, ibique omnis generis arma, ad pugnam necessaria attulere. tum quidem domus templa, & aræ, humana omnia, atque Divina
100 jura, sunt violata. nihil est enim tam sanctum, quod non aliquando, hominum improbitas possit violare. Quare *Veneti*, rei indignatione accensi, cum insignem hanc contumeliam, & dedecus, ferre non possent, multis prius per caduceatores pro pace frustra tentatis, triremes tresdecim, opportune instructas, *Laurentio Teupulo*, *Jacobi* Ducis filio, viro prudenti consilio, nec bellicæ artis imperito committunt; qui eas celeriter, per *Ionium Ægæum*que, ac *Syriacum* mare eductas, *Accon* citato veluti agmine convexit; catenaque fracta, qua portus occludebatur, treis & viginti *Ligusticas* naves, onerariasque duas direptas, omnes ad unam incendio absumunt. Ædem ab hoste prophanatam, qua parte fuerat munita, diruunt; promiscuaque cæde, in *Genuenses* sævitum. erat tum in ea urbe Prætor, *Marcus Justinianus*, qui columnas duas quadratas evelli curavit, *Ligustico* marmore, cum epistyliis: à basi, ad mediam fere columnæ partem, Crucis imago spectatur, inde supra, qui locus appellatur scapus, vario opere sunt incisæ. hæ ad præsidii januam adjacebant, vel quod facilius crediderim, ipsius portæ fuerant veluti antes. visuntur ipsæ hodie, inter auream *D. Marci* Ædem, & forum,
101 ad meridiem erectæ. hujuscemodi etiam victoriæ monumentum, refert lapis ille, ex porphyretico marmore, ad templi angulum erectus. decreta ibi atque edicta, tam publica quam privata, multaque magistratuum jussa, per præcones publice recitantur. Sed illius epistylium, & spira, ex pario aut *Ligustico* marmore, res ad ornatum excogitatæ, nostri quidem sunt temporis. Sed *Genuenses* ea clade, magis irritati quam territi, Instauratis aliquantulum viribus, cum classe, duarum & triginta triremium, nostris apud *Tyrum* denuo occurrunt: contra quos *Veneti*, pristinæ virtutis memores, acriter instare, maximaque vi est hinc inde certatum. fuit vero res *Veneta* semper superior. *Teupulus* autem, bis cum hoste signis collatis, bis re egregie gesta, *Byzantinis Græcorum* armis oppressis, opem tulit. mox prospere etiam contra eosdem *Ligures* cum *Andrea Zeno*, altero tum classis Imperatore pugnavit. his gestis in patriam vocatus, triumphans urbem iniit. seque usque adeo in omnibus, quæ excellenti civi sunt necessaria, exercuit, ut multis nominibus, patritiorum sibi favorem conciliarit. nec multo post, mortuo *Zeno*, cum inter Patres, genere, virtute, authoritateque plurimum vale-
102 ret, Dux creatur, in cujus electione, diversam quam antea rationem, ac longe cautiorem excogitatam constat. quæ in hunc usque diem, integra omnino perseverat. quo in loco, paternam gloriam æmulatus, egregia facta non pauca, ad patriæ commodum, & ornamentum effecit. ut qua virtute Rempublicam ab immanissimis hostibus, foris strenue defendisset, eandem ab omni tumultu & perturbatione, diutius tutaretur. Quare Civitatem ingenti, periculosissimaque fame laborantem, præsenti veluti ope, primo sui Ducatus anno levavit, mox induciis cum *Ligure* hoste, in annos quinque pactis, victricia arma, contra *Bononienses* convertit, cum quibus triennio fere, circa *Padi* ostia est bellatum. Sub hoc
A Principe, Cives *Cerviæ*, se & Civitatem, ultro *Venetis* dediderunt. postremo cum patriam annos sex prudentissime gubernasset, obiit. atque ad Gemellorum Ædem delatus, in gentilitio suo sepulchro est conditus. Hic *Jacobum* filium reliquit, qui ut rem Christianam juvaret, in *Syriam* à *Venetis* missus, cum Pontificio legato, contra *Babylonium* Regem fortiter se gessit: postea vero *Joanne Dandulo* duce vita functo, cum universi cives, ipsum acclamarent, adeo temperatis moderatisque moribus fuit, & ab omni cupiditate remotus, ut clam ex urbe evolarit, donec cer- 103
tior de *Petri Gradonici* Ducis electione esset fa-
B ctus; vir natura ipsa moderatus, *Marochii* dissimulata persona latuit. est id rus, medio fere itinere inter *Taurisium*, & *Mestre* oppidum, loco satis amœno positum. *Stephanus* ejusdem familiæ *D. Marci* Procurator vir clarus, qui præclara tam domi, quam foris pro patria facinora gessit, hæreditario nomine, & veluti, per manus à suis acceptum, hodie possidet. Sunt qui scriptum reliquere, *Jacobum* præ nimia animi modestia, clam navem conscendisse, atque in *Africam* navigasse, utcunque tamen, summum eximiumque modestiæ exemplum posteris reliquit.

C *ANDREAE ZENI Elogium.*

Debellatis uno atque altero prælio *Genuensibus*, *Veneti* ad *Byzantii* rem tutandam, animum & vires intenderant. quippe *Balduinus Roberti* filius, *Byzantii* Imperator sub quo domestica proditione regni auspicia conciderant, trepidare cum multis, non mediocriter videbatur. *Ligur* interea, nullum vel diligentiæ, vel labori locum relinquens, affectas opes, ingenti studio & ce- 104
leritate reparat. Quare triremes quadraginta, & naves decem optime instructas in *Syriam* transmittit; quo nuntio *Venetias* allato, nostri erecto
D in primis animo, & minime perturbato, honestissimeque & magna cura dignitatem tuentes, non minori diligentia & opera, triremes. XV. & onerarias naves. X. ornant. his *Andreas Zenus* Patrum decreto (quibus illius integritas, & animi magnitudo satis fuerat perspecta) cum Imperio præfuit. qui sacris prius de more civitatis rite perfectis (maximum enim in rebus humanis momentum esse arbitramur, si quam propitio, aut quam adverso Numine res agantur) *Syriam* versus, occiduo vento flante navigans, classem cum *Laurentio Teupulo* junxit, atque ex duabus una effecta, ambo Imperatoria dignitate ornati,
E unanimes ad hostium impetus reprimendos insurgunt. quos *Zenus* parvo admodum negotio, suis auspiciis prius, mox auxiliari classe *Laurentii Teupuli* collegæ superavit. Quamobrem victis, & profligatis hostibus, ac multa cum strage, mediis undis oppressis, quinque & viginti eorum naves, fuerunt à *Venetis* interceptæ, & *Venetias* in triumphum adductæ. multas etiam media pu- 105
gna corruptas, ac mari depressas constat. Duo millia & sexcenti, qui vivi in manum victoris venerant, liberalissime postea, ad unum sunt dimissi; inhumanum credo rati, vel impium potius, nobile animal, rationis rerumque cœlestium
F capax, servitio adigere. vix tamen temperare potuerunt, quin omnium hostium loca, tam publica, quam privata, quæ *Ptolemaidi* erant, funditus everterent, ac solo æquarent. fuit ea victoria XXV. Mensis Junii die, quo *D. Marci* Tutelaris numinis apparitio, *Venetiis* tam religiose, quam pie, à *Vitalis Faletri* Ducis tempore, ad hanc diem, multa cum religione celebratur. Est præterea à *Venetis*, contra *Ligures* non procul à *Tyro*, rursusque circa *Cretam*, feliciter pugnatum.

tum. Verum laborabatur vehementer à *Latinis*, per id tempus *Byzantii*, nam *Theodorus Joannis Diplobatacii* filius, tam difficile eis negotium exhibebat, ut *Venetos* per nuntios, semel atque iterum monere sint coacti, quatenus nisi eis properent suppetias ferre, maximo in discrimine eorum res sitæ viderentur. quamobrem maturato opus esse, si sociorum saluti consultum optime
106 vellent. scire se nullam veniæ spem, ab immanissimo hoste sperandam, celerarent itaque ob id auxilia, ne si segnius, tardiusve subveniretur, capta (quod nollent) urbe, *Latinum* nomen, in ea orbis parte, penitus aboleretur. *Venetus* autem cujus viribus maritimis, ad eam diem, res *Latina* in *Græcia* florebat, nihil moratus, in hostem cum maxima parte classis proficiscitur. Sed nuntiata in itinere *Theodori* morte, in *Syriam* priorem cursum remensus, ubi majus imminebat periculum rediit. Interim *Paleologus*, vehementis spiritus vir, *Joannis Theodori* filii, tutor fiduciarius, quem postea rerum potitum, cum tutelæ pertæderet, sacrilego parricidio, interficere non est veritus, magna coacta manu, ardentibusque animis, cupiditate veteris decoris recuperandi, *Byzantium* plurimum infestabat, eamque per insidias, partim cæsis, partim etiam per summum scelus corruptis custodibus, non legitimo pugnæ genere, concubia nocte capit: ferentibus tum *Genuensibus*, ad tam infandum facinus, scelestumque flagitium opem. est ea clades eo facilius *Latinis* illata, quo minus fuerat tunc ab ipsis expectata. Insidiari certe id fuit, non bellare, opprimere non vincere. Capta est
107 itaque urbs, sexagesimo ferme anno, postquam à *Venetis* & *Gallis*, fuerat *Græcis* adempta. erat tum urbis Antistes, *Panthaleo Justinianus*, qui cum vehementer ea de re esset solicitus; fiducia plenus, extremam belli aleam, auxiliaribus etiam quibusdam copiis, quas *Marcus Gradonicus*, urbis Prætor, tumultuarie fecerat, tentare intrepide fuisset aggressus, si satis exploratum habuisset, qui hominum, suis partibus faverent. Quare cum nequaquam resistere viribus potuisset, deploratis jam rebus, *Græcia* est coactus decedere. Revertitur interea *Zenus Venetias*, licetque ab omnium ordinum viris, ob victoriam partam, benignissime fuerit exceptus, *Byzantini* tamen Imperii amissio, non parvam illi triumphi partem ademit. Verum præmia postea amplissima, civitas ei liberaliter tribuit. nam *Leonardo Venerio* Procuratori vita functo, mox successor est datus.

MARCI MICHAELIS Elogium.

108 Victoria quæ natura insolens est & superba, adeo *Paleologum*, ingenio ferocem, & quod *Venetos* & *Gallos*, metu cessisse credebat, vehementer incenderat, ut explorato eorum itinere, in spem majoris victoriæ adductus, perinde ac si virtute prius, non dolo & astu vicisset, eorum loca, quæ olim *Byzantini* Imperii fuerant, infestare pararet. *Veneti* vero qui nunquam inimicis succubuerunt, nec fortunæ quidem, *M. Michaelem*, fortis & præpotentis animi virum, cum duodeviginti triremibus ad *Ionii* & *Ægæi* Insularum præsidium decernunt, suntque paulopost, septem supra triginta additæ; totiusque belli administratio, ad *Michaëlem* qui nuper fuerat Imperator electus, magna cum authoritate est delata. Sed erant inter eas nonnullæ, quæ pedites vehebant, tum sagittarios, tormentorum præterea, ac machinarum expugnandis urbibus copiam ingentem. Imperator autem qui sacramento adhibito, in verba juraverat, nullam se occa-
A sionem, in *Paleologi* rebus, quoquomodò infestandis, unquam prætermissurum, potuisset eum facile, Imperio deturbare, nisi *Genuenses* (quod id minus è re sua videretur) totis viribus, summisque conatibus obstitissent; quibus vel ob id, *Chios* celeberrima Mediterranei Insula, à *Græco* dono est data. Verum *Michaël* classis Imperator fiducia plenus, quod intueretur, si qua necessitas instaret, 109
suis tutum esse perfugium, locorum præfectos, per literas, & nuntios monet, ne quid timide temereve agant, acrius si opus sit, ad pugnam incumbant, se sciant eis nunquam defuturum, quando id in primis à Senatu fuerit de-
B mandatum, ut belli periculis circumventos, auxilio & opera levaret, tyrannicosque spiritus, nec insolescere gravius, nec diutius ferendos permissurum. Quamobrem præterquam quod ad omnes insanos hostium conatus inhibendos, nihil non profuit, *Gulielmum* etiam *Gallici* sanguinis virum, *Achajæ* & *Bithyniæ* Principem, quem *Paleologus* in vinculis diutius tenuerat, eaque conditione dimiserat, ut *Epidaurum* munitissimum oppidum, quod hodie *Malvasiam*, usitatiori vocabulo nuncupamus, *Byzantinis* traderet, quique arma contra *Venetos*, sumere frustra tentarat, arte superavit. nam *Venetus*, quem nul-
C lum hostium consilium latebat, utque erat præsenti ingenio, sic *Gulielmum* postliminio reversum fovit, sic maxima liberalitate, & officio sibi conciliavit, atque familiarissimum reddidit: ut omnes vires, quascunque ad eam diem haberet, ad *Græcorum* damna, pernitiemque converteret. Sed *Marcus*, ejecto postea ex *Eubœa* insula, *Fri-* 110
derici III. filio spurio, qui *Græcas* parteis secutus, *Constantinopolitanis* in primis per id tempus favebat, non parva insulæ parte, est potitus. Verum cum classis ad *Eubœæ* expugnationem, intenta esset, tres *Venetæ* naves, quæ per *Hellespontum*, & *Propontidem*, loca multa incursioni-
D bus vastabant, ad *Bosphorum* usque, prospero fortunæ cursu, erant progressæ, à decem *Genuensium* triremibus circumventæ, post non parvam hostium cladem, captæ remanserunt. atrox fuit pugna, desperatio cogit victos omnia audere, victores indignatio excitat. vicit tamen *Ligur*, victoriaque est abusus. nam captivi ad unum ferme, crudelissime fuerunt interfecti. nonnulli qui sortito in *Paleologi* ditionem venerant, debacchante impii Principis iniquitate, luminibus sunt privati. Inde sæviente hyeme, cum nihil aliud ab hoste moveretur, Imperator classem in urbem duxit. cumque in Senatu pulcherrime staret, Pa-
E tres illum Procuratoria dignitate, in locum *Jacobi Contareni* qui Ducalem sedem, merito fuerat adeptus, illustrarunt.

GILBERTI DANDULI Elogium. 111

Ne suarum rerum *Veneti*, obliti aliqua ex parte viderentur, vere novo duas & triginta naves, contra *Ligures*, & *Græcos*, qui simul fœdere juncti, *Venetorum* loca, variis incursionibus, via sibi ferro facta, infestabant, educunt: cujus Imperium *Gilberto Dandulo*, viro utraque fortuna præstanti, demandare Patres, accurate
F contenderunt. qui animose ac viriliter provinciam sumens, sine mora, copias ad bellum comparat, atque Divina prius, humanaque omnia quæ assolent, cum perfecisset, præsenti admodum animo, commode diligenterque in *Græciam* venit, atque utramque hostium classem, non solum fortiter, & strenue, sed considerate etiam, atque sapienter est adortus. accensis utrinque animis, ad arma discurritur. *Dandulus* tum quid *Veneta* virtus, valeret in bello, constanter ostendit. In

quos facto impetu, quum irrupisset, anceps prius
mars, atque ingens, irritatis hinc inde animis,
oritur cædes. Suus enim cuique animus, virtu-
tis memor, adhortator aderat. Instruuntur pa-
112 riter utrinque acies, arti bellicæ, ac insidiis mi-
litaribus, utrinque ingenia intenduntur, hinc de
gloria, inde de libertate, quæ omnium rerum
est charissima, fuit dimicatum. Sed postquam
impetum, aliquandiu fortiter hostes tulissent, ad
ultimum, suis jam diffisi viribus, coacti sunt ter-
ga dare. quatuor *Genuensium* naves, media tre-
pidatione captæ remanserunt. quæ acceptæ pla-
gæ superfuerant, plus dimidio concussæ, mul-
tisque hominum vulneribus, male affectæ, ro-
straque plurimarum, validissimo conflictu detri-
ta, dissipatæ abierunt; atque sese in *Epidaurien-
sem* portum receperunt, cum multi prælio cæsi,
nonnulli turpi fuga dilapsi fuissent, *Dandulus*
mox, ut ea clade hostes affecerat, lætus re inte-
gra, domum revertitur, atque ut in bello, sic
in toga illustris deinceps est habitus.

ANDREAE BAROTII Elogium.

In tanto, tamque incredibili bellorum ardore,
& quasi turbine, cæteris vel metu perterri-
tis, vel tædio pugnæ affectis, *Andreas Barotius*
unus est inventus, qui id auderet; quod omnium
fugisset, & formidasset audacia. Enimvero quum
Gilbertus Dandulus, insignem victoriam, de ho-
113 stibus retulisset, nonnullæ aliæ *Ligusticæ* naves,
quæ ab eodem disjectæ, veluti palantes, maria
circuibant, quum circa *Aegæi* insulas, vela da-
rent, treis *Venetorum* onerarias, commeatibus
onustas, dum nihil minus, quam hostem expe-
ctarent, subito incursu, modico sane certamine
capiunt, abstractas secum protraxerunt, easque
paulopost, subjecto igne incensas concremarunt.
Verum ad ejusmodi injuriam vindicandam, *Ve-
neti* ingenti stimulo adacti, *Barotium*, cum quin-
que, & quadraginta triremibus, maris Imperio,
magno ordinum consensu præficiunt; qui votis
rite nuncupatis, animose & viriliter, e portu
proficiscitur, atque Mediterraneo prius mari trans-
misso, in *Siciliam*, mox ad *Melitham*, classem
duxtavit (nihil enim virtuti suæ invium existima-
bat) quo hostes adesse, per actuarias quasdam
naves, quas exploratorias appellamus, certior
antea fuerat effectus. Sed perculit novæ classis
fama, *Genuensium* animos, vehementerque fue-
rant, de tanta, ac tam numerosa classe soliciti:
futurum nanque arbitrabantur, ut si ea navium
multitudo, Duce *Barotio*, cum sua classe manum
conseruisset, brevi de tota maris possessione pel-
114 lerentur. Quare propriis tum finibus, timide ac
muliebriter, in gynecæo inclusi, (graviori enim
verbo uti non libet) pugnam detrectarunt. quod
ægre ferens *Barotius*, *Ligusticæ* ditionis loca per-
multa, solo æquavit, nonnullis etiam ingentem
vastitatem intulit, nullique rei pepercit, in quam
ferrum, ignisque sævire posset. demum cum *Li-
gusticum* mare, totum perlustrasset, hoste nus-
quam reperto, cum classe in *Syriam* venit, at-
que non procul à *Tyro*, navem unam *Genuensium*,
magnitudinis eximiæ cui *Olivæ* nomen, milites
imposuere, *Syriaca* merce onustam conspicatus,
in eam involat, captamque nautis in prædam do-
nat. hoc præclaro successu excitati, *Tyrum* ur-
bem *Genuensium*, natura, & arte munitissimam,
frustra oppugnare contenderunt; nam oppidanis
acrius resistentibus, susceptam provinciam, de-
serere sunt coacti. majoris namque videbatur ei
esse victoria, quæ minimo probro, quam quæ
Christiano sanguine emeretur. *Barotius* cum
Rempublicam præclare gessisset, patriam revisit,

A atque cum in ea, diutius floruisset, liberis non
paucis post se relictis, felicissime obiit. Sunt
qui volunt, ex *Andrea Barotio*, tanquam à præ-
clara, nobilissimaque arbore, omnes ex eadem
familia propagatos, ex quibus cum multi anteà 115
extiterint, hi tamen (ut omittam cæteros) præ-
cipui, omnium judicio, sunt habiti, *Benedictus
Barotius*, qui cum quadraginta & eo amplius
magistratus obiisset, Consiliarii demum hono-
rem adeptus, immatura morte, fato concessit:
liberis tribus post se relictis, ex his *Ioannes* &
Franciscus, moribus & doctrina præstantes, sa-
B cris sunt initiati, hic *Tarvisinæ*, ille *Bergomensis*
Ecclesiæ Antistes, Sed *Bergomensis*, quum post
homines natos, præstantissimus haberetur, Se-
natus *Veneti* amplissimo judicio, Patriarchalem
sedem, *Venetiis* magna cum laude est assecutus.
Aloysius deinde horum frater, cum honoribus
amplissimis & laboribus maximis perfunctus esset,
demum gravissimum Decemvirale munus ade-
ptus, medio vitæ spatio, lucis usuram amisit.
filiis non paucis relictis, inter quos, fuit *Petrus
Patavinus* Antistes, patrum nostrorum ætate,
præclaris moribus, excellentique virtute insi-
gnis, & sæculorum omnium memoria dignissi-
mus.

C

MARCI GRADONICI Elogium. 116

Marcus Gradonicus, per omnem ætatem, bel-
lis quamplurimis assuetus, tam opimam
tamque sublimem, pro patria operam navavit,
ut multis præferendus, merito videatur. Nam-
que cum Prætura *Byzantii* innocentissime funge-
retur, ea temporum novitate, qua civitas per
proditionem, è *Latinorum* manibus erepta, *La-
scaris* postea cessit, fortiter quoad potuit, cum
Panthaleone Justiniano illius urbis Antistite se ges-
sit, ubi enim res aliqua præclara versabatur, ibi
D semper impigerrime se exercuit. aderant enim illi
veluti comites, labor in negotiis, fortitudo in
periculis, & industria in agendo, quod clarius
demum est visum, quando contra *Ligures*, qui
cum ingenti classe, *Venetæ* ditionis loca, in *Ae-
gæo* infestabant, ei summa Imperii administran-
di, bellique gerendi, communi consilio, cum
decem longis navibus est demandata: qui primo
congressu, treis *Genuensium* naveis, quibus *Lan-
francus Borbonius* præerat oppressit; licet *Jaco-
bus Dandulus*, qui ob rem præclare gestam, Pro-
E curatoriam postea dignitatem adeptus, septem
triremium præfectus, bonam illius victoriæ par-
tem, sibi tum jure quodam suo vendicarit. Sed 117
ea quæ sequitur, est multo quam illa celebrior,
nam *Gradonicus* magno constantique animo, suis
auspiciis, adeo *Genuensium* vires fregit, & dissi-
pavit, ut omnia sua, tum moritura arbitrarentur.
Satis enim constat in *Siculorum* conspectu, ad
Drepanitanum sinum, quatuor & viginti *Genuen-
sium* triremes, aut captas, aut alto mari fuisse
demersas. duo millia ac quingenti *Ligures*, vivi
in manus victoris venerunt, mille & ducenti de-
siderati, longe plures vel undis, vel alia vi occu-
buerunt, nonnullis etiam signis amissis, quæ *Ve-
netias*, magna cum laude, fuerunt asportata. re-
F liqui qui cædem evaserant, ægre post multa ac-
cepta vulnera, cum quatuor tantum triremibus,
quæ superfuerant, se receperunt. Sed inflam-
matus *Ligur* paulo post, classem reparat, quæ
per *Aegæum*, atque *Myrtoum* mare ducta, navem
unam *Venetam*, magnitudinis non vulgaris, pre-
tiosissimis mercibus onustam, ad *Euboeæ Eurip-
pum* aggrediuntur, eaque sunt potiti. mox in
Cretam allati, insulamque populantes, *Cydonem*
urbem, fossa valloque munitam, quam *Caneam*
ho-

118 hodie appellamus, diutius variis bellorum machinis vexantes, per proditionem tandem recipiunt, eamque spoliatione penitus diruunt. nec id sustinuit *Venetus*, quin *Gradonicus*, tribus & viginti triremibus, probe ornatis, *Ptolemaidem* versus iter flectit, atque per *Carpathium* mare navigans, octo *Genuensium* onerarias, varia merce onustas, inter *Rhodum* & *Cyprum* repertas, modicoque negotio captas, *Venetias* celeriter misit. Inde inter *Tyrum*, & *Ptolemaidem*, *Phœniciæ* urbes, classes congressæ, acerrima pugna, ancipitique prælio, est aliquandiu pugnatum. Sed *Venetus* superior, quinque hostium naves, ex duo de triginta, quæ usque ad internecionem dimicare statuerant, cepit. Quare his rebus toto supero, inferoque mari, contra *Ligures* feliciter gestis, domum Republica ex animi sententia stabilita, revocatus, tanquam in triumphum duxit. Verum cum inter pugnacissimos Imperatores unicus prope excellere videretur, paucis post annis, novum in *Cisalpina Gallia* oritur bellum, exorta enim inter *Venetos* & *Bononienses*, qui bonam *Flaminiæ* partem obsidebant, de finibus discordia, *Gradonicus* cum sex & viginti navibus, ad hoc ipsum instructis mittitur, qui cum obvia
119 cuncta prostravisset, eos tandem debellavit, pauloque post *Anconitanos*, qui legi de portoriis à *Venetis* latæ, fraudem facere sæpissime fuerant conati, ingenti occisione fudit fugavitque, legem enim tulerant *Veneti*, ut omnes qui intra *Phanaticum* sinum, & *Padi* fluminis ostia, negotiorum causa navigarent, vectigal Reipublicæ penderent. Plerique etiam fortissimi viri, clari in ea expeditione fuere, alii alio tempore, legati nomine missi, quorum opera eximia, in rebus gerendis potissimum extitit. non animose enim solum & fortiter, sed considerate etiam, sapienterque Rempublicam gessere. hi fuerunt *M. Baduarius*, novem triremium præfectus, cui *Panchratius Barbus*, successor est datus, transactoque pari termino, *Jacobus Dandulus* mittitur, qui cum *Gradonico*, *Lanfrancum Borbonium* antea oppresserat. fuitque ob hæc in patriam merita, Procuratoria dignitate donatus. hunc excipit *Joannes Teupulus*, postea *Gerardus Longus*, quem *Andreas Zenus*, & ipse, ob strenuam navatam operam, Procurator à patribus declaratus sequitur. huic *Andreas Canalis* successit, quo reverso, *Panchratius Maripetrus*, provinciam sumpsit; eamque cum *Joanne Mauroceno*, aliquandiu prudentissime rexit, atque simul cum *Marco Gradonico*,
120 qui toto belli tempore, Imperatoris munere, præclarissime fungebatur, totum negotium est confectum Sed *Gradonicus* insigni hac victoria clarus, in patriam reversus, magnis laboribus fractus, diem obiit; *Petro* filio, gloriæ & fortunarum hærede relicto, qui magistratibus plurimis prudentissime, atque innocentissime functus, Procurator demum, in locum *Superantii* Principis suffectus moritur.

ANDREAE BASILII Elogium.

Annus ni fallor, alter ab undecimo tunc agebatur, ex quo perniciosissimum illud bellum, inter *Venetos* & *Genuenses*, fuerat *Ligurum* perfidia obortum: quando *Gregorii* Pontificis Maximi opera, sublatis de medio armis, quinquennales induciæ, languentibus partium animis, quos cum periculorum, tum etiam laborum varietas plurimum fregerat, hinc inde sunt pactæ. neque enim eorum animi, ad diuturnam pacem, inclinari jam posse videbantur. Sed ne *Venetis*, terra marique diutius fatigatis, vacatio ab armis, interdum daretur, novum atque pene incredibile

A nascitur incommodum. *Justinopolitani* namque, 121
qui in *Venetorum* fidem, tandiu quieverant, sollicitati à *Raimundo Turriano*, factioso alioqui homine, qui *Novocomensem* antea Episcopatum gerebat, moxque *Gregorii* ejus nominis XII. Pontificis Maximi judicio, *Aquilejensis* Antistes declaratus, animos ad defectionem parant, quibus cum *Aquilejensis* obnixe, nimiumque faveret, subito signa invertunt. non tulit hoc æquo animo, *Joannes Dandulus*, Senatus Princeps, nam præterquam, quod multa in civitate moliri, præclare studebat, primusque auream monetam cudi jussit, atque hæreticorum bona, sub hasta ven-
B di, Pontificis authoritate, lege perpetuo sanxit, audita quoque tam ingratæ Civitatis defectione, statim *Andream Basilium*, *Joannis* Procuratoris filium, ad eum locum recipiendum, classe omnibus rebus paratissima mittit. fuit is gente Patritia, à *Basilio Constantinopolitano* Imperatore, originem ducens; qui cum difficillimam hanc provinciam, intrepide suscepisset, optimeque sciret, verum decus in virtute positum esse, quæ maxime etiam illustratur, magnis in patriam meritis, non solum honestam mortem fugiendam, sed ultro etiam, pro civibus, conjuge, filiis & libertate, rerum omnium charissima appeten-
C dam, pulchrum atque decorum existimavit. Qua- 122
re conscriptis nautis, datisque stipendiis, & classe ex omni parte extructa, non adverso usus vento, altero die, *Justinopolim* affuit. Tertia pars eorum, qui tunc fuerant in civitate, viribus & ætate potentes, Senatus edicto, classem conscendit. Insederant oppidani, denso armatorum agmine littus, ad nostrorum accessus resistendum parati. Sed nec *Venetus* fuit in otio, quippe proras ad littora vertens, sociosque pro temporis ratione allocutus, ad bellum hortatur, est eo loci, diu atque acriter dimicatum, *Venetis* è suis triremibus egredientibus, contra vero *Justinopolitanis* prohibentibus, atque ad naves interdum
D occursantibus. *Veneti* tandem triremibus egressi, positisque loco idoneo castris, hostem bello premere cœperunt, eumque aliquantum submoventes, castris ferme exuerunt, quos inconsultus pavor, fugam compescere compellebat. diremit prælium cæca nox, & Lunæ silentium. postero die *Basilius* cum insomnem noctem exegisset, pugnam inire ardentissime cupiens, machinis bellicis non paucis paratis, urbem circumquaque aggreditur; resistentibus acriter oppidanis. *Venetus* cum multa cæde, vel ob id quod adversum so-
lem, intueri non poterat, est rejectus. Sed in- 123
valescentibus demum animis, ferro, igne, &
E machinis, civitatem duriore quam antea obsidione cingunt. Nihil prætermisit Dux egregius, ob studium rei bene gerendæ, quod bello usui fore arbitraretur. *Justinopolitani* interim, quoniam vires longioris belli spatio affectas, *Goritiani*que Comitis nepotem, virum non impigrum, in acie cecidisse cernebant, obstinatius resistere veriti, ne quid crudelius experirentur, (crescebat namque in dies singulos *Venetorum* numerus) se urbemque dediderunt; petuntque in Civitate qui præsit, urbemque in officio contineat. quo facto, illius ditionis oppida, quæ defectionem fuerant secuta, & in his *Tergestum*, *Romanorum*
F olim colonia, quæ ab *Henrico Dandulo*, Civitatis Principe, antea bello domita, tributum quotannis pendebat, nullo amplius expectato belli eventu, arma deposuere. *Jesulani* vero & *Piranenses*, qui etiam defecerant, ad *Venetos* rediere. Aderant tunc in castris, patritii viri, *Marinus Maurocenus*, *Beceda* cognomento dictus, terrestrium copiarum ductor. M. *Cornelius*. *Marinus Maurus*. *Thomas Quirinus*. & *Peratius Gradoni-*

cus, qui Procuratoriam postea dignitatem honorifice est adeptus. hi legatorum nomine à Sena-
124 tu, ad *Aquilejensem* Antistitem confecto bello, sunt profecti, pacemque inter eum, & *Venetos*, æquissimis utrinque conditionibus firmarunt. Victoria parta de *Istris*, secundo postquam pugnare cum eis, inceptum fuerat anno, *Basilius*, relicto validissimo ad urbem præsidio, in patriam triumphans revertitur. Patres vero, *Justinopolitanum* prætorem, *Rogerium Maurocenum*, tunc primo delegerunt.

ROGERII MAUROCENI Elogium.

Non possum non vehementer, Christianam calamitatem, hoc in loco deplorare, simulque *Genuensium* plusquam ferinos animos detestari. nam cum *Sultani Aegyptii* Imperatoris nefandi hominis ferociam, qui Christianum nomen, ex *Syria* postea sustulit, auxiliari *Venetorum* classe, procul ab ea regione arcere, modico quidem negotio potuissent, vires omnes suas, & nervos in *Venetos*, tam bene optimeque de Christiana pietate meritos concitarunt; eorumque otium & quietem, omni voluptatis genere gratiorem, alie-
125 nissimo Reipublicæ Christianæ tempore, fœdantes everterunt; atque de legitima sua maris possessione dejicere, validissima classe tentarunt. his enim tantum inerat audaciæ, ut totius maris Imperium, tamquam sibi debitum asserere niterentur, neque belli causas quærere, neque id juste indicere solebant. sed id duntaxat putabant legitimum, quod sæva eorum in *Venetos* libido jussisset. Enimvero inter hos populos, æmulatione Imperii atque virtutis, discordiæ jam pridem exortæ, manifeste nunc gliscere cœperunt. ad quorum impetus reprimendos, *Rogerius Maurocenus* mittitur, qui *Justinopolitana* Prætura, integre innocentissimeque nuper erat functus, quique ex ea familia dignus censetur, ex qua *Andreas Pannoniæ* Rex, ortus natalesque maternos habuerit. erat hujus viri excellens belli, pacisque tempore virtus, qui parata classe, acceptoque ab Episcopo, more majorum militari vexillo, *Ligustica* classe nusquam reperta, trigesima postquam oram solverat luce, *Byzantium* affuit, subitoque *Perinthum*, *Genuensium* coloniam, non ignobilem quondam urbem aggreditur, *Liguribus* à *Michaele Paleologo* Imperatore, ob latum ei contra *Venetos* auxilium, dono datam, habet hæc peninsulæ formam, estque duobus ferme
126 stadiis, à *Constantinopoli* dirempta; quæ in longum ad stadia aliquot protenta, circa medium devexa, cornibusque hinc inde paululum reductis, theatralem formam videtur exprimere. locus ad convehendas merces, ultro citroque peropportunus, utrique populo portum efficiens, quam olim *Galathæ* populi incolebant. ad quos *D. Paulus* fidei nostræ, heros magnanimus literas dedit. *Peram* nunc à brevi trajectu, Græca voce dictam, *Sabellicus* scriptor gravissimus testatur, *Judaicæ* nostræ *Venetæ*, speciem quandam exhibere, *Antonius Ericius*, qui Præturam magna nominis celebritate *Byzantii* egit, sæpius me per literas monuit. hunc locum *Maurocenus* dissipat, & adæquat, ut ne loci quidem vestigium ullum extiterit, ne *Ligures* dirupta ædificia, restituere aliquando conarentur. Inde remenso *Hellesponto*, per *Pamphylium* mare, *Phoceam Ioniæ* urbem devenit, *Micali* oppositam, *Phocensium Græcorum* olim coloniam prope *Aurei Hermi* fluminis ostium, qui *Aeoliam* ab *Ionia* dividit, *Folia Vetera*, recentiores appellant, *Genuensium* ditionis; urbem ipsam vallo fossaque munitam, *Venetus* telis, tormentis, machinis oppugnans,

A primipilos, ac præfectos sæpius obtestans, arma capiant, hostem ulciscantur, hostiumque locum omnino deleant. Oppidani muris clausi, cum 127
se nihil segnius tutarentur, essetque anceps alea martis, *Rogerius* militaris scientiæ capax, cum armis, apertaque vi capere haud posse cerneret, formidaretque auxilia hostibus aliqua ex parte, brevi adesse, cuniculis suffodere, tam vastis specubus jussit, ut urbs ferme tota pensilis esset, ruituraque mox videretur. Quare *Ligures* perspecto aperto periculo, se dediderunt, pacti prius ut emigrarent; neque id difficile obtinuit *Ligur*; nam de gloria tantum, virtute duce, à *Venetis*
B est cum his dimicatum. *Maurocenus* habita urbe, nihil habuit potius, quam eam in hostium invidiam evertere, ignique consumere: sicque clarissimum olim oppidum, incendiis & ruinis interiit. *Paleologus* tum & *Genuenses*, cum posse jam *Venetis* armis resistere diffiderent, *Turcas* immanissimos Christiani nominis hostes, tunc primum, in *Europam* traduxere, qui Regem tamen summumve Imperatorem non habuere; nam divisi per Tetrarchas & Regulos, cum imbellibus populis, *Constantinopolitanis*que Imperatoribus, suo arbitrio, bella gerere consueverunt. Mox *Rogerius* in patriam reversus, nihil non semper
C egit, quod è Republica fore videretur. quo animo & consilio tandiu vixit, quoad præclarissi- 128
mis honoribus optime functus, ad eum locum evolarit, ad quem, optimo cuique facillimos aditus patere, nemo bonus, unquam dubitavit.

JOANNIS SUPERANTII Elogium.

Joannes ex nobilissima *Superantiorum* familia natus, ac per omnes dignitatis gradus, ad Ducatus apicem evectus, majorem nominis sui famam, ex maximis in Rempublicam meritis collatis, posteris relinquere, animose ac viriliter
D contendit. & quum nihil ex rebus humanis præclarius, aut præstantius esse arbitraretur, quam de Republica & patria bene mereri, pro breviori vitæ spatio, diuturnam nominis, & famæ memoriam, sibi parare studuit. quippe cum *Patavinos*, intra suos fines stare coegisset, moxque *Ferrariam*, ad *Eridanum* sitam, à *Frisco Estense*, quem *Azzon*, ex Ancilla domestica, furtivo congressu susceperat, *Venetis* ex pacto concessam, probe administrasset, demum adversus *Ligures*, *Veneti* splendoris, hostes non vulgares, à Senatu, quinque & viginti triremibus instructissimis, inclinante vere; missus, non parvum de victoria 129
E triumphum retulisse est visus. Nam cum multa incommoda *Genuensibus* intulisset, illud memorabile præter alia videtur, quod longa quidem atque difficili admodum navigatione, per *Hellespontum*, *Bosphorum Thracium*, *Propontidem*, *Euxinumque pontum* usus, *Theodosiam* hodie *Capham*, *Tauricæ Chersonesi* urbem, tunc *Genuensium* Coloniam, soli fertilitate præstantem, aërisque clementia saluberrimam, ac portum vel centenis navibus accommodum, magna militum vi oppugnat; sinum commeatibus pervium præcludit, ne quis urbi aditus pateat, vineas adegit, nul-
F lum machinarum genus est prætermissum. urbs eodem ferme die, quo ad eam venere, imperante *Superantio* viro fortissimo, oppugnari est cœpta. Sed oppidani cum nullo præsidii genere, in urbe carerent, forti animo resistunt, pro mœnibus pugnant, fossa procul *Venetos* prohibent, neque commeatibus, neque aliis, ad belli usum necessariis diffidunt. Contra *Veneti* vincere assueti, urbem omni ex parte invadunt, cædes hinc inde maxima oritur; non interdiu, non noctu, quies dabatur. alii aliis in orbem succedebant.

130 bant. *Superantius* cujus illustris fama, nullo æ-
vo consenescet, in prima acie, in hostes fere-
batur: igneque missili, nonnulla urbis tecta in-
cendit, eaque via, insanam quandam *Genuensibus*
trepidationem injecit: demum ferro, audacia,
viribus, & animi obstinatione, *Venetos* perrum-
pit, urbeque potita, amotis *Genuensium* signis,
Martiana vexilla in arce collocat. usus est in ea
victoria *Superantius*, magno ferociæ, humani-
tatisque temperamento, humanitate enim plenus,
in paucos sævit, & eos tantum qui acrius pugna-
rant: quos autem belli calamitas reliquos fecerat,
armis spoliatos dimisit; suis vero ingentem præ-
dam, pro dignitate donat, avitam patriæ & fa-
miliæ munificentiam, ac liberalitatem in primis
secutus. Inde discedens *Venetus*, versus *Meoti-
dem* paludem, ad *Propontidem*, & *Cymmerium
Bosphorum* navigans, coactus est in ea Septentrio-
nali plaga tunc hybernare. ob idque milites, in
eo cœli tractu parum assueti, gravissima incom-
moda, ob glacialem locum sunt perpessi. Sed
mox ut ei per cœlum licuit, *Venetias* classem ve-
xit. noster enim exercitus, & si præliis usus erat
secundis, tamen nimia longinquitate locorum,
ac patriæ desiderio commovebatur. nec multo
131 post cum aliquantum ex ea provincia, & Im-
perio, laudis fuisset adeptus: *Marino Contareno*
Procuratorii ordinis viro, vita functo, cunctis
ordinibus acclamantibus successit. cumque septen-
nium munus illud, fide optima constantia, & di-
gnitate obiisset, in locum *Marini Georgii*, Du-
cis defuncti, qui ob vitæ integritatem, atque in-
nocentiam, Sancti cognomen est adeptus, fuit
suffectus. quam vero moderate ac sapienter, in
supremo illo Civitatis gradu se gesserit, quam-
que juste Rempublicam consilii & prudentiæ ma-
turitate rexerit, illud manifeste declarat, quod
amplissimum, ac pene etiam dixerim, omnibus
formidabile, Decemvirale collegium semper tamen
Reipublicæ salutare, jam inde à *Petro Gradoni-
co* Principe, ob quandam civilis discordiæ flam-
mam, bimestre excogitatum, quod tum Civita-
ti ita conducere videretur, mox ob multa Civi-
tatis commoda, annuum, ac deinde perpetuum,
bonorum præsertim approbatione, prudenti con-
silio sanxit & ne aliqua ex parte, Civitati & pa-
triæ, deesse unquam videretur, *Salinum caput*,
sic à publici salis conclavibus dictum, extrui jus-
sit. locus ille navalis rostri, speciem exhibere vi-
detur. huc onerariæ naves, ac navigia omnia,
peregre appulsa, ut publicanorum oculis subji-
133 ciant, neque vectigalibus, fraus aliqua fiat ac-
cedunt, mercesque in portum exonerant. & in-
de postea exportantur, & ad privata loca impor-
tantur. *Dovanam* hodie appellamus. Navale
quoque ejusdem Principis opera, maxima ex par-
te auctum constat. hic præterea Procuratoriam
majestatem ampliavit & auxit; ob idque triplex
eorum magistratus, primo in urbe institutus,
quorum supremus, sacris *Martianæ Ædis* The-
sauris præest, alter citra *Rivumaltum*, tertius
vero ultra, defunctorum legata procurat. In-
terim moritur *Superantius*, vir pacis bellique ar-
tibus, & in primis clementia longe clarissimus,
cum urbem pacatissimam, ac rebus omnibus
abundantissimam, posteris tamquam per manus
traditam reliquisset. atque in ædicula, aureæ
Martianæ Ædi adjacente, quæ *Joanni* Christi
prævio, & innocentibus pueris est dicata, sepul-
turæ traditur.

A *CAROLI & ANDREÆ DANDULI*
Elogium.

NEscio certe, quonam adverso infelicissimoque
Reipublicæ fato id acciderit, ut qui justis-
sime, pro liberis, pro conjugibus, pro libertate
denique ipsa, qua nihil censetur divinius, arma 133
sumpserant, iniquo belli eventu succumbere, &
labefactari pene viderentur. neque vero id Du-
cum inscitia factum certe scimus, sed adversante
potius, rerum humanarum domina fortuna, quæ
in attollendo, opprimendoque varia semper est
B habita. quum itaque non modo fracto, demisso-
que animo, fuisset *Ligur*, ob asperam in *Ponto*
cladem, à *Venetis* justo prælio acceptam, sed
multo etiam ferocior, de more suo effectus, *Lam-
padio Aurio*, duodenonaginta navium, ut scri-
ptores gravissimi tradunt, Imperium decernunt,
ut hujuscemodi injuriam quoquomodo ulciscere-
tur. Contra *Veneti* nihil cunctandum rati, in
tanto belli apparatu, *Carolum* & *Andream Dan-
dulos*, viros bellica virtute claros, adversus in-
structissimam hostium classem, Duces præfici-
unt. qui statim stipendiis militi datis (neque enim
exauctorati nautæ erant, qui *Superantia* signa,
C auspicate fuerant secuti, præter paucissimos quos-
dam causarios milites, qui militari sacramento,
fuerant paulo ante soluti) paratisque omnibus, ad
belli præsertim usum necessariis, in altum ve-
niunt, cumque hostem diu, nusquam vidissent,
ac de reversione, jam cogitare inciperent, naves
quasdam *Ligusticas*, orientali merce onustas, *Si-
ciliam* versus navigantes, procul alto mari con- 134
spectas insequuntur, easque tandem interceptas,
nullo negotio superant, nautis ad unum interfe-
ctis. naves deinde *Venetus*, in *Dalmatiam* secum
abducit, spolia quæ legit, militibus æquissime
distribuit. nec multo post, cum alia non pauca
D hostium navigia, quæ totam *Illyrici* non infe-
stam habebant *Danduli* reperissent, omnia ad
cæterorum formidinem, aquis demersunt. Læ-
tus *Venetus*, ad *Corcyram* nigram, in portum,
infausto omine, fatis ita trahentibus, se rece-
pit, cum triremibus quinquaginta, quibus *An-
dreas Dandulus*, insana febre correptus præerat.
Carolus vero qui plurimum formidabat, ne si uno
loco, classis tota maneret, rei frumentariæ an-
gustiis premeretur, refecto milite, cum sex &
quadraginta triremibus, quas ipse ductabat, in-
de oram solvens, atque hostium latebras diligen-
E tissime perquirens, superum inferumque mare
felici navigatione circuibat; nec persequi præ-
dones, purgareque latrociniis infesta loca, & la-
tebras excutere cessabat. demum à celoce *Rhodio*
navigio certior factus, decem *Genuensium* trire-
mes, *Hydruntum* versus navigasse (est id oppi-
dum magnæ *Græciæ*, juxta *Ionium* mare) in-
genti cupiditate hostes insectatur, nullamque be-
ne gerendi occasionem, prætermittere cupiens, 135
Apuliam versus rostra vertit. Sed vana spe lusus,
cum inde vellet discedere, reflatu aliquandiu fuit
jactatus, per *Ægæum* tandem, ad *Leucadis* pro-
montorium, quod *Nerithos* olim, hodie *Sancta
F Maura* dicitur, fractis ob diuturnam pelagi tem-
pestatem, & ventorum vim asperam, jam viri-
bus devenit; ibique diutius permanere est coa-
ctus, donec triremes, quæ compagibus laterum
laxis, mergi pene videbantur, in terram subdu-
ctæ, denuo reficerentur. *Ligur* occasionem rei
bene gerendæ nactus, quod probe sciret, classem
in duas parteis esse divisam (quæ res eum quoque
aliquanto audaciorem fecit. quippe *Genuensibus*
mos erat, hostem prius arte, quam armis oppu-
gnare) è *Sicilia* solvens, in *Apuliam* primo, mox
fe-

felici admodum cursu, *Illyricum* ultro citroque A
perlegens, *Venetum* tandem, noctu dormientem
repperit, hostiumque adventum, minime eo tem-
pore expectantem, ac navium numero multo in-
feriorem. quo audito *Dandulus*, qui febri adhuc,
non mediocriter laborabat, è lecto vix ægre re-
vulsus, atque inopinato eventu conterritus, ra-
ptim scuto & gladio assumptis, cætera inermis,
136 ad arma conclamat, tubas canere jubet, milites
ac Duces hortatur, ut confestim arma capiant,
ad ferocissimi hostis impetum (si id fieri posset
maxime) reprimendum, neque enim terga ver-
tere, neque pugnam detrectare licebat. Quare
Dux in primam aciem (neque enim prudentia B
illi, aut fortitudo deerat) sua triremi consistens,
atque inter confertissimos, hostes, sociis se osten-
dens, magna voce, suos hortabatur. qui tum
his verbis, tum etiam Ducis præsentia, vehe-
menter accensi, atque commoti, hostem incre-
dibili alacritate feriunt; concitatissimis animis,
prælium aliquantisper geritur. Quippe *Veneto-
rum* animi, usque adeo fuerant succensi, ut ni-
hil victoria, & Reipublicæ propugnatione, du-
cerent antiquius, nihilque si iniqua fata voluissent,
gloriosa morte, præstantius reputarent. Sed
quum multa in eo armorum conflictu, miseran-
da conspicerentur, nullum tamen tristius, aut C
miseratione majore dignius spectaculum, quam
Dandulus ipse cernebatur, qui adversante præ-
sertim morbo, incommoda multa, tolerare co-
gebatur. nam & ea quoque perferebat quæ ne ro-
bustissimis quidem corporibus, milites poterant
tolerare. neque vero ille, tam sui causa moveba-
tur, quam cladis, ignominiæque suæ classi im-
137 minentis; quam ipse incolumem in patriam re-
ducere, facile posse sperabat. pugnatum est per
aliquot horas acriter, dubiaque victoria; tandem
summo conatu, irruentibus undique hostibus,
Veneti in fugam sunt conversi; ad extremum ve-
ro *Veneti*, hostium multitudine pressi, passim D
cadere cœperunt, paucissimi fugiendo evasere:
naves fere omnes, cum *Andrea Dandulo* Duce,
graviter in fronte & pectore vulnerato, captæ
remanserunt. Capta tunc ad quatuor millia *Ve-
netorum* constat, *Dandulum* victum, ad ludi-
brium, satietatemque, *Ligusticæ* superbiæ, *Lam-
padius* victor servaverat, ut de viro summæ vir-
tutis clarissimo, deforme spectaculum ederetur.
cum tamen diu in quæstione, indignis injuriis
habitum, atrocissimisque suppliciis, acerbissime
tortum se videret, ut tacita patriæ consilia dete-
geret, gravissimo animi mœrore, ad lætalia vul-
nera, ab hoste accepta addito, antequam *Ge-
nuam* perveniret, indigna morte periit. pars est E
fortitudinis, cum ab hoste vincaris, liberum ani-
mum servare atque integrum. Sed scio non de-
esse scriptores, qui hac in re, tanquam aliud a-
gentes, *Dandulum* classis Imperatorem vitam fi-
138 nisse affirmare conantur, atque ejusmodi fuisse,
Danduli exitum demonstrare contendunt. qui ubi
se in triumphum servari conspexit, declinandæ
tantæ ignominiæ causa, caput adversæ navi, tan-
diu illidit, quoad animam exhalaret, quod vix
credi posse arbitror, facile namque sperare po-
terat, in patriam, jure postliminii reverti, fa-
sta præsertim captivorum nobilium, qui *Venetiis* F
publice custodiebantur permutatione. cur enim
mortem sibi consciseret, causa non videbatur,
cur tamen vitam optaret multæ. Interim *Caro-
lus*, audita suorum clade, non modo perterritus,
sed etiam alacrior, ad rem fortiter peragendam
factus, consilium de invadendo hoste, jampri-
dem iniisset, nisi subita Senatus denunciatione,
Venetias reverti, fuisset coactus. qui tamen quoad
vixit magistratibus multis est optime functus.

BELLETI JUSTINIANI *Elogium.*

Mutuaverant *Veneti* antea *Paleologo*, ingen-
tem auri vim liberalissime, eique suppetias
animose tulerant, eo præsertim tempore, quo
bellum quinquennale, adversus *Joannem Canta-
cuzenum*, aliosque suæ felicitatis æmulos move- 139
rat, quorum calliditate & fraude, nuper in exi-
lium fuerat trusus. illud tamen justissimum debi-
tum, cum repetere *Venetus*, atque jure quodam
suo, vellet exigere, *Paleologus* homo ingratissi-
mus (patet hoc malum tam late, tamque facile
in hominum genere) dissimulans *Græcanico* quo-
dam astu, ingens illud æs alienum, jamdiu con-
flatum, non esse solvendo, legatos ad id præci-
pue *Byzantium* missos, blandis alloquutionibus in
dies trahebat, nam perinde ut solutus, omnia
juris pacta, pudoris & officii perfregit, præceps-
que in omnem licentiam abierat, honesta simul
atque inhonesta, & humana pariter ac divina,
sibi quæstui, prædæque esse constituit. At *Ve-
neti* injuriæ impatientes, ad eam rem vindican-
dam, continuo classem decernunt. est id negotii
Belleto Justiniano, viro militaris scientiæ gloria
insignito, & multarum rerum usu, præcipue
claro, à Patribus demandatum, simul ut *Græco-
rum* perfidiam coërceat, simul etiam ut maria,
à prædonibus & piratis defendat. Hic majori-
bus persimilis, cui ingens etiam, animi inerat
magnitudo, indefatigabilis laborum tolerantia,
exactissima rei bellicæ disciplina, consilii altitu- 140
do summa, haud inscius cum quanto, quamque
vafro hoste, res sibi foret, habere delectum,
milites cogere, nihil studii & diligentiæ præter-
mittere, ardentissimeque omnia solicitare cœpit,
ut gravius hosti, negotium exhiberet. milites
contra etsi ita acceptæ cladis pudore perciti vi-
debantur, *Venetæ* tamen virtutis & fortitudinis
non immemores, nihil vehementius optabant,
quam cum hoste congredi, suos animos ita ob-
firmant, *Belleti Justiniani* Imperatoris fortissimi
hortatu, ut mori, quam cedere malint. quæ res
alacritatem Imperatori attulit, & Reipublicæ
defendendæ, & spem recuperandæ dignitatis. hoc
bellico apparatu, oram solvit, atque irrequieta
velificatione *Corcyram* venit, mox supplementis,
ex *Eubœa* & *Creta* acceptis, septem & viginti
triremes instructissimas habuit. quæ cum valida
Græcorum classe congressæ, eam dissipat, atque
totam fere in suam potestatem, cum remigum
turmis, sociisque navalibus redigit, laqueo cun-
ctis suffocatis. inde ad populationem conversi,
omnia Imperii loca, igni ferroque vastant, cun-
cta diripiunt, cædibus omnia complent, urbes
diruunt, incensa oppida cum vicis; quo pacto,
perpetua ruinæ, ac incendii monumenta relique- 141
re. perterritus hostis, pecuniam quam debebat
primo reddidit, mox pacem supplex ac humilis,
à *Venetis* tandem impetravit. *Justinianus* victor,
cum quindecim captivorum millibus, multisque
triremibus, lætus domum rediit. maximo omnium
ordinum gaudio exceptus, ob insignem victo-
riam, nullo suorum incommodo partam, ex ho-
ste, qui fidem, qui jus, fasque violaverat. mansit
Justinianus aliquandiu *Venetiis*, in purpura assi-
due, ad Reipublicæ clavum conspicuus, neque
enim ab eo munere abduci, ullo unquam tempo-
re potuit, nec ullo casu constantissimus alioqui
vir, ullam officii intermissionem, fieri à se pa-
tiebatur; sed ea quæ è Republica esse videban-
tur, vel provisa prudenter, vel acta constanter,
tueri atque fovere, summo animi ardore stude-
bat. nam præter *Ferrariensem* motum, qui eo
tempore accidit, publica etiam libertas, à non-
nul-

nullis est frustra tentata. quæ res fuit in causa,
ut *Iadrenses*, *Michaele Mauroceno*, urbis comite,
fœde expulso, sextam deditionem patrare sint
ausi. hanc rei indignitatem, non tulerunt Patres,
sed ad eam urbem in fidem recipiendam, *Belletus*
Justinianus mittitur, publico edicto, quo nemo
142 fuerat tum in civitate, ad illud negotium obeun-
dum, atque munus conficiendum aptior, nemo
prudentior; à quo cum maturè, omnia necessa-
ria, non minus armis quam ordine fuissent para-
ta, in *Dalmatiam* venit, atque apud *Iaderam*,
copiis eductis, suburbana loca incendit, dein ad
Civitatem, bellicis machinis non paucis, arte &
studio admotis, urbs oppugnari est cœpta. fuis-
sentque *Veneti* facile victoria potiti, nisi *Dalma-*
sii Hispani generis hominis, perfidia plusquam
Punica fuisset, qui cum equitatui, Patrum de-
creto præesset, duobus aureorum millibus, clam
ab hoste acceptis, subitam ad hostes deditionem
fecit. perculit ea res, non parum *Venetorum* ani-
mos, eosque penitus fregisset, nisi *Justinianus*
animose, ac fortiter, eos fuisset adhortatus, qua-
si ipse mandasset. cujus verbis spe illata militibus,
ac reintegrato animo, cum pro se quisque in con-
spectu Imperatoris, in extremis etiam rebus, o-
peram navare cuperet, hostium impetum, ardo-
remque restinxit. Cæterum quanquam ab op-
pugnatione est cessatum, obsidio tamen, per to-
tam fere æstatem continuata, oppidanos ad de-
ditionem compulit. quibus in fidem perhumane,
ac perbenigne acceptis, *Vitalem Michaelem* ur-
bis Comitem, Senatus decreto, postmodum ha-
143 buere. Inde *Venetus*, solvens ut optime de
omnibus meritus esse videretur, militibus mune-
ra, dari jussit, postea per *Illyricum* classem du-
ctans, *Ænonenses*, *Spalatinos*, *Tragurinos*, *Sic-*
censes, aliaque oppida in amicitiam denuo reci-
pit. mox rebus omnibus in *Dalmatia* pacatis, vi-
ctricem classem, in patriam reduxit, in qua quod
reliquum habuit vitæ, lucisque usuræ, honestis-
sime consumpsit.

JUSTINIANI ejusdem cognominis, Elogium.

Justiniana familia, omnium optimarum rerum
alumna, fœcundissimumque virorum fortium
domicilium, sic præcipuo incredibilique stu-
dio, me excitat, atque inflammat, ut nulla in re
jucundius, quam in suis rebus versari me putem.
nec quicquam est mihi præstantius, quam cum
in commemoratione earum rerum, quas ipsi for-
titer gesserunt, quæque ad posteros, tanquam
per manus emanasse videntur, assidue versor. vix-
que dici potest, quam responderit, non solum
meæ, sed bonorum etiam omnium expectationi,
144 familiæ nobilissimæ splendor & decus, in qua ea
certe rerum ornamenta apparent, quæ multo qui-
dem majora sunt, quam privata domus capere
possit. Quare *Justinianus* Dux longe post homi-
nes natos fortissimus, qui à familiæ nomine, au-
spicate nomen sortitus, summis honoribus fun-
ctus, in hisque summa cum laude, ac virtutis
opinione, multum ac diu versatus, memorabile
posteris exemplum reliquit, primo namque,
omnium votis classis Imperator designatus, Rem-
publicam capessere voluit, atque in ea admini-
stranda, multam magnamque curam adhibuit,
cui deesse quoad vita suppetat, cum turpe aliis,
tum sibi nefas esse putabat. In primisque divi-
nam opem imploravit, qua nullum majus præsi-
dium potest optari. demum Imperatoris simul ac
militis officia exhibens, arma, munitiones, &
tormenta parat, certatimque ac solicite curat o-
mnia, civibus animum auget, milites ad glorio-
sum bellum hortatur. Sed quanto formidolosior

A hostibus, tanto suis charior fuerat. armatis ita-
que omni cura, atque industria, contra *Ligurem*,
triremibus quatuordecim, ipsisque feliciter in
altum eductis, vicatim quidem & oppidatim,
incendii ac ruinæ monumenta fecit, terrificoque
impetu, undecim hostium triremes insectabatur,
quas ad nonnulla *Venetorum* emporia populanda, 145
accessisse incertus quidam rumor, imperitusque
sermo, in omnium ore increbuerat. quum ta-
men id falsum esse, manifeste constaret. ventum-
que esset in *Ponticum* usque mare, ad *Caphatam*
urbem, quam *Theodosiam* appellari alibi diximus,
classem admovit, multis undique tormentis urbi
B appositis. Quare *Genuenses*, qui urbem incole-
bant, ne iterum *Veneta* arma, quæ sub *Joannis*
Superantii, ductu & auspiciis, durissime fuerant
experti, nunc denuo graviora sentirent, in ma-
jusve aliquod discrimen inciderent, in pactionem
deveniunt, neque vero urbem illam ob loci di-
stantiam, *Venetus* tenere potuit. nam *Ligur Græ-*
corum armis constantissime fretus, omnia loca,
à *Venetis* direpta & incensa, celeri studio instau-
rabat. *Justinianus* autem nullo præclaro facino-
re, tunc pro Patria edito, domum revertitur,
nec multo post iterum bello præficitur, dantur-
que ei, ex patrum decreto, triremes quadragin-
C ta, adversus *Genuenses*, qui promissorum imme-
mores, *Venetis* ad *Tauricham Chersonesum*, non
mediocre negotium exhibebant. cum quibus *Ve-*
netus prœlium conserens, eos vicit; quatuor &
quadraginta eorum triremibus, partim mari de-
mersis, partim cum nautis captis. neque enim fas
esse domum redire arbitrabantur, nisi victoria po- 146
titi, ne *Veneta* virtute indigni censerentur. *Pe-*
renses, qui & ipsi à *Rogerio Mauroceno*, fuerant
paulo ante deleti, assumptis aliquantulum viribus,
instauratisque mœnibus, sed qui longis etiam
præliis, ac labore confecti, vires omnes jampri-
D dem amiserant, veriti ne *Venetus* cumulatissimas
ab eis pœnas exigeret, neve ad interitum, ite-
rum redigerentur (viderant namque in se impe-
tum fieri cœpisse, & sine discrimine obvios cæ-
di) quicquid esset in eo belli apparatu, detrimen-
ti acceptum, non resarcire modo, sed majori-
bus etiam adaugeri cumulis, ultro promiserunt.
quibus conditionibus *Venetorum* animi, semper
ad honesta omnia agenda propensi, ad pacem
sunt conversi. Inde *Justinianus* discedens, an-
tequam *Venetias* classem adduceret, nautis binos
aureos *Venetos*, viritim distribui jussit, ut quæ-
que summi Imperatoris officia, cum dignitate
E compleret. reversus domum primis comitiis, *Cre-*
tæ Insulæ, Ducario nomine præficitur, qui cum
eam provinciam, sibi demandatam, in officio
continere, plurimum ac vehementer niteretur,
nihil impensius quàm Patriæ commoda dignita- 147
temque, toto illo tempore curavit. & ut erat
præsenti admodum ingenio, id etiam effecit, ut
quem dignitate & gradu, majorem haberent,
eundem quoque urbanitate atque clementia, mi-
norem sæpius admirarentur. Sed neque tantum
operæ & studii, ab eo tunc potuit adhiberi,
quin aliquid etiam incommodi (fortuna felicita-
tis noverca, res prosperas tristibus sæpissime ad-
F miscente) pateretur. Siquidem *Græcum* inge-
nium ex usu suo, aut *Veneto* nomini inimicum,
aut etiam infidum, *Cretenses* ad novos motus ex-
citandos impellunt; quos tamen *Justinianus* fa-
cillime, consilio & prudentia compressit, Insu-
lamque virtute conservatam, successori pacatissi-
mam reddidit, sumpto prius de sontibus & pro-
ditoribus supplicio. Quare optime summaque
animi integritate atque innocentia, eo magistra-
tu defuncto, vix ei Patria frui diutius licuit. E-
nimvero *Justinianus* vir in rebus bellicis semper

exercitatus, ac in eisdem multum & sæpe versatus, contra *Paganum Turrianum*, *Patavinum* Antistitem, eundemque *Aquilejensem* Patriarcham mittitur. qui *Polam*, *Vallemque*, *Histriæ* oppida, quæ dudum *Veneta* arma fuerant secuta, vi
148 & armis auferre conabatur; fuitque bellum illud à *Justiniano* non minori celeritate, & felicitate confectum, quam cætera negotia omnia. ob has itaque res, præclare ab eo pro Patria gestas, cum Dei Optimi Maximi benignitate, & *Justiniani* felicitate, *Veneta* res & gloria fuisset integra, Procuratoris munere, quod tunc præsertim auctum fuisse constat, ingenti patrum studio, ornari meruit. Mox vero, hoc ipsum etiam affecta jam ætate, difficillimum omnium, pro Patria gerere voluit. nam *Patavium Scalanis* ejectis, cum *Marco Lauretano*, & *Andreasio Mauroceno* Procuratoribus, legatus mittitur, ad ejusdem civitatis statum pacandum. ex ea legatione reversus, cum per quadriennium, innocentissime simul, atque sanctissime Reipublicæ præfuisset, in suorum complexu felicissime obiit. quem immortalitatem potius, quam mortem assecutum non ignoramus. *Marco* & *Pancratio* filiis, avita paternaque gloria claris, post se relictis.

MARCI JUSTINIANI *Elogium.*

Quam læta felixque successio, feliciorque ob id nuncupata, quod qui sunt inde secuti,
149 tales merito dici potuerunt. Enimvero *Marcus*, majoribus suis, rerum gestarum gloria, & virtute par, patre vita functo, classis Imperator, omnium votis, & acclamatione est dictus. quare primum urbem frumenti caritate, plurimum laborantem, suo consilio & opera, qua tunc præcipue, in *Apulia Siciliaque* est usus, levavit. quo frumentatum cum onerariis multis erat profectus. demum septima *Iadrensium* defectione, terrestrium copiarum Imperator missus, cum *Andrea Mauroceno*, & *Simone Dandulo*, terrestribus legatis, tunc primum novo decreto institutis, ingentem de *Ungaris* victoriam, contra *Ludovicum* eorum Regem, cum centum & viginti armatorum millibus, *Iaderam* sibi vendicare conantem reportavit. fusis enim fugatisque hostibus, Regem quoque, primo impetu in fugam convertit, fusum inde ad oppidum persequitur, atque urbem toties rebellem, *Veneta Justinianaque* clementia, in fidem recipiens, oppidanis comes est datus. eo magistratu nondum perfunctus, *D. Marci* Procurator, in *Marini Foscareni* demortui locum eligitur. mox Patrum decreto, cum *Andrea Mauroceno*, & *Nicolao Gradonico*, ad eundem *Pannoniæ* Regem missus, ab eoque benignissime exceptus, usque adeo Rempublicam agere novit, ut in decem annos, cum eo inducias pepigerit. re-
150 versus matura ætate decessit.

PANCRATII JUSTINIANI Elogium.

Incredibile quidem est, quanta felicitate, quo rerum successu, quantaque animi solertia, in difficillimis quibusque negotiis obeundis, *Justiniani* semper fuerint usi. etenim non felici quadam temeritate, ut plerisque contigit, sed arte, ingenio, consilio, res omni memoria dignas gessere, & præcipue *Pancratius*, qui optimis quidem Ducibus merito, continuata veluti serie est adæquandus. nam rebus à patre antea, & fratre prospere gestis, vehementer incensus, *Justinopolitana* rebellione, majorem quam *Marcus* provinciam sustinuit. In quo ea vis animi, atque ingenii fuit, ut omnia maxima, minimaque per se adiret, atque ageret, nec cogitaret modo,

A imperaretque, quæ in rem essent, sed pleraque ipse transigeret, nec in quemquam eorum gravius, severiusque, quam in semetipsum Imperium exercebat; parsimonia & vigiliis, atque labore, cum ultimis militum certabat; nec quicquam in exercitu suo præcipui, præter honorem, atque Imperium habebat. neque vero ter- 151
restribus tantum copiis, sed maritimis etiam fortiter præfuit: unusque cum utrumque munus obiisset, arma armis propulsare contendens, eos intra paucissimos dies, absque insigni aliqua sanguinis effusione, in fidem reverti facillime coegit. nec felicior in mari, quam in terra pugna,
B *Justiniano* Duce fuit. nullo tamen de rebellibus supplicio sumpto, ut enim in pugna strenuus, sic post victoriam, fuerat clemens. his præclare gestis, Procuratorque effectus, fratris locum obtinuit, quo postea mortuo, *Paulus Lauretanus* sufficitur. Hi duo *Justiniani*, fortissimi quoque Imperatoris filii, celeberrimi & ipsi Duces, non tam domesticis virtutibus, quibus magnopere præstiterunt, quam bellicis artibus, & rerum gestarum gloria, patri ac majoribus omnibus conferri, compararique merito possunt.

PETRI ZENI Elogium.

C Quum *Turcæ Asiatica* olim *Scythia* oriundi, ab initio apud *Asiæ* Regulos, stipendia meriti, mox ad dominandum conversi, vario successu, *Pontum*, *Cappadociamque* trajecissent, atque per finitimas regiones illapsi, frequentibus excursionibus, tantum sibi postea virium comparassent, ut *Galatia*, *Bythinia*, *Phrygia*, ac 152
universa denique minore *Asia* occupata; *Hellespontum* etiam, cum summo Christiani nominis dedecore, & jactura superarunt. postremo cum è *Syria* tandem essent egressi, ex qua Christianum nomen, paulo ante penitus deleverant, ad totius
D orbis Imperium, avidius jam cœperant anhelare; factumque est ut nonnullorum Principum socordia, quorum lente admodum festinabant auxilia, *Genuensiumque* & *Paleologi Constantinopolitani* Imperatoris perfidia, cum *Venetæ* potentiæ resistere, non mediocriter diffiderent; sensim per *Europam* irrepserunt. quæ res cum jam ad triarios videretur deducta, tantum terroris singulis injecit, ut *Veneti* omnium primi, ea de re, cum *Joanne* Pontifice illius nominis XXII. literis sæpissime, mox nuntiis accuratius egerint. missi tunc fuere *Philippus Belegnus*, *Blasius Zenus*, & *Marinus Maurocenus*. Constat & alios, pro tanto
E negotio; frustra in *Galliam* missos, ut sacrum fœdus, cum ea gente, contra *Turcas*, *Maumethicamque* superstitionem inirent. Demum cessantibus omnibus, & interdum etiam conniventibus, *Veneti* soli quos religio (quam sic perditum iri ægerrime ferebant) magnopere excitavit, paratis triremibus centum, onerariisque non pau- 153
cis, ad commeatum, machinas, & alia ad id negotii conficiendum opportuna, bellum pro religione, adversus impios, christianique nominis hostes sempiternos, tunc primum auspicate arma sumpsere. *Petrus Zenus*, vir cum in periculis constans, tum etiam in præliis fortissimus, indicendi gerendique belli gratia, Imperator decer-
F nitur, qui extremam vitæ aleam, ob publica commoda, subire libentissime, suumque eximium, & singulare in religionem, & patriam studium, profitebatur, & præ se ferebat: neque apud eos tantum, qui tunc aderant, sed apud posteros etiam testatum fore, maxime voluit. Enimvero sancta felicique expeditione, potius quam bello, longe lateque hostes insectatus, totam orientis oram, navigantibus brevi temporis spatio

ſpatio pacatiſſimam reliquit. multis etiam navi-
bus ab eis ademptis, omnibus captivis, ſummo
cruciatu, & ſupplicio affectis, cæteros infra ſuos
fines, terminoſque, extra quos non ſine ingenti,
maximoque labore, egredi poſſent, tunc ſtare
coegit. re bene geſta, feliciter cum tota claſſe,
domum revertitur. quem Dux cum miris, pro
concione laudibus extuliſſet, maximis etiam, &
ampliſſimis magiſtratibus præfecit. quandoqui-
dem *Zenus* primus inſigni virtute, quæ cum ani-
154 mo inſideret, corporis quoque robur conjunctum
habebat, *Turcas* bello vinci poſſe, ſuos docuit,
primuſque de eis opima ſpolia, in patriam repor-
tavit. quæ laus, cum maximo fortitudinis ſuæ
ſplendore, nunquam interibit. hec multo poſt
interjecto tempore, diſtracta etiam aliorum Prin-
cipum voluntate, *Veneti* claſſem contra *Tur-
cas*, haud ſegnius parant, qui facta iterum eru-
ptione maxima, maria omnia, circa *Rhodum*,
Cyprum, *Cretam*que, incurſionibus & latroci-
niis, ſuperbe infeſtabant. *Zenus* adepti antea
decoris, non immemor, claſſi præficitur. qui
cum animo forti, magnoque eſſet, ad hoſtium
impetum, ferociamque propulſandam acceſſit,
quorum poſtea ardorem, gnaviter reſtinxit. Nam-
que per Mediterranea hæc maria prætervectus,
poſt incommoda multa, barbaris illata, *Smyr-
nam* tandem *Ioniæ* urbem pervenit, *Homeri* vatis
alumnam à multis creditam, ab *Henrico Contare-
no*, & *Vitale Michaele* claſſis Imperatoribus, mul-
to antea oppreſſam. hæc amœno littore ſita, amne
Mylete effunditur, Apoſtolorum dogmate quon-
dam celebris, quam *Polycarpus* Chriſtiani ordinis
ſectator præcipuus, & Epiſcopali dignitate cla-
155 rus, feliciſſime gubernavit. celebris eſt nunc tan-
tummodo locus, ob laudatiſſimas uvas, inde in
Italiam aſportatas. Illud ipſum oppidum, *Zenus*
in quo vis animi, conſiliique altitudo vigebat,
omnium generum machinis, propter foſſæ lati-
tudinem, murique altitudinem, multis defenden-
tibus, ab adverſa urbis parte, tunc ab oppidanis
neglecta, quia & ſuapte natura, tutiſſima vide-
batur, & difficillimos aditus habebat, cuniculos
agere inſtituit, reſiſtentibus mox oppidanis, re
infecta, ad alteram urbis partem devenit, ubi a-
perto marte, urbem tandem viriliter expugnavit.
Zenus in prima acie, ſemper in hoſtem fereba-
tur, & properans noctem diei conjungebat. op-
pidani capti, partim ferro, paſſim interempti,
partim remo addicti, urbs ipſa firmiore quam antea
præſidio eſt firmata. pugnatumque eſt eo loci,
tam ſæpe, quam feliciter contra *Turcas*, in quos
Venetus graſſari non deſtitit. Sed quum multas
victorias *Venetus* fuiſſet adeptus, atque Deo Opti-
mo Maximo debitas gratias, priſco Civitatis in-
ſtituto, non minus religioſe, quam pie, in Æ-
de non longe ab urbe, quæ *D. Joanni Baptiſtæ*
fuerat erecta, referre ſupplex conaretur, atque
156 divinis rebus propenſo animo, operam daret, ſu-
pervenientibus ex improviſo barbaris, ad omnes
fuerunt interfecti. mortem enim obire, quam ſa-
cra incepta relinquere maluerunt, tantum ope-
ræ & ſtudii, apud noſtros, obſervandæ religio-
nis ſemper extitit. equidem omnia proſpera ſe-
quentibus religionem, adverſa negligentibus eve-
niunt. periit *Zenus*, tertio & quadrageſimo æta-
tis ſuæ anno, promiſcui ſexus filiis decem, poſt
ſe relictis, quos ex *Agnete Dandula*, matrona pu-
diciſſima, ſummo loco nata, antea ſuſceperat. in-
ter quos *Carolus*, & bellica virtute clarus, & Se-
natoria prudentia inſignis, patriæ commoda, non
mediocriter eſt tutatus.

MARCI RUZINII Elogium.

Felici quidem & fortunato Civitatis eventu,
Marcus quoque *Ruzinius*, Rempublicam ad-
miniſtravit, qui tertio *Liguſtico* bello, vel ob id
à patribus ſuſcepto, quod *Genuenſes*, quacunque
vi & arte, *Pontici* maris curſum, *Venetis* inter-
cludere conabantur, quinque & triginta navium,
Imperator effectus, incruentam de hoſte victo-
riam reportavit. Siquidem cum damna multa,
injuſte tamen, à *Ligure Venetis* illata, legati ſæ-
pius, fruſtraque repetiiſſent, Senatus juſſu, cau-
te in eos movet; quam plurimis quamque lectiſ-
ſimis viris prius evocatis, quorum animis mature 157
tentatis, extemplo productis in aciem copiis,
memorabile bellum, tam præclare geſſit, forti-
terque confecit, ut palma, dum cum hoſte ma-
num conſereret, nunquam dubia videretur. Enim-
vero perſuaſum multo antea habebant *Veneti*, nul-
lo unquam incommodo, Imperium ſuum affici
poſſe, Duce *Ruzinio*, immenſa incomparabilique
virtute prædito, quem bello invictum, paciſque
artibus, nulli ſecundum diu antea cognoviſſent.
Erant in *Venetis* triremibus milites quamplurimi,
multique ſagittarii, ac jaculatores, vetuſto pa-
triæ more, apprime inſtructi; vi namque hoſtem
ſuperare, quam fallere, glorioſius arbitrabatur.
ab hoſtibus vero animo magis, & robore, quam
ſcientia pugnabatur, multus ubique erat tumul-
tus, & turbulentum certamen: verum Impera-
tor, immenſa incomparabilique animi virtute
præditus, ſublatis ſignis, cum primos pugnan-
tium impetus ſuſtinuiſſet, in eos irruens, vicit
& profligavit: quaſi enim *Iſthmum* fodere videba-
tur hoſtis, qui *Ruzinium* bello & armis conten-
deret vincere. prælium ad *Caryſtium Eubœæ* in-
ſulæ portum, à *Caryſto* urbe, marmore quondam
nobilitata, fuit commiſſum, quum forte per *Æ-
gæum* tempeſtate, & vi ventorum diutius *Vene-
tus* jactaretur, in pontum navigaturus. *Ligur* 158
cum quatuordecim onerariis navibus, partim pre-
tioſiſſima merce onuſtis, partim etiam militibus,
ingentique armorum copia inſtructis, cum *Vene-
tis* congredi, & manum conſerere non dubitavit,
ex quibus decem cum præfecto claſſis, & ſeptua-
ginta nobiles, & ſtrenui viri, in *Ruzinii* pote-
ſtatem venere; quos *Venetus* non modo comiter,
benigneque recepit, ſed magnis etiam honoribus
eſt proſequutus; quo etiam in conflictu, quot ho-
ſtium fuerint deſiderata, quamque paucos *Vene-
tus* amiſerit, nulli dubium eſſe, certe ſcio. cum
mille & ſeptingentos, vel occiſos, vel in fugam
verſos, hoſtium annales teſtentur. hujuſcemodi
clade hoſtibus illata, ex *Eubœa* diſceſſit, *Ionii*,
Ægæique maris ora perluſtrata, *Helleſpontoque* fe-
lici curſu, explorateque emenſo; falſo quodam
rumore permotus, per *Ægæum* rediens, circum
eas inſulas, quas *Sporades*, & eas quas *Cycladas*
dicimus, commode navigans, ad *Peram* oppidum
continenti adjunctum, iterum opprimendum,
poſtmodum eſt profectus. reſcierant *Genuenſes*
antea, ingentem ſuorum ſtragem. quare nihil
prius habuerant, quam oppidum præter loci ſi-
tum, valde munitum, ingenti etiam exercitu,
bellicisque inſtrumentis, non paucis, omni ex 159
parte firmatum vallare. Quamobrem *Venetus*
horum inſcius, cum ad eum opprimendum ac-
ceſſiſſet, facileque arbitraretur, poſſe victoriam
obtinere, ſpe fruſtratus abiit, à quo tamen, ſi
qua hoſtes, moliri alicubi conarentur, diligenter
atque mature eſt proviſum. Illius namque id
ſemper fuit conſilii, in poſterum quam longiſſi-
me providere, cum in hujuſcemodi cuſtodia,
tamquam in ſpecula poſitus eſſet, ut *Venetos* ſua

vigilia & prudentia, ab omni perturbatione, & metu, vacuos redderet. Inde cum discessisset, circa *Bosphorum Thracium*, tribus à *Constantinopoli* passuum millibus distantem, felicissime contra eosdem *Ligures*, prælium iterum est commissum, atque *Ruzinii* Ducis virtute, facile est perfectum, compluribus eorum triremibus, in ea pugna interceptis. Quare *Ruzinius* duplici victoria clarus, ingentem prædam domum retulit ea quadringentis aureorum millibus fuit æstimata hunc Princeps cum benignissime, simul cum tota civitate excepisset; ita pro tempore breviter est alloquutus. Nobis Dei Optimi Maximi benignitate, robore & prudentia tua, *Venetæ* urbis res, & gloria est aucta. Sed ne cœlestis beneficii immemores *Veneti* viderentur, gratiæ fuere, Deo Optimo Maximo primum actæ, templis debitus honor impensus, Ædesque sa-

A cræ, fronde festa, à *Venetis* acerrimis religionis cultoribus ornatæ. & cum religio sanctius à nostris, quam à multis aliis præcipue colatur, lege promulgata, Patres sanxerunt, ut ob tam insignem triumphum, *Joannis Baptistæ* Decollatio, quo die fuit de hostibus victoria parta, solemnis in posterum perpetuo haberetur; quod ad nostram usque ætatem, per ducentos & amplius annos, constanter servari perspicimus; quando & id semper maximeque fatebantur, ductu auspicioque cœlestium, cum hoste se conflixisse, neque multitudinis, aut mortalium

B virtute, sed superum voluntate, victoriam adeptos. Vixit aliquanto post *Ruzinius*, in purpura semper clarissimus, obiitque senex, relictis post se maribus aliquot, à quibus qui nunc in civitate honorifice degunt, ortos fuisse non ignoramus.

F I N I S.

INDEX
MEMORABILIUM.

A.

B.

Bene-

Joan-

Or-

Pha-

F I N I S.



NICOLAI CRASSI,

Junioris, Philosophiæ, & J. U. C.


ELOGIA PATRITIORUM VENETORUM

Belli, Pacisque artibus

ILLUSTRIUM.

Editio Novissima, priori nitidior & emendatior.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.
LECTORI SALUTEM.

V*enetæ* Reipublicæ Magnificentia, ad quam Urbs illa ex adeo parvis & minimis excrevit initiis, primo quemvis docet intuitu, sanctissimis ipsam semper rectam esse legibus a Conditoribus & Gubernatoribus sapientissimis. Maximum autem talium Virorum ex Patritiorum *Venetorum* Amplissimo Consessu, omni hujus Reipublicæ ætate, fuisse proventum, & *Veneti* Nominis hostes vel inviti fateri coguntur. Dignissima tanta Reipublicæ ornamenta, quorum memoria & merita Patriæ præstita per omne celebrentur ævum, judicans *Nicolaus Crassus*, Patritiorum *Venetorum*, quos res insigniter gestæ reddiderant illustres, Elogia posteritati communicare constituit, & pro ea, qua pollebat, facultate & styli elegantia præstitit, teste orbe literario, egregie. Prodierunt hæc Elogia, *Superiorum Permissu, & Privilegiis*, Anno 1612. *Venetiis*, in *Quarto*, apud *Evangelistam Deuchinum*. Inscripta erant: *Nicolai Crassi Junioris Elogia Patritiorum Venetorum, Belli, pacisque artibus illustrium.* Cum autem Liber non minus rarus quam carus evaserat, illum denuo hac nova Editione publici juris facere constituimus, in qua quid præstiterimus, paucis sic habeto. Omnem adhibuimus industriam, ut Opus qua typos, qua chartam exhibeatur nitidissimum. Errores typographicos, qui in priori Editione remanserant, sedulo sustulimus. Nomina propria, ut eo felicius occurrant, diversis a contextu im-

primi jussimus literis. Numeros paginarum Editionis veteris in nostra ad marginem notavimus: hac ratione consulere volentes Lectoris commoditati, ut, si forte ex illa quædam occurrerent ab aliis scriptoribus citata, ea in hac reperiri possent absque molestia. Ac ut uno statim pateat intuitu, quorum Heroum hic habeantur Elogia, illorum Nomina, secundum ordinem alphabeticum, Operi præmisimus. Indicem denique Rerum memorabilium in Opere occurrentium, quo vetus destituebatur Editio, subjunximus. Hæc in Tui gratiam, *Benevole Lector*, hic a nobis tentata, quæ si æqui bonique consules, pluribus ejusmodi officiorum generibus de te mereri conabimur. Vale.

SERENISSIMO ATQUE INVICTISSIMO

LEONARDO DONATO,

VENETORUM PRINCIPI, AMPLISSIMOQUE, ET INCOMPARABILI SENATUI

NICOLAUS CRASSUS,

Philosophiæ, & J. U. C.


S. P. D.

S*i qui sunt,* Serenissime Princeps, Senatores Amplissimi, *qui veræ laudis amorem, & ardentissimum erga Rempublicam studium hæreditarium, ac veluti per manus acceperint, inter hos ego meum nomen & alias publice retuli, & nunc etiam profiteri audeo. Vellem sanè præclarius aliquod, certiusque observantiæ meæ testimonium præbere, quale superioribus ætatibus, præter* Marcum, & Lazarum, *qui cunctas opes, & ipsam vitam Reipublicæ dignitate posteriorem duxere,* Dominicus, & Franciscus, *majores mei gloriosè dederunt. Quorum Alter* Ligurum *Hostium iterum, ac sæpius captivus, indeque* Sclavi *cognomentum nactus, quatuor tandem navibus longis suas ipse injurias, & Reipublicæ vices ultus est, hostili ora fœdè populata, magnaque oneraria navi in medio ipso* Genuæ *portu capta, ibique in hostium conspectu pecunia cusa,* Venetorum*que signis ad hostium ludibrium impressis: Alter autem* Roberetto *oppido, quod* Germani *oppugnabant, egregie defenso, cum deinde casu venisset in hostium potestatem, & in* Germaniam *missus esset, quia se aliter servituti eripere non po-*

poterat, miseram vitam cum gloriosa morte commutavit. Quorum vestigiis insistens Nicolaus Avus *meus, non solum multiplici doctrina, & forensi eloquentia* Venetum *nomen pro virili parte illustravit, sed etiam instructis semel, & iterum navibus non sine gloria res maritimas aggressus est, Archipiratæ cujusdam biremi depressa, qui latrociniis mare plurimùm infestabat: atque ut aliquod diuturnum sui erga Rempublicam studii monumentum relinqueret, Vas illud ornatissimum ex argento, & crystallo, quod in sanctiore Armamentario conditum servatur, amplissimo vestro Collegio donare constituit, à quo benignè non modò acceptum est, sed etiam repensum. Mihi verò pro virium mearum imbecillitate cum præclara majorum meorum facinora æquare non liceat, hoc saltem, ut opto, & spero, licebit, omnem operam, industriam, nervos, mentem denique, & me ipsum totum, ut ita dicam, ponere in iis viris ornandis, qui magno Reipublicæ fuerunt ornamento, atque usui. Utinam verò sit hoc tam perpetuum* Veneti *nominis, quàm sincerum observantiæ meæ monumentum: Ego sanè, si quod volui non potui, at quod potui maximè volui. Reique publicæ ipsius exemplum secutus, immò verò omnium Rerumpublicarum, & Populorum, apud quos in more positum, atque usu est receptum, ut in celeberrimis urbium regionibus civibus optimè meritis statuas collocent, quæ scilicet singularem virtutem repræsentent, & æmulationem quandam aspectu suo injiciant: ego quoque eorum effigies exprimere, qui vel doctrina, vel bellica virtute multum excelluerunt, & quasi universæ Reipublicæ statuas ponere constitui. Profectò aliquid laudis ex procera statura, & liberali facie hominibus accedit, sed ex animi bonis longè major: Pulchra nobilitatis monumenta Majorum imagines longa serie spectandas exhibere, at pulchrius virtutes, & facta: Clarum denique, æternumque est gloriæ testimonium statuas in Curia, in Templo, in Comitio habere, veruntamen clarius, & perennius, doctorum hominum literis immortali memoriæ consecrari. Scio me huic labori multis de causis supersedere potuisse, sed vel eò maximè, quòd in vobis omnibus,* Senatores Illustrissimi, *teque præcipuè,* Serenissime Princeps, *cunctas virtutes subjecti populi contemplari, & admirari faciliùs possint, quàm vel in mortuis Heroum simulacris, vel in jejunis, & angustis quorumcunque Elogiis. Is enim es, qui non modò Reipublicæ* Venetæ, *sed omnium seculorum, & gentium Princeps, tot, tantisque rebus felicissimè gestis, cæterorum omnium laudes non modò æquas, verum etiam longo intervallo quàm maximè superas; in quem Deus Optimus Maximus tot, tantaque contulit, & corporis, & animi ornamenta, ut nemo tibi justitia, atque pietate anteferri, eloquentia verò, & sapientia ne conferri quidem possit, incertumque omnino facias, an te magis divina munera exornent, an tu illa; ideoque non hominum magis, quam Divorum suffragiis Princeps in ea Republica es renunciatus, ubi juxta* Hesiodi *sententiam, Meliori parendum, ubi nata, & alta cum virtutibus omnibus Libertas, ubi Patritii cuncti Senatores, Senatores Principes, Princeps verò divinum aliquod Numen jure merito existimatur. Vos autem illi estis, Sapientissimi Patres, quibus nihil prudentius, justius, sanctius non dicam expectandum, sed ne expetendum quidem cuiquam esse videatur. Sed quid ego? Vereor ne tantam majestatem, & gloriam, cum amplificare non possim, imminuam veriùs, quàm referam; quapropter sicut res divinas maximè decet, silentio potiùs, quàm longa oratione suspicio: cumque jampridem me, meaque omnia vobis dedicaverim, hos etiam qualescumque ingenii mei fœtus vobis consecro. Ut scilicet & vos eorum gesta recolatis, quorum æmulati virtutes, famæ luminibus, prope dixerim, obstruxistis: & vestri Cives ex aliorum contentione cognoscant, quantum Deo optimo debeant, qui tantum eis Principem, tantosque Heroes concesserit, quibuscum nemo ab omni seculorum memoria rectè conferri possit. Ego certè mecum præclarissimè actum existimabo, si has Decades Elogiorum, quas inchoavi, Principes omnes, quicunque Reipublicæ præfuerunt, atque Patritios illustriores complexus, absolvere aliquando, & expolire potuero, quod me facturum polliceor, inque me recipio, ubi hos meos conatus aliqua saltem ex parte vobis probari intellexero. Valete.*

N. Crassus.

N O M I N A
PATRITIORUM VENETORUM,
Quorum in hoc Opere
E L O G I A
habentur.



1 2

NICOLAI CRASSI,
JUNIORIS,
E L O G I A
PATRITIORUM VENETORUM.

---

7 # P R Æ F A T I O
IN
PRIMAM ELOGIORUM DECADEM
AD
LEONARDUM MOCENICUM,
Venetum Senatorem.

C*Vinam*, Leonarde Senator amplissime, *primam hanc Decadem Elogiorum consecrare melius poteram, quam tibi? qui natus es ex ea gente, in qua tot viri principes, alter alterum æmulatus, unus post alium floruere, ut* Mocenicum nasci, *quasi proverbio dici possit pro eo, quod est, hominem nasci ad honorem, & gloriam: qui tantis magistratibus, præfecturis, dignitatibus innocentissimè, atque gloriosissimè perfunctus, ad ipsum Decemviratum, & sublimem Consiliarii gradum meritissimò pervenisti, ut inde postea turbulento Reipublicæ tempore* Brixiam *Præfectus, & in Continentem cum summo imperio Legatus missus, incredibilem animi vim, atque robur, justitiam, prudentiam, virtutes denique omnes præclarissimè, & ad miraculum usque exerceres, ac ostenderes.*
8 *Quod si ea demum vera gloria est, gloria dignum & esse, & omnibus videri, eam tu es tam abundè consecutus, ut nihil supra. Patere igitur, ut singulari nominis tui splendore huic Elogiorum Decadi lucem quæram, & sincerum hoc reverentiæ meæ testimonium æqui, bonique consule; quod tibi vel eò maximè convenire visum fuit, quod cum eorum sit, qui Reipublicæ Duces præsederunt, felix tibi, & faustum omen esse omnino debet, ut qui majorum tuorum virtutes, & gloriam refers, scias etiam tibi eorum majestatem, & excelsum honoris fastigium jure merito destinari.*

---

9 ## DECAS PRIMA.

ANDREAS DANDULUS.

INTER eos, qui *Venetorum* illustre nomen doctrinæ, virtutis, atque sublimis ingenii gloria latè protulerunt, præcipuè enitet *Andreas Dandulus*, singulare decus ætatis suæ, qui studiorum prospero cursu, ac feraci vigiliarum proventu ad supremam, & admirandam multiplicis doctrinæ laudem egregiè conscendit. Etenim quæcunque dici, aut fingi possunt vel acerrimi judicii, vel infinitæ memoriæ, vel eloquentis doctrinæ lumina, in hoc ipso Principe cuncta fuere, atque alia amplius. Hac enim excelsa facie, sed multo magis sublimi, & excelso animo à Natura donatus, summum ingenium bonis, & liberalibus doctrinis diligenter expolivit, atque Philosophia præcipuè, & Jurisprudentia, quas non modo egregiè callere, sed etiam in omni vita præclarissime exprimere voluit. Quibus abunde partis opibus, quas Fortuna neque dare, neque eripere cuiquam potest, primus *Venetorum* Doctoratus, ut ajunt, insignia summa cum gloria, atque dignitate recepit, ac in patriam reportavit; probabili quidem, &

A præclaro instituto, sive rem ipsam inspicias, quæ si more majorum, sine fuco, & fallaciis facta fuerit, vix major gloria excogitari potest; sive etiam auctorem spectes, dignus omnino, à quo po- 10
steritas tanti honoris initium, & exemplum peteret. Sed à literarum studiis ad Rempublicam se contulit, in qua cum justitia, & morum probitate supra omnes maximè inclytus, quales alii videri volunt, talis ipse esset, nunquam ejus vestigia ad præclarum decus vadentis fallere Fortuna ausa fuit. Quapropter III. & XXX. annos natus ex *D. Marci* Procuratore ad summum illud Principatus
B fastigium, quo semper totis viribus contenderat, felicissimo cursu pervenit, atque in tam excelsa dignitate, omniumque amplissimo munere totum sese, quantus erat, explicuit. Neque satis illi fuit quotidie de Republica benemereri, sed quidquid temporis à civilibus negotiis, & Principis munere vacuum supererat, id omne in literarum studiis collocabat, actaque singulorum annorum literis mandabat, & referebat in album, ut eruditis, ac in perpetuum victuris monumentis omnem sibi posteritatem obligaret; cum singulari apud omnes fidei, & veritatis opinione historiam ita perscripsisset, ut attentiore cura, & præstantiore facundia nemo. Fuit ejus domus doctorum viro-

rum liberalis receptrix, ipse vero, quod in Principe summæ virtutis locum implet supra, quam dici possit, humanitate admirabilis, & Literatorum omnium studiosissimus. Sed confecto summa cum Reipublicæ dignitate, atque gloria *Jadertino* bello, ingens tanti Principis spiritus, humano veluti carcere liberatus ad cælum evolavit.

11 Cujus integritatem, innocentiam, virtutem *Vincentius* modo, & *Joannes* fratres, alter excelsi Collegii Consiliarius, alter Decemvir ad vivum referunt, atque pernobilis, & amplissimæ familiæ dignitatem, & gloriam præclarissime tuentur.

12 *ANDREAS CONTARENUS.*

NOn singulari modo eloquentia, & probitate, sed excelsi, & invicti animi magnitudine, omnibusque belli, & pacis egregiis artibus *Andreas Contarenus*, Venetorum Princeps, cæteros omnes longe, multumque superavit. Nam inter omnia, quæ *Veneta* Respublica domi, militiæque, mari, atque terra præclara facinora edidit, longe, lateque eminet sævissimum bellum, consentientis famæ nomine celebratum, quod ipse jam senio confectus intrepido, atque constanti animo suscepit, incredibili, & admiranda virtute gessit, atque divina prope felicitate tandem confecit. Hic ille Princeps extitit, cujus cum eximia probitas, sinceritas, & singularis in omni vita moderatio, supra virtutes, atque supremas omnes animi dotes jure suo civitatis Principatum sibi vindicarent, ipsique studiosissimi Cives ultro deferrent, unus ipse abnuit, & contra quam fieri vulgo ab omnibus solet, ne Dux optari posset, obnixe contendit. Quapropter in agrum *Patavinum* constituit secedere, quo se tanquam in portum reciperet non inertiæ, ac desidiæ, sed quietis, & tranquillitatis post tot labores susceptos. A Republica vero gerenda averterat animum, quod à Divino quodam intellexisset, si quando evaderet in patriæ Principem, atque Ducem, tum demum extremum discrimen subituram Rempublicam. Sed propinquorum precibus, magistratuumque minis
13 interjectis, invitus, mœrens, lugensque Principatum suscepit: pauloque post, cum Respublica bello, & fame premeretur, indomito præstantis animi vigore, corpus annis infirmum, sed ingenium prudentia validum secum afferens, sæviente hieme classe collecta, Fossam *Clodiam* fatali suæ gloriæ destinatam petiit, seque ipsum pro patria periculis obtulit, ut vitam ab ipsa patria mutuatam, patriæ, si opus esset, libentissime redderet. Instabant *Pannonum* Regis copiæ, *Carrariensis* Princeps, *Aquilejensis* Patriarcha, *Ligures* in primis implacabiles *Veneti* nominis hostes, quibus invictissime restitit, ac non modo eorum impetum fortiter excepit, sed etiam fusos, fugatosque prælio profligavit. *Clodia* denique per acerrimam obsidionem recepta, pace undique gloriose firmata, septuagenario major in patriam reversus, speciosissimum de victis populis triumphum egit, sex millibus septingentis, & quadraginta duobus captivis illustrem, sed multo magis ipsa patria ab ingenti omnium rerum penuria liberata conspicuum: ut duplicem triumphi speciem & devicti hostes, & servati cives præbuerint. Additus etiam triumpho honos, ut statua pedestris cum elogio, quod illi contigit, præterea nemini, in Comitio poneretur. Cæterum virtute, atque gloria celeberrimo Principi generosæ frontis, & ingenui, vereque nobilis oris species, impigrum, atque peracre ingenium fuit, animus belli ingens, domi modicus, libidinis, atque avaritiæ prius, quam
14 hostium victor. Nemo sapientia, æquitate, ac virtute potior; qui ex bello pace parta, sicut immortalem gloriam, & splendorem bellica virtute,
A ita præcipuum amorem, & subjectorum observantiam caritate, & clementia conciliavit. Cave mortuum dicas, qui supra immortale nomen, & nunquam intermorituram familiæ gloriam, præclarum exemplum vetustissimæ, atque nobilissimæ genti reliquit, in qua vel *Federicum* inspicias Procuratorem literarum, & elegantis antiquitatis studiosissimum; vel *Nicolaum* Consiliarium, *Andream* Decemvirum, & fratres illustrissimos; vel *Franciscum* Equitem, multis legationibus, *Romana* præsertim iterum obita clarissimum, & excellentissimos fratres; vel *Thomam* Reipublicæ nomine ad Pontificem Maximum Oratorem; vel *Thomam* alte-
B rum *Joppes* Comitem, atque *Patavina* Præfectura speciosissime functum; vel *Marinum* Eloquentia, *Nicolaum* Philosophia, *Dominicum* humanioribus literis, eosdemque fratres virtutibus omnibus spectatissimos, vel denique quosvis alios tanti generis Senatores, & proceres; poteris facile tanta virtute Principem, atque divinum penitus heroëm, quasi ad vivum expressum intueri.

FRANCISCUS DONATUS. 15

FRancisci Donati, Venetorum divini Principis, summa virtute, atque rerum gestarum gloria
C inclyti, vivaces oculos, severam frontem, ac venerandam canitiem hisce lineamentis, & coloribus ad vivum expressit *Titianus* vere perfectus, & immortalis Pictor. Hoc nemo fere tantæ Reipublicæ Ducum pluris fuit eloquentia, consilio, virtute, civilique prudentia. Magistratus quamplurimos, ac Præfecturas gessit, justitiæ usque ad severitatem tenax: Legationes obiit non minus facundia, & industria, quam felicitate insignes: omnes honores, quibus egregii Senatores augeri possunt, facile obtinuit; cum esset inter optimum civem, atque gratissimam patriam illustre quoddam, & præclarum beneficentiæ certamen insti-
D tutum, quo nunquam ille vigiliis, laboribus, itineribus parceret, ut Reipublicæ, quocunque posset, usui foret, ac Respublica contra incredibili Patrum consensione, & omnium ordinum plausu nihil omitteret, quod ad tanti Viri amplitudinem, & dignitatem augendam spectare posset. Itaque in Senatorum numerum lectus, Decemvir, Magnus Sapiens, Consiliarius, Procurator denique creatus singulari dicendi copia, & gravitate, ingenio, atque sapientia effecit, ut quæcunque contenderet, optimo cuique facile probaret, atque difficillimis Reipublicæ temporibus quæcunque
E probasset, ad pristinam salutem, ac dignitatem 16
retinendam mirum in modum conducere viderentur. Verum honoribus amplissimis, atque laboribus maximis perfunctus, qui Principe loco semper dignus fuerat, in *Petri Landi* fortissimi, atque invictissimi Principis locum suffectus, tanto fuit Electorum studio ad Principatum elatus, ut cum tres præterea magni nominis, & virtutis Senatores candidati cernerentur, prima tamen suffragatione, ingenti omnium favore prensantes alios longe, multumque superaret. Quod quidem jure optimo ipsi contigit. Nam *Petri Landi* comi-
F tiis, cum bello atrocissimo Respublica premeretur, ipseque Dux constantissime renunciandus esset, dummodo petitionem diutius protrahere, atque diem ex die ducere vellet, veritus ne quid Respublica ob eam rem detrimenti caperet, innatam illam in excelsa animi magnitudine cupiditatem Principatus, simulque candidam togam abjecit, atque adeo omni contentione præclarissime, & gloriose abstinens, *Lando* Electorum suffragia concessit, qui, tantæ virtutis, ac meritorum studiosi, ultro Principatum sibi deferebant, immo vero ipse magno studio competitoris sui suffragatorem egit. Quo factum est, ut cives universi admi-

admirabundi, magis quod tantum honorem, & dignitatem parvifaciebat, quam quod meruerat, ejus virtutem amarent. Ita jampridem sibi debitum, & octennio ante delatum, sed Reipublicæ causa alteri concessum concordibus animis denuo
17 recipiens Principatum, singulari vitæ innocentia, atque integritate, justitiaque in primis exculta, annonæ ubertate, & rerum omnium summa tranquillitate, octuagenario major, celebrem, ac florentem reliquit. Filio quoque clarissimi nominis, atque virtutis relicto, cujus modo nepotes *Andreas* vir innocentissimus, & *Dominicus* Aloysii filius, maximæ spei juvenis, maximæque doctrinæ, & virtutis, familiæ dignitatem, & gloriam præclarissime sustinent.

18 *LEONARDVS LAVRETANVS.*

Nullius unquam diserti, prudentis, atque vere divini Principis invicta virtus, & egregium in Rempublicam universam studium, quam hujus *Leonardi Lauretani* clarius, atque testatius fuit; qui bello invictus, pacis artibus nulli secundus per omnes honorum gradus ad summam amplitudinem, & Principatus apicem evectus, magnus, & admirabilis in omni genere, multiplici virtutis laude fecit, ut quid primum, summumve in eo celebrare debeas, prorsus ignores. Incidit immortalis Heros in difficillimum illud Reipublicæ tempus, quo *Cameracensi* fœdere icto, cuncti fere *Europæ* Principes injusto, ac impio conatu in rem *Venetam* conspirarunt: idque tam auspicatò, ut brevi cunctæ Reipublicæ urbes in eorum ditionem concederent, nihilque fere in continenti reliquum esset, ubi in suo pedem *Venetus* poneret. At Princeps non solum ipse fortitudinem, & constantiam retinuit, sed aliorum etiam jacentes tantis cladibus animos non verbis modo, & eloquentia, sed ipsa re, atque invicta virtute mirum in modum erexit. Etenim excelsæ, atque generosæ mentis cum sæpe alias admirandum, ac memorabile specimen dedit, tum vero præcipuè, cum oblatos filios, & proprias opes pro Patriæ salute, & dignitate constanter, & gloriosissime devovit. Quo præclaro exemplo reliqui cives omnes exci-
19 tati, collatis opibus, & liberis *Patavium* missis, tanta alacritate inimicorum copiis restiterunt, & bellum gesserunt, ut amissæ urbes, & oppida fere cuncta partim vi, atque astu, aliæ voluntate in fidem reciperentur: *Patavio*que obsidione liberato, pristina tantæ Reipublicæ & imperii Majestas restituta eo clariorem gloriam, & existimationem obtinuit, quo gravius, & acerbius, variaque victoria crudele bellum & gesserat, & profligarat. *Lauretanus* vero post tot egregia facinora, immortali nomine, atque sui desiderio relicto, per omnes humanæ gloriæ gradus ad cœlestem pervenit: cum tanti nominis hæredem illustrissimam gentem reliquisset, ex qua præter *Leonardos*, *Laurentios*, *Constantios*; *Franciscus* etiam *Petri* Venetiarum Principis nepos; & *Marcus* Consiliarius clarissimi genere, factisque; & gloriæ majorum suorum æmulator gravissimus *Aloysius* Marini filius, ita se gerunt, ut nulla unquam oblivio obscuratura, nulla tantæ gloriæ allatura finem æternitas videatur.

20 *NICOLAVS MARCELLVS.*

Nicolaum quoque *Marcellum* justissimum, & innocentissimum *Venetorum* Principem, & ingentibus animi virtutibus nemini inferiorem, iniquum omnino fuerit inter egregios, atque præcellentes viros non recensere. Hoc adolescente nihil castius, aut diligentius, viro justius, aut eloquentius, sene denique prudentius, atque adeo

A sapientius admirari poterat universa civitas, atque etiam venerari. Cum semper, crescente ætate, ipsæ quoque virtutes mirum in modum augerentur, & quasi nova fulgentissima sidera in proba, vereque divina mentis acie gloriose micarent. Præ se ferebat ubique Senator eximius doctrinam sine ostentatione, & probitatem sine fuco, cum incredibilium virtutum admirabili fama præclarus, ubi peregregiam in multis magni momenti negotiis domi, forisque operam præstitit, ad Reipublicæ gubernacula, & dignitates maximas ita fuit elatus, ut ampliore semper, quam gereret, dignus omnium civium consensu, atque præclara suffra-
B gantium confessione haberetur. Viro tamen eximio, ad omnia summa feliciter nato, vereque digno, qui principem locum obtineret, multo plus ex virtutibus, quam ex magistratibus splendoris accedebat. Quo factum est, ut ex *D. Marci* Procuratore ad excelsum in tanta Republica Principatus culmen proveheretur, merito prius, atque virtute, quam dignitate Princeps: ubi vero 21
cuncta justitiæ temperamenta mirifice semper exercuit, *Scodra* jam obsidione liberata, atque florentissimo *Cypri* regno in Reipublicæ fidem, atque ditionem recepto, cum patriæ cumulatissime satisfecisset, naturæ quoque haud gravate tandem
C satisfecit, quippe adversa fortuna fere nunquam usus, & ad septuagesimum fere annum vita producta, magno quoque desiderio sui omnibus relicto. Hujus virtutes cum laudare facilius possint omnes quam æmulari, ego ne laudari quidem posse certo scio, cum acerrimi cujusque ingenii vires, & facundiam nimium quantum superent, & excedant. Hanc igitur præstantem imaginem, vereque dignam, & nobilissimam oris speciem contemplantes, virtutes venerentur universi, quibus supra laudes eminuit; cum tributa merito præconia, neque pro dignitate celebrare possimus, neque jejune, ac frigide pertractare ulla ratione de-
D beamus. Quod si quis ad vivum expressam tanti Principis effigiem intueri velit, quæ non solum oris imaginem, sed virtutes etiam, sapientiam, & eloquentiam mirum in modum referat, poterit facile in *Bernardo* nepote, *Laurentii* filio, maximæ spei juvene, sed majoris virtutis, & eloquentiæ contemplari: dum *Joannes* etiam, & *Bernardus* Jacobi filius, Senatores illustrissimi, connituntur, ut genus amplissimum à majoribus acceptum, majus, auctiusque relinquant posteritati.

NICOLAVS PONTES. 22

E Si paulo attentius intendere mentis aciem, ac omnes Annalium memorias repetere velimus, multos equidem, vel potius innumerabiles in Republica *Veneta* prudentes, ac eruditos viros reperiemus, quorum sapientia, fide, ac virtute ad tantam amplitudinem, atque Majestatem, stupentibus, atque incassum frementibus invidis, & malevolis, auspicato, atque gloriose admodum pervenit. Veruntamen quem *Nicolao Ponte* integerrimo, atque sanctissimo Principi anteferre possimus, neminem prorsus invenire, immo vero ne
F fingere quidem, & excogitare fas est. Siquidem vir summus, atque ad omnes disciplinas æquabiliter natus, ubi ingenium maxime capax, ac idoneum optimis quibusque literis expolivit, cum à philosophia, tum à jure civili, & historia instructus, cæteros omnes magno acumine præcellentis ingenii, & varietate doctrinæ superavit, maximoque auditorum concursu, & incredibili nominis celebritate publice philosophiam professus, ad amplissimas quasque dignitates, & excelsos honorum gradus viam sibi struxit, atque egregie paravit. Is cum ad Rempublicam se contulisset, qua magistratibus innocentissime gerendis, qua lega-

gationibus eloquentiſſime obeundis ſublimis animi
vim, atque civilem prudentiam præ ſe tulit: &
23 cum *Tridentum* ad ſacrorum Patrum Concilium ora-
tores duo mittendi eſſent, qui tanto congreſſui inter-
eſſent, & quæ de altiſſimis, & abditiſſimis *Chriſtianæ*
fidei myſteriis diſputarentur intelligere, exacteque
cognoſcere valerent, *Nicolaus Pontes* præcipuè de-
lectus fuit, qui tantam provinciam ſuſciperet, at-
que cum Reipublicæ dignitate tractaret. Qua in
legatione præclari ſtudii, egregiæ pietatis, atque
multiplicis doctrinæ laudem ab univerſis cujusvis
generis, atque nationis gentibus jure, ac merito
conſecutus eſt, cum adhuc multa vel proviſa pru-
denter, vel conſtanter acta, vel acute reſponſa ad
ingentem poſteritatis admirationem, & perpetuam,
ac immortalem tanti viri gloriam ab omnibus re-
ferantur; cumque vir eloquentiſſimorum doctiſ-
ſimus, atque doctiſſimorum eloquentiſſimus, ſic
in omni actione comitatem gravitate, terrore ju-
cunditatem, ac ſalibus auſteritatem condiret, ut
nulla tam aſpera, tamque difficilis, & moroſa na-
tura reperiri poſſet, quam ille non tractaret facil-
lime, atque arbitratu ſuo quo vellet cumque tra-
heret; hinc factum eſt, ut ad Pontificem Maximum
orator miſſus, qui ex pace à *Veneta* Republica
cum immaniſſimo hoſte facta non levem animi
offenſionem ceperat, eum ſane cauſæ æquitate,
ſed etiam ſingulari virtute, ac eloquentia permo-
verit, atque nimis obſirmatum animum flexerit,
ut quos paulo ante publice ob pacem factam re-
prehenderat, eoſdem publice laudare, mutata
24 ſententia cogeretur. Ingentibus denique meritis
ad Principatum elatus, poſtquam ſumma integri-
tate, prudentia, juſtitia Rempublicam admini-
ſtravit, juſta, atque perenni gloria plenus, ac
humanas laudes ſupergreſſus, ad cœlum migra-
vit, ſummæ virtutis, atque ſapientiæ veſtigia re-
linquens, non preſſa illa quidem leviter, & ad exi-
gui prædicationem temporis, ſed ad memoriam
omnium ſempiternam conſtantiſſime fixa: in qui-
bus inſiſtentes *Antonius*, *Aloyſius*, & *Nicolaus* pro-
nepotes, atque præcellentis doctrinæ, & inno-
centiæ hæredes, tantæ familiæ dignitatem, atque
exiſtimationem glorioſe tuentur.

25
PASCALIS CICONEA.

SAlve non minus belli, quam pacis artibus in-
clyte: ſalve ſingulari pietate, ac innocentia
præclariſſime Princeps, qui excelſo ingenio, ſub-
limi virtute, atque moribus candidiſſimus ita pri-
vatus miles in Caſtris vixiſti, ut multus ubique,
& valde conſpicuus non magis bellicæ fortitudi-
nis, quam pernobilis continentiæ divinum quod-
dam exemplar jure, ac merito habereris: mox
vero juſtitia in ſubditos, & obſervantia in Rem-
publicam omnem juventutem ſuperare, tempe-
rantia, ac induſtria ſenes omnes anteire, quoſli-
bet aditu, congreſſione, ſermone dignos facere,
literatos homines præcipue fovere, donec in ad-
miniſtratione Reipublicæ florentiſſimus brevi tem-
poris ſpatio in Senatorem evaderes numeris omni-
bus abſolutum, ſive eloquentia ſpectetur, atque
innocentia, ſive fortitudo, ac integritas, omneſ-
que bellicæ virtutes. Admiratus fuit ſæpenume-
ro Senatus orationes illuſtres non tam ex ore iſto
fluentes, quam ex intimo pectore promanantes:
admiratum fuit *Cretæ* Regnum, dum ibi turbu-
lentiſſimo Reipublicæ tempore præſideres, ingen-
tem prudentiam, æquitatem, virtutem, inno-
centiam, ſanctitatem, atque tibi jure merito ſta-
tuam poſuit: admirata denique fuit univerſa Reſ-
publica cum tanta oris, atque vultus Majeſtate
comitatem eximiam, & erga pauperes homines
26 pietatem illuſtrem, & præclariſſimum ſtudium.
Quo factum eſt, ut cum ſummorum virorum, &

A clariſſimorum civium neminem tibi præponendum
videret, Procuratorem primo *D. Marci*, deinde
vero Principem ſummo ſtudio crearet. Ut qui
privatam vitam tranquilliſſime, & innocentiſſime
ſemper vixeras, iiſdem artibus Republica feliciſ-
ſime adminiſtrata, in cœlum evolares, ſolidæ,
atque vere *Chriſtianæ* virtutis exempla poſteris
omnibus imitanda relinquens, atque non ſine in-
genti admiratione, ſummoque tui deſiderio con-
templanda.

PETRUS LANDUS. 27

B ENituit in *Petro Lando*, Venetorum Principe,
ſupra corporis, ac graviſſimi oris dignitatem,
ſingularis eloquentia, ac bellica vis indefeſſa. Is
excelſo, præſtantique animo, cautus, ac prudens
cum magna ſemper, atque præclara ſpectaret, ſic
animum ad conſilia, & corpus ad robur inſtituit,
ut acri prudentia egregiæ fortitudini, atque au-
daciæ adjuncta, celeberrimus omnium, & invi-
ctiſſimus haberetur. Quam vero de ſe opinionem
ingenti virtute pepererat, ſemel, atque iterum
Claſſis Imperator rebus feliciter geſtis ſuperavit,
cum omni fere *Apuliæ* ora, oppidis, & civitati-
bus multis in Reipublicæ ditionem receptis, mul-
C ta in *Neapolis* obſidione, ut erat impigro, atque
acri ingenio, perficeret, quibus ingentem ſibi exi-
ſtimationem compararet, atque inter milites, &
Imperatores omnes unus eminere præcipue vide-
retur. Vir enim, qualem *Cato* militem optabat,
non manu ſolum, & prudentia, ſed vocis etiam
ſono, & oris aſpectu æque terribilis hoſti, ac ſuis
venerandus, magnum in omni re judicium, ma-
gnum æquitatis, rectique ſtudium, dignam am-
pliſſima dignitate gravitatem præ ſe tulit. Ea ta-
men ratione, ut imperii vim comitate, atque le-
nitate temperaret, & hoſtes fortitudine, ſocios,
atque milites conſilio, & humanitate facile antei-
D ret. Ad hæc vero in Præturis adminiſtrandis, &
Legationibus maximis obeundis ſummam vim ani- 28
mi, atque ingenii ſemper adhibuit, maxima juxta,
atque minima feliciſſime pertractavit, nullumque
ampliori vel diligentiæ, vel labori locum reliquit,
cum ſingulari eloquentia, juſtitia, atque pietate
omnium animos alliceret, atque mirifice concilia-
ret. Fuit ad Principatum evectus, in quo, urbe
ab annonæ caritate liberata, atque pace parta,
cum per omnem vitam integerrime, ſanctiſſimeque
vixiſſet, ſic interiit, ut in *Antonio* pronepote, at-
que illuſtriſſimis fratribus, tantum heroëm æque
ſpectabili facie, atque immortali virtute referen-
E tibus, quadantenus adhuc vivens, atque ſibi ipſe
ſuperſtes non immerito videri poſſit.

PETRUS, & JOANNES, Fratres MOCENICI. 29

HAc una vel hoc ipſo nomine feliciſſima tabu-
la *Petrus*, & *Joannes Mocenici*, germani fra-
tres, *Venetorum* inclyti Principes referuntur: qui
decora facie, ſed multo magis ingenio validi, &
viribus pollentes, domi, foriſque longe clariſſimi,
æquitate, probitate, juſtitia ſingulari, honeſtæ
F gloriæ perquam avidi, pecuniæ liberales, ubi ſtre-
nuos virtute, eloquentes facundia, innocentes in-
tegritate ſuperare, neque conſilio, neque manu
priorem pati didicere, ad ſupremum illud Princi-
patus faſtigium provecti ſunt, quo nemo perveni-
re poteſt, niſi inter eximios Senatores ad gloriam
anhelantes vel pacis artibus omnium confeſſione
præcellat, vel inter egregios Imperatores conce-
dat omnino nemini. Hic ille *Petrus* fuit, qui dif-
ficillimo Reipublicæ tempore domi, militiæque
illuſtris, maris Imperio præfectus non ingenii ma-
gis, quam virium opibus gloriam quæſivit, cum
ora-

oratoris eloquentissimi, & invicti Imperatoris personam lingua pariter, atque manu promptus, pari Marte, atque fortuna mirabiliter sustineret. *Asiam* à faucibus *Hellesponti* ad *Syriam* usque ingenti edita strage, incendiis, & rapinis, stratis hostibus passim, incredibili virtute, atque celeritate vastavit: *Ciliciæ* Reges, *Venetæ* Reipublicæ socios, ab
30 immani hoste regno exutos in solium gloriose restituit: opulentissimum *Cypri* regnum à crudeli perditorum hominum conjuratione vindicavit, *Catharinæ*que Reginæ, atque Reipublicæ servavit: *Scodram* ab obsidione liberavit: Piratas infestissimos sic toto mari ejecit, ut vel unum frustra quæsivisses. Quo factum est, ut vix tot eum verbis laudare possis, quot illum oppida, vel manu capta, vel igne vastata, quot hostium Triremes vel captæ, vel depressæ extollunt: ita quidquid gloriæ animo, lingua, manu acquiri potest, sua virtute mirifice sibi peperit. *Joannes* autem cum pacis, togæque artibus feliciter majorum, atque fratris gloriam adæquasset, ne dignitate quidem, *Vendrameno* Principi suffectus, inferior fuit. Sic admirabili concentu virtutes in se omnes temperavit, ut civium animos mirabiliter caperet, atque in se converteret; tantisque eminuit virtutibus, ut, summum virum quo potius nomine commendare debeas, non facile statuas. Etenim audacia in bello, atque virtute, ubi pax evenit, æquitate Rempublicam temperans, æquabili apud omnes, & inviolata fama, *Rodigii* peninsula *Veneto* imperio adjecta, atque post grave, & atrox bellum pace honestissime parta, decessit, incomparabile, atque vere summum amplissimæ laudis decus adeptus. Salvete, Ingentes animæ, præclarissima tantæ Reipublicæ ornamenta, atque pernobilis familiæ splendidissima lumina, qui avitum decus, atque honestissimæ gentis dignitatem sustinuistis,
31 & omnibus numeris absolutam ad posteros transmisistis: læti modo, atque exultantes inspicite tanta vestri generis sydera *Joannes*, *Antonios*, *Lazaros*, sed *Leonardum* præcipue Decemvirum, cujus virtutes admirari possunt universi, referre nemo; & *Joannem* D. Marci Procuratorem, cujus vita omnis plena honorum sæpe gestorum, sæpius meritorum, verendum pene ipsum magis, quam honorem facit, & majus aliquid mereri præclarissime videtur.


32 *SEBASTIANVS VENERIVS.*

HAc minaci, vereque militari fronte, ferocibus oculis, & roseo vultu insignis, purpureo paludamento, atque thorace fulgenti conspicuus, non minus invicti Ducis, quam strenui militis mu-
A nera exactissime obivit *Sebastianus Venerius* in navali prælio adversus *Turcas*, cum *Romani* Pontificis, magnique *Hispaniarum* Regis sociatis armis, sed una præsertim *Venetæ* classis virtute eximia ad *Echinades* Insulas parta victoria mortalium omnium oculos, atque admirationem in se convertit. Hujus primum illustrem facundiam Forum, & Curia admirabantur, cum vel inter celeberrimos patronos, & Senatores eloquentissimos emineret, severam deinde virtutem, atque invictum animi robur non egregiæ modo *Venetæ* Triremes, sed *Christianorum* Principum tota Classis suspexit, cum difficillimo Reipublicæ tempore in maximo cla-
B rissimorum hominum proventu excelsum gradum obtinuit, unusque præ cæteris dignus fuit, in cujus fide, ac prudentia non poneretur modo victoriæ spes, sed etiam publici decoris, atque salutis. Ita dum quantus fuerit orator, ipsa rostra, quantus imperator, universa maria convulsis rostris gravata clamant, æquata feliciter utroque nomine majorum gloria, *Venerium* nomen immortalitati omni- 33
um fortissimus, & invictissimus consecravit. Sed in patriam reversus inter cæteras nauticas exuvias, & hostium victorum spolia, vulnus etiam retulit, perpetuum virtutis monumentum, quo honestissime claudicaret, neque gradum facere posset, nisi
C identidem suæ gloriæ reminisceretur, atque testaretur abunde virtutem, bellicam laudem vel plane invitus ostentans; tanto autem civium plausu, & omnium ordinum frequentia fuit exceptus, ut non Senator eximius, sed divinum potius aliquod Numen ad libertatem, & existimationem *Veneti*, atque adeo *Christiani* nominis tuendam è cœlo missum videretur. Mox grata patria optime de se meritum civem ad Principatum evexit, cum ex innumero amplissimorum civium numero concederet unusquisque virtuti, cui vel ipsa invidia concesserat, nemoque spectaretur candidatus, qui prensare, nomenque suum profiteri coram auderet. Ita-
D que cunctis Patrum suffragiis Dux renunciatus est, ut, cum joci causa à suffragatoribus interrogaretur, an vellet privatus prandere, vel Princeps, sapienter responderet, privatos minori cura prandere solitos. Principatum vero ubi per menses IX. justissime, & sanctissime tenuit, civitate gravi pestilentia liberata, Templo, quod Senatus piè voverat, Redemptori *Christo* consecrato, lucis usuram amisit, aut potius ad sempiternam memoriam propagavit. Ut scilicet, quemadmodum à gratissi- 34
ma Republica servatæ patriæ lauream, Principatumque habuerat, ita protectæ religionis, ac fidei sincerum ab ipso Deo præmium, atque sem-
E piternam gloriam reportaret.

DECADIS PRIMÆ FINIS.

PRÆFATIO 35

IN
SECUNDAM ELOGIORUM DECADEM
AD
NICOLAUM CONTARENUM,
Venetum Senatorem.



AVspicato mehercle, atque singulari tuo merito, Nicolae Senator amplissime, *hanc Elogiorum Decadem, immortalis tui nominis æternitati consecratam, literis, atque monumentis consignare decrevimus. Siquidem eorum virorum imagines continet, qui præclaris operibus in lucem editis, insigne specimen*

cimen sapientiæ nobis reliquerunt, atque illustre, & percelebre nomen solida virtute sibi compararunt. Ecquis vero occurrere poterat, cui felicius, atque etiam aptius commendaretur, quam tibi? Qui, ut de reliquis tuis dignitatibus sileam, primo Triumvir Advocator, mox ad regendum Forum Julium *cum Imperio Legatus, tum iterum, & sæpius Decemvir, deinde maximus Sapiens, Consiliarius denique creatus, eam præ te*
36 *tulisti integritatem, justitiam, pietatem, præcipuè vero publicæ dignitatis, atque libertatis tuendæ studium, ut omnes honores, ac dignitates, infra tantam ingentium meritorum magnitudinem videantur: qui literis, atque virtutibus omnibus usque ad admirationem excultus juvenis adhuc sempiterna divini ingenii, & plurimarum vigiliarum monumenta ad præclarissimi nominis immortalitatem vulgasti, quæ cum cæteris omnibus cumulatissime satisfaciant, incredibili tuæ sapientiæ non satisfaciunt, majora in firmiore ætate, immo vero omnium maxima vulgaturus. Qui denique ita soles doctrinam, & reliqua divina ornamenta singulari beneficentia cumulare, ut Literatorum hominum eximius, si quisquam alius, literatus Mæcenas, Literatorum etiam elogia jure quodam tuo vindicare tibi videaris. Accipies igitur hilari fronte sempiternum hoc testimonium observantiæ, qua te semper colui, atque adeo veneratus sum, quod multis nominibus tuæ gloriæ debitum, vel eo maxime negari minime oportuit, quod tuam egregiam amplitudinem, atque gloriam, si non omnibus numeris, atque absolute, aliqua saltem ex parte referre poterit; si, quæ celebratis viris singula tributa sunt, in te unum conferantur universa, atque plenissime congerantur. Vale.*

---

37 # DECAS SECUNDA.

ANTONIUS QUIRINUS.

O Miseram rerum humanarum conditionem! Tune, *Quirine*, exstinctus decumbis, sensuque omni cares, qui tam egregiis, & acribus sensibus fuisti, perpetuoque pro salute Reipublicæ vigilasti? Tune jaces, qui jacentes animos erigere solebas? Tune siles, qui nunquam de rebus iis, quæ Reipublicæ usui forent, tacuisti? Quis enim posset illustre hoc, & supra mortale decus admirabile simulacrum intueri, qui tanti Senatoris interitum non deploret? His illum micantibus oculis, formæ dignitate, atque excelsa statura venerati fuimus, ab excellenti memoria, expeditaque facundia cum singulari doctrina, & rerum usu admirandum, postquam majorum virtutes æmulatus, vindicem sese præbuit, atque assertorem præcipuum perpetuæ *Venetorum* libertatis, itaque suam efficacis prudentiæ, exactique judicii operam universis ordinibus probavit, ut sempiternam nomini suo famam pepererit, omniumque oculos, & admirationem in se converterit, cum passim audiret illud vulgo jactari, doctiorem, meliorem, prudentiorem esse neminem. Hic per omnes honorum gradus ad maximas, & amplissimas quasque dignitates elatus, non modo Senatorii ordinis adeptus est ornamenta, sed etiam Comitiis, ac Senatui non semel præfectus est, vel Sapientis maximi, vel Consiliarii titulo honestissimo decoratus.
38 Diu tamen sapientior, quam fortunatior visus est, cum ambitione posthabita, omninoque abdicata, Sapientis, quem vocant, ordinum dignitate perfunctus, integrum decennium nihil sibi amplius petendum statuerit, sed intra domesticos parietes provincias omnes, maria, insulas, montes, flumina in tabella descripta summa cum diligentia oculis subjecerit, attentoque animo, & cogitatione ita perlustraverit, ac si universa pedibus coram obiisset: omnes cum superioris ævi, tum nostrorum temporum historicos, atque sinceros rerum pronunciatores, omnes antiquos Poëtas legendo contriverit. Quo factum est, ut omnia illorum egregia placita semper in ore, sed magis in animo haberet: quæ vero aut superioribus temporibus, aut nostra ætate accidissent, quid Principes singuli in domesticis, bellicisque rebus, vel ad publicam dignitatem retinendam, vel ad imperii fines
A propagandos unquam molirentur, accurate pervestigaret, exacteque cognosceret. Hac supellectile sibi comparata, cum iterum ad Rempublicam accessisset, eam præ se tulit ingenii, atque prudentiæ vim, ut nihil fieret alicujus momenti, atque ponderis, cujus ipse non existeret monitor, atque auctor, nihil autem moneret, atque suaderet, quin optimum, & æquissimum censeretur, optimeque caderet. Ad hæc vero eximiam, atque singularem earum rerum cognitionem habuit, quæ vel ad ipsam naturam cognoscendam, vel ad mores, & Respublicas moderandas, vel ad sanctissima Christianæ religionis mysteria investiganda 39
B spectant. Summum autem non tantum in literas, sed in Rempublicam quoque singulare studium, incredibilemque eruditionem, & mirabilem eloquentiam æternis literarum monumentis testatam apud omnes reliquit. Sed qui, cum turbulentissima tempestas illa superioribus annis immineret *Italiæ*, immo vero universo terrarum orbi, una cum cæteris Reipublicæ columinibus prudentissime gubernacula tractavit, & vigilanter admodum clavum tenuit, cum commutata jam tempestate, sedatisque procellis omnibus, atque turbinibus, ad se revocare Deo maximo visum est, ut scilicet, quæ magna tantæ virtuti deberentur, præ-
C mia in ipsa beatorum arce quam citissime reportaret. Obiit LIV. annum agens, & cum universa Respublica tanto funeri lacrymis, atque dolore justa persolveret, nos etiam singulari patrono benemerenti oratione funebri parentavimus, idem erga tantam familiam, affinesque, & nepotes studium, eandem observantiam constantissime retinentes.

AUGUSTINUS VALERIUS. 40

QUid poterat *Augustino Valerio* singulari doctrinarum copia, & incorruptæ probitatis di-
D sciplina mirifice exculto, aut honestius contingere, aut etiam fortunatius, quam ex omnibus patritii sanguinis viris illustribus, & à *Veneto* Senatu pro Reipublicæ jure *Romano* Pontifici commendari, & unum ab ipso probari, qui *Veronæ* amplissimæ civitati Episcopi titulo præesset? Siquidem hac electione à publico Gymnasio, ubi Philosophiam profitebatur, ad excelsum Episcopatus fastigium repente evocatus, totum ad religionem, atque sacras literas excolendas se contulit: qua expedita, atque compendiaria via non ad gloriam ma-

magis, quam ad cælum ipsum vadenti, cum sine fastu majestatem, sine abjectione comitatem, & sine fuco veram, solidamque pietatem præ se ferret, atque adeo multis eruditis lucubrationibus editis non modo doctrinam, & eloquentiam, sed etiam *Christianam* religionem, atque morum probitatem ostenderet, fuit illi à Pontifice Maximo purpurei galeri dignitas oblata, cum plus ille tanta virtute eximiæ dignitati decoris adjecturus, quam à sacra purpura existimationis, atque splendoris laturus videretur. Cæterum his præsidiis ornatus, & ornamentis instructus, cum & ad lustrandas provincias Apostolici Legati munere egregiè perfunctus, & splendore, atque gloria, sed multo magis non dubia sanctitatis opinione vene-
41 rabilis, in ea tempora incidisset, quibus inter Pontificem Maximum, & *Venetam* Rempublicam à perditis, & consceleratis hominibus excitatæ offensiones in dies exoriri, atque increbrescere videbantur, nullum ipse prætermisit officium, quo Principes maximos, optimeque de se merentes aliqua saltem ex parte inter se conciliaret. Verum, cum animadverteret, plus invidorum obtrectationes, atque malevolentiam auctoritatis habere, quam vel egregiæ pietatis persuasiones, vel ipsas etiam æquissimæ causæ conditiones; senio magis, atque dolore, quam morbi vi oppressus, divinam illam animam, omnibus temperantiæ, & religionis virtutibus cumulatam, cælo piè reddidit: ut scilicet, quod impetrare ab hominibus incassum diù, multumque tentasset, ab ipso bonorum omnium, pacis præcipuè largitore, Deo, præsentibus precibus obtineret: quod quidem ei contigit: nam, sedatis paulo post contentionibus, quos ipse diffidentes moriens reliquerat, eos mutua benevolentia conjunctos ex ipsa Divorum arce immortalis prospexit.

42 BERNARDUS JUSTINIANUS.

SUspicite universi, atque sanctissimè venerамini hoc ipsum non magis *Bernardi Justiniani* Senatoris amplissimi, quam Eloquentiæ ipsius, atque virtutis illustre simulacrum, quod maximè pio, gratoque animo, & incomparabili merito inter *Veneti* nominis egregia lumina spectandum proponitur. Hac ille promissa cæsarie, & generosæ frontis decore venerandus, seculorum omnium memoria dignissimus heros summum æternæ gloriæ decus comparavit, cum cæteros omnes splendore, atque dignitate æquales, non modo corporis proceritate, & oris gravissimi Majestate vinceret, sed etiam commendatione virtutis, atque doctrinæ longè, multumque superaret. Etenim hic ille fuit, qui *Græcis*, *Latinis*que literis usque ad miraculum instructus, Magistratibus, & Legationibus ferè cunctis domi forisque præclarissime perfunctus, cum & Rempublicam & Musas impense coleret, utriusque rei gratia eximiis honoribus excultus, elegantissima denique Historia conscripta, *Latini* sermonis puritate, gravi cum primis, atque facundo stylo, rerum denique scriptarum fide planè admirabili, ita cætera erga *Venetam*, atque adeo literatam Rempublicam egregia merita cumulavit, ut inde non sibi modo, atque posteris, sed ipsi quoque patriæ, immo vero *Italiæ*, & *Europæ* æternam gloriam compararet. Cæ-
43 terum Senatorem amplissimum, cujus illustris fama nullis seculis consenescet, stupenda virtute, atque divina prudentia supra mortales omnes eminentem usque adeo Senatus suspexit, ut cum *Divi Marci* Procurator creatus esset, atque se domi ob affectam ætatem contineret, nihil tamen magni ponderis, atque momenti decerneretur, nisi ad eum honoris, atque adeo publicæ utilitatis ergo Senatores mitterentur, qui sententiam perqui-

A rerent, & ad Senatum referrent. Sic undique felicissimus senex lucis usuram amisit, ipsumque revisit cœlum quasi postliminii jure, unde in hanc urbem venerat; post mortem etiam planè beatus, cum tantis laudibus fuerit promeritus, ut *Pauli Jovii*, luculentissimi scriptoris, divino præconio celebraretur, dicata in pernobili musæo inter sapientes viros effigie, atque elogio perscripto: cumque præter cæteros tanti generis amplissimos Senatores in *Georgio* Equite Legationibus maximis honestissime perfuncto, & *Laurentio* Senatore illustrissimo renasci quodammodo gloriose, & reviviscere videatur.

B FEDERICUS VALARESSUS. 44

QUis autem jucundæ, atque sempiternæ *Federici Valaressi* memoriæ inter gloriosa nomina locum non daret? Quis hominem ad omne literarum genus bene, feliciterque natum, sine maxima ingrati animi nota præterire posset? Is *Græcæ*, *Latinæ*que Linguæ copiam, & exquisitam Philosophiæ cognitionem adeptus, cum ingenium peracre, & solidam eruditionem cum eximia ubertate dicendi conjunxisset, literarum, & Sapientiæ studiis supra, quam dici possit, inclaruit, pluri-
C mumque non minus inter literatos viros, quam inter Senatores prudentissimos auctoritatis obtinuit: justitiam vero, ac pietatem firmissima perpetuæ commendationis, & famæ fundamenta in muneribus omnibus, atque magistratibus mirifice & sanctissime coluit. Cæterum in Senatum lectus, honoribusque amplissimis egregiè perfunctus, cum in suscepta studiorum cura, perpetuoque literarum amore usque ad ultimos dies constantissime permansisset, *Græcos*, atque *Latinos* Scriptores quamplurimos diù, multisque lucubrationibus accurate in-
D terpretatus, quibusdam etiam commentationibus editis, amplissimam familiæ dignitatem, atque percelebre nomen, quod à majoribus veluti per manus acceperat, divinis laudibus, & immortali gloria cumulatum posteritati reliquit. Ut etiam in *M. Antonio* ejusdem familiæ justissimo Senatore, 45
omnibusque pietatis, & prudentiæ numeris absoluto, *Aloysio*que, & *Paulo Antonio* Zachariæ filiis exspectationis maximæ, & virtutis incredibilis juvenibus tanti Senatoris effigiem revereri, & virtutes non minus admirari, quam religiose colere possimus.

FRANCISCUS BAROTIUS. 46

E EN tibi claram, atque pernobilem *Francisci Barotii* effigiem, quam nemo posset nisi literarum acerrimus hostis sine piaculo præterire. Etenim hic ille fuit, qui cum ingenium sublime, infinitam memoriam, atque judicium peracre ad perdiscendum afferret, tantos fecit in quacumque doctrina progressus, ut omnem Literatorum illustrium antiquitatem non provocare modo posset, sed longo etiam intervallo superare: siquidem majores nemo *Latinæ Græcæ*que Linguæ facultates accumulavit; nemo Philosophorum placita, Jurisve Consultorum responsa, aut melius intellexit,
F aut subtilius pertractavit; nemo denique Mathematicas scientias familiarius habuit, & examinavit; quarum usu, atque peritia illustris, antiquorum omnium splendorem, & gloriam certissimis, atque plane mirabilibus inventis obscuravit. Multa quidem eximia tantæ eruditionis monumenta in vulgus edidit, multa edenda reliquit, dum nos eum adolescentes admirati fuimus, cum in suis deliciis, atque amoribus, hoc est in literis omnibus libero homine dignis, ultimos affectæ jam ætatis dies gloriose consumeret. Non minimam quoque dignitatis, & splendoris accessionem sibi fecit, ubi à reconditis Naturæ arcanis perscrutandis ad intima

ma Theologiæ sacraria repente penetravit, atque
47 sacras literas, & antiquos Patres omnes, *Christianæ* Religionis auctores præcipuos, non modo legendo contrivit, sed etiam manuscriptorum collatione, & præclaris inventis mirifice illustravit. Obiit plane senex cum admirandam bibliothecam, portentosa specula, aliaque innumera Mathematicæ disciplinæ instrumenta, & inaudita opera *Jacobo Barotio* nepoti legasset; viro clarissimo Oratorum omnium, atque literatorum Coryphæo, quem vel ipsi *Demostheni* anteferre possis, exæquare certe, & parem facere vel invitus omnino cogare.

48 FRANCISCVS DIEDVS.

Refferatur etiam jure suo in hoc album spectata *Francisci Diedi*, atque singularis imago, cujus fama in excelso, & illustri loco posita venerationem potius, quam commendationem aliquam requirit: cum is maximo virtutum, atque doctrinarum omnium splendore sit verius Elogio nostro lumen allaturus, quam inde laturus. Quid enim opus eum celebrare, quem Philosophiæ, & Jurisprudentiæ laurea insignitum excelsa quidem, ac generosa imago, sed multo magis eruditissimæ lucubrationes, & facundissimæ orationes in lucem editæ satis superque commendant, atque æternæ consecrant immortalitati? Unum hoc silentio præterire non possum, percelebrem, atque divinum heroëm publice Philosophia profitenda, privatim integritate, prudentia, religione, quibus animum instruxerat, veram illam gloriam veluti pretio sibi comparasse, quæ ex vera, solidaque virtute, atque doctrina tantummodo proficiscitur. Quid plura? Si vultus, ac oris lineamenta quæris, en tibi simulacrum. Si habitum animi nosce cupis, poteris facile ex iis, quæ posteritati, literisque commendavit inspicere, atque admirari. Dum *Hieronymo* amplissimo ex hac familia Senatori, scientias universas vel vulgo ignotas egregiè callenti, & virtutibus omnibus plane admirabili, cæterisque tantæ gentis proceribus supremos honorum gradus æquissima, Respublica tribuit.

49 JOANNES BAPTISTA BERNARDVS.

Hoc ipso pernobili oris ductu, & veneranda canitie, rubentique admodum vultu conspicua *Joannis Baptistæ Bernardi* imago non sine maxima veneratione contemplanda exhibetur. Siquidem hic utriusque Academiæ sacris initiatus, omnibusque rebus præcellentissimus, cum quoscunque motus animi teneret in potestate, aliorumque animos admirabili facundia quo vellet cumque traheret, ex Triumviro Advocatore, ad supremas Reipublicæ dignitates facile pervenit, ut Sapiens maximus creatus, *Patavium* denique Prætor mitteretur. Ubi præclarum singularis prudentiæ specimen dedit, cum temperatam justitia æquitatem præ se ferens, effrenatas juvenum cupiditates modo leniter castigaret, modo, veluti ad tempus deposita clementia, severissime coërceret. Quibus artibus adeo cœperant amare simul, ac timere universi, ut in ejus nomine integritatem ipsam, atque justitiam habitare prædicarent. Voluit scilicet Senator egregius, & dignitatis splendori par gravitate vitæ potius cavere, quam vindicare facinora, & ipso severitatis aspectu vitia fugare. Publici Gymnasii Frontem ornavit egregiè, illique suo tam celebri nomine inscripto gloriam potius tribuit, quam sibi quæsivit. Etenim satis superque sibi gloriosum, & immortale nomen comparaverat, Rhetoricæ thesauro, atque Philosophiæ
50 seminario in lucem edito. Quibus immensi operis, atque infiniti laboris operibus quæcunque

A *Plato*, *Aristoteles*, & utriusque sectæ Philosophi scripserint, atque adeo Rhetores, & Oratores egregii literis mandaverint, suis quæque locis continentur, concinne tributa. Decessit *Patavii* Prætor, ut unde gloriose actæ vitæ ceperat initium, dum liberalibus studiis adolescens operam navaret, ibi magno sui desiderio relicto, gloriose naturæ concederet. Utque viro amplissimo, & de Philosophia, atque literis omnibus optime merito, ipsæ literæ, ipsaque Gymnasia parentarent, quas inter cæteras opes patrimonii titulo, non illustri modo filio *Joanne Aloysio* in Senatum lecto, sed etiam Nepoti *Bernardo*, cui libros inscripserat,
B legavit.

JOANNES BASADONNA. 51

Joannes etiam *Basadonna* inter amplissimos *Venetæ* Reipublicæ Senatores præclarus, inter probos, atque innocentes homines eximius, inter illustres, atque etiam rerum sacrarum Scriptores gloriosus, pluribus nominibus non modo petere, sed etiam exigere jure quodam suo videtur, ut tantam oris excelsi, atque habitus dignitatem, atque adeo tam celebre nomen inter scriptores egregios referatur: quamquam hac in re nullius eget opera,
C ra, cum se ipse eximiis operibus editis in eorum numerum vel nullo referente alio retulerit. Is in Republica singulari eruditæ facundiæ laude, atque justis, integris, & religiosis moribus plane admirabilis supremos honorum gradus facile assecutus, eas quoque facultates sibi comparavit, quæ nec ullis Fortunæ casibus amitti, nec ulla temporum injuria aboleri unquam poterunt: cum scilicet Doctoris titulo insignitus, eruditi scriptoris, atque facundi oratoris quæsitum, & abunde partum splendorem civis optimi, optimeque de patria meriti gloria egregiè cumularet, atque Legationibus, & magistratibus plurimis egregiè per-
D functus, equestri etiam dignitate jure merito donaretur. Pluribus ad sapientiam divinam spectantibus libris vulgatis ostendit, nunquam se patriæ studium ab ipsis literarum studiis separasse, sed Reipublicæ gerendæ simul, & liberalibus disciplinis deditum fuisse, atque ita summam utroque 52
nomine existimationem ab omnibus retulit; quam etiam *Romæ*, dum ad summum Pontificem Legatus de rebus gravissimis ageret, eodemque tempore ingens, atque operosum volumen commentaretur, illustri morte, atque percelebri consignavit. Tantum vero sapientiæ, atque virtutis lumen, sicuti nomine, atque vultus, & staturæ
E dignitate unus eximiè refert *Joannes Basadonna* nepos, ita quibus ille artibus supra, quam dici possit, inclaruit, doctrina, atque eloquentia, iisdem ipsis longe, multumque antecellit, dum singulari judicio, memoria, ac prudentia præcellens, atque virtutibus omnibus inter omnes conspicuus, ad maximos quosque honorum gradus felicissimo cursu provehitur.

PETRVS BEMBVS. 53

F Salve, divine Musarum Antistes, totiusque politioris humanitatis suspiciende pater. Salve præcipuum *Venetæ* gentis lumen, sacrique *Romani* Senatus eximium decus, immo vero non utriusque Reipublicæ magis, quam universi terrarum orbis radiantissimum sydus. Tu enim cum infinita lectione, vastaque memoria sic divinæ mentis acumen, illustremque facundiam conjunxisti, ut eximio non modo ad numeris adstrictam, sed etiam ad solutam orationem ingenio à natura donatus, æquales facile omnes utraque laude superares, atque adeo ad excelsum summæ gloriæ fastigium præclaro literatorum omnium consensu proveherere.

Tu

Tu primus *Italicam* linguam non scriptis modo elegantissimis carminibus, atque dialogis locupletasti, sed methodo etiam, atque præceptis illustratam, ad posteros transmisisti: ut vel ipsa *Etruria* non aliunde ejus linguæ, quam propriam jactaret, leges, & rudimenta, quam à *Veneto* patritio acceperit. Ad ingentem vero tui nominis admirationem cunctos homines traduxisti, celeberrimis illis *de Amore* vulgatis *Libris*, quos vel ipsum amaret odium, laudaret invidia. Sed Ecquis posset prudentem, atque facundam Historiam ad divinæ Reipublicæ immortalitatem literis consignatam, ipso præsertim *Latini* sermonis candore admirabilem, aut tenerrimos lusus, carminaque
54 variis modis, atque numeris condita pro dignitate celebrare? Stupeant, itaque *Italici* nominis hostes, atque in misera scriptorum innumerabilium vastatione, sacrosancta ingenii tui monumenta nimium acri judicio, atque profanis manibus ne temere violent. Sed eo magis, *Bembe*, admirentur præclarissimum lumen, divinamque tuæ gloriæ claritatem, quod tantum cum ingenui, atque immortalis oris decus, & habitum, tum etiam sacræ purpuræ fulgorem in hoc ipso tantis dotibus debito, meritoque elogio videant prætermissa: cum scilicet sublimis animus tanto virtutum, atque doctrinarum sole præfulgens, purpureæ dignitatis auroram, minutaque ista Naturæ sydera clarissima luce obscurare, atque offundere penitus videretur.

55 *PAVLVS PARVTA.*

QUis verò *Pauli Parutæ* æque literati viri, ac prudentissimi civis beatos manes gloriosa recordatione non prosequatur? Is cum prima adolescentia egregiam Patritiorum Juvenum Academiam ad illustrem æmulationem domi suæ instituisset, tantam sibi peperit existimationem, ut cum primum per ætatem licuit, Ordinum, quem dicunt, Sapiens non sine ingenti Senatus universi plausu crearetur. Quamquam autem concitatæ expectationi cumulatissime satisfecit, nihilominus in petendis postea magistratibus ita repulsam tulit, ut ad XL. usque ætatis annum, maximo vel ipsius fortunæ rubore, privatus, sibique potius ipsi, quam Reipublicæ viveret. Sed vicit denique virtus, ostenditque, posse prudentem virum sine præsidio fortunæ, quo contendat, labore, atque perseverantia pervenire. Etenim adeo brevi temporis spatio quasque vel maximas dignitates est assecutus, ut non illi præteritis annis negatæ sed potius ad excelsam virtutem exornandam dilatæ, atque in unum congestæ viderentur. Continentis Sapiens creatus, in Senatorum numerum lectus, finibus terminandis *Cadubrii* Legatus, *Brixiæ* Præfectus renuntiatus, ad Pontificem Maximum orator missus, ita omnes optimi civis, justi judicis, facundi, atque prudentis viri numeros implevit, ut annos VI. & L. natus fere cunctis suffragiis *D. Marci* Procurator fieret. Qua dignitate conspicuus multas iterum legationes extra ordinem obivit, fuitque promeritus, ut Equestri dignitate à 56
Pontifice Maximo augeretur. Vir tamen antiquitatis, atque scriptorum omnium literate peritus, nunquam dulcissima intermisit literarum studia: sed cum Decemviri tanto viro non minori probitatis, quam eruditionis fama claro, *Venetam Historiam* perscribendam mandassent, imposito sibi munere, tanta facundia, rerumque gestarum fide perfunctus est, ut longe omnium, qui *Italico* sermone scripserunt, aut locuti sunt, non modo copia, & ubertate dicendi princeps existat, sed etiam civili prudentia, egregiaque historiæ veritate concedat omnino nemini. Eos autem politicos tractatus edidit, ut rerum usum egregium cum singulari doctrina conjunxisse facillime intelligas, illustremque admireris scriptorem, qui cujusvis alius vel æquaverit gloriam, vel antecesserit. Plura quoque singularis ingenii, & plurimarum vigiliarum monumenta edenda reliquit, inter quæ eminent præcipuè *Quatuor Primi Venetæ Historiæ Libri*, latina lingua, eximiaque gravitate, & quod magis mireris, stricto, planeque *Sallustiano* stylo perscripti, qui vel ipsam provocare antiquitatem facile possent. Sed quid opus elogio tanto viro? qui in vulgato Soliloquio suo ipse stylo totum se descripsit, atque ad vivum effinxit? Cui nihil ad immortalitatem acquirendam defuisse exstimari potest, doctissimis pariter libris, & liberis editis, & post se relictis, qui non magis illustrissimi patris, quam Serenissimæ patriæ gloriam longe, lateque diffundunt.

DECADIS SECUNDÆ FINIS.

---

57 PRÆFATIO

IN

TERTIAM ELOGIORUM DECADEM

AD

PHILIPPUM PASQUALICUM,

Venetum Senatorem.

UT Palladem *bellicosam, ac civilem Deam, parique literarum, & armorum cultu spectabilem Antiquitas finxit: sic te,* Philippe Senator amplissime, *utraque arte conspicuum, & admirabilem venerati sunt omnes, cum fere cunctos honores, qui domi, forisque tribui possunt, magnificentissime gesseris, præcipuè vero cum quasi dignitatem, ut inquit ille, dignitate mercatus, in Continentem Legatus cum summo imperio missus es, quo in munere cum justitiam ubique coleres, pietatem exerceres, prudentiam adhiberes; subjectis populis quietem, Reipublicæ gloriam, tibi vero sempiternam laudem, & immortale decus peperisti. Sic tua illa virtus, quæ nec majorem spem apud Rempublicam concitare unquam potuit, nec melius conceptæ spei respondere, ad majores etiam honorum gradus, quicumque supersunt, viam tibi munivit.*

N. Crassus.

58 *Ego vero tui, ſi quis alius, ſtudioſiſſimus admirator facere non potui, quin tertiam hanc fortiſſimorum civium Decadem tibi conſecrarem, qui bellicas artes tot, tantiſque publicis rebus præclariſſime geſtis ſupra omnes te callere oſtendiſti. Quod ſi tenuè fortaſſe hoc munus videbitur, ubi non quantum quiſque tribuat, ſed quantum tribuere poſſit, inſpiciendum ſit, tum non dubito, quin excuſationem, ſi non laudem mereatur Vale.*

---

59 # DECAS TERTIA.

AUGUSTINUS BARBADICUS.



NOn fauſtus modo, auſpicatus, & & felix, ſed etiam ad omnis poſteritatis memoriam glorioſus, atque beatus ille dies illuxit, quo *Chriſtiana* claſſis ingentem illam de truculentiſſimis hoſtibus victoriam ad *Echinades* inſulas reportavit. Sed cum incredibilem, & exultantem lætitiam nonnullis fortiſſimorum Ducum funeribus Fortuna temperaſſet, ut ſcilicet homines fatalis mortalitatis vel in ipſa immortalis victoriæ perpetua gloria reminiſcerentur: nullius tamen obitum *Veneta* Reſpublica vel celebravit glorioſius, vel tulit acerbius, quam hujus *Auguſtini Barbadici*, togæ quondam, & armorum, nunc vero ſyderum, & cœli, ſi dicere fas eſt, clariſſimi luminis. Is Magiſtratibus, Præfecturis, Legationibus inſignis, prudentia pariter, atque virtute maxima præditus, æque conſilio, ac manu promptus, cum difficillimo Reipublicæ tempore *Sebaſtiano Venerio*, clariſſimo Imperatori, æque pugnacem, ac ſapientem Ducem Legati nomine mittendum ſtatuiſſent Patres Conſcripti, unus omnium virtutis acerrimæ, atque animi ingentis ergo electus eſt, in cujus fide, & præſtantia maximam Reſpublica victoriæ ſpem collocaret. Quam ne fruſtrari expectationem videretur Senator eximius, incredibile dictu eſt, quantum ſapientia in conſulendo, dexteritate in agendo, ſolidaque in bellando virtute momen-
60 ti, atque adeo adjumenti ad res feliciter gerendas attulerit, cum omnia cauti, atque ſtrenui Imperatoris munia, omneſque fortis, & egregii militis numeros mirifice impleret. Sed qui ſemper fuerat tantæ commiſſæ pugnæ, partæque victoriæ præcipuus auctor, hunc in ipſo prælii fine, atque triumphi limine rapuere Fata, ut ſincerum gaudium, atque cœleſte præmium exantlati laboris nulla mora interpoſita referret. Etenim dum triremi validiſſima non modo ſex hoſtilium triremium, à quibus impugnabatur, impetum frangit, ſed ubique etiam providere, atque conſulere conatur, cum letalem ſagittam non magis hominum numero ſubtraxiſſe, quam adſcripſiſſe Divorum concilio credendum eſt. Itaque ex eo vulnere verius dixeris æternum decus, atque gloriam effluxiſſe, quam ſanguinem, pluſque illum immortalitatis adeptum, quam ademptum vitæ. Eoque magis, quod illuſtrem effigiem nobili celebratam elogio in mediis armis, cæteriſque Reipublicæ firmamentis gratiſſima patria illi poſuit, ut in pugna quidem impoſito mortifero vulnere, in Curia vero immortali elogio, clariſſimi cineres æternum viverent. Obiit, ſi quiſquam interit, qui ſic diem obiit, uno relicto tanti nominis, ac ſplendoris hærede, in quem ſicuti ex paterno ſanguine conceptas virtutes omnes divina manus congeſſit, ita dignitates, & honores univerſos, qui tot, tantiſque ornamentis, meritiſque debentur, memor Senatus, & grata Reſpublica incredibili favore, atque plauſu accumulat.

A ## *BENEDICTUS, & HIERONYMUS, PISAURI.* 61

DUo iſti *Venetæ* claſſis Imperatores, non minus boni conſilio, quam prælio ſtrenui, ore quidem excelſo, at magis animo, antiqua virtute, ſed etiam antiquis moribus, cum nihil prorſus metuerent, niſi turpem famam, bellica gloria, & juſtitia inſignes, invidiam ipſam eximiis, atque innumeris virtutibus præclare vicerunt. Siquidem *Benedictus* Pater ex *Ionio* in *Helleſpontum* Turcarum alteram claſſem fugavit, alteram vero in *Ambracio* ſinu glorioſe cepit, *Leucadiam*, & *Cephaleniam* expugnavit, aliiſque receptis inſulis, *Nau-*
B *pliam* obſidione liberavit, ſæviſſimos Pyratas interfecit: præclara facinora, neque digna, quæ tam breviter referantur, niſi teſtimonium illud ſupereſſet, quod magni *Conſalvi* ſocius Imperator, nullaque ex parte minor, fuit ſæpenumero promeritus, ut ab ipſo non minus re, quam cognomento Magno Imperatore Imperator Magnus, ſtupentibus omnibus, appellaretur: idque jure, ac merito cum & ipſa pugnandi arte, & audacia nemini cederet, & prudentia, atque conſilio cæteros omnes glorioſe præcederet. Quo factum eſt, ut abſens Procurator *D. Marci* renunciatus, *Corcyræ*, pace jam facta, lætiſſimus obiret. *Hie-*
C *ronymus* vero tanti patris æmulator filius peregre-
giam in multis magni momenti negotiis domi, 62
foriſque operam Reipublicæ præſtitit; legationibus clarus, non ſemel Reipublicæ claſſi cum ſummo imperio præfectus, atque exercitus univerſi, totiuſque continentis Imperator. Satis uterque ſibi bellicæ laudis, ſatis quoque Reipublicæ imperii peperere. Verum ad ſublimem ingentis gloriæ cumulum utrique multum acceſſit, cum in quacumque vitæ actione moderatiſſimi, militum maleficia ſingulari ſeveritate punirent: cum præclariſſime uterque ſtatueret, facile in re bellica vitia Rempublicam oppreſſura, niſi celeri-
D ter opprimantur. Igitur *Hieronymus* incredibili pulchritudinis, atque natalium ſplendore decoratum adoleſcentem, eundemque Triremis Præfectum, patrati facinoris convictum, ſecuri percuſſit: & Peditum inſignem Præfectum cum turpiſſime fugam meditaretur, atque inſtitueret, ultimo ſupplicio ſeveriſſime affecit. *Benedictus* vero in egregium patritii ſanguinis virum more majorum animadvertit, quod *Pylo* Præſes ob *Turcarum* metum abiiſſet, atque ſibi commiſſum oppidum deſeruiſſet. Volebant ſcilicet, ut Imperatorem milites metuerent, ne metuerent Hoſtes: neque ſeverius in cæteros exercebant imperium, quam in
E ſemetipſos, incredibili morum integritate, atque vitæ ſanctitate viri: cum tamen aliquando remiſſo ad lenitatem ingenio imperatoriam gravitatem ſingulari quadam comitate condirent: ut militibus cari, hoſtibus formidabiles, Reipublicæ gratiſſimi, omnibus admirandi ad maximas quaſque Rei-
publicæ dignitates proveherentur, ac ſingulare po- 63
ſteris omnibus, cæteriſque nobiliſſimæ gentis proceribus virtutis exemplum relinquerent: quo incitati *Jacobus* Senator ampliſſimus, *Laurentius* Hieronymi filius, *Hieronymus*que Jacobi, & *Andreas* Bartholomæi filius, literarum, & eloquentiæ ſtudiis clariſſimi juvenes, cæterique omnes tanti generis viri ad ſublimes honorum gradus feliciſſime contendunt.

CA-

64 ## *CAROLVS ZENVS.*

SI quiſquam eſt inter tot, tantoſque *Venetorum*
imperatores, qui unus excellat, atque princi-
pem locum jure merito obtineat, aut certe hic
erit *Carolus Zenus* hæreditarium decus paternæ lau-
dis referens, aut nemo. Siquidem hunc habuit
Reſpublica *Veneta*, quem *Romanis*, *Græcis*que
Ducibus ſingulis anteferre, univerſis autem oppo-
nere conſtantiſſime poſſet. Etenim literis omni-
bus excultus, ac *Latina* præſertim facundia cele-
berrimus, Imperator ſuæ ætatis omnium fortiſſi-
mus, hoſtilium cadaverum congerie, ingenti vi-
ctarum claſſium mole, & urbium ruinis, quaſi
gradibus factis ad illud conſcendit gloriæ faſtigium,
ut non aliunde militaris virtutis exemplum & po-
pulares, & externi populi, quam ab ipſo accipe-
rent. Puer adhuc cum Patrem Imperatorem cla-
riſſimum ad *Smyrnam* Turcarum armis interfectum
amiſiſſet ad *Romanum* Pontificem ſe conferens,
eam habuit orationem, eam præ ſe tulit magnitu-
dinem animi, atque indolis majeſtatem, ut *Pa-
trenſi* ampliſſimo ſacerdotio donatus, non inde ſo-
lum tenues opes, atque fortunas ſublevaret, ſed
pugnandi contra *Turcas* occaſione feliciter capta,
paternis manibus non ſemel auſpicato parentaret.
Juvenis autem, jamque non paterno magis nomi-
ne, quam propria virtute conſpicuus à *Joanne Ga-
leatio*, Ciſalpinæ Galliæ Principe, accitus, adeo pa-
cis omnibus, atque belli artibus inclaruit, & ipſi
65 Duci carus fuit, ut Collega potius, & imperii
tutor, quam Principis Legatus haberetur. Am-
pliſſimi vero *Cypri* Regis univerſis copiis Impera-
tor præfuit, ut regni incolumitatem *Caroli Zeni*
virtuti acceptam referret, præterea nemini. Ubi
vero in patriam reverſus eſt, *Tenedo* Præfectus *Græ-
cos*, atque *Ligures* ingenti claſſe oppugnantes non
rejecit modo, ſed incredibili etiam edita ſtrage,
fuſos, fugatoſque profligavit. *Venetæ* claſſis cum
imperio Dux LXX. longas Hoſtium naves vel ce-
pit, vel depreſſit: nobiliſſimam, atque celeberri-
mam *Liguſticam* onerariam, mercibus, auro,
gemmis onuſtam, quam omnes inexpugnabilem
conſtantiſſime credebant, invicto ferro, atque
virtute expugnavit: hoſtilem oram univerſam de-
vaſtavit; formidabilem vero claſſem iterum, at-
que ſæpius fugavit. Exercitus Imperator *Ligures*
hoſtes, *Aquilejenſes*, *Patavinos*, atque *Pannonas*
copias ad *Brondulum* vicit, profligavit, ac prope
ad gentium internecionem delevit, ut ejus fuerit
vincere potius, quam dimicare, & ex iis vulneri-
bus, quæ ſæpius acceperat, Victoria, è ſanguine
vero immortalis gloria feliciſſime emanarit, *Foſ-
ſam Clodiam* amiſſam recepit, ipſamque patriam
non ſolum timore liberavit, ſed ingenti etiam af-
fecit lætitia, cum *Andreæ Contareni*, invictiſſimi
Principis, triumpho non magis comes, quam au-
ctor ſpectaretur. *Liguſticam* iterum claſſem à *Bu-
cicaldo*, Gallo fortiſſimo & invictiſſimo Imperato-
66 re, auctam, & inſtructam fortiſſime vicit. Fuit-
que in Caſtris Legatus, cum *Patavium* Reſpublica
Carrarienſibus ademit. Quid quod Ampliſſimum
Cypri Regem in regnum, & *Calojannem* Byzantii
Imperatorem in Imperium reſtituit? cum æque
ſciret invicta manus, & vincere Reges, & facere.
Procurator tandem *D. Marci* creatus cum in judi-
cium aliquando traheretur, nec ulla ratione à quo-
quam induci poſſet, ut objectum crimen, neque
ſatis probatum dilueret, fuit judicum ſententia in
ordinem redactus, & in carcerem truſus eo even-
tu, ut qui terra, marique in caſtris pariter, at-
que in curia glorioſus fuerat, ipſas etiam carceris
tenebras in lucem, atque ſplendorem clariſſimi
nominis verteret: cum paulo poſt in priſtinam
dignitatem reſtitueretur, ſuumque diem obiens
publico elatus funere, ipſoque Reipublicæ Duce,
A & cuncto Senatu inferias celebrante, Civitas uni-
verſa lacrymis, ac mœrore incredibili parentaret:
cum interim ipſe nihil ſibi è tantis rebus geſtis præ-
ter gloriam quærens, tenuiſſimas quidem opes,
ſed immenſum, & immortale nomen pervetuſtæ,
& nobiliſſimæ familiæ reliquiſſet.

FRANCISCVS BARBARVS. 67

NEmini mediusfidius aut benignioris fortunæ,
& arridentis naturæ dona, aut magno labore,
& pluribus vigiliis quæſitæ laudes; aut denique
incredibili conſtantia, atque bellica virtute parta
B gloria major, aut ſpectatior contingere potuit,
quam huic *Franciſco Barbaro*, in quo ſupra Sena-
toriam purpuram literarum omnium, & virtutum
eximius ſplendor certatim elucet. Is cum ingenio
valido, mireque facundo ad eam perveniſſet eru-
ditionis exuperantiam, ut omnium ſine contro-
verſia doctiſſimus eſſet, incomparabili morum can-
dore, & ſingulari virtutum ſplendore præfulgens,
in Senatus ampliſſimi luce verſatus eſt, atque ce-
leberrimis lucubrationibus editis clarum, & per-
illuſtre nomen æternæ poſteritatis memoriæ com-
mendavit. Incredibilem vero gloriæ acceſſionem
ſibi fecit, ubi opulentiſſimæ, & maximæ urbis
C *Brixiæ* præfecturam à Republica ſibi demandatam
caſte imprimis, atque ſingulari prudentia admini-
ſtravit: ut etiam ab ipſo *Apolline* ad *Martem* pro
temporis neceſſitate deficeret, bellicam artem non
leviter, aut perfunctoriè, ſed ſeriò atque diligen-
ter amplexus. Etenim cum à *Picinino*, Inſubrum
Imperatore, oppugnaretur ſæpius, ac etiam ob-
ſideretur Civitas atroci fame, atque graſſanti
peſtilentia afflicta, egregiè ſemper, ac mirificè
Barbarus incredibili in hoſtes virtute, atque
aſtu, in cives humanitate, atque candore, una- 68
que præcipuè invicti animi magnitudine ſpes un-
dique proſtratas erexit, effecitque, ut plus in u-
D nius Præfecti virtute ſpei, quam timoris in tot,
tantiſque hoſtium, Fortunæ, Cœli injuriis obſeſ-
ſi cives jure, ac merito reponerent. Etenim bel-
lo ſtrenuus, bonus conſilio, patiens laborum, con-
tra pericula invictus, cautus contra inſidias, in o-
peribus, in agmine, ad vigilias re magis ipſa,
quam verbis hortator aderat; cum gregariis mili-
tibus, atque etiam ipſa plebe infima non ſermo-
nem modo, & amictum, ſed etiam in tanta rerum
penuria cibum, ac potum promiſcuum, atque
communem habens, & in peſtilentia immaniſſima
in medio foro ſemper verſatus, omnibuſque vel
Imperatoris, vel Principis, vel Patris muneribus
E uſque ad ingentem omnium admirationem egregiè
perfunctus: quo factum eſt, ut tantum ſibi con-
ciliaret amorem: & obſervantiam, ut non modo
viri, ſed ipſæ quoque matronæ, ac mulieres mi-
litaria quæque munia ultro, atque fortiſſime obi-
rent, & æque *Brixiæ* ſalus in ſtola, ac in ſago eo
tempore poneretur. Qua demum liberata civi-
tate, ac deſperantibus de expugnatione fortiſſimis
hoſtibus, pacis artibus clarus antea, atque illuſtris,
imperii poſtea, & belli virtutibus clarior, & illu-
ſtrior *Barbarus* dubium fecit, pluſne in eo doctri-
nam, & eloquentiam, an robur animi, & forti-
tudinem admirari debeamus. Cæterum in patriam
F reverſus artibus omnibus, quibus ſumma claritu-
do paratur, admirandus, multis magiſtratibus,
præfecturis, & legationibus perfunctus, *Divi*que 69
Marci Procurator creatus, quam Reipublicæ de-
bebat boni, eruditi, ac fortiſſimi civis operam,
ad uſque ultimos annos piè, fideliterque perſolvit.
Inter cujus felicitatem, & gloriam illud præcipuè
enumerandum videtur, quod *Zachariæ* viri fortiſ-
ſimi pater, *Hermolai* Literatorum antiſtitis avus
fuerit, ut etiam ex ejus familia *M. Antonius* Pro-
curator illuxerit, Senatorum omnium noſtræ tem-

pestatis acutissimus, sapientissimus, atque integerrimus: cujus virtutes omnes in *Antonio* filio viro excellente, atque Senatore prudentissimo intuere licet, & meritissimò admirari.

70 *GEORGIVS VIARVS.*

QUæ duæ virtutes celebrem Imperatorem, & admirabilem facere consueverunt, invictum animi robur, atque singularis ad bellicas artes calliditas, hæ ita conveniunt ambæ ad *Georgium Viarum* exornandum, & extollendum, ut summa cum gloria, ingentique suo merito, non magis hæc inter cæteras spectata, atque nobilissima effigies ad spectandum, quam eximia virtus, & admirabilis solertia posteritati ad imitandum exposita proponatur. Hoc enim feroce, ac impavido vultu, & nitentibus armis, sed intrepido magis animo, & fulgurante dextera conspicuus fuit, dum *Corcyræ* nigræ Comes cum Imperio præfectus non modo *Federici Arragonei*, fortissimi Imperatoris, sed ingentis etiam, atque terribilis Classis impetum constanti virtute sustinuit, atque adeo perfregit, cum nullo sapientis, nullo invicti Imperatoris officio prætermisso, salutare denique excogitavit artificium, quo *Venetam* classem subsidio jam adesse egregiè simularet, itaque cunctis exultantis lætitiæ signis hostes perterruit, atque delusit, ut quingentis in oppugnatione militibus desideratis, se protinus fugæ darent, tantaque trepidatione recedentes in altum se reciperent, ut qui paulo ante timorem maximum pugnantes injecerant, modo fugientes dicteriis multis, atque sibilis, & clamoribus irrisi exploderentur. *Via-*
71 *rus* autem fugatis, & derisis hostibus, *Pœnorum* Ducibus astu, an *Romanis* Imperatoribus virtute exæquandus? in patriam revertitur, maximisque dignitatibus, & honoribus domi forisque perfunctus, immortali nomine parto, vitam naturæ, animam cœlo reddit, è cujus vetustissimo genere *Stephanus* Brixiæ Præfectus, Senatorque numeris omnibus absolutus; *Vincentius* & *M. Antonius* qua nobilitate gentis, qua ingentis, atque sublimis animi magnitudine nemini secundi, tot, tantisque virtutibus eminentissimi, promerentur, ut sint per omnium Annalium monumenta celebres nominibus, & summos quoslibet honorum gradus meritissimò adipiscantur.

72 *JACOBVS FVSCARENVS.*

QUid astas? quid hanc vivacibus oculis, prolixa barba, severo, atque pernobili oris habitu eminentem, planeque regiam effigiem admiraris? Quem spectas purpureo paludamento, atque radiantibus armis insignem, *Jacobus Fuscarenus* est. Quid iterum stupes, audito percelebri nomine? Audi. Hic adolescens omnibus *Britanniæ*, *Syriæ*, *Africæ*que emporiis aditis, externis moribus attenta cogitatione expensis, & maritimis rebus animadversis, ingentem sibi rerum usum, & civilem prudentiam comparavit. Vir autem ita injuncta sibi munera adimplevit, ut concitatam apud omnes ordines acerrimo ingenio, expeditaque facundia expectationem non modo cumulatissime expleret, sed longo etiam intervallo superaret: ita commissas legationes obivit, ut cum Reipublicæ mandata exacte perficeret, patriæ pariter, atque cunctis Principibus, equestri dignitate donatus, non tam carus, & gratus, quam clarus, & admirabilis haberetur: ita summo cum Imperio *Cretæ* Præfectus Regnum temperavit, legibusque auxit, ut non alter *Minos* ab inferis evocatus, sed novus *Jupiter* potius è cælo lapsus videretur, seque semper ipso major, & clarior evaderet. Ita demum *Venetæ* Classis Imperator bis
A cum *Vluzalio*, Turcarum Imperatore, pugnavit, ut instructa acie, vixque tentato leviter prælio, sese reciperent Hostes, & fugæ darent, oblata *Fusca-* 73
reno occasione, qua incredibilem ostenderet excelsi animi ardorem, atque bellandi virtutem, cum jam milites adhortaretur, Collegasque Pontificis, & *Hispaniarum* Regis Imperatores incassum increparet. Exacta demum ætate, iterum & sæpius Maximus, ut ajunt, Sapiens, excelsique Collegii Consiliarius, postremum *D. Marci* Procurator, quæ dignitas est à Principe proxima, & cum immineret bellum, iterum Classis Imperator creatus, omnes facile Reipublicæ dignitates obti-
B nuit, si Principatum excipias, quem non ingentibus meritis, sed objectæ severitati non semel negatum, singulari, & eximia virtute, atque rebus domi, forisque præclarissime gestis non semel est promeritus. Sed quod auget mirum quantum immortalis Viri admirationem, ita unus eodem tempore, & privati Patrisfamilias, & publici Senatoris partes administravit, ut summis opibus, & summa gloria partis, celebrem apud posteros utroque nomine famam, & admirabile, atque numeris omnibus absolutum egregii civis exemplum reliquerit: quod etiam duo spectatæ probitatis, & magni nominis filii, Eques alter, & Continen-
C tis, ut ajunt, Sapiens; alter vero Decemvir, & excelsi Collegii Consiliarius non minus paternæ facultatis, quam gloriæ hæredes, præclarissime referunt, in quorum virtute, atque Senatoria prudentia geminatum illustrissimum patrem Civitas universa cognoscit, & admiratur.

M. ANTONIVS BRAGADENVS. 74

QUo te nomine appellem, *M. Antoni Bragadene*, non isto magis pulcherrimo, excelsoque oris habitu, & majestate, quam sublimi, atque invicta constantis animi magnitudine, singula-
D rique in patriam, & in Deum pietate supra mortales omnes spectatu dignissime? Inter Heroës te referam, an potius inter Divos ipsos? Incredibilis equidem illa tua, ac infracta virtus, qua *Salaminæ* non diuturnam magis, atque crudelem *Turcarum* obsidionem egregiè pertulisti, quam sæpius ferro, flammisque illatam vim vel in ultima rerum omnium inopia generose, ac impavide repulisti, Heroëm te clamat incomparabilis gloriæ, & splendoris, cunctis gentibus, atque ætatibus admirabilem. Sed te profecto in Divorum numerum retulit immortalis, atque divina penitus constan-
E tia, qua fortis, invictus, sanctus, quidquid potuit vel truculenta atrocissimi Barbari crudelitas excogitare ad tormentum, vel carnificis impiæ, atque sceleratæ manus inferre ad supplicium, intrepide, & gloriose usque ad ultimum spiritum sustinuisti, cum acerbissimis quibusque cruciatibus affecto, viventi adhuc, & impavido cruenta pellis, vel ipsis erubescentibus, atque aversantibus teterrimis hostibus detraheretur. Quo factum est, ut quod ipse vivens tutatus fueras regnum florentissimum, generosa morte occumbens mirum in modum illustrares, teque contra ipsum Regnum, cui, 75
F dum staret, admirabili fueras præsidio, atque ornamento, misere cadens inter ingentes ruinas, & funesta incendia rogo, utcumque potuit, honestaret, ac tumulo. Eat modo immitis, atque detestandus Tyrannus, tuæque virtutis implacabilis hostis, & execrandam sitim, quam tuo sanguine vel toto explere non potuit, tua sanctissima cute satiet, atque depellat: jactet ille quidem, cum miserabili tanti regni excidio se tibi vitam adimere potuisse, non potuit virtutem. Circumferat, atque ostentet malo Triremis pellem appensam, tuæque potius decoræ mortis, quam suæ infamis victoriæ sublime trophæum, quo *Veneto-*

netorum Civium inclytum robum, ac fidem non armis, atque virtute, sed perfidia, ac immanitate, si modo victa fuit, vinci posse testetur: dummodo nulla sit ora tam deserta, nullæ tam remotæ gentes, quo tua non perveniat gloria, quæque te cum ipsa bellica virtute exortum non ultro confiteantur. Sed quid elogium tibi? cujus vel ipsum immortale nomen illustris instar elogii ita *Venetis* omnibus est, ut quisquis vere constantem, atque divinum Heroëm significare velit, eum nesciat alio nomine definire, quam tuo. Non eget privata commendatione tanta virtus, quæ proprio sanguine in ipsos æternitatis annales tuum retulit nomen, quæque inter *Venetæ* Reipublicæ monumenta, quasi tutelare Numen, posito simulacro, & encomio scripto, locata est. Ut eam scilicet
76 venerentur universæ gentes, æmulentur vero præcipuè *Marcus*, & *Antonius* illustres filii, quos veluti divisum sanctissimi patris immortale nomen, ita nunquam divisa hæreditaria virtus, & gloria ad sublimes honorum gradus meritissimò evexit.

77 PETRUS PRIOLUS.

FUit hujus *Petri Prioli* majestas, & gloria major, quam ut meo præconio referri, nedum amplificari pro dignitate possit. Etenim *Cremonæ* Prætor æquitatem servavit, pietatem coluit, vigilantiam adhibuit. Consiliarius vero, Maximusque Sapiens doctrina, & eloquentia, rerum usu, civilique prudentia plane admirabilis meruit, ut *D. Marci* Procurator ingenti civium favore, atque plausu crearetur. Ita pacis artibus omnium eminentissimus cum difficile Respublica atque periculosum bellum contra *Ferrariæ* Ducem, cæterosque fœderatos Principes gereret, fuit etiam in Castris Legatus, ubi pluribus præliis fortissime confectis, & oppidis felicissime receptis, cum armis, & robore corporis omnes anteiret, consilio vero, & prudentia in paucissimis esset, dubium fecit, gratiorne domesticis virtutibus, an bellicis artibus laudabilior, majoribusne beneficiis patriam, an cladibus hostes affecerit. Præclarus denique trium *Venetorum* Principum suffragator, ipseque non semel tantæ dignitatis candidatus, quamquam sibi alios prælatos videbat, æquo animo repulsam tulit, cum ei meritum honoris culmen ab una Filiorum multitudine è manibus ereptum videretur, ipse vero lætissimus frequenter diceret, gaudere se, quod meliorem se civem habuisset Respublica. Maximis autem laboribus defunctus, &
78 honoribus auctus, quasi non dignum tanta virtute terrarum orbem relinquens, remeavit ad superos, vir belli, domique illustris, & honoratissimæ imaginis futurus ad Posteros: quos inter *Antonius* D. Marci Procurator, & Eques, *Hieronymus*que Francisci filius, Palladis alumnus, & Musarum deliciæ: *Hieronymus* Consiliarius, *Michaël*, iterum ac sæpius Triumvir Advocator: *Franciscus* Senator amplissimus, *Constantini* filius, cæterique innumeri illustrissimæ gentis heroës tantum auctorem secuti, atque immortalis gloriæ nunquam se in invidiam vertentis hæredes, togati, quod haud facile est, æquarunt armati gloriam, ut summis quibusque honoribus perfuncti, non minus reddant dignitatibus ipsis propria dignatione honoris, quam ab iisdem acceperint.

79 ROBERTUS MALATESTA.

RObertum Malatestam, Arimini Principem, bellorum eximium decus, & *Martis* invicta gloria inter præclarissima belli Numina retulit: studium vero erga *Venetam* Rempublicam, quo cunctis ad unum Patritiorum suffragiis inter patritios ipsos referri meritus est, facit, ut inter *Venetos* He-
A roës numerandus omnino videatur. Hic inter arma sublimi loco natus, atque in ipso *Bellonæ* sinu ferociter innutritus, quam ex ejus ubere suxerat disciplinam bellandi, ut primum eam attigit ætatem, quæ labori militiæ ferendo par erat, præclarissime ostendit. Adolescens adhuc, quæ fuit virtutis fama, à *Florentinis* summus Imperator creatus ita se gessit, ut ei primas in bello communis omnium consensus deferret. Hac ille frontis, atque oris severitate, igneis, atque minacibus oculis Martium vigorem evibravit, cum oblatum in acie hostem invicta dextera sterneret, tranquilliori tamen aspectu ingenitam mansuetudinem
B præ se ferens, cum eloquentia militari plane admirabilis vel militum animos deliniret, vel in hostes accenderet. Nemo domi consultior, nemo in castris belli præceptis instructior, nemo in pugna fortitudine, prudentia, ac industria præstantior habitus. Quo factum est, ut invicto robore animi pariter, & corporis, peritia, & fortuna belli à *Veneto* Senatu in *Bartholomæi Coleonis* locum Imperator declaratus, eodemque ferme tempore à *Romano* Pontifice honestissimo Confalonerii titulo 80
insignitus validissimis copiis præficeretur. Dedit autem ingens celeritatis, virtutis, atque prudentiæ specimen, cum à Senatu *Veneta* pietate ad o-
C pem *Romano* Pontifici ferendam missus, ad *Velitras* cum *Alphonso*, Calabriæ Duce, collatis signis conflixit, eo eventu, ut singulari parta victoria, & profligatis hostibus cuncta ad unum militaria signa adimerentur, & innumeri viri Principes captivi fierent, qui triumphum à *Romano* Pontifice jure ac merito illi decretum, & prisco more celebratum non mediocriter illustrarent. Ita qui priscos *Romanorum* Duces invicta, celerique bellorum gloria unus præcipuè referebat, unus etiam præcipuè triumphandi consuetudinem antiquatam in usum revocavit. Sed quasi gloria satur terrenum triumphum fastidiret, ad ipsam beatorum
D arcem, ipso assistente, atque Viaticum ministrante Pontifice Maximo, gloriosissime accessit, ut etiam inter beatos spiritus sacrosanctæ Ecclesiæ miles fortissimus, & hostium victor triumpharet. Fuit dum viveret tanta munificentia, & animi magnitudine præditus, ut ei Magnifici cognomentum tribuerent omnes, & quidem ita, ut neglecto nomine non aliter vulgo audiret, quam Magnificus. Post mortem Equestri statua *Romæ* donatus est, & percelebri elogio vel ipsi *Julio Cæsari* meritissimò æquatus: *Venetiis* vero fuit *Robertus* abnepos præclarissimus juvenis, doctrinæque, 81
& eloquentiæ studiis eminentissimus vna cum fra-
E tribus annuo vectigali in tanti Viri memoriam à grata Republica donatus.

VINCENTIUS MAUROCENUS. 82

QUodnam vere dignum, tantisque virtutibus debitum præconium tribuerim tibi, *Vincenti Maurocene*, Senator amplissime, qui ad laudem bellicæ virtutis ingenii quoque, & eloquentiæ gloriam adjecisti modo hac, modo illa insignis, semper vero conspicuus, & admirandus? Tu vi, & proceritate corporis animi robur, & celsitudinem referens, æque in armis, ac studiis ver-
F satus ita corpus periculis, & animum disciplinis exercuisti, ut nec juvenibus manu, nec senioribus prudentia concederes, ad labores impiger, ad pericula fortis, ad consilia prudens: in colenda vero justitia, maximisque legationibus tractandis æquissimus omnium, & eloquentissimus, pariterque togatus, & armatus sine ullo pari: ut non bellicæ magis laudis, quam pietatis, justitiæ, humanitatis, & liberalitatis omnes tibi primas deferrent: unde factum est, ut Præfecturis, Magistratibus, Legationibus maximis egregiè per-

functus in *D. Marci* Procuratorem evaderes, atque turbulentissimo Reipublicæ tempore, quo teterrimi, ac atrocissimi Hostis adventum ipsa civitas mirum in modum horrebat, in te uno spem
83 poneret non dicam victoriæ, sed libertatis, atque adeo salutis, tibique uni ex omnibus more majorum mandaretur, ut penates, aras, & focos, urbem denique totam ab imminentibus periculis sartam tectam conservares. Tu non solum classi, & copiis omnibus terrestribus, sed etiam litoribus, & Urbi cum Imperio Præfectus tam acri, singularique virtute, ac prudentia cuncta munia gessisti, ut nec virtus opinionem, nec prudentia expectationem conceptam minueret, quinimmo augeret mirifice, atque amplificaret: licet enim hostis nunquam accesserit, sed ex intimo sinu pedem citissime retulerit, attamen cognovit exercitus, Classis, Populus, Senatus quantum operæ,
A diligentiæ, studii, vigilantiæ in communi salute defendenda collocaris, quantaque animi alacritate populum universum ad bellandum inflammaveris, atque etiam exercueris, litoraque novis aggeribus, ac turribus munita, ut à quavis hostium incursione nihil plane cives timere possint, sed vel in utramvis aurem tutissimo dormire, ostendunt omnibus, atque clamant consilium adfuisse sibi, consilio vero nec animum, nec industriam defuisse. Ego vero si te vel justum, vel facundum, vel prudentem, vel fortem dixero, minus certe prædicavero, quam debeo, quamque veritas exigit: si vero te nobilissimæ, ac vetustissimæ *Maurocenæ* fa-
B miliæ decus, & ornamentum præcipuum, & singulare appellavero, si dignum *Borbonis* filium, 84
dignum *Borbonis* patrem, strictim, ac veluti compendio quodam meritas laudes perstringere visus fuero.

DECADIS TERTIÆ FINIS.

---

85 # PRÆFATIO IN QUARTAM ELOGIORUM DECADEM AD GEORGIUM CORNELIUM, Venetum Senatorem.

Quartam Elogiorum Decadem tibi ex omnibus, Amplissime Georgi, *nuncupare decrevi, ut onus hoc si non felici, ingenuo certe labore susceptum in excelso, & amplissimo sinu reponeretur, & aliquid saltem dignitatis, & gloriæ à tam claro, atque celebri nomine mutaretur. Tu enim, ut gentis hæreditatem, virtutes crevisti, quibus omnibus ita es cumulatus, ut prærepta potius, quam præbita laudandi facultas videatur: cum præclarissimos tanti generis auctores secutus, & facile, quos æmulari institueras, omnes assecutus, post Censuram, & Decemviratum, Consiliarius denique renunciatus, avita gloria stimulos addente, eam viam ingressus fueris, quam tibi præter cæteros* Joannes *frater*, D. Marci *Procurator, gloriosissime stravit. Cæterum non quid afferam, sed quo animo afferam, spe-*
86 *ctes velim, meque in clientelam suscipias, Ut qui mortuorum illustrium memoriam colui, vivorum illustrium benevolentiam conciliasse mihi videri possim. Vale.*

---

87 ## DECAS QUARTA.

ALOYSIUS BELEGNUS.



EX hoc *Aloysii Belegni*, Senatoris amplissimi, honesto, atque venerabili ore non ornata minus verba, quam sententias illustres quasi ex uberrimo quodam eloquentiæ fonte manantes, & Forum, & Curia sæpius admirata fuere, cum singulari ingenio, atque divina penitus facundia ita omnis memoriæ, atque ætatis oratores adæquaret, ut si Divorum disertissimi *Mercurius*, & *Apollo* cœlo dilapsi terras inviserent, neque majori facundia perorare, neque majori concursu, atque adeo admiratione audiri crederentur. Sed cum ejusmodi virum cò mortalibus Dii concesserint, ut esset, in quo se virtus, atque doctrina per omnes numeros extenderet, postquam diu, multumque celebris, & gratiosus in foro viguit, ita se ad Rempublicam contulit, ut in eo neque prudentia in consulendo, neque justitia in judicando, neque solertia in regendo desiderari posset. Ad maximas itaque
C dignitates evectus, post Advocatorios, ut ajunt, Triumviratus, atque Censuram, *Fori Julii* cum imperio Legatus, Decemvir, atque Consiliarius, Magnusque Sapiens renunciatus, nihil omnino reliquit, quod vel Reipublicæ fructui, atque ornamento esset, vel sibi honori, atque dignitati; ita denique se gessit, ut cum nihil ad summæ virtutis, prudentiæ, eloquentiæ, justitiæ fastigium ipsi deesset, nullum pariter esset præmium virtutis, insigne honoris, monumentum laudis, quod à Republica bene de se merito civi 88
D negaretur. Obiit non plane senex, *Marino Grimano* Venetorum Principe: relictis clarissimis filiis, quorum *Carolus* & *Justus Antonius*, duo præcipua tantæ Reipublicæ lumina: alter eloquentia forensi admirabilis, alter bellica virtute conspicuus, quasi ex æquo majorum gloria divisa, omnium oculos, & admirationem in se convertunt; cum ille lingua, hic manu in foro pariter, atque in mari immortale familiæ decus non sustinere magis, quam amplificare videantur.

ALOY-

89 ## *ALOYSIUS MOLINUS.*

IN celeberrimo, vereque summo, & admirabi-
li *Veneto* Senatu, dum continentis imperio fere
toto amisso, in maximis angustiis Patres versaren-
tur, omnium primus oculos, & admirationem in
se convertit *Aloysius Molinus*, qui longo rerum usu,
liberalique omni doctrina perpolitus, pulchritudi-
ne oris egregia, staturaque procera, de *Patavio*
recuperando, ubi paulo ante Prætor fuerat, elo-
quentissime sententiam dixit, bellique auctor fuit,
quod consilio prudenter susceptum, exitu quoque
felicissime confectum est. Hunc generis splendo-
re, divitiarum amplitudine, gloriæ claritate ne-
mo suæ ætatis superavit: cum eò pervenisset fasti-
gii, ut *D. Marci* Procurator creatus omnibus fe-
re Senatusconsultis non interfuisse, sed præfuisse
diceretur; neque possent universi cives pro digni-
tate munus illud celebrare, quod afflictæ Reipu-
blicæ atque patriæ pro veteri gloria, pristinaque
dignitate retinenda magnifice fecerat. Quod enim
offerre majus, meliusve poterat, quam cum sex-
centis Peditibus filium ipsum, *Andreamque* ex fra-
tre nepotem, ingentis corporis, ingentioris ani-
mi, virtutis incredibilis. Hujus itaque civili pru-
dentiæ, & infracti animi magnitudini pristinam
majestatem recuperatam *Veneta* Respublica ac-
ceptam fert; qui cum Politicos libros de mani-
bus nunquam poneret, exemplo docuit, ut agrum
90 sine cultura, sic animum sine doctrina, quamvis
fertilem suapte vi fructuosum esse non posse: ubi
vero illa accesserit, incredibilem gloriæ segetem
referre. Sic magnis ille deorum muneribus, &
Reipublicæ honoribus affectus, ubi sempiternam
vitam promeruit, ab hominibus gloriose demi-
grans, caducam amisit, ut in æternam tantæ vir-
tutis memoriam Procuratoria dignitate, quam
ipse obtinuerat, ex Senatusconsulto Filius augere-
tur, quod antea inauditum Posteros ad æmulatio-
nem æternùm excitabit, inter quos præter *Mari-
num*, & *Marcum* honestissimos viros, *Franciscus*
etiam *Adriaticæ* classis Præfectus, & *Dominicus*
frater literis omnibus, iisque præsertim, quæ ad
Respublicas moderandas spectant, ornatissimus,
antiquam familiæ splendorem, & dignitatem glo-
riosissime retinent.

91 ## *BENEDICTUS ERITIUS.*

VIx ullum ab omni ævo Senatorem invenire
posses, cujus probitatem, & innocentiam
Benedicti Eritii integritati, atque adeo sanctitati
compares. Is ab ineunte ætate cuncta vitia non
modo non sectatus, sed etiam acerrime insectatus
non esse minus, quam videri vir probus præclare
constituit, ut incorrupti mores in perdito seculo
jam inde à pueritia admirationem habuerint sin-
gularem. His ille artibus & ad honores in Re-
publica & gloriam in cælo viam sibi munivit,
rectumque iter ingressus est, & perfecit. Etenim
Clodiæ Prætori, *Corcyræque* Præfecto id libebat
solum, quod licuisset, nihil probabile videbatur,
quod severa justitia non probasset, cum neque cu-
piditati, aut affectibus ullis indulgeret, nec ab
officii præscripto ulla ratione discederet. Institu-
tis vero domesticis non minus, quam publicis pla-
ne admirabilis, vel literarum studiis, vel publicis
cogitationibus, vel divinis precibus totam ferme
diem conterere solebat, ut etiam, quæ duæ res
languorem afferunt cæteris, otium, & solitudo
hujus industriam, & probitatem mirifice acuerent.
Ab omni contentione, atque adeo ostentatione re-
motus nunquam fere silentium rumpebat, nisi
cum indigna silentio proferret, verborumque pro-
mum, & condum non os, & labia, sed pectus,
& animum sapientissime instituit. Decemvir au-
A tem, & Consiliarius ita sæpius creatus est, ut 92
cum nullam fere dignitatem peteret, dignita-
tes omnes assequeretur, gloriamque promere-
ret verius, quam captaret, cum ille frequenter
non cumulandis honoribus, sed minuenda cupidi-
tate veram quietem parari, solidamque gloriam
acquiri prædicaret. Sic ad extremum usque se-
nectutis minus ætate crevit, quam gratia, & au-
ctoritate: cumque senectæ, & sævientis hiemis
frigus naturalem calorem sensim extinxisset, *Fran-
cisco* Senatori maximo, atque *Nicolao* viro præ-
stanti, filiis, familiæ splendorem, Reique publicæ
dignitatem ob oculos ponens, quasi fortunam ho-
B minis egressus in cœlum migravit. Hoc est sci-
licet æternam gloriam brevi morte veluti pretio
comparare, & acquirere potius vitam, quam a-
mittere.

GEORGIUS CORNELIUS. 93

PUlchrum sane, atque gloriosum tibi fuit, *Geor-
gi Corneli*, ex ea gente nasci, quæ vel illustri
stupendæ antiquitatis origine, vel præclarissima
rerum ubique gestarum gloria, omnibus demum
fortunæ copiis concederet omnino nemini: pul-
chrius tamen, atque gloriosius, non modo hac li-
C berali, & decora facie, sed ingentibus etiam vir-
tutibus, atque incredibili magnitudine animi ma-
jorum dignitatem, atque gloriam retulisse, immo
vero non levi accessione facta mirifice cumulasse.
Pulcherrimum denique, atque gloriosissimum fuit,
quod in *Corneliam* gentem facile concessurum erat,
id in Rempublicam *Venetam* transferendum curare,
opulentissimum atque antiquissimum *Cypri* regnum.
Ita dum te *Venetum* patritium esse meministi, am-
plitudinis propriæ oblitus videri poteras, nullam-
que posteritatis rationem habuisse, nisi hac ratio-
ne longe majus decus, ac laudes ipsi reliquisses, quam
D vel plura regna collata tribuere potuissent. Præclare
certe existimasti, atque constituisti maximam glo-
riam non in maximis imperiis, sed in maxima virtute
sitam esse, multoque præstare donare patriæ regnum,
quam regno potiri. Igitur non te magnanimitas,
Corneli, sed tu magnanimitatem novo genere or-
natam illustrasti, ut qui probitate *Nasicam*, divini
etiam animi magnitudine *Africanos*, atque *Asiati-
cos* gentiles tuos unus prorsus æquares. Ob hoc igi- 94
tur immortale erga Rempublicam meritum Eques,
atque Procurator creatus, virtutis, & eloquentiæ
nomine gratissimus, singulari in omni vita mode-
ratione, magnificentiæ studium per omnes nume-
E ros extendisti, atque hoc decus consentientibus
omnibus consecutus, ut Patriæ parens merito di-
cerere. Cum idem illustre facinus *Venetam* Rem-
publicam florentissimo regno, Te vero præclaro,
atque glorioso cognomento feliciter insigniret.

JACOBUS ÆMILIANUS. 95

HÆc ingenua facies, quæ prolixa barba, &
veneranda canitie spectabilis incredibilem cum
mansuetudine majestatem spirat, *Jacobum Æmi-
lianum* ante oculos ponit, cujus probitatem, & in-
F nocentiam nemo vel facundissimus orator pro di-
gnitate celebrare posset. Etenim maxima inte-
gritate, atque justitia Senator, cum virtutes o-
mnes sanctissime coleret, ut ab omnibus summa
reverentia coleretur, jure ac merito obtinuit. Per
omnes itaque Reipublicæ dignitates provectus est,
ut quæ in candidatis præcipuè requiri solent, pie-
tas, ac multis, magnisque rebus spectata probitas
in tanto viro certatim elucescerent, & in altissimo
Procuratoriæ dignitatis gradu collocaretur: reli-
gionis, ac pacis mirificus cultor, cui nihil fuit
potius, quam ut innocentiæ, prudentiæque po-
steris imitanda exempla relinqueret, cæteris autem
omni-

omnibus suspicienda: itaque jus pro tribunali summa æquitate dicens, & sententiam in Curia summa eloquentia, usque ad exactam ætatem feliciter pervenit. Cum vero duo sint præcipua virtutis præmia, humanum scilicet gloria, divinum beatitas: illud constantissima fama obtinuit, hoc etiam, gloriose in cœlum evectus, consecutus est; ut *Jacobum* etiam pronepotem, *Marcum*que, & *Angelum* illustrissimæ gentis superstites tantam virtutis exuperantiam æmulatos, nihil antiquius ha-
96 bere videamus, quam ut omni laude, & prædicatione majores tantum simul heroëm, ac humanæ gloriæ metas longe, multumque superent, atque omnium oculos, & admirationem in se convertant.

97 *MATTHÆUS ZANES.*

Potuit equidem hisce lineamentis pingi, atque brevi tabula capi *Matthæi Zanis*, Venetiarum Patriarchæ, nobilissima effigies. Sed quo mihi penicillo, & quibus coloribus effingenda, quibusve terminis circumscribenda excelsa illa divini animi magnitudo, quæ cum ad cœlum fere cuncta dirigeret, vix tamen cœlo capi videbatur? At cum natura ejusmodi formaverit speciem oris, ut in ea reconditos mores animi, & abditos affectus aliquatenus expresserit: admirentur, atque suspiciant universi egregium, & sine superbia cunctis venerabilem aspectum, intelligantque tantum virum non singularem minus facundiam cum civili prudentia conjunxisse, quam admirabili æquitate summam justitiam egregiè temperasse. Quod si ex elegantissimis lineamentis non satis intelligunt: audiant *Veronam*, quæ à tali Præfecto justissime recta, cum in oculis ipsum tulisset, atque adeo fovisset in sinu, neque potuit, cum rediret in patriam, lacrymis abstinere, neque accepta beneficia, postquam etiam interiit, ex memoria deponere. Audiant fere cunctos Reges, & Principes, ad quos à Republica Legatus missus, Senatus universi reverendam speciem, Reique ipsius publicæ auctoritatem ita secum attulit, ut nihil esset, aut tam difficile, quod non impetraret, aut adeo magnum, quod expectare non posset, unde non so-
98 lum amorem, sed etiam ingentem sui admirationem concitavit, & equestri dignitate à maximis *Christianis* Principibus auctus fuit. Verum nihil testibus tantæ virtuti est opus. Etenim cum in quovis munere dignitatem propriam cum Reipublicæ salute adeo conjunxisset, ut non satis constaret, an sibi plus ad decus, quam illi ad utilitatem adderet, fuit à gratissima patria ad supremas quasque dignitates summo studio, atque gratia evectus. Cum autem Patribus eligendus esset Senator gravissimus non virtute magis, quam probitate, atque religione spectatus, quem *Laurentio Priolo* Cardinali, eidemque *Venetiarum* Patriarchæ defuncto, pro Reipublicæ jure sufficerent, unus inter cæteros dignus visus est, cui tanta dignitas ingenti plausu, atque consensu deferretur: ipso tamen usque adeo renitente, ac invito, ut nescias majorine cum laude tantum splendorem promeritus rejecerit, an obtinuerit. Cæterum incredibile memoratu est, quantum in suscepto munere vel singulis civibus, vel universæ Reipublicæ satisfecerit, cum qui cæteris auctoritate antecelleret, omnibus vel infimis facilitate par esset, cumque lenitatis, & mansuetudinis partes semper ageret libentissime, gravitatis vero, atque adeo severitatis personam à Republica impositam, cum opus esset, constantissime sustineret; egregio denique temperamento, cum se ad Sacerdotes intelligeret transisse, nunquam tamen Reipublicæ dignitatem, atque etiam libertatem oblivisceretur.
99 Quo factum est, ut *Romano* Pontifici pariter, at-
A que *Veneto* Senatui carus, justitia, integritate, & sanctitate insignis, & venerandus, non vitam cum morte, sed mortalem cum æterna vita commutaret: atque non modo tantis dotibus & ornamentis par desiderium cunctis ordinibus reliquisset, sed plures etiam ex illustrissima, atque nobilissima gente Reipublicæ proceres, qui tot, tantasque virtutes ad vivum repræsentarent: cum *Joannes Jacobus* amplissimo *Cretæ* Regno cum Imperio præfectus, *Hermolaus* Excelsi Collegii Consiliarius, ac *Patavina*, modo præfectura integerrime functus, *Hieronymus* è fratre nepos, tanti generis majestatem, & gloriam, quam acceperunt am-
B plissimam, majorem posteritati relicturi videantur.

PAULUS GEORGIUS. 100

Quis hunc *Paulum Georgium* spectet, quin ex ipso vultu incredibilem ingenii vim, & excelsam ingentis animi magnitudinem non intelligat, & suspiciat meritissimo? Vereor equidem in hoc exornando ne pondere laudis, atque divinæ gloriæ plane obrutus meam potius retegam imbecillitatem, quam tantum virtutum omnium exem-
C plar ad vivum expressum exhibere possim. In hunc enim consilio, ingenio, sapientia spectatissimum amplissimi quique honores congesti sunt, ut quocumque mentis aciem intendam, eximium aliquid, atque memoratu dignum occurrat. Adolescens adhuc Gambarariis Præfectus, qui temporibus illis maximus honor habebatur, dignitatem conservare, amorem sibi conciliare, justitiam, ac virtutes omnes sanctissime colere, ut nullo periculo, nulla gratia, nullis artibus à re bene cœpta dimoveri posset. Quo factum est, ut in patritii sanguinis virum ex legum præscripto animadverteret, qui vetita legibus arma jussus abjicere, non modo non paruerat, sed Lictorem etiam i-
D psum per contumeliam habitum sæpius obstinate rejecerat. Itaque cum veræ, solidæque justitiæ specimen dedisset, periculo virtutis facto *Tarvisium* deinde Prætor, idemque Præfectus mittitur, mox Continentis Sapiens creatur, tum *Veronæ* præficitur, postea Triumvir Advocator renunciatus, inde in Decemvirum Collegium cooptatus est: 101
cum tot, tantisque muneribus publicis ita se gereret, ut ex uno ad aliud quasi gradu facto, ampliora semper illi ultro deferrentur. Profectus denique cum summo imperio in *Cretam* non solum oris dignitate, quæ in eo fuit summa, sed etiam integritate, virtute, & præclarissimis vitæ insti-
E tutis reverentiam sibi, & observantiam summam comparavit, eaque ratione regnum illud amplissimum administravit, ut multo feliciores, qui tanto viro parerent, quam ipse, qui præesset imperio, non injuria haberentur. In patriam reversus iterum, ac sæpius Maximus Sapiens uti longe à vitiis omnibus, ita famæ propior gloriosissime vixit. Cum autem Respublica gravissimo, atque acerrimo bello premeretur, rei frumentariæ Præfectus, ut erat gravi cum primis, & expedita facundia, luculentissima oratione habita, ex ipsa dicendi contentione mortiferum morbum nactus,
F non sine maximo civitatis universæ dolore, terrenam patriam, ut ad cœlestem evolaret, reliquit. Felix equidem propria virtute, & rebus gestis, felicior tamen *Alexandri*, *Aloysii*, & *Joannis*, filiorum integritate, sapientia, eloquentia, quibus conspicui Senatores amplissimi, & omnibus admirandi tantæ Reipublicæ majestatem, familiæ splendorem, & patris nomen præclarissime tuentur.

PE-

102 *PETRUS SANUTUS.*

NEmo vel summa, dum vixit, auctoritate, vel sempiterna post mortem gloria *Petrum Sanutum* superavit, qui cum insignem rerum civilium peritiam cum admirabili vitæ innocentia conjunxisset, omnibusque acumine, & fertilitate ingenii facile par esset, ad id gloriæ culmen evectus est, super quod ascendere non liceat. Cum itaque post multas acceptas à Republica dignitates *Patavii* Prætor esset renunciatus, ita se gessit, ut nunquam justitia majoribus deesse, scientia verò, atque civili prudentia superesse videretur. Integritatis autem adeo studiosus, ut nullum proferret verbum, quod vel ipsis Vestalibus arbitris, proferre non posset. Maximus denique Sapiens, ut ajunt, creatus, atque calamitoso Reipublicæ tempore multos annos in excelso collegio variis nominibus retentus, cum infelices etiam casus summa prudentia in felicitatem vertere didicisset, singulari mortalium omnium existimatione, & nominis celebritate, se ipsum simul, atque humanæ virtutis metas superavit. Sed letalem morbum ex ipsa dicendi vehementia, & ardore, perpetuisque vigiliis nactus, repente occubuit; & morte sua non minus grave Reipublicæ vulnus imposuit, quam acerbum sui desiderium reliquerit.

103 *VINCENTIUS GRADONICUS.*

VIncentius autem *Gradonicus* tanta innocentia vixit, tantaque gloria interiit, ut inter felicissimos viros vel à *Solone* referri, *Cræso*que Regi longissimo intervallo præferri posset. Adolescens primum excelso animo, omnibusque virtutibus exaggerato in honestissima patritiorum juvenum Academia quasi palæstra se exercuit, ut inde maximum inter juvenes nomen reportaret, maximamque facundiæ expectationem apud omnes ordines excitaret. Postquam verò ex umbratili exercitatione in medium Senatus agmen, & pulverem orationem eduxit, ita Senatorum animos flexit, ut non persuadere, sed decernere, non perorare, sed exorare diceretur. Cum autem *Latinis*, *Italicis*que literis, quibus instructus poterat utraque lingua ornate, apteque dicere, humanitatem etiam, integritatem, & civilem prudentiam adjunxisset, ad sublimes honorum gradus facile ascendit, & post maximas quasque legationes prudentissime obitas equestri dignitate auctus ad *Turcarum* Imperatorem orator missus, maximam ubique Reipublicæ dignitatem, & gloriam peperit, cui suam ipse dignitatem, & gloriam acceptam referebat, agros nimirum fertiles imitatus, qui multo plus afferant, quam acceperint. Dum vero in munere amplissimo nihil antiquius habet communi salute, omniaque libertate posteriora ducit,
104 splendorem in omni vita, & munificentiam retinens ita diem præmature clausit, ut vitæ brevitatem æternitate memoriæ compensare, & ex altissimo dignitatis gradu ad cælum pervenisse videretur. Familiæ vero nobilissimæ auctoritatem multis rebus gestis, magnisque Reipublicæ judiciis auctam, & eximiè vel ipsa morte amplificatam *Francisco* & *Bartholomæo* filiis, viris clarissimis, tantòque patre dignissimis reliquit.

VITUS CAOTORTA. 105

SIc vultus regia quadam majestate decorus, totiusque corporis habitus, atque dignitas cum animi candore, & magnitudine in *Vito Caotorta* certavit, ut animus ipse non terreno carcere inclusus, sed pellucido quodam, & purissimo domicilio receptus videretur. Is nulli culpæ affinis, præstantique ad miraculum ingenio tantam scientiæ vim, & cognitionem habuit, ut prodigii similis oculos omnium, & admirationem in se converteret: cum præcipuè incredibili quadam, & prope divina facundia ita gratiam terrore, gravitatemque mansuetudine mixtam spiraret, ut nulla tam crudelis, immanis, efferaque natura reperiretur, quam vel solus *Caotortæ* aspectus non ad mansuetudinem, & reverentiam traduceret. Namque aspergebat dulcissimo lepore, tanquam sale orationem omnem, ideoque sibi cujusvis benevolentiam mirum quantum conciliabat. Ad maximas quasque Reipublicæ dignitates elatus, & belli pacisque artibus nemini secundus, Consiliarius denique renunciatus est, ut Senatoriæ purpuræ tanta oris pulchritudine, atque majestate, tantisque virtutibus novum lumen, atque fulgorem tribueret. Fuit adeo magnanimus, ut beneficentia vel provocatus, vel ultro ipse provocans cum quoque certaret, atque videri vellet non modo acceptum beneficium rependere, & exæquare, sed magno insuper remunerationis cumulo plane superare, 106
cum tamen quasi nunquam relata gratia, sed apud eum semper integra, majori in dies beneficiorum cumulo bene merentes obrueret. Ita per omnia diis, quam hominibus propior cum sibi æternæ gloriæ, ac sempiterni nominis iter aperuisset, *Leonardo Lauretano* Venetorum Principe, diem suum clausit. Quod illustrissimæ familiæ tuæ decus, & ornamentum, *Paule*, cum tibi ad imitandum proposuisse, moriar ni mihi ad vivum expressum, omnibusque numeris absolutum tanti viri exemplar in te videre videor. Adnitere magno animo, & qua cœpisti virtutis, & gloriæ via, quam tibi præter cæteros *Hieronymus* etiam pater in Senatum lectus gloriose stravit, ad excelsum immortalitatis fastigium contende. Intuere temetipsum tantis vel naturæ, vel fortunæ, vel etiam studii muneribus mirifice instructum, cumque nihil omnino tui nominis amplitudini deesse possit; labora, ac perfice, ne tibi ipsi deesse videaris. Ingratus sim, nisi tibi, quantum debeam, debeo vero plurimum, tantum etiam debere profitear: sed ingratissimus nisi testimonium quodcumque potui non magis ex intimo cordis affectu, quam ex sanctissimo veritatis arcano depromptum, cum amicitiæ nostræ, tum virtuti tuæ debitum tribuerem.

DECADIS QUARTÆ FINIS.

ADMONITIO AUCTORIS. 107

L E C T O R.

DUO *te monitum volo: alterum, nihil in elogiis nostris de Gentium Origine dictum, sive Claritate, nam esse Patritiorum* Venetorum *satis est cognoscere; alterum autem, multa vel consulto prætermissa, vel strictim expressa, ne viderentur in historiam hæc Elogia evadere:* & *vero præclara facinora explicata uberius ex* Venetis *Historiis peti poterunt, ab iis præsertim, quas* Andreas Maurocenus *Senator amplissimus, Maximusque Sapiens,* & *incredibili facundia,* & Latini *sermonis elegantia,* & *rerum gestarum fide vulgaturus est. Cæterum ne quis* Venetos *omnes Heroas inter quatuor Decadum angustias circumscriptos existimet, sciat is, ad quadragesimam *prope Decadem me jam pervenisse, atque etiam superaturum hunc numerum brevi, me confido, siquidem suppeditarit, ut spero, facultas,* & *otium.* Vale.

* Morte tamen præventus, vel aliis causis impeditus forte fuit Auctor, quo minus, præter has quatuor Decades, plures publici juris factæ. *N. Crassus.*

I N D E X
RERUM MEMORABILIUM.

Dan-

FINIS.



BARTHOLOMÆI FACII,

Reipublicæ Genuensis à Secretis,

DE

BELLO VENETO CLODIANO

LIBER;


Ut &

Aliud parvi Temporis

BELLUM VENETUM.

Editio Novissima, priori auctior & emendatior.






LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER AA,
Bibliopolæ & Typographi Academiæ & Urbis.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ
EDITIONIS.

Exiguæ quidem molis, *BENEVOLE LECTOR*, *exhibemus Opusculum*, *maximæ vero ob Eruditorum æstimationem caritatis. Reliquit illud posteritati inter alia eruditionis suæ monumenta* Bartholomæus Facius, *Spedia*, *Emporio portu ac mercatu nobili*, *ut ipse circa finem* Libri IV. Commentariorum de Rebus gestis ab Alphonso Primo Neapolitanorum Rege *indicat*, *oriundus*; *gravissimis, dum viveret*, *perfunctus muneribus*, *& in Orbe literario immortale nomen adeptus. Inscribitur præsens opus ab Auctore:* De Bello Veneto Clodiano Liber. *Recensetur in eo bellum Anno* 1377. *inter* Venetos & Genuenses *exortum*, *cui occasionem dederat* Andronici & Manuelis, *Imperatoris Græci filiorum, de successione contentio. Ille* Genuensium; *hic* Venetorum *imploravit & obtinuit auxilia. Inde non solum dictas modo Respublicas*, *verum & earum vicinias funestum turbavit bellum*, *donec illud quarto ab ejus origine anno*, *interventu* Amati VII. *Sabaudiæ Principis confectum est*, *& pax composita. Adjunxit Auctor* Aliud Parvi Temporis Bellum Venetum, *quod inter easdem Respublicas*, Venetam & Genuensem *exortum*, *sed brevi quoque finitum.* Genuensium *quippe classis ab expeditione in* Orientem *suscepta rediens*, Venetorum *classem inopinato habuit obviam*, *a qua superata est & fugata*, *multis captivis* Venetias *abductis. Conclamatum inde iterum ad arma. Verum* Genuensibus *visum*, *Legatos* Venetias *mitti*, *querimonias illuc delaturos. Quibus ibi admissis*, *bellique calamitatibus memoria repetitis*, *captivi redditi*, *& pax renovata. Hæc Auctoris* de Bello Veneto Clodiano *scribentis argumenta. Liber ipse prodierat anno* 1568. Lugduni *apud* Gasparem à Portonariis, *in* Octavo; *difficillime vero haberi potuit. Quamobrem illum denuo recudi non abs re existimavimus. Quid præstitum a nobis hac in re*, *charta purior & typorum nitor ipsi loquentur. Emendatiorem quoque*, *quam quidem accepimus*, *Librum exhiberi curavimus. Atque ut* Lectoris *commoditati ubique consulamus*, *Nomina propria*, *eorum inprimis*, *quorum in ipso loco aliquod recensetur factum*, *nec non Orationes variorum magni Nominis Virorum*, *in opere occurrentes*, *diversis a contextu literis imprimi curavimus. Cumque opus hocce a pluribus allegetur Auctoribus*, *Lectoris commoditati nos multum consulturos existimantes*, *paginas Editionis veteris*, *vel Lugdunensis*, *ad marginem in nostra Editione poni curavimus*, *adeo ut loci ex illa citati*, *in nostra absque molestia facillime inveniri queant. Subjunximus denique Indicem pro operis mole locupletissimum. His utere feliciter*, Lector Benevole, *Vale*, *& nostris conatibus favere perge.*

ELOGIA AUCTORIS:

Ex Aug. Oldoini Athenæo Ligustico.



BARTHOLOMÆUS FACIUS *Ligur*, quem *Spedia* nobile municipium ad Portum *Lunensem* protulit, Reipublicæ *Genuensis* ad *Alphonsum* Regem Neapolitanum Orator, ejusdemque a secretis, legum peritia & eloquentia clarus, *Laurentii Vallæ* æmulus, *Æneæ Sylvio Piccolomineo*, reliquisque doctrina præstantibus Viris æquævis pergratus, præsentem vitam amisit circa annum a partu Virginis 1457. ac reliquit in Eruditorum commodum monumenta plura, videlicet:

Arrianum de Rebus gestis Alexandri Macedonum Regis latinitate a se donatum.

Commentariorum Libros decem de Rebus gestis ab *Alphonso* primo *Neapolitanorum* Rege, *Lugduni* 1560. & 1562.

Librum de Bello Veneto Clodiano, ibidem 1568.

Historiarum & Chronicorum Mundi Epitomen, Anno 1533. *Venetiis*.

Commentarium in Satyras Persii.

De Vitæ Felicitate, ac Præstantia hominis Opus.

Dialogum ad Alphonsum Regem, *Antverpiæ* 1556.

De Immortalitate animæ Librum contra Laurentium Vallam.

De Origine belli inter Gallos & Britannos Opus.

In Bibliotheca Regia Gallica est ejusdem Opus de Rebus Siculis, & aliud de Differentia verborum latinorum.

De Viris suo Ævo illustribus Narrationem.

Elenchum Scriptorum omnium.

Literas ad *Æneam Sylvium Piccolomineum* evulgatas, cum illis ejusdem *Æneæ* sub nomine *Pii II.*

Hunc pleno ore laudant ipse *Pius II.* in Literis, *Leander Albertus* in Descriptione Italiæ, *Antonius Possevinus* in Bibliotheca selecta, *Hieronymus Bardi* in Chronologia, *Petrus Bizarus* in Historia Genuensi, *Paulus Jovius* & *Ubertus Folieta* in Elogiis, *Rocchus Pirrus* in Sicilia sacra, *Ludovicus Dominici* in Dictis, *Salvator Ravecca* in Vita, *Petrus Ricordatus* in Historia Monastica, *Petrus Opmerus* in Chronographia, *Jacobus Gaddius* de Scriptoribus non Ecclesiasticis, *Raphaël Sopranus*, & *Michaël Justinianus* de Liguribus, aliique quamplures.

Ex Francisci Maurolyci Sicanicæ Historiæ Lib. V.

Dilexit hic magnanimus Princeps (*Alphonsus* Aragonum & Neapolitanorum Rex) non solum bellica re illustres viros, ut *Braccium*, ac *Nicolaum Picininum*; sed etiam literatissimum quemque fovit ac muneravit, ut *Bartholomæum Facium*, suavi ac prisca eloquentia præditum.

BARTHOLOMÆI FACII DE BELLO VENETO CLODIANO, AD JOANNEM JACOBUM SPINULAM, PROOEMIUM.

Incidit mihi nuper in manus, Joannes Jacobe *ornatissime*, *dum resupinarem libellos meos*, *bellum illud* Venetum *vulgatissimum*, Clodianum *appellatum*: *quod aliàs*, *prout in Annalibus nostris scriptum reperi*, *in Commentariolos quosdam contuleram*, *eo animo*, *ut illud aliquando expolirem. In eosdem quoque Commentariolos conjeceram superiora bella* Veneta, *quæ* (*ut arbitror*) *duo fuere*, *quibus Civitas nostra multas insignes victorias de* Venetis *consecuta est*: *quanquàm sint tam breviter*, *ac tam mutilatè literis mandata ab Annalium nostrorum scriptoribus*, *ut ne ipse quidem* Livius, *si reviviscat*, *aut* Salustius *ea illustrare satis possit. Namque in iis*, *neque consiliorum rationes*, *neque bellorum apparatus*, *neque præliorum ordines*, *in quibus maximè fortunæ varietas nos oblectat*, *neque per quos potissimum victoria parta sit*, *neque locorum descriptiones ullæ*, *neque interdum hostium duces cognosci possunt. Atque illa superiora bella brevius etiam*, *atque concisius*, *quàm hoc* Clodianum, *ab iis scripta sunt*: *cum quidem in iis multò diligentiores eò esse debuerint*: *quòd illa victoriis & felicitate plena sunt*: *hoc autem extremum*, *etsi multis prioribus victoriis inclytum*: *tamen ad postremum Reipublicæ nostræ calamitosum fuit. Cæterùm quoniam ea calamitas fortunæ magis*, *quàm virtuti* Venetorum *adscribi potest*, *hoc ipsum pro viribus exornare constitui*, *ac nomini tuo dedicare*, *ut si quid gratiæ inerit scriptis meis per me*, *vel posteris notus clarusque fias*: *atque ut apud omnes amorem nostrum testatum relinquam. Et nisi illa superiora*, *nescio quomodo*, *è libellis meis excidissent*, *ea quoque cum hoc ipso celebrare studuissem*: *quod aliquando fortasse faciam*, *si ea ad me miseris*: *nisi quis alius me doctior hunc mihi*, *quod velim*, *laborem præripuerit. Ego enim sic patriæ afficior*, *sic ejus gloriæ faveo*, *ut in ea ornanda*, *atque excolenda*, *omnia mea studia libentissimè conferam. Id me movit*, *ut hoc bellum tibi potissimùm dicarem*: *quoniam me sæpe per literas tuas docuisti*; *cupere te*, *ut aliquid historiarum mearum ad te mitterem*: *quas quoniam mittere non licet*, *hoc quod licet*, *mittere decrevi. Hoc enim bellum legens*, *genus dicendi nostrum in historia cognosces*: *quanquàm vereor*, *ne tu majus aliquid à me expectes ingenti opinione*, *quàm concepisse de scriptis meis visus es ex epistolis tuis. Sed neque res nostræ cum rebus* Romanis, *neque eloquentia mea cum illorum præstantissimorum hominum eloquentia conferenda est. Quanquam sanè ipsa rerum magnitudo grandiloquentiam plerumque efficit*: *feci ego*, *quod potui. Atque utinam multi sint è nostris*, *qui me hac laude superare contendant*: *ego enim me vinci* (*tantus est patriæ amor*) *facilè patior. Si quid autem erratum in rebus fuerit*, *non ego*, *sed Annalium nostrorum scriptores culpandi erunt*: *quos secutus sum*: *aliquibus tamen paucis correptis*, *atque immutatis*, *quæ quantum indagare potui*, *nec vera*, *nec verisimilia visa sunt. Sed iis omissis ad Historiam deveniamus.*

7 # BARTHOLOMÆI FACII DE BELLO VENETO CLODIANO LIBER.



Elli *Veneti Clodiani* rerum gestarum magnitudine, & fortunæ varietate memorabilis, hinc ortum accepimus: *Calcianus* Græcorum Imperator *Andronicum*, ac *Manuelem* ex se genuit: *Andronicum* majorem natu, incertum quâ de causa, regni exsortem fecit: *Manuelem* regni successorem instituit. Eo mortuo de regni possessione inter fratres exorta contentio est: *Andronicus* prærogativam ætatis, ac jus successionis: *Manuel* pa-
8 ternum testamentum prætendebat. Cùm dissiderent, controversiam dirimere armis statuunt, externa uterque auxilia parare. *Manuel* cum *Venetis*, *Andronicus* cum *Genuensibus* amicitiam, & fœdus junxit. *Tenedos* insula olim celebris, nunc deserta, imperii paterni erat: quam ut beneficio, quos sibi adsciverant, obligarent, *Andronicus* Genuensibus, *Manuel* Venetis polliciti sunt. Fuerat quidem *Calojano* summa cum *Genuensibus* amicitia, ex eo cœpta, quòd cùm olim *Catocosmi* Principis, qui de imperio contendebat: bello vexaretur, regnoque pulsus foret, *Francisci Gatilusii* Genuensis viri fortis opera in regnum restitutus est: cujus quidem meriti gratia illi sororem in matrimonium, ac *Lesbon* insulam, quam *Mitilenas* vocant, dotis nomine tradidit, ac post perpetuo vitæ tenore *Genuenses* omni officio
9 prosecutus: cujus vestigia *Andronicus* secutus, *Genuensium* amicitiam persanctè coluit, fraternoque bello sibi quopiam beneficio confirmandam censuit. At *Veneti*, ne *Tenedos* manibus elaberetur, quæ insula *Hellesponti* fauces fermè claudit, *Manueli* opem polliciti, subito misere, qui arce præsidio firmata *Insulam* occuparent. Quod ubi *Genuam* perlatum est, indignantibus omnibus insulam tam opportunè sitam, & sibi justè ab eo traditam, qui major natu jure regnum deposceret, sibi ademptam esse, bellum adversus *Venetos* extemplo suscipiendum decernunt. Mittere tamen legatos priùs quàm arma moverentur, placuit: qui scirent an cedere Insulæ possessionem voluntate sua vellent. Qui profecti, atque in Senatum, introducti, in hunc ferèmodum locuti sunt:
10 *Miramur*, Veneti, *vos adeò abuti amicitia nostra, ut quam nobis datam ab* Andronico *Imperatore insulam sciatis, præsidio in*
A *arcem inducto, occupaveritis. Si de jure disceptandum erit, quod haud quaquam recusamus, non erit profectò, ut arbitramur, quisquam tam imperitus humani juris, quin eam nobis restituendam censeat.* Andronicus *Calojani filius major natu, ad quem naturali jure paternum regnum pertinet, nobis hanc insulam dedit: vobis* Manuel *minor natu frater, qui nihil eorum, quæ paterni regni sunt, præter fratris vo-*
B *luntatem tradere cuiquam potest. Uter igitur dare potuit? an is, qui in fratrem contumax, impia arma suscepit, aut is, qui patris successor ipso jure regnare debet? Animadvertite, quàm turpe vobis sit, dum ob immoderatam dominandi cupiditatem,* Ma- 11
nuelem *tueri vultis, pro eo injusta arma suscipere adversus illum, cui regnum omnium consensu ipso jure debetur. Multo sanè æquius fuerat, vel ei, qui justè regnum*
C *tenet, opem ferre, vel dissidentes de regno fratres ad pacem, concordiamque revocare: quàm pacem, & amicitiam nostram labefactare: quæ quidem per nos stabilis, firmaque erit, quamdiu injuria nostra abstinueritis: quam nos perferre, nec posse, nec consuesse jam satis experti estis.*

Aut igitur revocato præsidio insulam reddite, *aut scitote, vos ea pace nostra*
D *frui non posse.*

Ad ea Veneti: *Nulla nobis vobiscum,* Genuenses, *de insula* Tenedo *disceptatio est. Si æquum censetis eam vobis restitui, quòd illa vobis ab* Andronico *data sit, cùm eam non teneret: & nos non iniquum existimamus eandem retinere, quàm nobis ille de-* 12
derit, in cujus manu erat: quique eam nobis justè dare potuit. An ignoratis Andronico *à patre jure successionis orbato,*
E *quod ei ob contumaciam, & flagitia invisus esset,* Manuelem *Regni successorem institutum? Nec nunc nobis* Græcorum, *aut gentium jura quærenda sunt, possitne minor natu frater, majore vivo regnare: sed quid pater jusserit, hæc ipsorum fratrum quæstio fuerit. Nobis natura & consuetudo dedit, ne eos, qui oppressi ad opem nostram confugiant, deseramus: ut sciant exteræ gentes, sibi in nobis certum salutis profugium esse: quin etiam hoc natura ipsa mortalibus præscribit, uti mi-*

noribus natu, & imbecillioribus, si modò
possimus, opitulemur. Nos Insulam à pos-
sessore accepimus, nihil quod in manu vestra
13 *esset, abstulimus: neque enim ullum inde*
præsidium vestrum ejecimus: & vos si Insu-
lam teneretis, quod vobis sors dedisset, id
vestrum esse pateremur: idque paci, & a-
micitiæ, quæ nobis vobiscum est, daremus.
Quod ad summam rei attinet, non placet
Insulam reddere. Vos si aliter animati estis,
ut libet, decernite.

Ita re infecta Legati *Genuam* reversi sunt.
Postquam *Genuenses* ex Legatis cognove-
re, *Venetos* nolle Insula excedere, bellum
extemplo cunctorum ordinum consensu su-
scipiunt: ac primùm triremium decem clas-
sem comparant, quæ interim dum major
classis paretur, *Tenedon* petat: si fortè
præsidium ex arce pelli possit, *Aruntem*
Strupam classi præficiunt. Fuit hic annus
ab ortu *Christi* Dei septuagesimus septimus,
& tricentesimus supra millesimum.

14 Parata classe, armis & commeatu impo-
sito, *Aruns* secundam maris tempestatem
nactus, è portu solvit: multaque in cursu
Tenedon petens, hostibus detrimenta intu-
lit, navibus plerisque eorum captis, incen-
sisque. Mare per id tempus *Genuensibus*
liberum erat, nondum satis ad bellum in-
structis hostibus. Profectus ad Insulam cùm
frustra arcis oppugnatio tentari videretur,
quòd erat præsidio valido firmata, prælio
abstinendum censuit: mutatoque consilio *Æ-*
geum mare cum classe circuit, insulas, quæ
Venetis parebant, commercio & commea-
tu prohibiturus. *Veneti* de classis subità
profectione certiores facti, & ipsi extemplo
decreta classe mittunt, qui *Ligurum* oras
vexent: si fortè hostes, metu rerum sua-
rum inde retrahi possent. Eo anno nihil
15 memorabile gestum est, ex quo existima-
verim sub anni exitum bellum inchoatum
esse: neque enim *Venetorum* classem ullam
eo anno in *Ligusticum* sinum trajecisse legi-
mus. Eo, qui secutus est, anno *Genuenses*
cùm accepissent, classem à *Venetis* augeri, tri-
remes decem classi adjiciunt, eique *Ludovi-*
cum Fliscum præponunt. Jam enim fama
erat, hostilem classem paratam, atque in-
structam esse: sed quorsum profectura esset,
incompertum erat. Alii adversus *Aruntem*
Strupam in *Ægeum*, alii in *Ligusticum*
mare profecturam putabant. *Brutiorum*
autem oram legenti *Ludovico* hostilis clas-
sis *Ligusticum* petens, improviso obviam
facta est. *Venetus* navium numero fretus,
illicò arma expediri jubet. *Ludovicus*, etsi
impar erat, & repentinus hostium occur-
sus, non nihil suorum animos turbaverat:
16 tamen necessitudine adductus, & ipse suos
ad prælium extemplo expediri jubet, & ad
confirmandos eorum animos meminisse monet,
quibuscum sibi pugnandum sit, eos esse,
A *quos superiore bello sæpius fuderint, de*
quibus multas præclaras victorias, ac spe-
ciosos triumphos reportaverint: quos deni-
que plures ipsi pauciores nonnunquam in
fugam verterint. Adversus plures rem ge-
rere gloriosum esse, fortibus fortunam in
prælio favere consuesse. Venetus item non
segnius suos hortabatur, *victoriam in manu*
esse, si viri sint, quòd hostes sublata fugi-
endi facultate, classe quoquè infirmiores
B *sint. Si naves hostium circumsistant, vix*
primum impetum laturas. *Classibus* pro-
pioribus factis, *Ludovicus* cum triremibus
quinque ante alias longe evectus, initium
pugnandi fecit. Ea primùm ordinis pertur-
batione, *Veneti* multo alacriores in pugnam 17
fiunt, existimantes, id quod exitus rei do-
cuit, hostes priusquam cæteræ succurrerent,
superari posse. Temerarium consilium subita
clades secuta est: plures hostium naves quam-
C primum circumsistunt. *Ludovicus* uno tan-
tùm modo errata sua corrigi posse arbitra-
tus, si nullum periculum metuant, suos rur-
sus pro tempore hortatur. Tum omnes ve-
luti desperata salute prælium ineunt, magna
cædes utrinque editur, his pro salute, illis
pro gloria pugnantibus. Mox reliquas *Ve-*
neti petunt, quæ cum suos jam victos pu-
tarent, in fugam versæ saluti consulunt: ex
quibus una fugiendi studio cum in scopulum
D incidisset, demersa est, reliquæ virtute re-
migum elapsæ. In eo prælio triremes quin-
que plenæ, in queis *Ludovicus*, ab hosti-
bus captæ. Hac clade cognita *Genuenses*
de transmarinis oppidis solicitudo ingens ce- 18
pit, incertum quò se hostium classis post
adeptam victoriam vertisset: maximè verò
de *Famagusta* Cypri urbe celeberrima anxii
erant, ne aut in *Cyprii* Regis, cujus regno
adempta fuerat, aut in hostium potestatem
E aliquo modo perveniret. Hoc uno oppido
Genuenses Janum *Cypriorum* Regem (qui
Genuæ natus est) in patrium regnum resti-
tutum, cùm totius prope Insulæ potiren-
tur, multaverant, cives suos interemptos sa-
tis ultos arbitrati. Erat hæc Regum sedes,
situs opportunitate, atque ædificiis omnium
Insulæ urbium, haud dubiè prima, cæterùm
pestilens propter paludes circumjectas, & ob
id civibus infreqens, ac propè exhausta.
F Itaque *Genuenses* triremem unam ex his,
quæ cladi superfuerant, eò confestim cum
præsidio mittunt, tribusque reliquis supple-
mento imposito, *Petrum Picconum*, vi- 19
rum strenuum ad cæteram classem jubent
contendere: maritimisque oppidis, quæ de-
fendi posse videbantur, præsidio firmatis, si
qua minus tuta viderentur, incolas in mon-
tana concedere. Interim *Veneti* ipso suc-
cessu alacriores facti, cum classe in *Ligu-*
sticum proficiscuntur: omnemque maritimam
oram minoribus navibus infestam faciunt:
eratque ob eam rem *Genuensibus* difficilis
com-

commeatuum in oppida maritima importatio:
nam nisi navibus magnitudine insignibus quid-
quam importari non poterat. At *Petrus* tri-
bus iis navibus longis, quas dixi, acceptis,
in *Adriaticum* profectus, nihil ibi quietum
hostibus relinquere, uno prope tempore o-
mnibus locis videri adesse, multisque in-
commodis hosti illatis, magnam brevi lau-
dem promeruit. Inter hæc *Veneti* cum
20 *Bernabove* Mediolanensium Principe amici-
tiam ac societatem ineunt: gnari inde ho-
stes percommodè vexari posse, quòd illius
ager cùm agro *Genuensi* continuaretur. Pu-
tabant enim fore, ne *Genuenses* propinquo
metu classem augerent, quòd, quam juven-
tutem in classe missuri essent, pro rerum
domesticarum tutela domi contineri necessa-
rium esset: commeatus quoque, qui ex *Gal-
lia* Genuam importabantur, societate facta
sublatum iri videbant, nec commeatus mo-
dò, sed etiam commercia, quæ inter *Ge-
nuenses* & *Gallos* magna, crebraque erant,
ex quibus tum ad privatos cives, tum ad
urbana vectigalia ingens fructus accederet,
qui fructus hostibus detractus in eorum Rei-
publicæ usum esset perventurus. *Janum*
quoque *Cypri* Regem, quem *Genuensibus*
21 infensum sciebant propter *Famagustam* ad-
emptam, in societatem adsciscendum existi-
marunt. Itaque missis legatis Regem facilè
in sententiam traxerunt. Quæ ubi *Ge-
nuam* nunciata sunt, ingens cura, ac soli-
citudo nobilitatem simul ac plebem cepit.
Nam cùm id bellum per se periculosum vi-
deretur, *Venetis* suis opibus bellum geren-
tibus, longè id gravius fore existimabant,
iisdem tantis societatibus subnixis, *Bernabo-
ve* præsertim, qui cervici imminebat, &
belli causas expetebat. Videbant annonæ,
cæterarumque rerum ex *Gallia Cisalpina*
exportandarum facultatem sibi ereptam esse:
animadvertebant commercia, in quibus sibi
tum privatim, tum publicè permagna utili-
tas inerat, sublata: nam magnam partem
eorum, quæ *Genuenses* ex transmarinis re-
gionibus convehunt, *Galli* coëmunt. Ter-
22 rebat imminens tergo opulentus hostis, cui
facile erat quotidie cum exercitu eorum fi-
nes populari, atque vexare, nec satis scire
quonam modo maritimo simul, & terrestri
bello suppeditare possent: quoniam quos u-
sus classis exigeret, hos domi manere me-
tus à terra cogeret. Iis anxii curis, & ipsi
de externis auxiliis cogitare cœperunt, &
quos sciebant *Venetis* infensos esse, horum
maximè amicitiam ac societatem sibi adsci-
scendam putaverunt. Per id tempus *Henri-
cus* Romanorum Imperator propter *Illyri-
cum* Imperio suo ademptum, graves cum
Venetis inimicitias gerebat: nec leviores Pa-
triarcha *Aquilejensis*, cui *Forojuliensem*
provinciam ademerant. Ad hæc *Franciscus
Carraria* Princeps *Patavinorum*, eorun-

A dem metu sese liberare cupiebat. Itaque ad
eos legati extemplò decreti sunt: ad *Henri-
cum* profecti, ita locuti sunt: 23
*Ni tibi Imperator, satis cognitam sci-
remus* Venetorum *insolentiam, atque ava-
ritiam, longiore oratione, atque alia, quàm
instituerimus, hodie apud te uteremur. Sed
nosti, qua temeritate* Illyricum, *quod tui Im-
perii est, jam pridem occupaverint: qua
deinde contumacia in Imperatores Rom. fue-*
B *rint, soli ex omnibus* Italiæ *populis te su-
periorem nec habere, neque pati possunt.
Gentem se liberam, neque Imperatori, ne-
que Pontifici Max. obnoxiam vulgò glorian-
tur. Sanctissimas duodecim tabularum le-
ges, quas universa* Europa *veneratur, &
colit, ita contemnunt, ut iis in Reipubli-
cæ suæ administratione minimè utendum pu-
tent, quin etiam eò usque sibi arrogavere,
ut mare* Adriaticum *mutato nomine* Venetum
C *appellent, nec triremem, birememve ullam
injussu suo id intrare patiuntur. Quòd ve-
rò sint Imperii avidi, ex eo satis patere* 24
*arbitramur: quòd cum nihil tenerent, præ-
ter exiguum palustre solum, in quo nati sunt,
&* Illyrici *oras, &* Eubœam, *&* Cretam, *&
cæteras Insulas* Ægei *maris, omittamus,
nec lacessiti, sed lacessentes ditionis suæ fe-
cerint. Gens maximè temeraria omnia sui
juris, suique arbitrii facit, pacem bellum-*
D *que se dare quibus vellet, æquum censet.
Sed quid vetera commemoramus? recens
exemplum in manu est.* Tenedon *Insulam
ad* Hellespontum *sitam, quam scirent ab* An-
dronico *Imperatore* Græco *socio, & amico
traditam, arce præsidio firmata, occupave-
re: neque pudet præter Jus Gentium, &
usitatum regnandi morem pro minore natu
fratre contra ipsum* Andronicum *majorem
natu, cui Regnum debetur, arma suscipe-* 25
E *re: tantum se præstare cæteris gentibus pu-
tant, ut nullam in terris majestatem satis
dignam existiment, cui cedant, aut cujus
dicto obtemperent. Si tibi Imperator, in
animo est non pati diutius eorum injurias,
& detractum imperio tuo* Illyricum *in pote-
statem tuam redigere expetis, nunc tibi op-
portunitas oblata est. Nunquam tibi majo-
rem ejus rei facultatem dii dabunt. Nam
si tu à terra cum copiis, nos à mari cum*
F *classe incubuerimus, atque in belli societa-
tem coierimus: non dubitamus fore, quin
eos brevi in summum rerum discrimen addu-
camus. Si te Majestas Imperii, si Majo-
rum dignitas movet, eorum profectò inju-
rias diutius non feres. Quapropter te ora-
mus, ut adversus communes inimicos com-
muni animo bellum gerere in animum inducas.*
Ad ea Imperator: *Non erat mihi igno-
ta,* Genuenses, *Venetorum arrogantia, ac* 26
*libido dominandi: & si mihi per Imperii
negotia licuisset in* Italiam *transire, jam
pridem, ut puto, iis ostendissem, quod*

iniquo animo eorum injurias, & contumelias tulerim. Verùm enim vero Turcarum *metus, quibuscum nobis sempiternum bellum est, non sinit me ex hac provincia quoquam decedere. Id enim semper consilium meum fuit, communes potius* Christianæ *gentis hostes nobis infestissimos, quàm privatas inimicitias persequi. Nec mihi porrò mira, aut nova sunt, quæ de intercepta ab iis* Tenedo *Insula, quæque de armis sumptis. Genus hominum in ambitionem præceps, justè, an secus agat, nihil pensi habet: omnia sibi licere putant, quæ in alios ipsi statuant: quoquo modo Reipublicæ opes augere student. Sed si nullum crimen apud*
27 *Deum gravius insolentia est (quod Doctores nostri affirmant) spero eos brevi contumaciæ suæ pœnas daturos. Ego cùm primum anni tempus patietur, aut in* Italiam *trajiciam, aut Ducem cum copiis mittam, qui à terra bellum inferat. Cætera vobis curæ fuerint.*

Cum hoc responso *Genuenses* reversi, ingenti spe Civitatem repleverunt. Qui ad Patriarcham, quique ad *Franciscum Carrariam* missi, rebus item ex sententia confectis, redierunt. Quibus auxiliis *Genuenses* freti majore animo bellum persequi cœperunt, quoque liberius dempto domi metu mitti juventus in classem posset, non parvam proscriptorum manum, qui quotidianis latrociniis agros infestabant, domum revertendi potestas facta est, qui postea magno Reipublicæ usui fuere. Per id tempus *Carretini* Reguli *Ligusticæ*
28 oræ incolæ inter *Ligures* clari, iis, qui *Genuensem* Rempublicam gubernabant, infensi erant, seque cum *Bernabove* conjunxerant: namque ea tempestate *Dominicus Fregosus*, homo adversæ factionis *Genuensis* Reipublicæ præerat. Hi opportunitatem nacti, *Naulum* & *Albingaunum* oppida, ac præterea *Castrum Francum* immisso præsidio, occupavere. Erat tum fortè *Albingauni* Prætor *Bartholomæus* Vicecomes Mediolanensis, ob invidiam domo pulsus, *Dominici* beneficio in Civitatem adscitus. Hic primò ei charus, cùm posteà in ejus odium incidisset, desideratur. *Flisco* (nam ea gens tum *Fregosis* adversa erat) Urbem prodidit, quam cùm ille tueri non posset, quòd erat à finibus suis remotior, eam in Regulorum potestatem tradidit. De proditore haud multo pòst, cùm esset comprehensus,
29 sumptum supplicium est. Post hæc *Genuenses* duas & viginti rostratas quamprimum ædificandas curavere: cumque eam cladem culpa Ducis acceptam scirent, circa Imperatorem deligendum maximè immorati: cumque res superioribus bellis contra eosdem hostes ab se gestas memoria retinerent, genusque *Auriæ* homines adversus *Venetos* in primis prosperè rem gessisse meminissent, *Lambam* præsertim ac *Paganum*: eamque gentem *Venetis* fatalem esse, vulgò increbuisset, in

A eam familiam omnium civium oculis conversis, *Lucianum Auriam* impigrum virum, classis ducem decernunt. Eodem anno *Dominicus Fregosus* adversariorum conspiratione *Genuæ* Principatu amotus est: qui quo statum ejus labefactarent, hujusmodi rumores vanos disseminaverant: misisse *Bernabovem* ad oppida trans *Apenninum* sita, magnum equestrium copiarum numerum, ad urbem agrosque vexandos: venisse ad *Venerii Portum* 30
B complures *Venetorum* triremes, quæ oram maritimam incolentibus navigandi, & commeatuum potestatem ademturæ essent. Quoque hujusmodi commentis fides haberetur, literis confictis nuntios subornant, qui hæc ad *Dominicum* perferant: atque hæc omnia, ut iis liceret arma comparare: quæ alioquin coëmere sine conjurationis suspicione fas non erat. Iis falsis rumoribus deceptus *Dominicus*, armorum emendorum omnibus potestatem facit.
C Hac opportunitate usi inimici, palatium petunt, atque incautum opprimunt, *Nicolao Goarco* Duce facto. In tantis motibus *Antoniotus Adurnus*, amicis fretus, Principatum invadere conatus est: Republica, amissa libertate, ad unius imperium, ac potestatem jam redacta: nam prius præfectis ex nobilitate utebatur: per quos mirum in modum & auctoritate, & opibus creverat. Sed postquam *Antoniotus* animadvertit *Nicolaum* apud cives 31
D opibus valere, & gratia, fortunæ cedendum ratus, relicta Urbe, victori concessit. *Nicolaus* jam ab initio principatus nobilitatem in honore habere, eaque maxime uti in administranda Republica, divisis in æquas partes honoribus, quorum prius tertiam partem nobilitas ipsa capiebat: *Guelfos* quoque benignè habuit. Horum favore subnixus dignitatem suam facilè tueri, *Dominico* ac *Petro Fregosis*, ne quid adversus se molirentur, in cu-
E stodiam traditis. Cæterùm *Petrus* decepto custode elapsus est. Post hæc Senatu coacto Principis potestas coarctata est: latisque novis legibus publicæ quietis causa omnes quicunque *Fregosæ* gentes essent, ex Urbe, atque agro pellendos censuit, gravi pœna denuntiata, si quis postea de iis reducendis ad Senatum retulisset: tanta cupiditate res agebatur per eos, qui *Nicolao* amici erant. Per id tempus *Bernabos* Venetorum opera *Cypriorum* Regem 32
F generum sibi adscivit, tradita ei in matrimonium filia, quam profectam *Venetias*, ut inde ad virum iret, miro honore exceptam, datisque insuper muneribus in gratiam patris, ac viri *Veneti* quatuordecim triremibus comparatis, in *Cyprum* deducendam curaverunt. Ingens in tota Insula lætitia, ludique ob ejus adventum editi. Cùm esset in portu classis, Rex venit in spem *Famagustam* à se recipi posse, si classis ipsa eò confestim mitteretur, arbitratus præsidium, quod intus erat, improviso opprimi posse. Communicato consilio cum Duce classis, triremes quinque eò missæ: ipse 33

ipse raptim delectibus pro tempore compara-
tis, terrestri itinere eòdem profectus est. Cæ-
terùm id frustrà fuit, oppidanis de ejus adven-
tu certioribus factis. Ut primùm rostratæ ap-
paruere, regiique appropinquare cœperunt,
oppidani armati subitò in muros prosiliunt,
longeque hostes lapidibus, ac telis summovent.
Ita irrito incepto inde discessum.

Hoc anno pacem cum *Cattelanis* à *Genu-
ensibus* factam invenio, ex quo mirari licet
scriptorum negligentiam, qui de pace scripse-
runt, de societate eorum cum *Venetis* obticue-
runt. Per hos dies *Aruns Strupa*, quem
cum decem rostratis in *Ægeo* in initio belli pro-
34 fectum diximus, cùm *Genuam* revertisset,
Lucianus Auria cum decem ac septem trire-
mibus in *Adriaticum* mare contendit, inde
Adriam profectus est, civitatem amicam, &
diuturno commercio conjunctam, quæ per id
temporis ad *Henricum* Imperatorem defece-
rat, à cujus imperio se distractos dolebant,
cùm prius sub Imperatorum tutela esset, à qua
amicè, ac benignè receptus est: deinde tribus
rostratis, queîs *Petrum Piconum* præfuisse di-
ximus, classi additis, duarum & viginti trire-
mium classem effecit, sinumque *Adriaticum*
circumvectus, ingentem hosti terrorem infert,
navibus plerisque captis, maritimisque oppidis
commeatu & commercio prohibitis. Inter
hæc Imperator magnis copiis comparatis, in
Forojuliensem agrum, *Franciscus Carraria*
cum equitatu ac delectu in *Tarvisanum* pro-
35 fecti sunt, omnique cura agro depopulato,
Tarvisium à *Francisco* obsideri cœptum. Op-
pidani primo ejus adventu freti auxilio propin-
quo aliquamdiu restiterunt: sed ubi in longum
trahi obsidionem vident, nec auxilii copiam
fieri (nam *Veneti* per id tempus haud pares
hostibus copiis erant) accedente inopia rei fru-
mentariæ Imperatori, si potestas fieret, dedi-
turos sese dixerunt: iique patiente *Francisco*
ab Imperatore recepti sunt. Quibus cognitis,
Veneti, quæ in *Illyrico*, ac *Forojuliensi* op-
pida tenebant, pro desperatis, ac perditis ha-
bere cœperunt. Sed maritimarum rerum lon-
ge major iis cura erat, quòd inde pecuniam
in belli sumptus comparabant, qui, navigatio-
ne adempta, iis intolerabiles erant. Itaque
viginti triremium classe effecta, *Victorem Pi-
sanum* ei præficiunt: atque ut ea classis pu-
36 gnatorum numero hostilem superaret, quin-
gentos milites præter navales socios in eam
imponunt. Cum hac Victor *Pollam* primùm
petit, oppidanos complures in eam assumit,
sive uti esset contra hostes munitior, sive
quòd oppidanorum fides *Venetis* suspecta fo-
ret: cujus adventu *Pollani* per navim specu-
latoriam cognito, *Lucianus* eòdem cum classe
contendit, eo consilio, ut faceret hosti pu-
gnandi potestatem. Cùm in conspectum *Pol-
læ* pervenisset, confestim *Victor* navales so-
cios in classem cogi, & ad prælium parari im-
perat, iisque brevi oratione confirmatis adver-

A sus hostilem classem proficiscitur. *Lucianus*
ubi venientem videt, lentius remos trahi, ne
defatigatos remiges prælium exciperet, arma-
que expediri jubet, suosque satis per se ad pu-
gnam paratos brevi oratione accendit: magnam
verò inde spem concepit, quòd hostes ab op- 37
pido classem amovissent. Concursum est in-
genti animo, & multi quidem *Venetorum*,
antequam coirent classes, procul sagittis icti
ceciderunt: post ubi propiores facti, ludifi-
B candi potestate erepta, acrius multò prælium,
& aliquamdiu anceps fuit, & modò hi, mo-
dò illi variante fortuna prævalebant: sed *Ve-
netorum* plures balistis percussi cadebant. Quod
ubi *Lucianus* animadvertit, cohortari suos
vehementius cœpit, victos jam hostes, pa-
rumque negotii ad victoriam restare.

Ea vox audita veluti stimulum quendam pu-
gnantibus addidit: & quasi tum primùm pu-
gnare inciperent, in hostes irruunt. Sed cum
C *Lucianus* ad victoriæ vocem caput galea nu-
dasset, hostili jaculo trajectus repente cecidit.
Hoc gravi casu, etsi erant consternati, qui
circumstabant, eum continuò inde ablatum 38
condunt, aliumque ejus armis ac paludamen-
to indutum, ibidem locant: ne mors ejus co-
gnita aut suos segniores, aut hostes acriores
redderet: nec *Victor* quoque suis deerat. Cæ-
terùm jam omnis cohortatio inanis erat, ma-
gna parte navium amissa: ad postremum con-
D spicatus nullam spem salutis in armis superesse,
navibus quindecim amissis, in fugam versus,
non prius fugiendi finem fecit, quàm *Vene-
tias* pervenit.

Hac victoria *Genuam* perlata, universam
Civitatem ingens lætitia invasit: sed ubi de
morte Imperatoris auditum, rursus in dolorem
conversa est: tantum virum tantis rebus gestis
immaturo tempore Reipublicæ ereptum, con-
silione, an animo melior esset, dubium.
E Magni ei à Senatu honores decreti, annua
supplicatio ad *Joannis* Evangelistæ aram, quæ 39
in *Georgii* templo est, filiis posterisque annua
è publico salaria. Manebat adhuc aliqua ea
tempestate libertatis species, & Reipublicæ
cura, quæ nunc nulla est, Civitate in ambi-
tionem, avaritiam, luxuriamque præcipiti.
Tunc iis, qui pro Republica occubuerant,
præmia decernere mos erat. De virtute, de
Reipublicæ dignitate, de Imperii amplificatio-
F ne inter cives certamen erat, patriæ gloriam
parare, liberalitate uti, parcè vivere, pro
Reipublicæ opibus privata negligere, commu-
ni saluti consulere: harum rerum gratià nul-
lum discrimen evitare. At nunc contrà omnia,
eaque non nunc nuper mala, sed jam pridem
orta, admiratione divitiarum, ac potentiæ
cupidine animis à vero rectoque distractis.
Nam pro Reipublicæ amore ambitio, pro li-
beralitate avaritia, pro parsimonia luxuria, 40
Civitatem invasere.

Classe præfecto, ut dixi, orbata, Genuen-
ses *Petrum Auriam* in demortui locum sta-

tuerunt: isque confestim triremi una vectus ad classem, in *Adriaticum* sese contulit. *Victore* autem cum reliquiis cladis acceptæ *Venetias* reverso, *Veneti* in graves curas inciderunt: navigationem enim sibi sublatam animadvertebant, cujus rei causa vectigalia publica, fidemque multorum civium concidere necesse erat. Itaque ad *Bernabovem* mittendum quamprimum censuerunt, qui illum rogarent, uti exercitum, qui hostes terra lacesseret, in *Genuensem* agrum mitteret, ut dum eo metu compulsi hostes; ex *Adriatico* ad sua tutanda classem revocare cogerentur, ipsi interim de reparanda classe cogitarent. Profectique legati facilè *Bernabovem* moverunt:
41 sed non erat tunc in *Italia* is equitum numerus, quem hac tempestate ipsi vidimus, magnaque eorum pars ex *Alemania* petebatur. Nam longa pax, quæ sub quietis Principibus fuerat, armorum studia ad agrorum culturas, ad mercaturas obeundas transtulerat. Nostra autem ætas in eos Principes incidit, qui dominandi cupiditate belli consilia paci anteposuerunt. Ex quo effectum est, ut relicta agricultione, ac mercatura, permulti ad rem militarem sese contulerint. Eo tempore aliquot copiarum Duces societate intra se contracta per *Italiam* excurrentes, civitates ac Regulos imbecilliores pacem suam redimere cogebant, omnemque *Italiam* territabant. Ea verò manus *Stellæ* cognomento appellabatur. Hos igitur *Bernabos* conducendos curavit, iique profecti in *Genuensem* agrum, ac *Porciferæ*
42 vallem ingressi, omnia suburbana una prope excursione populati sunt, multis civibus qui id anni tempus ruri agebant, primo adventu captis. Fuit enim adeò repentinus eorum adventus, ut prope prius circumspecti sint, quàm de eorum profectione nuntius venerit. Fugientes passim in Urbe viri cum conjugibus, ac liberis, servisque magnum Civitati terrorem injecere. Cæterùm, ubi se paulum collegerunt, vigilibus per muros dispositis, hostibus obviam exire non dubitabant: sed *Nicolaus*, quem dixi, Civitatis Princeps, veritus, ne adversarii sumptis per occasionem armis, sibi principatum auferrent, præter eos duntaxat, quibus fidebat, Juventutem armari vetuit, certamque argenti vim hostibus pactus, Urbem, atque agros externo bello, seque intestina seditione liberavit. Interea *Ve-*
43 *neti* triremes novem misere, quæ *Genuensium* oras vexarent: quæ ad *Tirum*, perbrevem Insulam, profectæ proximam oppido, quod *Portum Venerii* vocant, Insulam alteram aliquanto breviorem vitibus consitam, in qua *Venerii* templum est, quod oppido nomen dedit, primo adventu invasere; sublatisque Martyrum quorundam reliquiis, quæ in eo templo inerant, maritima hostium oppida populando, circumvectæ sunt. Quod ubi *Genuæ* compertum est, primùm per ignes, qui in promontoriis excitabantur (per quos qui-

A dem quot hostium naves intra *Corvum*, & *Monacum* promontoria intrassent, unius fermè horæ spatio sciri poterat: quam consuetudinem adhuc retinent) deinde per nuntios, triremes novem confestim armavere. Id enim iis est satius visum, quàm classis partem ex *Adriatico* accersere, quas postquàm *Veneti* paratas, atque instructas sensere (erant 44
enim & numero, & robore hominum egregie instructæ) toto infero mari statim concesserunt.
B Non inventis hostibus *Genuensium* classis ad *Petrum Auriam* in *Adriaticum* contendit: quibus navibus auctus, *Petrus* omnem prorsus navigandi potestatem hosti eripuit. Triginta hæ triremes erant, præter onerarias, quibus ad vehendos commeatus utebantur: nam *Venetæ* rostratæ, quas è *Ligustico* mari arrepta fuga abiisse diximus, ad Insulas, quas in *Ægeo* tenebant, *Carolo Zeno* Duce, se receperunt. Non erit huic loco in-
C conveniens, quandoquidem de obsidione urbis *Venetæ* verba facturi sumus, de ejus quoque situ, ac civitatis moribus pauca quædam disserere.

Stagna sunt amplissima, sive hæc lacunas, sive paludes appellare quis malit, è *Philiste-* 45
ne fossa, quam alii *Tartarum* vocant, ex undatione & *Athesis* ac *Togisoni* fluminum cursu nascentia, per quæ etiam auctus imbribus *Padus* effundi consueverat: multæ enim id-
D circo fossæ productæ fuerant, utpote *Carbonariæ* fossiones, ac fossa *Clodia*, à qua oppidum *Clodia*, ut puto, nomen accepit: quæ interjacent terræ aquarum abundantia propter humilitatem obruuntur, nec nisi recedente æstu apparent. In hoc seu terræ, seu paludis spatio, qua parte eminentior est, sitæ sunt *Venetiæ*: fundamentis, ædificio, magnitudine, civium frequentia, ac cætero ornatu celebres. Vicos habent tam aqua, quàm terra
E permeabiles, fossa ingens mediam Urbem interluit, profundo alveo, & navium capace, ac velut in oceano sexta quaque hora, reciprocante æstu: in quam cæteræ angustiores 46
Urbis fossæ illabentes, ac stagnantes circum aquæ sese in mare evolvunt, ac rursus eodem ingerunt. Hæc urbs à *Patavinis*, & ab iis, qui everso *Altino* profugi novas sibi sedes quærebant, quo tempore *Attila* ille teterrimus *Christianos* insectabatur, condita est. Sola
F *Italicarum* civitatum nullum unquam dominium, vel domesticum, vel externum sibi imperare passa: cum tamen aliquot Civitatis Principes libertatem opprimere conati, ab iis interfecti fuerint. Augendi porrò imperii præter æquum, gens avida, belli causas sæpe quæsivit, ad Reipublicæ decus, gloriamque consentiens, privatis commodis publica semper antetulit. His moribus atque hic artibus maximam *Galliæ Cisalpinæ* partem imperio suo subegit. Ante hanc urbem ad mille passus litus est *Adriatici* maris: & in eo situm est 47
Nicolai templum, quod *Veneti* eo tempore muro,

muro, ac fossa communierant. Haud procul
ab eo sitæ sunt turres duæ, quæ maris ostia
ab utraque litoris parte contingunt, quas pri-
us valido præsidio firmaverant. Pone tem-
plum murus erat haud modicæ latitudinis, mul-
tis propugnaculis in eo excitatis, litoris ipsius
longitudinem complectens, ne qua hostium
vis ad templum oppugnandum transire posset.
Petrus igitur quò magis hostes coarctaret:
suadente *Francisco Carraria*, qui ad mille
viros ex delectibus è *Patavio* accersierat: eò
cum classe profectus est: expositisque in ter-
ram navalibus copiis sub ipsum murum, qui
templo, ut dixi, oppositus erat, quam proxi-
me castra movit, atque oppugnare cœpit.
Dura fuit aliquamdiu oppugnatio, iis, qui in
48 præsidio erant, summa vi obsistentibus: ad
postremum sagittariorum multitudine, & cre-
bris tormentorum ictibus nudato defensoribus
muro, *Genuenses* transcenderunt, eoque dis-
jecto, templo potiti sunt: cumque turres, qui-
bus ingressum claudi ostendimus, oppugnare
frustra tentassent: ad oppidum *Clodiam* cum
classe profectus est, *Francisco* secundum li-
tus cum terrestribus copiis iter faciente. Erat
autem id oppidum cùm situ, tum præsidio
permunitum. Cùm enim *Veneti* ne amitte-
retur, præsertim amissa classe, & navigandi
potestate adempta, pertimescerent, ejus tute-
læ conductum militem imposuerant. Castris
positis, cùm *Petrus* ac *Franciscus* de uni-
versa oppugnatione consilium cepissent, ei rei
diem constituerunt: quæ ubi advenit, admo-
ta classe oppidum aggressi sunt. Oppidani,
49 ac præsidiarii milites per varia oppidi loca, u-
bi usus postulare videbatur, dispositi, (nam
domus pro mœnibus erant) hostium impetum
fortiter tulere. Acre verò prælium aliquam-
diu fuit, *Genuensibus* in oppidum inferre pe-
dem adnitentibus, oppidani, quà hostes ve-
hementius premere animadvertebant, eò con-
tinuò submissis auxiliis hostium conatus fru-
strabantur. Denique certamine in multam
diem tracto, oppidani cum multos suorum
periisse cernerent, animis fracti, nec jam am-
plius apparere audentes, tantum ex occulto
irrita tela jaciebant. Quod ubi *Petrus* ac
Franciscus animadverterunt, fessos pugnan-
do, id quod erat, suspicati, suos uti acrius
instarent, atque urgerent, vehementius hor-
tari cœperunt: & jam à pluribus partibus op-
pidum ingressuri erant, ni oppidani saluti con-
50 sulendum arbitrati, traditis, qui superfuerant
de præsidio, militibus, deditionem fecissent.
Hic nuntius *Venetias* perlatus omnium iis
præteritarum cladium memoriam renovavit.
Repetebant animo *Tarvisium* amissum, clas-
sesque ab hostibus deletas: nec satis sciebant
exhausto ærario, quonam modo classem aliam
instaurarent: angebantur autem vehementer,
quòd commeatuum importandorum facultatem
sibi ereptam videbant, nec spem ullam reli-
quam esse, præterquam in *Bernabove*: sed eam,

A aut exiguam, aut certè non tantam, ut obsi-
dione liberari possent, quam in dies graviorem
futuram suspicabantur. Et quoniam *Berna-
bovis* auxilia sera futura videbantur, primùm
experiri libuit, an possent pacem aliquam,
vel tolerabilem ab hoste impetrare. Itaque
accepta fide, *Clodiam* ad *Petrum* legatos mi- 51
sere, qui pacem peterent. Sunt verò qui af-
firment, *Venetos* per legatos eosdem album
misisse, in quo *Genuenses*, quid sibi præstari
B à *Venetis* vellent, conscriberent (in tantam
rerum necessariarum inopiam simul & despera-
tionem fortunarum suarum ac Reipublicæ re-
dacti fuerant) hique facta loquendi potestate,
in hunc fere modum locuti sunt:

Ad felicitatis tuæ cumulum, Petre, *si
hujus diei gloriam rectè animadverteris,
nihil profectò hoc amplius fortunam tibi con-
ferre potuisse judicabis, quàm quòd legati*
Veneti *ad te suppliciter pacem petentes ve-*
C *niremus. Magnum quippe, & gloriosum
tibi fuit classem nostram delere, nosque na-
vigatione & commeatu prohibere: sed majus
nimirum est, eritque apud omnes, tum præ-
sentes, tum posteros, quòd pacem à te pe-
tierimus, quam civitas nostra dare, non
accipere, ante hanc miserrimam tempestatem* 52
*consuevit. Neque enim ulla gens, aut ullus
Rex, supra septingentos annos fuit, qui
nobis petendæ pacis necessitatem imposuerit.*
D *Itaque ista tua fortuna meritò lætari potes,
quæ tibi potissimùm hoc dederit, ut tu is
existas, cui hæc tanta gloria de civitate
nostra contigerit, quæ si æquus æstimator
fueris, profectò ingens tibi videbitur. Ne-
que enim, ut scis, civitas nostra inter in-
feriores* Italiæ *civitates numeratur: quæ*
Cretam, *quæ* Eubœam, *quæ tot insulas suo
imperio subdidit. Sed hæc ipsa fortuna hoc
certè mali affert: quòd victorem effert in-*
E *solentius, atque humanos casus, qui innu-
merabiles, & varii sunt, cogitare non si-
nit: omnia sibi prospera, ac mansura pro-
mittit: & à quietis consiliis blandiendo ab-
strahit. Non libet afferre exempla eorum,* 53
*qui primo victores pace petenti hosti nega-
ta: postea variante fortuna, eandem ipsi ab
eodem petere coacti sunt: hæc enim tibi pro
tua prudentia, ac rerum usu nota, & clara
sunt. Quapropter ea & tibi quoque timen-*
F *da est, ne hujus gloriosi diei fructum ipsa
immutata, aliquando tibi eripiat. Vide,
ne tantum illi credas, ut eam tibi in isto
statu permansuram putes: tibique ante oculos
propone illos, qui ab ea elusi, ac deleti sunt.
Pacem à te petimus*, Veneti, *quam abnue-
re non debes, si te patriæ tuæ ratio, atque
utilitas movet. Namque eam primùm belli
sumptibus, qui multiplices & inexhausti sunt,
liberaveris. Tum illi quietem, quæ cuique
bene institutæ civitati maximè optabilis esse
debet, reddes. Tibi verò postremò æter-
num decus (ut antè diximus) hoc facto com-
parabis.*

54 Ad hæc Petrus: *Non sum usque adeò rerum humanarum inscius, ut fortunæ potestatem, atque inconstantiam ignorem: nec sum adeò alienus ab humanitate, ut pacem petentibus dare abnuam: si modò eam vos, non qualem præterita, sed qualem præsens fortuna vestra ut accipiatis vobis suadet, ferre parati estis. Neque enim ignorare debetis, æquum esse pacis conditiones ab eo, unde pax petitur, dici. Nec ita vobis præponenda est fortunæ mutatio, quod vos oratione vestra facere animadverti (qua ratione me ad dandam pacem compellere conati estis) ut in animum inducatis, fortunæ potius mutationem expectare, quam pacis leges, si quæ etiam fortasse duriores viderentur, ferre. Quòd si fortuna victores, ut dixistis, aliquando afflixit, multos etiam*
55 *belli exitus prosperos dedit. Etenim mihi facilius licet, cui ipsa se lætam exhibet, de ea bene sperare, quàm vobis, quos in tantam calamitatem conjecit. Pacis verò conditiones ita sum dicturus, ut eas Senatus nostri judicio comprobari velim.*

Post hæc, quæ à *Venetis* fieri placeret pronuntiavit. Cæterùm ea postulata ejusmodi fuere (quod evenire solet in rebus prosperis) ut ea legati ipsi vix æquis auribus ferre potuerint: quæ posteaquam *Venetias* pertulerunt, spretis conditionibus repudiata pax est. Ingenti namque fremitu in Senatu ob indignationem orto, quascunque potius belli calamitates, quàm ejusmodi conditiones subeundas esse, conclamarunt. Hac igitur spe destituti, omissa pacis mentione ad *Bernabovem* misere, qui oraret, ne se socios, atque amicos in ex-
56 tremis rebus destitueret. Is itaque orsus est.

Eò redactæ sunt fortunæ nostræ (quod jam crebro hominum rumore satis scire potuisti) ut nisi à te adjuvemur, non putemus, fortunam ipsam si velit, servare nos posse. Anteà Tarvisium *amiseramus, modò* Clodiam, *templum ipsum* Nicolai, *quod in litore contra urbem nostram situm pro arce erat, nobis ereptum est: denique omnia Urbi circumjecta amisimus. Hostis mari potitur, navigatio apud nos conquievit: importandorum, commeatuum (quorum inopia vehementer laboramus) facultas omnis nobis sublata est: quin etiam necessariò coacti, pacem petere, eam impetrare non potuimus, nisi ejusmodi, ut ei omnes labores, atque omnia belli discrimina præponenda existimaremus. Se enim haud dubiè pro victoribus, nos pro victis hostes habent: insolentiores*
57 *facti ob recentiorem cladem, nobis mari illatam, certam sibi victoriam despondent, & si loci natura pateretur, ut liberè cum classe circumvehi per ea loca possent, in quibus urbs nostra sita est, jam ipsam classem in oculis nostris Urbem ipsam oppugnantem haberemus. Sed status maris æstus ab eorum vi nos defendit: nam simulac unda in altum recessit, destitutæ naves in profundo tenacissimo carinas defigunt, nec nisi accedente æstu emoveri possunt: nec est rivus, uno duntaxat excepto, qui mediam Urbem intersecat, quod refluente gurgite, navium patiens sit. Potes igitur facilè existimare, quonam animo esse debeamus, tot malis circumventi, tot calamitatibus oppressi. Tu unus nobis (si modò quid sperare possumus, in tantis ærumnis, & periculis positi)*
58 *spes unica superes, in te omnis salutis nostræ cogitatio est conjecta: te unum respicimus, tuam opem expectamus, omnes confidimus, ne nos socios, atque amicos deserturus sis. Una verò est ratio, vel propulsandæ, vel levandæ calamitatis nostræ, quam tu ipse non ignoras. Habes equitatum cum delectibus, quos in hostilem agrum mittas. Fortasse enim cum* Genuenses *viderint, sua vastari, aut in periculo esse, classem, aut certè magnam partem ejus ad tuendas res domi revocabunt. Sic olim* Romanus, *metu domi* Carthaginensibus *injecto,* Hamilcarem *prius è* Sicilia, *sic posteà* Hannibalem *filium* Italiam *vexantem, trajecto in* Africam *exercitu,*
A *depulit. Quod consilium plures postea secuti, rebus suis publicis salutem pepererunt. Hoc idem, ut ipse agas, per amicitiam, per fœdus nostrum, per humanitatem tuam te oramus, atque obtestamur. Non est à te com-* 59
mittendum, ut per negligentiam tuam pereamus. Namque ut tibi summæ gloriæ fuerit, socios & amicos à te adjutos, & conservatos fuisse, sic tibi profectò haud mediocri oneri dabitur, si nos in extremo periculo destitueris.

Ad ea Bernabos: *Vestræ me calamitates,* Veneti, *quando nullum inter nos vinculum intercederet, movere satis possent, ne vobis in tantis laboribus, ac discrimini-*
B *bus deessem: sed cum sit inter nos non modò amicitia, verùm etiam societas æquo jure constituta, causam vestram non tueri non possum, nisi desertæ societatis crimen subire velim, à quo quidem consilio longe absum. Neque enim me aut labor, aut magnitudo sumptus, aut periculi susceptio deterrebit, quominus ea præstem, quæ*
ipso societatis jure præstare debeo, neque committam, ut 60
fidem meam in extremis rebus vestris desideretis. Itaque bono animo estote, atque omisso metu, hostium conatibus fortiter obviam ite: neque sævienti fortunæ cedite, quæ sæpe victos victores fecit. Neque enim eadem est semper, neque uni usque favens, sed varia, atque instabilis res humanas pro libidine agens, ac ver-
C *sans. Cujus rei multa exempla afferre possem, nisi id superfluum putarem, præsertim apud vos, quibus hæc nota sunt. Ego quod ad rem attinet, ut primùm potero, copias contraham, atque in hostilem agrum, ut petitis, dimittam, atque experiar, an ea ratione hostilis classis ab obsidione vestra (quod fore spero) diverti, distrahique possit.*

Posthæc *Bernabos* ad tria millia equitum conduxit, quibus præerat *Hactorgius Manfredus*, Faventinus Princeps: erat autem hic 61
D equitatus ex variis, ac notissimis totius *Italiæ* latronibus comparatus, omni *Italiæ* propter rapinas longe invisus, ac gravis. Siquidem per pacatam *Italiam* vagus, nullam urbem, nullam provinciam, nullam denique gentem, nisi quæ pacem suam auro redemisset, quietam esse patiebatur. Namque ea tempestate equestres artes, (quæ longa pace, atque otio consenuerant) per *Germanos* in *Italiam* relatæ, reflorescere cœperant. Cæterùm ii pau-
E ci *Italici* ab initio latronum magis, quàm equitum modo, passim rapto victitabant. Ante enim, aut per *Germanos* equites, aut per populos inter sese armorum tractandorum rudes, sine disciplina, sine ordine, sine armis, aut iis quidem inconditis (quæ sequens ætas plurima invenit, aut ita expolivit, ut aut membris aptiora, aut aspectu pulchriora fieri 62
non possint) bella gerebant. Is verò equitatus in *Ligures* subitò profectus, *Apennini*
F jugo in suburbanum descendit, atque ad *Albarium* promontorium trans *Bisannem* fluvium, excursionibus factis castra posuit: cujus repentino adventu conterriti agrestes, sese subito cum conjugibus, ac liberis in montana receperunt. At Cives quanquam primo adventu in Urbe trepidatum, delecto raptim in agris habito, armataque insuper urbana juventute, adversus hostes prodire constituerunt. Quod ubi hostes sensere, illico abeundi consilium capiunt. Qua re cognita, *Genuenses*, dispositis passim insidiis, occupatisque saltibus, per quos illis evadendum erat, subita eruptio-
ne

ne facta, hostes undique invadunt, qui sen-
sim cedentes, sese primo congressu tutati:
63 postquam saltus, per quos venerant, obses-
sos cognovere, desperata salute, in fugam
versi, locorum ignari, passim cæduntur:
pauci vivi in hostium potestatem pervene-
runt. *Hactorgius* verò mutato habitu in
medio prælii ardore hostium manu elapsus
vivus effugit: signa duo militaria, alterum
Bernabovis, alterum *Venetorum*, ab *Isnar-
do Goarco*, cujus ductu hæc gesta sunt, in
Urbem reportata. Ob rem bene gestam sup-
plicatio superis habita est: decretumque ab
Senatu, *uti quotannis consequentibus ad
Georgii fanum supplicatio haberetur*. In-
tereà *Petrus* Adriaticum mare classe cir-
cumvectus, omnia hostibus infesta faciebat,
nec quicquam ad eos omnino importari si-
nebat. Sed nihil erat obsessis durius, quàm
famis impendentis metus. Nam etsi ange-
bantur, navigandi, negotiandique potesta-
64 tem sibi ereptam esse, unde in bellum sum-
ptus suppeditari possent, tamen eos magis
movebat annonæ ratio, ex qua tantam mul-
titudinem alerent. Per id temporis *Manuel*
Calojani filius, *Græcorum* Imperator à pa-
tre constitutus, (ut diximus) qui societate
Venetis junctus erat, magnis delectibus ha-
bitis, *Peram* nobilem *Genuensium* coloniam
Bizantio proximam, terra, marique obsi-
dere aggressus est. Quod ubi *Genuam* re-
nuntiatum est, *Nicolaum Marcum* cum tri-
remibus tribus celeriter instructis, eò con-
festim miserunt. Cæterùm prius quàm *Pe-
ram* perveniret, *Græci*, quid possent, fru-
stra experti, jam inde castra moverant. Sed
cùm certior factus esset, onerarias quasdam
frumento onustas in cursu esse, *Bizantium*
petituras; triremem unam confestim iis ob-
65 viam misit. Quod postquam Imperatori re-
nuntiatum est, è vestigio triremem unam,
ac biremes duas, quas fortè paratas in por-
tu habebat, frumentariis navibus subsidio mi-
sit. Quo cognito *Nicolaus* cum trireme
altera (nam reliquam aliò miserat) ac bi-
remibus duabus raptim inter sextam horam
deductis, instructisque juventute certatim
nomen in classem dante adversum profectus,
easque naves nactus haud procul à *Calonisio*
promontorio invasit. Pugnatum est acriter
aliquamdiu, neutra in parte variante fortuna,
multis utrinque sauciis. Ad postremum *Ge-
nuenses* majore vi connexi, conscensis hosti-
um navibus, multisque cæsis ac duabus na-
vibus victoria potiti sunt. Magnam verò ex
eo prælio *Nicolaus* laudem omnium consen-
su promeruit, qui quò alacriores cæteros
redderet, primus omnium hostilem navem
66 transcendit, quæ evasere hostium naves,
sublatis in altum velis sese in propinqua lo-
ca recepere: quæ verò captæ, *Peram* per-
ductæ fuerunt. Per eos ferme dies *Genu-
enses*, qui *Clodiæ* præsidio erant, unà cum

A *Francisco Carraria* Cavarcerem, ad *Lau-
rentum* Venetorum castella, haud procul à
Clodia vi ceperunt. Cùm autem audissent
Veneti, Genuenses circa *Clodiæ* custodiam,
(ut fit in rebus secundis) negligentiores esse,
multosque de præsidio frumentariis navibus
obviam cum classis parte emissos, recupe-
randi oppidi opportunitatem sibi datam ra-
ti, cum pluribus lembis raptim armatis no-
cte intempesta *Clodiam* petunt. Cumque
B jam nonnulli eorum clam hostibus mœnia
superassent, armorum strepitu proditi, con-
cursu ab hostibus facto, extemplo dejecti
sunt, amissisque compluribus lembis atque 67
obrutis, effusa fuga per stagna, quà vene-
rant, *Venetias* reverterunt. Reversa *Clo-
diam* classe cum annona, quædam *Savonen-
sium* triremis, usque ad *Georgii* templum
(quod mari circumsitum, haud plus quingen-
tis passibus *Venetiis* abest) temere progressa,
C cùm recedente æstu in sicco destituta esset,
à lembis pluribus hostium circumventa ca-
pitur. Per id tempus navis quædam onera-
ria ingens, cujus vector erat *Nicolaus Bec-
chignonus*, dum plena mercibus *Peram* ver-
sus contendens, apud *Rhodum* ad ancoram
staret, atque omnes venti, auræque cecidis-
sent, appulsis ad eam cum triremibus mino-
ribus navibus ab hostibus capta est. Magna
ex ea præda hostibus fuit: sed à quibusdam
D *Venetis* sic accepi, omnes prope qui ejus præ-
dæ participes fuerunt, aut crudeliter vitam
finisse, aut ad summam inopiam redactos esse; 68
ipsi quoque *Carolo* classis duci pecuniam in fu-
neris sumptum defuisse. Intereà *Veneti* cùm
Clodiani portus fauces incuriosius custodiri ab
hoste cognovissent, omnia, priusquam perirent,
experiri statuentes, classem rursus intra navalia
muro circummunita quàm occultissimè compa-
rarunt, eo consilio, ut si res ex sententia non
E succederet, translatis in naves conjugibus, ac
liberis cum iis, quibus possent facultatibus, re-
licta Urbe, in *Cretam* commigrarent: ibique
sedes suas conderent. Id enim satius esse du-
cebant, quàm expectare, ut fame oppressi,
ludibrio hostibus futuri, in eorum potestatem,
dominatumque devenirent. Tres & triginta
triremes hæ fuere, iis additæ actuariæ traji-
ciendarum machinarum causa, ac duæ insuper
onerariæ, quibus si dii faverent, portus fau- 69
F ces obtruderent. Ea verò classis urbanis co-
piis plurimum instructa est (namque externo-
rum militum, ac remigum aut nulla aut exigua
copia erat) publico verò impendio, an privato
armatæ fuerint, in Annalibus nostris non repe-
rio. Ego autem ita audivisse me commemini,
è gravissimo ejus civitatis viro, cùm pecunia
Venetis in classem deficeret, neque ex æra-
rio, quod proferretur, restaret, multis jam pri-
dem, ac variis belli sumptibus vacuefacto, ac-
cessisse in curiam ad Patres longè anxios, quos-
dam plebeji ordinis viros locupletes, & aman-
tes Reipublicæ magnamque vim auri contu-

lisse, lætos ob id Patres melius sperare de
Republica cœpisse: eosque collaudatos, ac-
cepta pecunia, in Senatorium ordinem ad-
scivisse, ac per hunc maximè modum fisci
70 inopiæ subventum esse. Parata, atque in-
structa classe, *Andreas Contarenus* ea tem-
pestate *Venetorum* Dux, rerum maritima-
rum scientia præclarus, cum magna Sena-
tus parte, ac Nobilitatis flore noctu *Clo-
diam* petiit: fuit autem adeo repentina ejus
navigatio, ut antè *Clodiæ* portum prius con-
stiterit, quàm de illius adventu quicquam
ad hostes permanarit, nihil minus, quàm
tale aliquid, metuentes. Erant autem in
ipso *Clodiæ* portu, undetriginta *Genuenses*
rostratæ, reliqua classe per *Adriaticum* ex-
currente, quæ subitò ad prospectum hosti-
um, convocatis navalibus copiis, adversus
hostes magno impetu è portu produxerunt.
Quod ut *Veneti* conspexere, quandoquidem
pugna propter propinquitatem detractari non
poterat, proras & ipsi in hostes converte-
71 runt. Pugnatum est aliquamdiu æquo Marte:
nam *Venetis* onerariæ magno usui erant: si
qua enim triremis vehementius urgebatur,
sub onerariam protinus, tanquam sub arcem
aliquam sese recipiebat: atque ita vi ho-
stium declinata, insequentem frustrabatur.
Quod postquam *Petrus* conspicatus est, sin-
gulos cohortari, segnius præliantes increpa-
re, alios monere, alios ignominiæ metu,
alios gloriæ cupiditate excitare cœpit: *tur-
pe esse* vociferans *veteranos à tironibus
virtute superari.* Nec minus Andreas su-
os hortabatur, *illum diem esse* dictitans *per-
petuæ aut libertatis, aut servitutis. Me-
minisse eos* jubebat *uxorum, liberorum,
parentum, patriæ, eaque, nisi vincerent,
salva esse non posse.* Iis, atque hujusmodi
vocibus incitati *Veneti*, quasi stimulis addi-
tis aliquanto diutius vim hostium tulerunt.
72 Ingens verò certamen circa onerarias fuit:
è quibus *Veneti* tela mittentes, multos vul-
nerabant, quibus conscensis, & captis, &
cum his aliquot rostratis arrepta protinus
fuga versus *Venetias* reliqua classis conten-
dit. Quam hostes aliquantum insecuti, cùm
assequi non possent, præsenti victoria con-
tenti, *Clodiam* reversi sunt. Secundum hanc
pugnam *Genuenses* quasi nihil negotii ad vi-
ctoriam restaret, rati hostes *Venetias* abiis-
se in lætitiam profusi, *Clodiani* portus cu-
stodiam neglexere: quæ quidem res iis in-
gentem calamitatem mox attulit, fortuna
res immutare cupiente. Cæterùm *Veneti*,
postquam è classis hostium conspectu abie-
re, constiterunt, arbitrati id, quod evenit,
hostibus ob victoriam, obmisso metu, ne-
gligentioribus factis, portus fauces, immer-
sis navibus, obtrudi posse. Favit eorum
73 consilio fortuna. Nam fortè ex onerariis,
quas in prælio captas *Genuenses* intende-
rant, carinæ superfuerant. Quod ut *Vene-*
A *ti* per speculatoriam navim præmissam com-
perere, eò profecti, lapidibus repletas, at-
que aliam item navim è suis in id præpa-
ratam ante ipsius portus fauces remulco ve-
ctas in profundo destituerunt, reliquis quo-
que aditibus, ne quà exire classis posset,
celeriter præclusis. Ea verò negligentia *Ge-
nuensium* fuit, ut antè ab hostibus hæc fa-
cta fuerint, quàm quicquam de eorum redi-
tu cognorint, tum *Veneti* metu soluti, cla-
B more sublato, se adesse plane confessi sunt.
Quo excitati propinquiores (namque oppidum
aliquanto spatio ab ingressu portus aberat)
ad arma conclamant, conscensaque repente
classe adversus ire properabant, nec antè
dolos sensere, quam in ipsas naves obrutas 74
inciderunt, frustraque exire conantes, de-
mum sese errasse cognoverunt. Sed sera ve-
nit pœnitentia, cùm ea jam nihil prodesset.
C Suaserat enim sæpius *Franciscus Carraria*,
vir singulari prudentia, uti *Clodia* fidei suæ
commissa, ipse *Venetias* obsidere pergeret,
atque in eo uno omnia ejus studia repone-
ret. Verùm quoniam *Francisci* aliquantum
suspecta fides erat, ne eam in potestate sua
traditam imperii sui faceret, ejus consilium
repudiatum est. Cùm hic esset in *Adriati-
co* mari rerum status, *Genuenses* tantæ ca-
lamitatis acceptæ adhuc ignari, quo vehe-
mentius hostes urgerent, territisque instarent,
D rostratas tredecim classi addendas curaverant,
iisque *Matthæum Marrufum* præfecerant:
quibus instructis jussus est, ad *Petrum* ce-
leriter navigare, ac de illius imperio bellum
gerere. Is verò in cursu acceptæ cladis cer- 75
tior factus, nihilominus cœpta navigatione
non abstitit: ut si quam posset, inclusis o-
pem ferret. *Petrus* autem cùm animadver-
teret nullum jam amplius classis usum esse,
quoniam inde nulla arte evadi posset: quod
E unum poterat, traductis in terram navalibus
copiis, crebras excursiones in proximos ho-
stium fines faciebat. Cùm autem ad *Bron-
dolum* castellum oppugnandum trahentibus fa-
tis aliquando profectus esset, tormento ictus
repentè occubuit. Cujus morte *Genuenses*
quanquam consternati, non tamen prius
pugnare desinunt, quàm Castellum in eorum
potestatem pervenit. Per hunc modum duo
præstantes viri è gente *Auria* eo bello perierunt.
F Postquàm verò *Genuam* renuntiatum est, clas-
sem *Clodiano* portu omni spe exitus sublata 76
inclusam esse: universam Civitatem ingens
mœror, ac solicitudo pervasit. Speratam
victoriam fortunæ malignitate è manibus e-
reptam dolebant, atque angebantur: nec quo-
nam modo alteram classem sufficerent, propter
exhaustas publicè, privatimque facultates,
satis sciebant. Movebat etiam Præfecti mors,
relictusque sine Duce exercitus. Præterea suo-
rum obsidio, atque calamitas ante oculos
proponebatur. Sibi namque persuadebant (id
quod paulo pòst contigit) tantam opportuni-

ta-

A tatem tantosque successus non omissuros hostes, brevique fore, ut terra non minus, quàm mari clausos circumsiderent. In primis autem de præfecto eligendo, quoniam tempus excellentem quempiam virum postulare videbatur: consultandum visum est. Cum-
77 que de *Gasparis Spinulæ* virtute ingens esset opinio, magno Patrum, ac Plebis consensu creatus est. Et quoniam mari tuto trajicere non poterat, *Venetis* post clausam
B portu classem superi maris imperium absque controversia obtinentibus: nec *Matthæi* absentis, quem tredecim rostratarum diximus ducem, potestas erat, terra profectus est. At *Veneti*, recepta maris possessione, quam jam triennio ferè amiserant, sublatis majorem in modum animis, de obsidenda *Clodia* cogitare cœperunt. Cum autem propter ærarii tenuitatem non esset, unde militem conducerent, certatim Cives pro se quisque aurum in sumptum contulere. Nec
C matronæ quidem sese à viris hac laude superari passæ sunt, auro, gemmis, atque ornamentis omnibus in medium prolatis. Per hunc maximè modum comparato exercitu,
78 *Brondulum* profecti, navales, copias, quæ cum rostratis secus litus adstabant, magna ex parte in litus exposuerunt. *Brondulum* olim exiguum oppidum, nunc turris tantùm: ad custodiam portus ejusdem nominis, tem-
D plum, quod unum in eo pro muro erat, *Genuenses* in arcis modum communiverant, quibus hoc major oppidi ejus cura incesserat, quod inde commeatus ad se quandoque vehebantur. Cujus rei *Veneti* haud ignari, inter ipsum *Brondulum*, & oppidum *Clodiam*, quod inde ad quina millia passuum aberat, castra fecerant. Nec jam spes ulla rei frumentariæ *Genuensibus*, præterquam in uno *Francisco Carraria* relicta erat. Sed ita insessa erant ab hostibus itinera, ut
E vix inde aliquid, idque exiguis per stagna lembis ad se importari posset. Quo cogni-
79 to *Gaspar Spinula*, qui jam *Clodiam* pervenerat, cum magna *Genuensium* manu, ne locus ita opportunus in hostium potestatem deveniret, ponte ob id facto, *Brondulum* petiturus, in litus trajecit: cumque aliquantum progressus, hostes adversus se adventare accepisset, his paucis, ad confirmandos suorum animos usus est:

Ni mihi virtus vestra nota esset, vererer
F *certe, ne hodiernus dies, quem nobis fortunæ invidia, non hostis intulit, calamitatem augeret. Cætera præclara vestra facinora ante acceptam cladem, victoriam sperare me jubent. Videtis ut paucis agam, necessario cum hostibus dimicandum esse, qui quamvis numero nos excedant, tamen haud metuendos censeo. Neque enim numero, sed militum virtute exercitus æstimari solet. Magnam persæpe multitudinem (quod & vos aliquando fecistis) parva virorum su-*
peravit manus. Si solitam animis virtutem 80
retinueritis, nihil dubito, quin hodierno die acceptam negligentia nostra ignominiam abolituri simus. Quoniam verò non tam prospera nobis laudi, si vincimus, quàm adversa, si vincamur, vitio dari consuerunt, idcirco vobis enixius laborandum, & contendendum puto, ne (quod dii avertant) calamitatem calamitate cumulemus. Præterea quò plura antehac & majora gessistis, eò magis conandum vobis fuerit, ut partam armis gloriam, armis tueamini. Nec verò vos deterreat fortunæ immutatio. Jam enim longo vitæ usu satis cognitum habemus, quàm sit, in bello præsertim, varia, atque inconstans: quippe quæ victum fugatumque exercitum, uno nonnunquam, atque eodem die victorem fecerit. Sed certè hæc ipsa
fortuna, quæ vulgò rebus humanis dominari 81
creditur, in viros fortes nullam vim habet: animus modò ne desit, nihil est, quod fortunam perhorrescas.

Hæc ubi dicta, aciem instruit, hostibus occursurus, qui mox ut apparuere, concursum est: *Genuensis* quidem juventutis robore, *Venetus* peditatus melior erat: sic quodammodo æquata pugna videbatur. Pugnatum est summa vi utrinque, atque acriter ad multam diem. Ad postremum *Genuenses* urgente peditatu cùm vim diutius ferre non possent, multis desideratis, ac sauciis, in fugam conjecti, sese *Clodiam* effuso cursu receperunt. Pons erat, de quo diximus, *Clodiæ* à *Genuensibus* factus, quo litus jungebatur, ut esset in oppidum, si qua vis premeret, transitus expeditior: qui cùm insistentium, festi-
nantiumque pondere, omnibus primùm trans- 82
ire contendentibus, succubuisset, qui in eo erant armati, in quibus *Thomas Goanus* vir fortis, in aquam prolapsi, armorum gravitate prope omnes enecti sunt. At *Veneti*, fusis fugatisque hostibus, ad *Brunduli* obsidionem conversi sunt. Quod ubi animadvertere, qui præsidio erant, animis fracti, urgente fame insuper, deditionem fecerunt. Post hæc *Veneti* terra simul, & mari *Clodiam* obsidere perrexerunt. Quibus cladibus alia super aliam *Genuam* renunciatis, mœror ac solicitudo ingens *Genuenses* cepit. Neque enim omnia dispicientibus, succurrebat quicquam, quo circumsessis auxilium ferre subitò se posse confiderent. Nam nec terra exercitum ha-
bebant, quem *Venetorum* exercitui oppone- 83
rent, & mari tam exigua classe (ut pote rostratarum, haud amplius tredecim: cujus ducem *Matthæum Marrufum* diximus) levari suos obsidione non posse sat sciebant. Namque *Matthæus* Venetæ classis metu procul à *Clodia* classem agebat, *Gaspar Spinula* post amissum *Brundulum* in eam recepto, multaque detrimenta hostibus *Clodiana* obsidione occupatis eorum navibus oppidisque maritimis inferebat. Iis affecti

curis *Genuenses*, quò se verterent, quidve
agerent, in tam trepidis rebus incerti erant.
Sed postquam sese collegere, classem augen-
dam, unicum tantis malis remedium censue-
runt. Cùm autem timerent, ne *Bernabovis*
exercitus per *Porciferam Vallem* suburbana
popularetur: ingens quoddam ædificium *Bol-*
84 *saneti* situm, quina millia passuum procul ab
Urbe, quo in loco vallis fauces coarctantur,
publica redemptum pecunia, & in arcis mo-
dum extructum, valido præsidio firmarunt.
At *Matthæus Marrufus* (de quo modò men-
tionem fecimus) ab initio sui adventus (ne
præclara facta ejus omittantur) cùm ad oppi-
dum *Manfredoniam*, quod veteres *Sipontum*
appellabant, sex *Venetorum* rostratas, ac duo-
decim onerarias frumenti gratia eò profectas,
nactus esset, continuò portum ingressus, eas
haud trepidè invasit. Erat earum præfectus
Thadæus Justinianus, qui ut venientem clas
sem prospexit, quam proximè potuit, oppido
admovit. Nec ob id tamen ab eorum oppu-
gnatione *Matthæus* abstinuit. Atrox certa-
men erat, *Venetis* non tantùm de navibus,
85 sed etiam de terra pugnantibus. Et quoniam
classis, quamvis injectis ferreis uncis, ab li-
tore distrahi nulla vi poterat: eam injecto i-
gne delevit. In eo prælio *Thadæus* captus *Ge-*
nuam perductus est. Posthæc cùm *Matthæus*
Clodiam versus navigaret, ut si quà posset,
obsessis subveniret, cùm fortè in portum,
quem *Bestiam* appellant, accessisset, *Veneto-*
rum triremes prope quadraginta improvisò su-
pervenere, quibus haud procul à portu pro-
spectis, convocatis propere per tubicinem na-
valibus copiis, quæ in terram descenderant,
ad portus fauces, ne ab hoste exitu interclu-
derentur, quanta potuit celeritate contendit,
sibique per medias hostium naves jam ingredi
inceptantes, via vi facta, periculum effugit.
Sunt verò, qui asserant, *Venetæ* classis Ducem
86 sagitta ictum in eo prælio cecidisse. Quibus
rebus cognitis, *Genuenses Janisium* de mari
cum triremibus quinque in *Adriaticum* traji-
cere jusserunt, ac se cum *Matthæo* conjunge-
re, cæterùm ea prona navium accessio, nihil
obsessos adjuvit: neque enim hostibus classe
potentioribus, aut commeatu, aut omnino
ope ulla iis subvenire potuit. Per id temporis
non exigua equitum cohors à *Bernabove* ad
populandos *Genuensium* agros missa, cùm ad
Appennini jugum, quod *Porciferæ Valli*
imminet, profecta esset, agrestium metu ul-
terius progredi non ausa, eodem quo venerat
die, signis repente convulsis, in *Galliam*, unde
venerat, reversa est. Quos fugientes *Ge-*
nuenses assecuti, pluribus cæsis, nonnullos ex-
tremi agminis serius abeuntes cepere. Dum hæc
87 apud *Genuam* geruntur, qui *Clodiæ* obside-
bantur, rerum omnium penuria fatigati (jam
enim sextus obsidionis mensis agebatur) in dies
magis magisque laborabant. Namque post
cladem apud *Brundulum* acceptam, ita un-
A dequaque obsessi fuerant, ut neque terra à
Francisco Carraria, neque mari à classe,
seu vi, seu dolo commeatu ullo juvari potue-
rint. Itaque cum jam extrema fame confice-
rentur, consumptisque omnibus humanis ali-
mentis, etiam fœdis victu animalibus vitam
producerent, nec ulla iis omnino spes reliqua
evadendi esset, sese hostium arbitrio, ac po-
testati permisere. Quos illi victos *Venetias*
in custodiam miserunt. Ac ne quod tantæ
B cladi ludibrium deesset, captivis omnibus *Ita-*
lica lingua capram proferre jussis, qui inter
duas literas priores literam R, pronuntiabant, 88
omnes pro *Genuensibus* retenti, cæteri abire
permissi, cùm de externo, ac conducto mi-
lite nulla iis cura erat. Unde ingenti modo
triremes cum aliquibus onerariis in hostium
potestatem pervenere: nam decem post amis-
sum *Brundulum* Genuenses ipsi injecto igne
cremaverant. Posthæc *Veneti* tantis successi-
C bus elati, ad recuperanda, quæ bello amise-
rant, toto studio conversi, *Laurentum* atque
alia quædam castella, nullo jam obsistente,
receperunt. Multi enim populi *Genuensium*
ope destituti, in eorum deditionem ultrò ve-
nere, inter quæ *Justinopolis*, ac *Pola*, quæ
durante *Clodiana* obsidione, *Gaspar*, ac
Matthæus ceperant. Hi enim populi, *Clo-*
diana calamitate audita, omni præsidio, aut
interfecto, aut in vincula conjecto, *Venetis*
D deditionem fecerunt. Cæterùm *Genuenses*, 89
etsi in obsidione *Clodiana* magnam hominum
vim amiserant, & qui capti erant durante bel-
lo, nequaquam dimittebantur, ut illos taceam,
qui minus secundis rebus interierant: tamen
ne tam virtute, quàm fortuna superati vide-
rentur, rursum ad res maritimas conversis stu-
diis triremium tredecim classem celeriter ædi-
ficarunt: omnibusque ad bellum necessariis or-
natam, nullo certo Duce designato, sed ut
E singuli triremium ductores certis diebus per
vices imperarent, in *Adriaticum* proficisci,
seque cum reliqua classe conjungere jusserunt.
Veneti enim per id tempus, iis modò recipi-
endis, quæ terra amiserant, occupati (præ-
sertim cum *Genuenses* nihil amplius mari mo-
lituros suspicarentur) maritimarum rerum cu-
ram non nihil remiserant, eaque solùm classe 90
utebantur, quam ad compescendos *Matthæi*
conatus satis esse existimabant. Hac itaque
F classe in *Illyricum* profecta, & cum priore
classe conjuncta, *Veneti* de ejus adventu cer-
tiores facti, rursum in graves maritimi belli
curas inciderunt. Namque *Adriaticum* cir-
cumvecta, non oppida modò, & agros mari
vicinos, hostibus infestos faciebat, sed navi-
gandi quoque potestatem denuo iis sustulerat.
Cùm hic esset in mari supero rerum status,
Nicolaus Goarcus, qui Princeps *Genuensem*
Rempublicam obtinebat, suspicatus *Antonio-*
tum Adurnum contrariæ factionis hominem,
adversus se quippiam moliri, vocatum ad se
sub honoris specie, hoc est conducendorum
mi-

militum gratia, mittere in *Tusciam* velle simu-
91 labat, ea ratione existimans, aut illi manum
injici, aut certè eum Urbe expelli posse. Cæ-
terùm *Antoniotus* sive conscientia permotus,
sive quòd suspectam haberet *Nicolai* fidem,
edicto non paruit, sed ex Urbe clanculum se
proripuit. Nec defuere, qui *Nicolai* jussu
domus suæ latebras perscrutarentur, ut sicubi
lateret, inventum ad se protraherent. Haud
multo pòst *Petrus Fregosus* patria exul; ut
antè diximus, nunquam enim, nec in bello
quidem, ea civitas intestino morbo caruit, è
Gallia Cisalpina inter *Clavarum*, & *Sige-
strum* grandi cum pecunia profectus est, qua
ad solicitandos agrestium animos à *Bernabove*
adjutus fuerat: favebat ei *Simon de Turri*,
homo inter rusticanos gratiosus, ac potens:
cujus amicitiam sibi auro conciliarat, quo fau-
92 tore, atque amico fretus *Nicolai* statum vexa-
bat. Ea re cognita, *Nicolaus* de Senatus
consensu, ne contagio latius serperet, *Isnar-
dum* fratrem delectibus habitis, qui illius co-
natibus obviam iret, confestim cum imperio
Clavarum misit. Ea quoque tempestate cùm
pecunia in belli sumptum *Genuensibus* deesset,
nec ferè amplius è publico, privatoque trahi
bellum posse videretur, Senatus, ac populus
scivit, uti omnes *Genuenses*, qui per ætatem
ferre arma possent, in tres partes divideren-
tur, atque ut tertia quæque pars vicissim, pro
supplemento in classem mitteretur. Hoc edi-
cto proposito (tantum erat hostium odium)
Juventus omnis certatim nomen in classem de-
dit, eodem tamen Senatus consulto permissum,
ut si quis, aut per ejus negotia, aut per ma-
93 lam valetudinem, aut aliam quampiam justam
causam navigare non posset, dato vicario, vel
militis stipendio, esset ei militiæ vacatio.
Quarto autem, qui fuit extremus hujus belli,
anno *Nicolaus*, quem modò memoravimus,
propter res domi suspectas, *Gasparum Spinu-
lam*, qui unà cum *Matthæo Marrufo* in *A-
driatico* adversus hostes fortiter rem gesserat,
cum parte classis revocavit. Isque profectus,
cùm *Clavarum* pervenisset, navalibus copiis,
ut imperatum est, in terra expositis, sese cum
Isnardo conjunxit, adversus *Petrum Frego-
sum* bellum gesturus. Cujus adventum simu-
latque *Petrus* agnovit, arrepta protinus fuga,
Apenninum transgressus, sese in *Galliam* rece-
pit, *Gaspar* verò *Genuam* reversus, omni-
94 um, quæ egisset, in Senatu ratione reddita,
multas Sanctorum martyrum reliquias classe à
se reportatas ex hostibus docuit. Quæ cùm
summa veneratione, ut par erat, susceptæ,
templis quibusdam religione inclytis, conditæ
sunt, quas enumerare, nec nominum asperitas
patitur, nec ullum operæ pretium puto. Re-
bus domi compositis, *Genuenses* cùm audis-
sent, *Carolum Zenum* hostilis classis Præfe-
ctum, reliquam classem, cui *Matthæus* præ-
erat, quæritare, rostratas quatuordecim quam-
primùm armandas curaverunt: iisque *Isnar-*

A *dum Nicolai* fratrem, impigrum virum præ-
fecere. Qui instructis navibus in superum ma-
re profectus, ut *Venetam* classem in inferum
mare profectam agnovit, multa passim popu-
latus, navibusque aliquot captis, remenso pe-
lago in inferum mare rediit, de cujus adven- 95
tu *Carolus* certior factus, quibusdam viculis
ad litus in *Portu Lunæ* sitis, prius incensis
in superum mare per diversa abiit. Quo co-
gnito *Isnardus* rursus in *Adriaticum* mare
B delatus, non invento *Carolo*, hostium oras
populationibus, atque incendiis vexando illos
denuò in graves curas adduxit. Hoc modo
variante fortuna, de integro obtigit: *Venetos*
terra, *Genuenses* mari potentiores esse. Cùm
autem iræ longius processuræ viderentur, *A-
matus* VII. *Sabaudiæ* Princeps, cujus erat
jam in *Italia* ingens nomen, utriusque popu-
li calamitatibus permotus, suadere iis cœpit,
uti posito certamine, ab armis discederent.
C Cujus suasionibus cùm annuissent, componen-
dæ pacis potestate ei tradita, utriusque Civi-
tatis Legati ad se profecti sunt: ad quos hunc
in modum orationem habuisse fertur: 96

*Lætor cælitus datum esse, Legati, uti
me autore, atque arbitro discordiæ vestræ
sopiantur. Huncque profectò diem inter fe-
lices vitæ meæ dies faustosque habeo, duco-
que, quo vestrum hoc tam consentiens de me
judicium animadverto, atque illud quoque
D gaudeo, quòd mihi pauca pro re dicenda esse
intelligo. Videre namque mihi videor, vos
tanta voluntate, ac studio ad pacem ferri,
tædio belli affectos, ut vos mihi magis col-
laudandos quàm incitandos, aut cohortandos
existimem. Nec verò enumeraturus sum
hoc loco belli incommoda, calamitates, æ-
rumnas, ut terrore injecto à belli cupidita-
te distrahamini. Illa enim multis mutuis
cladibus vestris vobis nota sat superque scio.
E Quot verò, quantaque commoda, atque e- 97
molumenta pax afferat, haud minus quoque
ferè in promptu est. Hac enim ut paucis
agam, omnia humana continentur, conser-
vantur, augentur. Hac Respublicæ tem-
perantur, gubernanturque, nec gubernan-
tur modò, sed etiam stabiliuntur, ac ma-
nent. Hac ea, quæ mortalibus natura in-
ter mortales constituta est, societas alitur,
confirmaturque: quin etiam non humana so-
F lùm, sed & cælestia hoc divino bono susten-
tantur. Namque & elementa inter se con-
traria vi sua copulat, ex qua copulatione
omnia procreari scimus. Hoc est nimirum,
quod sapiens ille ait, quæ in rerum natura,
totoque mundo constarent, ea contrahere a-
micitiam: per discordiam verò dissipari ea-
dem omnia. Sed nulla profectò re aut auto-
ritate percipere clarius possumus, quantum
boni in ipsa pace insit, quam ex* Christi *sum- 98
mi, ac veri Dei nostri judicio. Namque
ad discipulos ingrediens semper iis pacem
precabatur, cumque in cælum migraturus*

esset, Pacem meam, *inquit*, do vobis, *utpote rem omnium optimam, ac præstantissimam, quæ divinitus contingere mortalibus possint. Et alibi* pacificos, *ait* beatos, quoniam filii Dei vocarentur. *Quo quid potest majus, quid melius, quid excellentius optari? Quantum autem voluptatis in ipsa pace insit, facilè hinc sciri potest. Sublata enim concordia, nullum est bonum, quo frui quisquam possit, nulla res tam grata, quæ possit esse jocunda. Tranquillitate namque animi remota omnis è vita fructus tollitur. Quis enim non demens ridere, vel jocari, in communi malo, & continuo metu possit?*
99 *Hanc etiam pacem à natura cunctis animalibus ingenitam esse perspicuum est, magisque id apparet in brutis (quod est longè admirabilius) cùm quidem ratione utentia longè proniora ad pacem, atque concordiam ob rationem vitæ ducem esse debuerint: videmus enim inter leones, ursos, apros, qui natura feroces sunt, atque alia hujusmodi animalia concordiam esse, atque inter se convenire, atque hoc quidem nemo non videt. Verùm enim vero tanta Imperii gloriæque avaritia rapimur: ut pro iis adipiscendis naturalis concordiæ, & humanæ societatis obliti, fræno rationis abjecto præcipites in arma deferamur: quò magis cavendum est, ne ab ejusmodi cupiditatibus nos agi, atque abstrahi sinamus. Præterea*
100 *vobis, vel in primis considerandum puto, quæ commoda, quique fructus ex hac ipsa pace consequentur, ante omnia navigatio, quæ tam diu mercatoribus vestris, vel clausa vel certè periculosa extitit, ex qua utraque Civitas vestra ali, atque augeri consuevit, in qua denique Rerumpublicarum vestrarum status continetur. Vobis terra simul, & mari tuta erunt vectigalia, quæ nervos civitatis rectè appellant, in quibus ornamenta fructusque Reipublicæ consistunt: ex quibus hoc tam diuturno bello nihil utilitatis, aut certè parum percepistis, rursus Reipublicæ fructuosi fient: ærarium quod tot, tam variis, ac tam magnis belli sumptibus vacuefactum est, denuo resarcietur: unde pacis ornamentis, ac Reipublicæ necessitatibus satisfacere poteritis. Agrorum cultura, quæ diu intermissa, ac propè deserta*
101 *jacuit, posito belli metu passim exercebitur. Ubertas rei frumentariæ, cæterarumque frugum, quam bellum sustulerat, consequetur. Provinciæ vestræ, quæ tot rapinis, tot vastationibus, atque incendiis squalent, in pristinum nitorem redigentur. Urbes atque oppida tot belli casibus conquassata reficientur: quies, atque securitas tanto tempore amissa (quæ res nec vos domi securos esse, nec externos ad vos tutò commeare patiebatur) recuperabitur. Quantum verò existimatis gloriam vestram apud omnes gentes, ac populos fore, ubi erit auditum, vos posito certamine paci consuluisse? quod cùm omnes gentes lege naturæ facere debeant, idque teneatur à Barbaris à religione nostra abhorrentibus: certè nos qui* Christum, *qui verum Deum, pacis, atque*
concordiæ factorem colimus, id multò magis 102
præstare, atque efficere debemus: nec pati, ut à Barbaris, hac honestatis parte superemur. Cùm igitur tantum mali in bello, quantum vos ipsi experti estis, tantumque boni, ac jocunditatis in pace inesse, quantum ostendimus, non sit dubium, quis sanæ mentis bello quietis consilia non anteponet? Ad quam quidem rem nisi vos (ut antè dixi) vestra sponte incitatos agnoscerem, non gravarer vos hortari pluribus. In id autem vos non hortari non possum, ut de patriæ commodis potius utrique quicquam detrahi, imminuique patiamini, quàm eas conditiones, vel postuletis, vel abnuatis propter quas pax ipsa jure repudietur. Neque enim Tenedos *brevis, atque inculta insula tanti est, ut pro ipsa vendicanda tantum*
discriminis subeundum, tantumque sanguinis 103
effundendum fuerit. Mihi verò (ut jam finem dicendi faciam) maxime jocundum erit, si me vel autore, vel interprete, vel arbitro, pax ipsa ad exitum optatum producetur.

Ad hæc breviter à Legatis responsum: *Quæ de belli incommodis, ac de pacis commodis à se dicta essent, sibi auditu pergrata accidisse: civibus suis pacem cordi esse: ac modò æquæ conditiones proponerentur, eam haud dubiè conventuram esse, quod utriusque populi concordiam expeteret, id se humanitati, ac bonitati ejus dare, gratiasque ex eo agere, nec verò minus eo cupere, ut ipso autore, ac judice componeretur, quò ejus rei gloria apud eum maneret.* Post hæc de pacis conditionibus agi cœptum est. Utris-
que autem Insulæ possessionem gloriæ causa 104
pertinaciter deposcentibus, cùm Comes illorum controversiam haud aliter tolli posse animadverteret, nisi Insulæ ejus potestate utrisque adempta, eam liberam, ac neutri partium subjectam esset jussit: ejectisque incolis in solitudinem redigi: captivos quoque, è quibus permulti longa inedia *Clodiana* obsidione macerati, postquam exsaturari cœperant, cibo distenti vitam finierant, sine pretio reddi, magnam laudem ex ea re apud omnes consecutus. Quibus conditionibus receptis, quarto demum anno post bellum inchoatum, renovata, ac sancita pax est. Quibus omnibus compositis *Isnardus Goarcus*, quem in *Adriaticum* revertisse, non invento *Carolo Zeno*, diximus, inde revocatus, cum classe *Genuam* rediit. Facta pace,
partium Legati continuò ad suos abiere. Cum- 105
que ad *Venetos* Genuenses misissent, qui ex arce in *Tenedo* sita præsidium educi poscerent, misere *Veneti* unà cum eo *Tenedum*, qui juberent præfectum cum omni præsidio arce excedere: qui cùm dicto non pareret, eam à *Genuensibus* expugnari, soloque æquari passi sunt.

Se-

106 *Sequitur*

Aliud parvi temporis

BELLUM VENETUM.



OST eam pacem bellum
civile apud *Genuenses*
subitò exortum est, quod
ferè omnibus opulentis
civitatibus parto domi
otio evenire consuevit.
Sic *Roma* post eversam
Carthaginem in perni-
ciosas seditiones incidit.
Sic nostris temporibus, vel certè patrum no-
strorum memoria *Pisana* civitas. Sic &
Bononia crudeli, ac nefario bello civili sæpe
vexata est. Verum enim verò hoc intestinum
bellum literis mandare non est propositum. Id
107 enim commemorare pudet, pigetque. Quo
sedato bellum inter se, ac *Venetos* de integro
renatum est: breve illud tamen, utpote, quod
prope antè finitum est, quàm inceptum. In-
ter *Clodianum* verò & superiora bella, unum
supra centum annos intercessisse invenio. Me-
dio autem tempore *Genuensis* Respublica aut
quieta ab hoste fuit, aut intestina seditione la-
boravit. Cæterùm hoc ultimum nec tempo-
re, nec rerum magnitudine illi par fuit. Cau-
sa autem ejus, quantum accepimus, hæc ex-
titit. Mutato ob civiles discordias *Genuensis*
Reipublicæ statu: receptoque *Gallorum* Re-
gis præsidio, cui sese Civitas ipsa commiserat:
quo civilis tumultus sopiretur, cùm per id tem-
poris *Janus* Cypriorum Rex, adversus fœdus
Famagustam, magnis delectibus comparatis,
108 petisset, Senatus adversus Regem bellum ge-
re decrevit, præmissoque *Antonio Grimaldo*
cum rostratis tredecim, qui Regis impetum
moraretur, alias naves armare statuerunt: qui-
bus ædificatis, instructisque, *Joannes Le-
mengrus*, qui pro Rege urbi *Genuæ* præerat,
altum conscendit: prosperamque tempestatem
nactus in *Cyprum* pervenit. Quod postquam
Rex accepit, qui jam antè ob *Antonii* adven-
tum ab oppugnatione *Famagustæ* discesserat,
ob auctam classem, & Ducis autoritatem per-
territus, magna vi auri collata, sese *Genuen-
sium* bello liberavit. Pace igitur cum Rege
facta, rebusque ex sententia compositis, *Jo-
annes* inde digressus, ut aliquid se dignum mo-
liretur, infesta classe *Ægyptum* petiit: nam
per id tempus, cum *Syriæ* Principe *Genuen-*
109 *sibus* bellum erat. Cæterùm *Ægypti* oras
prætervectus, cùm nihil ibi quietum esse si-
neret, brevi efficit, ut is *Genuensium* pacem
ultrò expeteret: qua confecta redeundi *Ge-*

A *nuam* consilium cepit. Per idem verò tempus
Veneti triremes undecim, ac rostratas duas
onerarias mari habebant: cumque iis *Caro-
lum Zenum*, cujus virtutem superiori bello
experti fuerant: eorum insulas atque oppida
tueri, ac *Genuensium* navigationem (nam eo-
rum classem suspectam habebant) de industria
observare jusserunt. Qui simul atque è sinu
Adriatico cum classe egressus, agnovit *Ge-
nuensem* classem *Cyprum* versus contendere,
B abeuntem illam dissimulanter sequi cœpit: nec
prius destitit, quàm planè comperit, ab ea
Cyprum peti. Quo cognito, ad insulam *Meto-* 110
nicam (quam *Sapientiam* vocant) regressus
constitit. Nec procul inde abiens, *Genuen-
sis* classis reditum præstolabatur: quæ cùm
paulò post per eadem loca secundo vento de-
ferretur: ex ipso portu *Metonico* sibi obviam
prodiit: ut cuja classis esset, agnosceret:
quam simulac *Joannes* (ignarus tamen) quæ-
C nam esset: adversus se adventantem vidit: in
eam proras & ipse verti, navalesque turmas
confestim armari imperavit. Postquam verò
appropinquari cœptum est, utrisque de more
nautico cuja classis esset, certatim percontan-
tibus, nec nomen prius edere dignantibus, ir-
ritatis, succensisque ira animis, magno impe-
tu concursu facto, atrox pugna committi cœ-
pta. Verùm ubi classes cohæsere, *Genuen-
ses* (ii enim numero inferiores erant, & plu- 111
D rimum morbo languebant) paulatim cedere
cœperunt. Maximè verò illis oberant onera-
riæ triremes: è quibus desuper omni telorum
genere petebantur: cumque vim diutius ferre
non possent, tribus onerariis, totidemque
rostratis amissis, sese in fugam conjecerunt.
Captivi *Venetias*, qui justo bello capti, pro-
ducti sunt. Hæc autem injuria patrum simul,
ac Plebis animos adeò permovit, ut omnes
extemplo una voce suscipiendum bellum ad-
E versus *Venetos*, instaurandamque classem pro-
clamarunt: violati fœderis ultorem Deum in-
vocantes. Per eosdem fermè dies agrestes qui-
dam apud *Clavarum*, armis adversus Rem-
publicam sumptis, tumultum concitaverant.
Cæterùm is subitò immissis eò delectibus com-
pressus est. Susceptorum armorum hanc cau- 112
sam afferebant: quòd tam gravia tributa pensi-
tare non possent, nec justam sanè, nec pro-
babilem. Iis tamen propter imminens bellum
data venia, & tributorum insuper, omnisque
muneris publici vacatio in certum tempus con-
cessa.

cessa. Visum verò est *Genuensibus*, è dignitate Reipublicæ esse, antequam bellum adversus *Venetos* moverent, *Venetias* legatos mittere, qui de pace violata, deque accepta injuria querimoniam deferrent: quærerentque publicone, an privato consilio *Carolus Zenus* id egisset, captivosque, & rapta poscerent: ac postremo sciscitarentur, bellumne, an pacem vellent. Plebiscita quoque civitatis, si qua erant duriora, temperata sunt, eaque in novos Codices relata. In hoc rerum statu
113 *Facinus Canis* cum ingenti equitatu ac peditatu, quorundam exulum impulsu in *Genuensium* fines est profectus. Hunc oppido *Casali* natum *Joannes Galeatius* Vicecomes, *Mediolanensium* Princeps, *Philippi* pater, sanè inter primos sui temporis Principes virtute & autoritate numerandus, propter rei militaris scientiam admodum dilexit, atque suis copiis præfecit: moriensque testamento *Joannem*, ac *Philippum Mariam* filios adhuc impuberes, ejus tutelæ, ac fidei commisit: ex quo in tantas mox opes crevit, omni Imperii potestate in se translata: quanquam de illorum nomine cuncta administraret: quo major dicto esset autoritas, ut jam pro Principe, non Principum tutor haberetur: mortemque obiens *Beatricem* suam uxorem *Philippo* de-
114 sponsarit. Cumque ita *Genuenses* ejus profectionem haud temere esse existimarent, qui Reipublicæ præerant, compluribus civibus, qui exules vel amicitia, vel propinquitate contingebant, ne quid novi molirentur, religati, illius adventum frustrati sunt. Simulac enim animadvertit nullos motus in Urbe fieri, nec ea consequi, quæ sibi exules persuaserant, omissa expeditione in *Galliam* rediit: post cujus discessum exulibus ipsis venia data, ne quid amplius turbarent Reipublicæ statum, redire in patriam permissum.

Postquam *Genuenses* legati *Venetias* pervenerunt, in Senatum introducti, in hunc ferè modum locuti sunt.

Etsi ipsa injuria, quam modò Reipublicæ nostræ nulla injuria lacessiti intulistis, Veneti, *per se gravis, atque indigna visa est:*
115 *tamen hòc graviorem, atque indigniorem illam existimavimus, quò firmiorem, ac solidiorem pacem nobis ubique futuram arbitramur: quoque sinceriore animo ad eam ipsi advenimus: nam ex quo confecta est, nunquam profectò nisi de communi quiete, atque otio cogitavimus, omnia nostra consilia, omnes curas, actionesque nostras ad eam ipsam referentes. Nec sanè post id temporis alicujus nobis culpæ conscii sumus, quo nobis jure objici possit aliquid à nobis contra fœdus, aut perpetratum, aut attentatum esse. Juris enim jurandi haud quaquam obliti, id unum post factam pacem maxime curandum duximus, ne pax ipsa ullo, aut facto aut dicto nostro violaretur: atque ut per nos vel ad posteros incorrupta trans-*
A *ferretur. Vos autem, quantum res ipsa docet, longè secus animati estis: nam ut o-* 116
mittamus priores injurias, fortasse leviores, tamen nullo modo tolerabiles, hujus unius indignitatem æquo animo ferre quis possit? Classem nostram, quæ in toto illo cursu Cyprico *nulla prorsus, nisi pacis, & amicitiæ signa dederat, quæ ne navibus vestris, nec oppido, nec insulæ ulli nocuerat: classem vestram ut amicam, & pacatam non*
B *reformidantem, ac sine suspicione ulla haud procul ab ea transeuntem, hostiliter invadere, haud veriti estis. Superiorum pacis testium, ac jurisjurandi obliti, tribusque triremibus totidemque onerariis captis, omnes captivos, tanquam jure belli capti essent, injurias injuriis accumulantes, in carcerem fœdè conjecistis. Quòd si acceptæ superioribus bellis calamitates, vos parum movebant: certè rectum, atque honestum,* 117
C *quod omnibus rebus humanis anteferri debet, continere vos in officio debuit. Quid nunc dixeritis? aut quam excusationem affertis? Atqui illud negare & diffiteri non potestis, quin illa nobis injuria consultò facta sit. Nam quis aliter credat, qui sciat,* Carolum Zenum, *à quo classis vestræ duce eam contumeliam accepimus, ex quo die classis nostra* Ægeum *mare ingressa est, ejus vestigia diu dissimulanter persecutum? qui*
D *norit illum, redeuntem eandem classem, multis in ea febri affectis, prope inermem factam, aucta insuper à vobis classe, adortum esse? qui non ignoret, classem vestram è portu* Metonico, *ubi tutò stare poterat, egressam adversus nostram, rectà cursum contendisse? qui denique compertum habeat, classem nostram, ne in ipsa quidem profectio-* 118
ne Cyprica, *quo tempore integra, ac valida majora vobis detrimenta inferre poterat, nulli vestrorum infestam, procul ab* Adriati-
E co *sinu* Siciliam *versus abeuntem, à classe vestra hostiliter circumventam, atque expugnatam esse? Non est certè usque adeò exhausta superioribus bellis nostra Respublica, quin hanc tam insignem contumeliam armis, si libuisset, ulcisci potuerimus. Verum enim vero prius experiri, quo animo illatas nobis à* Carolo Zeno *injurias tuleritis, maluimus, quàm correptis armis, bello contendere: uti apud omnes gentes testa-*
F *tum relinquamus, quietis consilia bellicis à nobis anteponi. Quanquàm verò eo ingenio nati sumus, ut Reipublicæ injurias perferre nequeamus, quod quidem superioribus bellis experti estis: tamen hæc utcunque* 119
sunt, tolerare possumus, modò nobis pro accepta contumelia satisfaciatis. Quapropter si pacem nostram bello præfertis, damnum præstate, captivos reddite: alioquin illud sic habetote, vobis posthæc nobiscum, nec pacem, nec amicitiam fore, nosque omnes fortunas nostras Reipublicæ dignitati posthabituros. Post-

Postquam Legati dicendi finem fecere, Senatus Princeps ita paucis respondit:

Nulla à nobis injuria, Legati, Reipublicæ vestræ facta est: quinimo ipsi prius lacessiti, de accepta injuria jure conqueri possumus. Vos enim in exeuntem è portu classem nostram, ut quænam esset superveniens classis, amicorumne an piratarum exploraret, hostiliter proras primi convertistis, nec quinam esset per insolentiam ef-
110 *fari voluistis: quam quidem classem minime dubitare poteratis, cùm è portu nostro egrederetur, nec de alia classe fama esset, nostram esse. Nam quod ad* Carolum Zenum *attinet, cepisse eum arma non negamus: sed non ut afferret, at ut propulsaret injuriam: quod & æquitas, & Jura Gentium patiuntur: nec, in ea re contra fœderis leges itum esse, accusare nos quisquam potest. Quis enim est à natura injuriarum tam patiens, qui si possit injuriam vimque avertere, opprimi se malit, quàm illam repellere? Hoc vobis Jus Gentium, quod est Naturæ ipsius Lex, præscribit: neque id in hominibus modò videas, verùm etiam in mutis animalibus. Illa enim sæpe inter se pro accepta injuria certare aspicimus. Itaque pacem non ipsi fregimus, in quo à vo-*
121 *bis incusamur: sed eam potius à vobis fractam, ac violatam esse affirmare possumus.*


Quòd vobis firmam ac veram pacem nobiscum fore existimaritis, rectè vos quidem, ac vere: nec in ea re decepti estis. Nos quidem sedulò id egimus, quo pax ipsa perseveret, ac maneat; nulla inimicitiarum indicia à nobis orta sunt. Nos enim cùm nobis inferretur injuria, non vim aliquam intulimus, sed repulimus: nec priores, sed posteriores arma sumpsimus. Quòd Carolus Zenus *classem vestram* Cyprum *petentem secutus sit, id esse ab eo factum potest: sed non eo animo, ut vobis noceret, at ut insulas nostras, atque oras maritimas ab injuria more majorum tueretur. Quod quidem nobis salva pace facere licuit: neque enim nostra tueri, lege ulla prohibemur. Quod verò ad pacem attinet, nos quidem nisi per vos steterit,* 122
pacem volumus: captivos autem nisi disceptatione hac prius discussa, causaque cognita, redditari non sumus.

Hæc cùm dixisset, multùm ultro citroque de infractione pacis disputatum est. Demum re suspensa, & in posterum diem dilata, Senatu dimisso, Legati domum reducti sunt. Postridie dato iis Senatu, nec eo quoque die componi res potuit. Sic in multos dies disceptatione extracta, ad postremum *Veneti*, calamitates prioribus bellis acceptas, memoria repetentes, captivos reddendos, pacique consulendum esse censuerunt: quibus redditis pax renovata est, & confirmata, atque ita huic bello intra paucos menses absque ulla classe finis impositus est.

FINIS.


INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.



Ge-

FINIS.



ANTONII DE VILLE,
Equitis Galli,
PYCTOMACHIA VENETA,
seu Pugna Venetorum in ponte annua;
JOSEPHI LAURENTII,
Lucensis,
DISSERTATIO DE DESPONSATIONE MARIS ADRIATICI,
aliisque ad eam pertinentibus, vel cum ea convenientibus; &
JOANNIS VALACRII,
Scoto-Britanni,
SPECTACULA VENETA,
Epigrammatibus aliquot celebrata:
Nunquam antehac sic conjunctim edita.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

PRÆFATIO HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

Exhibemus Tibi, Benevole Lector, *a tribus auctoribus descripta & celebrata, quæ in Magnificentissima Urbe & Republica* Venetorum *orbis spectat mirabundus. Primo loco sese Tibi offeret* Antonius de Ville, *Eques Gallus*, *Pyctomachiam, vel pugnam illam, quæ* Venetiis *autumni temporibus inter* Nicolotos, & Castellanos, *partes Civitatis amice contrarias, habetur, vividissime quasi depingens. Excipiet hunc* Josephus Laurentius, *Lucensis, de festivitate, quæ die Ascensionis Dominicæ quotannis ibidem celebratur, ubi Serenissimus Dux in Augustissimo Patrum consessu mare sibi desponsat, eruditissime differens, addens plura alia, ad hanc celebritatem pertinentia, vel cum ea convenientia. Claudent triadem hanc* Joannis Valacrii, *Scoto-Britanni, Epigrammata aliquot de Spectaculis* Venetis, *& aliis in eadem urbe admirandis conscripta. Horum Auctorum hæc opuscula, cum ob elegantiam suam inter scriptores nostros* Italos *locum sibi vendicarent neutiquam postremum, ob brevitatem suam, & materiæ convenientiam conjungi videbatur non inconveniens. Cujus autem in omnibus nostris editionibus sumus studiosissimi, id & hic qua chartam purissimam, qua typos nitidissimos, qua emendationem sedulam observatum reperiet Lector. Pariter in lectionis adjumentum nomina propria, aliunde transscripta, & alia, quæ id requirere videbantur, diversis a contextu consignavimus literis. Nec obstitit opusculorum brevitas, quin, quæ in ipsis continentur notatu digniora, excerperemus, & in Indicis melioris redigeremus ordinem. Hæc sunt, quæ nostra erga Te*, Benevole Lector, *officiositas nobis injunxit, Tu ea æqui bonique consule; vale, nobisque fave.*

ANTONII DE VILLE,

Equitis Galli,

PYCTOMACHIA VENETA.



Issidia inter homines, partes in civitatibus, bella apud populos semper fuere & erunt æterno naturæ decreto. Quicquid est è contrariis fit, per contraria perennatur; ideo Elementis orbis, partibus mixta, qualitatibus partes componuntur; unaque nimium prævalente super invalidam, aut penitus expulsa, patitur aut corrumpitur mixtum, concors est contrarietas, harmonica temperatura, diversitas uniformis: immutabilem hunc naturæ ordinem, mundo necessarium, immortalitati consentaneum, imitatur Respublica *Veneta*. Divisa est instituto habitantium voluntario in duas partes civitas, amice contrarias: quæ versus continentem, *Nicolotorum*; altera versus mare *Castellanorum*; utraque habet sua compita determinata, quæ distinguuntur medio canali magno. Volunt aliqui, sed falso, antiquæ *Guelforum* & *Gibellinorum* factionis umbram superstitem. Etsi foret, reliquit, quod erat malum, odia, cædes, sanguinem; Ludus nunc est.

Omnia è contrariis.

Contrarietas harmonica.

Partes civitatis.

Distinctæ canali. Non est factio.

Post messem & vindemiam dum se recepere cives in urbem, populi læti nova messe & vino, ad jocum proni, spectaculorum avidi tempus hujus celebris pugnæ singulis annis veluti statuto decreto destinant; commodum sanè ut moderetur fervorem pugnæ temperies tempestatis, ideo ne nimium efferveat sanguis insigniores ipsa hyeme celebrantur. Septembris & Octobris mensibus incipiunt se congregare certantes diebus, ut plurimum festis, ne plebs avocetur ab opere, negotiosis, nebuloso si possunt cœlo, ne insolentur spectatores, non tamen pluvio, quia aspersus humore pons fit lubricus: locus magis frequens est pons *Sancti Marciliani*, gradatus ut alii, latus pedes septemdecim, longus pedes quinquaginta, apertus ad latera sine podio: fundamentum (id est ripam) habet latum, longe protensum, hinc ad templum *Misericordiæ*, illinc ad *Servorum*, unde utrinque patet apertus aspectus ad pontem, hanc partem (*Servorum*) occupant *Nicoloti*: in alia (*Misericordiæ*) congregantur *Castellani*; prœliantur etiam quandoque in aliis pontibus, ut *Sanctæ Fuscæ*, etiam ad *Carmelitanos*, qui aptissimus propter amplas ripas; & quia undecumque facile aspectabilis.

Tempus pugnæ.

Quare hyeme. Se congregant. Diebus festis.

Pons Sancti Marciliani.

Alii pontes.

Carmelitanorum.

Primis mensibus exercitantur Tyrones singularibus certaminibus, fiuntque velitationes impuberum, & Ephæborum non injucundæ aspectu. Veniunt in campum sponte, quibus est libido pugnandi, se accingunt læti, impatientes moræ; Adsunt patrini partium velut Ædiles moderando Ludo, proponunt isti per vices certaturos, & paria inter se committunt æqualia ætate & robore: ignominiosum enim cum inferiore componi. Ascendunt medium pontem

Velitationes tyronum.

Patrini committunt paria.

A ambo, truci quantum possunt vultu, apto statu, demisso parum capite, sinistro brachio ante os tanquam scuto porrecto, dextroque ad ictum parato irrunt in adversarios, potentes sunt primi ictus, qui multiplicantur frequentiores, non distinguuntur aspectu iterati pugni, peritiores appetunt vultum, & implicant adversarium nexu, ut sic impunes feriant. Si forte cadit aliquis, aut sternitur, non licet vim inferre, donec assurgat; iterum congrediuntur obstinati, conantur ambo vincere, donec emanet sanguis ab ore, cui fuerit, jusso à patrinis sputo mixtus, hic se fatetur victum, exosculantur

Quomodo ascendant pontem.

Quomodo certent.

Strato non fit malum.

Quis victus.

B sese in testimonium oblitæ injuriæ, & ad suos se recipiunt: producitur aliud par paulo robustius, fit enim principium à debilioribus donec ad puberes deveniatur, & aliquando ad barbatos. Acclamant partes suo victori. Sed parum momenti est alternata victoria: nam hi battuunt potius quam pugnent.

Victoria alternata.

Major est apparatus, dum totis viribus certatur. Indicitur dies communi multo ante tempore destinata, ut possint utræque partes auxiliares copias convocare, quia non solum *Veneti*, sed confinia suburbia omnia, & ipsæ civitates

Magnæ pugnæ apparatus.

Auxiliares copiæ.

C conferunt electos quoscunque possunt, nec desunt ullæ, tanta est consensio universæ partis pro laude adipiscenda. Scitur per totam urbem, & summo mane conveniunt plebeji ad occupanda loca publica eminentiora: tabulata, coronæ, & quicquid aliquam habet projecturam impletur homine, repunt per muros, sublevant humeris hos, à quibus deinde manibus attolluntur. Et quod vix scalis ascenditur, manu, vi, nisu superatur: secum ferunt jentacula, aut perstant tota die jejuni, ut satientur spectaculo; sensim postea replentur tecta, fenestræ, fundamenta: & canales à Cymbis (has

Conveniunt spectatores.

Implentur omnia.

D deinceps proprio nomine vocabo *Gundulas*) adducuntur etiam majora navigia lata & ampla, super quæ accommodant tabulata, & aqua fit solum: cooperiuntur canales *Gundulis*; *Gundulæ* hominibus: unde aquis, fundamentis, tectis, fenestris, & universo loco, una facies, capita spectantium.

Multitudo spectantium.

Præparant se interim pugiles, & ne tædeat spectantes moræ, mandant aliqua paria certantium singulari certamine, semperque diludium præcedit pugnam: introducuntur sensim alia paria, dein bina, & terna simul, sicque accenditur primus ardor pugnæ. Accincti prodeunt

Se præparant pugiles.

Singularia certamina.

E certaturi, nudi brachiis, pectore thorace cartaceo armati, capite pileato aut vitta redimito, reliquo expediti, ne impediatur motus, aut graventur, si natandum. Silet omnis turba, & mirabundi spectant. Congrediuntur alacres utrinque, se miscent, fit prima pugnorum emissio; dant, excipiunt: propellunt, repellunt sese: appetunt, & resistunt æqualiter: densat se globus succedentibus: violentus est primus impetus, sed utrinque pari vi sustinetur: geminantur ictus, incalescit certamen,

Quomodo accincti.

Primus congressus.

conantur de gradu pellere, conglomerant ſeſe, irruunt, ſuſtinentur, tenetur ab utriſque medius pons pertinaciter, & dum primæ vires ſuppetunt, neuter cedit:

Repetunt pugnas.

repetunt iterum pugnas; manus conſerunt, conatus duplicant, invadunt acriter, ſi quæ paululum nutat pars, impingunt alii, ut deturbent, ſed hos fulciunt poſtremi ita, ut nec volentibus liceat confuſe recedere, renovantur recentibus feſſi, iterumque redintegratur pugna, duratque anceps,

Conatus violentus.

ſed pars ſtipato milite, impetu violente impreſſo irrumpit in adverſarios, fit dirum certamen,

Cadunt in aquam.

pugni utrinque innumeri, procumbunt in genua fortes, ſternuntur debiles, plures cadunt in aquam, quod letale, quia madentes ſudore, diſperſus exterius calor, interius ſe ſubito recipit propter frigus aquæ, riget totum corpus & ſanguis coaleſcit, unde morbi & mors.

Depelluntur ponte.

His ſuccedunt alii: tandem coguntur cedere de gradu, deturbant, pellunt de ponte, fit clamor

Applauſus.

immenſus applaudentium, & voce, geſtu, ventilatione favent ſuæ parti.

Sponſiones.

Notabiles interponuntur ſponſiones, utri vincant, unde erumpunt, ira, inimicitiæ, aliquando cædes.

Vera pugna. Quare.

At non ſemper incruenta pugna, nam aliquando aut quia non ſe fatentur victos, aut quia diſplicet inſolentia jactantium, aut quia accinctus armis prodit aliquis, verbis, dein injuriis ſe laceſſunt poſt levi miſſione: reſpondent alii, remandant: ſe irritant, & ſenſim fit vera pugna atrocior pugnis, ruunt omne miſſile;

Imber Saxeus.

volat de tectis ſaxeus imber, gaudent confuſione ſuperni, & tota tecta devolvunt impunes: malum quibus contingit inferne ſpectare ſub cœlo, ſentiunt vulnera, nec vident ferientem,

Pauci effugiunt.

incurrunt ſæpius in id, quod vitare contendunt: cautiores fugiunt primi dum ingruentem vident ſeditionis nebulam, qui tardius morantur, non

Confuſio fugientium.

effugiunt; nihil enim valet celeritas curſus, quia primi ſe ſiſtentes cum ſunt extra periculum, impediunt ſequentes, & tardi deturbantur ab incurrentibus, ad quos offendentes cadunt

Cadunt multi.

& ipſi, fit acervus ingens, ſuffocantur ſuppoſiti, aut ſi vires ſufficiunt, deturbant ſuperiores aliquando in aquam, ut hauriant ſpiritum, qui prope defecit: non parcunt ſtratis tectarii: & quamdiu durant ſaxa, aut adſunt homines, tamdiu durat tempeſtas lapidea, quæ facit rivos ſanguinis è capitibus excipientium.

Rumor apud cymbas.

Nec minor apud *Gundulas* rumor, ſed non æquale malum, ſalvantur iſti tegumento, non

Comminuuntur.

tamen immunes periculi: nam comminuuntur pondere, quibus major incidit moles, & fragmenta augent damnum abſconditis: præterea

Merguntur.

inſultantes indiſcrete inclinant *Gundulas*, quas ſupermanans unda mergit, vix ſuccurruntur na-

Confuſio cymbarum.

tantes, conſulit quiſque ſaluti propriæ, cymbarii expoſiti telis ut effugiant, impingunt in alios, &, qui alioquin daretur, exitus obſtruitur obſtinatione ſe ſe propellentium, cum ſe conantur intromittere, ſæpius ſe elidunt, non juvat remus, non vis, non ars: franguntur remi, impeditur locus, turbantur pavore nautæ: dubium, quibus pejor ſors, aut terreis, aut aqueis, ſed his duplex malum, implentur omnia fremitu, jocum dicunt ſalvi, ſaucii bellum.

Solvitur cœtus.

Tandem ſolvitur cœtus, & ludus fit tragœdia.

Impeditur confuſio.

Raro contingit talis confuſio, impeditur turba ſtatorum, qui vinculis & carcere plectunt

Renovant pugnam.

primos motores. Dum quiete agitur, expulſi non ferunt ignominiam perditi pontis, ſed collectis viribus inſtructam in cuneum aciem adigunt, excipiuntur forfice, reductis in latera viribus vacua fronte, ex utraque parte circumveniun-

A tur, &, ni caveant, primi progreſſi ſeparantur a ſuis, & capiuntur ab inimicis,

Capiuntur ab inimicis.

his licet contra jus belli inferunt omnia mala pugnis, calce: verberant, tundunt, nemo non impingit plagam, ita mulctati ſinunt redire ad ſuos longo

Mulctantur.

viarum circuitu, a quibus veſte ſolum dignoſcuntur deformati aſpectu, tumidi, cruenti, lividi: ore, genis, oculis, excandeſcunt furen-

Excandeſcunt ira. Adſtant amici & fœminæ.

tes, cedit dolor iræ, ardent cupidine vindictæ, impatientes ſubſident paululum, donec reſumpſerint vires & animum. Adſtant circulo amici, miſerantur caſum, indignantur atrocitatem,

B fœminæ ipſæ conglobatæ, geſtu, lacrymis, blanditiis movent maritos, affantur verbis quæ ſuggerit affectus.

Hortatio fœminarum.

Adſumus animo conjuges pars noſtra, utinam liceret corpore; pugnaremus & nos, vetat ſexus & pudor, non timor, utinam vobis noſter animus, aut nobis veſtræ vires: quid vos moratur? habetis utrumque, viciſtis toties, ultima eſt hæc corona, nec minor eſt pars veſtra numero, nec robore, cedetis audacia? vincetis & nunc, ſi pertinaciter pugnaveritis: contra fortes obſtinate decertandum, ſciatis aut victores aut victi æque ferendi ſunt ictus; diſcrimen apud vos, an honeſti, an turpes.

C *Ite, vincite, cari mariti, ne ſuperſit vobis inglorius dolor, nobis intolerabilis infamia.*

Reficiunt certantes.

Nec minora apud partes contrarias incitamenta, reficiunt fructibus, circumferunt bellaria, propinant vina generoſa, re & verbo excitant.

Oratio alterius partis.

Non eſt opus oratione addere animum, innatus eſt vobis, nec deficiet, niſi vires defecerint: At impares ſunt inimici veſtris viribus: Ergo ſat eſt, ſi volueritis vincere, hortationes apud ignavos, ite ordinati, nec terrete primo impetu obſiſtentes; ſi quæ reſiſtentia erit, ad illuſtrandam victoriam erit, pro gloria pugnatis, unum hoc vobis præmium;

D *quod majus, quo major cœtus ſpectantium: convertite oculos, hi omnes erunt teſtes veſtræ fortitudinis: pugnate audaciter, opprimite ſuperbe; non eſt ſatis vobis vincere, niſi glorioſe viceritis.*

Pugnant iterum.

Invadit eos rabies pugnandi, denſantur utrinque globi, jamque obliti gloriæ, furoris ſtimulo agitati feruntur: ſævit ira, ſpectantur lacerti nudi, ampla pectora, fortes artus, prægrandia brachia: irruunt in hoſtes, & totis innixi viribus immanes impingunt pugnos, ſo-

Immanes pugni.

nant valide, & licet immenſus ſit fragor, ſentiuntur procul, deturbant velut clava obvios, fieretque vacuus pons, ni pares illinc produ-

E cerentur. Accidit ſæpe, ut unum cornu labo-

Accidens cavendum.

ret, dum aliud vincit, periculum, ut dum hi pelluntur, ne pellentes intercipiantur. Ideo caute procedendum, ut pari motu progrediatur acies, tunc ædiles ſuccurrere debilibus, recentes

Succurrunt ædiles feſſis.

advocare, introducere per latera pontis ſubſtites, intromittunt ſeſe proni, mento ad genua inclinato, dein ſubito prorumpunt, & disjiciunt obvios, excutiunt lapſantes, proterunt jacentes, tenetur pons totus, ceſſit de gradibus

Pellunt de ponte. Acclamatio.

pars, tollitur in cœlum clamor victoribus acclamantium, & victis exſibilantium; nondum tamen parta eſt victoria, durat adhuc certamen,

F donec occiderit ſol, quandoque etiam ad mul-

Durat certamen.

tam veſperam, redeunt iterum depulſi, nituntur in aſcenſum, & pari impetu recupe-

Recuperant pontem.

rant pontem perditum: ſed parum perſtant, quia alii non cedunt audacia aut pertinacia, & quia numeroſa eſt turba certantium, fit ſemper

Semper nova pugna.

nova pugna, augetur tamen, dum inclinat dies, quia jamjam decernenda eſt victoria: res in anguſto verſatur, irritus eſt omnis labor, vani conatus, inanis tolerantia, niſi ad extremum ſuſtinuerint, ideo quicquid habent artium, quicquid virium explicant: triarios aliquando

Triarios ſervant.

ſer-

servant intactos ad ultimam invasionem, quibus ni opponantur æquales, certa est victoria, nutat tamen ad finem, & hi violentiores conatus, quia ultimi; figunt oculos spectantes; hi fremunt, alii gestiunt, conformant omnes nutum & vultum ad pugnam, quæ quia anceps est, confunduntur voces obstrepentium, hortantium, applaudentium; nihil auditur, quia immensus clamor auditur. Tandem dirimit pugnam nox & labor, cedit debilis pars fortiori, accurrunt pueri & plebs per compita, nuntiant suis victoriam, lætantur, acclamant, pyras struunt per plateas & vicos, accenduntur ignes: conferunt certatim ligna, applaudunt omnes, lucet victoribus nox: victis tenebræ, silentium; accusant fortem, astu non vi partam victoriam, productam pugnam ultra tempus destinatum, dum duravit legitimum, perduravisse victores; minuunt pudorem excusatione, mitigant dolorem gestis, sese consolantur spe proximæ victoriæ. Vagantur victores tota nocte & die postera, per canales ornatis vehuntur cymbis, convivia celebrant publice, musica se recreant, toti lætitia exultant: & ne quid odii supersit inter partes, victores invisunt victos, invitant ad epulas, compotant, obliviscuntur omnes præteritæ pugnæ; hi laudant victos, ut se extollant, isti victores, ne arguantur; mutatur in pacem bellum; purgatum est, quicquid erat felis, renovantur veræ amicitiæ, & levi ira perpetui redintegrantur amores.

Spectant omnes. Clamor immensus. Finis pugnæ. Lætitia. Ignes. Victi se excusant. Victores vagantur læti. Renovant amicitias.

FINIS PYCTOMACHIÆ VENETÆ.

JOSEPHI LAURENTII,
Lucensis,

DISSERTATIO
DE
DESPONSATIONE
MARIS ADRIATICI.

ARGUMENTUM.

Solemnis maris Adriatici desponsatio Venetiis festo Dominicæ Ascensionis die. Origo ejusdem. Bucentauri delineatio, etymon, institutio. Adriatici maris Imperium penes Venetos quantum. Syracusani mare desponsant calice, floribus. Desponsatio maris per anulum & gemmam, Thalamegos navis, Thalamii remiges. Classis lustrandæ ritus. Panegyris varia, cùm maria aperiuntur. Panathenæa, Quinquatria, Hilaria. Statuæ Porphyreticæ in plateâ D. Marci Venetiis. Modus sciendi Romæ, quot nati, quot mortui, quot virili togâ cincti. Nati in acta relati. Professio eorundem publica, cujus moris reliquiæ Venetiis adhuc vigent.

Venetiarum elogium.

V*Enetias* Urbem admirandam, divinitus institutam, sapienter administratam, Urbium orbem, orbis Miraculum semper suspexi, & potissimum, cum inspexi solemni Ascensionis Dominicæ die, Serenissimi Ducis majestatem, Purpuratorum Patrum *Venetorum* regium consessum augustissimum in annuâ maris desponsatione, quæ mihi memoriam refricuit eorum, quæ in Athenæo *Lib.* 11. legi. Verum, ut mea Schediasmata tantæ Urbis splendore illucescant, adnectere mihi sit fas illius instituti admirandi primordia, mutuatâ face à vestratis clarissimi Justiniani *Historia Veneta*, & aliis incorruptioribus monumentis. *Bucentaurum* ita describit Justinianus *Lib.* 14. est navigium maximum, atque ornatissimum. Nam structura ejus sublimis, columellisque frequentioribus culta, auroque ad proram à puppi præfulgida, hospitesque insignes, aliique eminentioris fortunæ viri, qui ad Urbem veniunt, ea navigii machina a Principe, & Patribus officii gratia excipiuntur: Ducaleque solium in frontispicio, superiori tabulato, collocatum, ubi Princeps inter legatos, consiliariosque medius sublimis residet, & circum per subsellia summus ille Patrum Ordo majestatis, & silentii plenus. In inferiori autem tabulato remiges navigium tonsis agunt, & remulco interdum, dum aquæ in contrarium fluunt, tanta moles trahitur, publicumque erigitur vexillum, & juxta illud Principis auratum scutum; summitasque *Bucentauri* holosericum, purpureumque habet opertorium funibus alligatum, ne ventus rapiat. Ad proram positum est Justitiæ simulacrum auro fulgens, cujus dextra nudum ensem, læva autem æquilibrium tenet; rostrumque insigne prominet, ut navigii forma conspectior sit. Dicta *Bucentaurus* a *bu*, quod magnum aliquid significat, & *Centaurus*, antiquum navium insigne, vel quasi, *Bis Taurus*, quæ olim *Æneæ* navis. Alii *Ducentaurum* appellatam volunt, quasi ducentorum hominum navigium capax. Institutio hujus machinæ primum facta fertur anno reparatæ salutis 1311. Alii altius originem indagant, nempe anno 1177. in adventu Imperatoris *Federici Ænobarbi*, seu *Barbarossæ*, cum ille, pro componenda pace cum Pontifice *Alexandro III.* Senatuque, *Venetias* accessit. Hic enim Imperator Pontificem odio *Vatiniano* insectatus, abire *Roma*, *Venetiasque* petere, tanquam ad asylum tutum, coëgit. At Imperator in *Venetos* classem Duce *Ottone* filio immisit, qui à *Venetis* debellatus, captus & ad patrem remissus, ab eo impetravit, ut *Venetias* conce-

Bucentauri descriptio. Etymon Bucentauri. Bucentauri institutio.

deret de pace acturus, quod feliciter factum, Pontifexque in integrum restitutus pietate, & virtute *Venetorum*. Quibus, ut Pontifex paria faceret, præter plurima alia privilegia *Veneto* Senatui concessa, gratulabundus Principi anulum porrexit aureum, dicens: *Ziane Dux accipe, & me authore hoc mare tibi Venetiæque armis obnoxium desponsato, quod tu, & futuri Principes quotannis stato die in perpetuum servabitis, ut omnis posteritas memoriâ repetita intelligat, maris possessionem patriâ virtute, ac navali disciplinâ vestram esse jure belli quandoque factam; atque, ut uxorem viro, ita illud desponsationis annuæ munere vestro subjacere Imperio.* Hoc quia factum ferunt solemni die Ascensionis Domini; ideo quotannis hæc celebritas eodem die, magno hominum, & Principum concursu concelebratur. Princeps enim cum Principum Legatis, Senatuque purpurato, vectus *Bucentauro*, anulum aureum à Patriarcha consecratum è puppi in undas projicit (aqua lustrali prius solemni ritu in mare profusa) dicens: *Desponsamus te mare in signum veri, perpetuique imperii.* Ad hæc serta florea Principi, Senatuique *Veneto* boni ominis, & lætitiæ gratia impertiuntur.

Venetorum privilegia ab Alexandro III. Anulus donatus Venetis ab eodem pro desponsatione maris.

Maris desponsatio. Anulus, & flores in desponsatione Maris Adriatici.

Hactenus *Justinianus*. At incorruptiora Serenissimæ Reip. monumenta, multo ante quam in Urbem illam se reciperet *Romanus* Pontifex *Alexander*, desponsationem istam celebratam, tradunt. Habent illa scilicet, tum primum eam celebrari cœptam, cum primum armis incincti Majores *Veneti* clarissimi, iidemque fortissimi Viri, *Adriatici* maris Imperio jure belli æquissimo potiti sunt; quod tunc temporis accidisse constat, cum totum illum maris tractum desertum ab omnibus ob Imperii lapsum, solisque piratis pervium, sic arma *Veneta* repurgarunt, ut tutam in eo præstiterint, cunctisque patentem, ac liberam in posterum navigationem. Quod cum *Romani* Pontifices, Cæsares etiam ipsi, aliique terrarum Orbis Principes cognovissent, & id ipsum recte factum confessi sunt, & aperte semper, ac candide comprobarunt.

Sed in Panegyri Cl. *Justiniani* duo præ cæteris observo, Maris desponsationem per anulum, & impertitionem florum, quæ longa indagine investigata, aliunde originem ducere mihi videntur. Semper enim maxime illud mihi persuasum fuit, nihil a prudentissimis, & sapientissimis Reipublicæ *Venetæ* Patribus usu receptum, quod non rationi conducat, & hæreat apte, quod & mordicus deinde tuentur. Utrumque non obscure *Athenæus* innuit Lib. 11. his verbis: *Syracusis in extrema Insula juxta Olympiacæ (scilicet Junonis) templum extra urbis muros, est quidam focus, unde calicem navi deducunt tendentes in altum, usque dum Clypeus Minervæ templo impositus videri posse desinat; ibi tum calicem fictilem in mare demittunt, conjectis prius in illum floribus, favis, thuris granis integris, & aliis præterea quibusdam aromatis.* Quod quidem ab illis peractum, ut maris imperium præ se ferrent, *Neptuno*que maris numini litarent, tanquam Genio propitio. Et licet nulla ibi anuli mentio apud *Athenæum*, sed ejus loco calicis fictilis, cujus porrectio amicitiæ confirmatio esse videtur: longe tamen sapientius *Veneti* anulum desponsationis hieroglyphicum, & fidei mari dilargiuntur; Sponsus enim sponsæ hæc donat. Et anuli dejectionem in mare Pausanias in Atticis sic descripsit: *Minos ira incensus in Theseum maledicta contulit, & Neptuni filium esse negavit, quod, quam habebat, cælatam gemmam in mare si abjecisset, non esset eam ad se*

Maris desponsatio Siculis usitata.

Anuli in mare projectio.

A *reportaturus. Vix ea locutus, dicitur gemmam abjecisse: Theseum verò memorant cum ea, & corona, quam ab Amphitrite acceperat, è mari emersisse.* At florum inspersio juventutis perpetuæ symbolum, & spei videtur.

Navis quoque *Bucentaurus* facta (credo) ad imitationem illius, quam *Ptolemæus Philopator* Rex *Ægyptius* primum fabricavit, ita descriptam ab Athenæo: *Longitudo ejus semistadium; latitudo, quæ esset amplissima, triginta cubitis; figura ejus, neque longis navibus, neque rotundis assimilis.* Hæc a *Strabone* dicitur *Thalamegos*, seu *Thalamifera*, a Græco verbo θαλαμεύω, *in* B *thalamo versor*; perinde ac si tunc nuptiæ peragantur, vel ab his, θαλάμιος, θαλαμίτης, qui dicitur remulcus. Hinc thalamii remiges, qui in infima parte triremis remigant, & sedent. At de his doctores alii consulendi, rem ego tantum digito indico, & ad alia festino non aliena.

Ad cujus similitudinem Navis Bucentaurus efficta.

Thalamegos Navis.

Thalamii remiges.

Ritus enim desponsandi maris celeberrimus *Venetiis* ansam mihi præbet percommodam ad alia & ad hanc rem. Expiandi Dei maris, lustrandæque Classis modum usitatum olim ex illis P. Virgilii *Lib.* 5. *Æn.* facile est colligere:

Lustratio Classis.

C

Ipse caput tonsæ foliis evinctus olivæ,
Stans procul in prora, patera tenet, extaque salsos.
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Quare primo Veris tempore navigaturi iter sibi maritimum sternebant Sacris. Livius Lib. 29. *Imperator præmissis ad Deos precibus è prætoria nave cruda exta, cæsa victima, uti mos, in mare porricit, tubaque signum dedit proficiscendi.* Idcirco apud Appianum 5. Civil. *Cum parata adessent omnia, Cæsar classis exercitum hoc modo purgavit. Altaria primum maris in littore sita alluuntur undis, multitudo omnis circumquaque magno silentio per naves assidet: Sacerdotes in mari* D *consistentes sacra faciunt, terque per exercitum scaphis circumvecti purgamina sacra deferunt, Ducibus, unà adnavigantibus, & purgamina extollentibus, ut ab exercitu infelicia quæque depellant. Dividentes deinde ea, partem in altaribus impositam flammis adolent.* Hujus Sacri pro felici trajectu præterea meminerunt *Pausanias*, *Pindarus*, *Xenophon*, & alii. *Paralos* erat navis sacra, qua *Delphos* Theori ad rem divinam faciendam mittebantur ad hos usus destinata, ut Maria aperiri dicuntur, ita claudi. *Vegetius*, E ex die 3. Id Nov. usque ad diem 6. Martii Maria claudi testatur. *Gratiani* Imperatoris constitutione ex *Alciati parerg.* a Kal. Octobr. in Kal. Apr. navigatio suspenditur.

Fiebat Vere primo.

Paralos.

Maria quando clausa & aperta.

Athenis tres olim naves publico usui destinatæ: *Theoris*, qua vehebantur in Delum quotannis e Theseio voto, Plato in Phædone: *Paralus*, quâ mittebantur Delphos, aut alio, rem divinam facturi; Aristoph. interpres. *Salaminia*, quæ evocatos ad judicium subveheret. Plat. *Pericl.* Vide Farnabium ad *Lucanum Lib.* 3.

Agrarium, navim imperatoriam veteri lege nemo intrabat cum Imperatore, nisi Drungarius F vigiliæ, & rei navalis, &c. Buleng. *de Imp. Rom.* Quod si olim aurea dona in flumina jacta ob divinitatis venerationem, ut notat Seneca Quæst. Nat. Lib. 4. cap. 11. *In hæc ora stipem Sacerdotes (loquitur de Nilo) & aurea dona Præfecti, cum solemne venit sacrum, jaciunt:* quanto magis facerent *Neptuno* fluminum parenti? Libare antiqui solebant, quod vel in aram faciebant vel in mensam, quæ loco aræ erat, vel in focum, qui sacer habebatur, vel in mare in honorem Deorum marinorum, aliumve in locum aliquid de poculo pleno, quod erant pota-

Dona aurea Fluminibus donata.

Libatio quid?

Libatio in Mari.

potaturi, effundebant leviter, ut passim scriptores autumant. De libatione vero in mare Thucydides Lib. 6. ubi solvente classe e Pireæo, sic scribit: *Tubâ silentium indictum est, tum legitima ante profectionem vota nuncuparunt, non per singulas naves; sed universi per præconem, miscentesque per omnem exercitum in aureis, & argenteis poculis, tum vectores, tum Duces libabant.* Diodorus *Lib.* 13. idem eodem modo innuit. Justinus quoque *Lib.* 12. loquens de *Alexandro Magno.* Pindari locum de *Jasone* Argonautarum Principe proficiscente subnecto Latine. *Auream manibus sumens phialam Dux in puppi, patrem Cœlitum, fulmine armatum Jovem, & celeriter meantes fluctus, ventorumque impetus invocabat, noctesque, & maris vias, diesque lætificos, & optabilem reditus sortem.*

Mare antiquis sanctissimum, atque nitidissimum fuit habitum, quia nil fœdi patitur, & omnia cadavera, & immunda ad littora egerit, & quia marinæ undæ ad medelam, & expiationem usurpatæ, ideo in maria expuere nefas putarunt. Magi principium illud venerantes navigationem vetabant. *Romani* solebant quæcumque insolita, aut prodigiosa contigerant, mali ominis averruncandi causa, expiationibus quibusdam procurare, Androgynosque sive Hermaphroditos Aruspicum præcepto in mare demergendos portabant: causam vide apud Caselium *Lib.* 1. *cap.* 3. *Variorum.*

Purificatio Classis.

Huic mori annexus alius, quem breviter firmo ex Apulejo. *Navem faberrime factam, picturis miris Ægyptiorum variegatam summus Sacerdos tædâ lucidâ, & ovo, & sulphure, solennissimas preces de casto præfatus ore, quam purissime purificatam Deæ nuncupavit, dedicavitque.* Sed de hac purificatione, seu lustratione classis alibi scripsi: satis hic mihi leviter indicasse, quanta religio priscis olim litandi maris salso Deo; *Venetis* vero omnium Opifici Deo, qui mare, qui terras, qui cœlum temperat, & quicquid extat, nutu fecit, & moderatur imperio justissimo. Nondum mihi tempero, quin locum superaddam pucherrimum ad ritum hunc illustrandum maris lustrandi, & vendicandi ex Herodoti Polymnia: *Postero autem, tantisper morati sunt, dum Solem exorientem cernerent, omnifarios odores in pontibus congerentes, ac myrto iter consternentes. Ubi Sol exortus est, ex aureâ phialâ Xerxes libans in mare apud Solem vota concepit; ne quid sibi adversi contingeret; quo prius desisteret Europam subigere, quam ad illius terminos pervenisset. Hæc precatus, phialam in Hellespontum abjecit, aureumque craterem, ac gladium Persicum, quem Acinacem vocant. Hoc pro comperto dijudicare non possum, utrum Soli dedicans gladium dimiserit in pelagus: an Hellespontum, quod eum flagellasse pœniteret, in compensationem gladio donaverit, &c.* Meminit etiam Phialæ in mare projectæ Plinius *Lib* 8. *cap.* 46. his verbis: *Memphi est locus in Nilo, quem à figurâ vocant Phialam, omnibus annis ibi auream pateram, argenteamque mergentes diebus, quos habet natales Apis: septem hi sunt, mirumque neminem per eos dies a crocodilis attingi: octavo, post horam diei sextam, redire belluæ feritatem.*

Xerxis ritus maris barro-gandi.

Facem aliam profero. Panegyrim istam tempore verno tanta cum pompa concelebratam, cum maria aperiuntur, *Græci* & *Romani* imitati: illi Panathenæa, hi Quinquatria dixere, quippe *Minervæ* sacra, sic dicta à *Minerva*, & quinque dierum numero quibus solita celebrari. Nam Primo sacrificia peracta lego, Secundo, Tertio, Quarto Gladiorum spectacula edita, Quinto urbis lustrationem factam. Idque festum triduo ante vernale æquinoctium contingebat. Quintus hic dies Hilariis sacer, ita dictus a maxima populi lætitia, & pompa ludis, spectaculis, & epulis referta; quæ si publica, ob Regis inaugurationem, vel triumphum facta; si annua, ob cælum, & mare apertum celebrata. Vegetius: *Post natalem, ut ita dicam, navigationis, qui solemni certamine, publicoque spectaculo multarum gentium celebratur.* Ideo *Athenienses* hisce festis navigium sacrum *Delum* mittebant. Innuit Plato in Phædone his verbis: *Nam pridie, quam judicaretur, ornari contingit puppim navis ejus, quam mittunt Athenienses in Delum. Hæc est illa navis, ut ajunt, in qua Theseus olim bis septem illos secum tulit in Cretam, servavitque illos, & ille servatus est, &c.* Prosequitur inibi idem Plato *Atheniensium* dies illos festos, & quid peractum, dum hæc navis rediret e *Delo.* Hinc *Veneti* sanctius quotannis aperto aëre, & cœlo, cum hyemis sævientis asperitas cessit, & cœli patefacti Cœlorum Regem ascendentem admittunt, aperti sibi aditus ad maris *Adriatici* imperium, annua celebritate triumphantes, memoriam æternant. Panathenæa ergo Magna singulis lustris celebrata, primum ab *Erichthonio* Vulcani, & Minervæ filio, postea *Theseo* amplificata. In hac celebritate, neque senes, neque ignobiles, neque viri certabant, sed pueri tantum armati saltabant, & cum singulæ *Atheniensium* coloniæ bovem ad sacrificia mitterent, omnes ob carnium copiam ultra satietatem comedebant, Decertabat puer quoque in Isthmiis non senior, at imberbis: præmium victori datum oleum in amphoris redimito oleagino certo. Peplumque *Minervæ* ferebat, quod erat stragulum in quo depingebantur ex more apud *Athen.* qui strenue se belli gessissent. Catanyptes vero erat sacrificium *Minervæ* Athenis, cum peplum infra sordidatum aliquis eluebat. *Etym. Gyraldus, Suidas.* Panathenæa parva singulis annis celebrata, cum ver, ut ait Plin. *Lib.* 1. *cap.* 47. aperit navigantibus maria, quæ feriis auspicabantur. Apul. Lib. 11. *Diem, qui dies ex ista nocte nascetur, æterna mihi nuncupavit religio, navigabili jam pelago, rudem dedicantes carinam primitias commeatus mei libant sacerdotes.* Hæc Panathenæa celeberrima quoque *Venetiis* quotannnis. De *Chio* ad *Coum:* de mari ad sacrum *Neptuni.*, marinorumque Deorum, Laconice, de more. *Neptuno* taurus immolatus, non securi percussus, sed cultro jugulatus, niger, ut & Diis marinis, Tempestatibus, & Inferis, in littore maris. In sacris marinorum sanguis collectus in patera fundebatur in mare cum precibus. Sin autem in mari initiarentur, victimarum sanguinem non in patera excipiebant, sed in mari, quod faciebant antequam de navi exirent, ut Deos locorum ad quæ divertebant, benignos sentirent. Vina etiam effusa in flumina, ut ait Apollon. *Lib.* 11. ex Majolo: at in sacrificiis Deorum superorum reliquiæ in focos conjectæ, quod hi Dii ætherei nidore carnium, & odore thuris oblectarentur.

Panathenæa Græcis, Quinquatria Romanis vere celebrata.

Hilaria. Navis Delum Athenis missa. Hilaria Athenis celebrata. Panathenæorum origo & celebritas. Panathenæa Magna, & Parva. Peplum Minervæ. Catanyptes. Neptuni sacrum. Sacrum Marinorum Deorum.

Piscis, maris imperium apud Ariolos innuit, & piscibus redundant *Veneta* maria. *Augustus* cum prope *Siciliam* contra *Pompejanos* infeliciter pugnasset, iniquo id pertulit animo, donec piscis, ultro e mari saliens ad pedes ejus accidit, atque a vatibus ob eam causam responsum est, *Siciliam* in ejus potestate fore. Servius quoque *in Deliacis Lib.* 6. scribit, *Atheniensibus* in *Delo* sacrificantibus, lavandis manibus aquam haurientem puerum urnam demersisse, ac e phiala simul cum aqua pisces effudisse; oraculumque a De-

Piscis imperium maris.

Deliacis vatibus redditum, maris fore Dominos. *Vince igitur mari, jam terra tua est.*

Statua Porphyretica in platea D. Marci Venetiis.

A mari ad aream *D. Marci* me confero, ubi in angulo ædis admirabundus intuitus Porphyreticas ſtatuas ex integro marmore quatuor, hærentes binas binis, eas ut vidi agnovi ſtatim, quod a me adnotatum in *Maggio*, qui aſſerit, ſtatuas iſtas e *Græcia* advectas, quæ ſunt *Harmodii*, & *Ariſtogitonis*, qui *Athenienſium* tyrannum *Hipparchum* trucidarunt; quam hiſtoriam legimus in Thucydidis *Lib.6*. Hi viri ob tyrannicidium ſtatuis decorati ſe mutuo amplectentes in amoris, & fidei monumentum. Has ſtatuas *Alexandrum* a *Xerxe* aſportatas reſtituiſſe *Athenienſibus*, meminit *Arrianus* Hiſtoricus, deque iiſdem ad hunc modum Plinius *Lib.* 34. *Cap.*4. *Athenienſes, neſcio, an primi omnium Harmodio, & Ariſtogitoni tyrannicidis publice poſuerunt ſtatuas. Hoc actum eodem anno, quo & Reges Romæ pulſi. Excepta deinde res eſt a toto orbe terrarum humaniſſima ambitione.* Cur vero bis gemini? Cauſa me latet. Vulgo aliter. Vulgi judicium eſto. Conſtitutæ hæc ſtatuæ, *Syriaca* arte cælatæ, in angulo publico, ut quotidie in atrium, palatiumque convenientes Senatores tyrannidem abolendam, tyrannicidas gloria decorandos intelligant. Eædem porro ſtatuæ, *Venetias* aſportatæ Duce Sereniſſimo *Petro Gradonico* anno ccccxci. ex oppido *Aera Syriæ* expugnato a *Menichesadar Saracenorum* Rege; ibi enim multi *Veneti* inquilini, qui inde abire coacti, ſe *Venetias* contulere, aſcitique in Patriciorum ordinem.

Quando Venetias aſportatæ.

Quo pacto ſciretur Romæ, quot nati, quot mortui, quot togam virilem ſumpſiſſent.

Ad alia, nec prorſus aliena, nec ingrata gradior. Nam illud mihi ſemper viſum admiratione dignum, quod *Romæ* factitatum, ut ſcirent, quot ſingulis annis olim *Romæ* naſcerentur, togam virilem ſumerent, quot vitam cum morte commutarent. Nempe in ſumenda virili toga quiſque denarium in ædem Juventutis deferebat; in ærarium *Ilithyæ* pro naſcentibus; in *Veneris Libitinæ* pro defunctis. Apertiſſime Dionyſius Lib. 4. *Tradit L. Piſo, Annalium primo, voluiſſe eum, & Urbanæ multitudinis ſcire numerum, tum viventium, tum morientium, tum eorum, qui togam virilem ſumerent; ſtatuiſſeque quanti pretii nummos pro ſingulis inferre deberent cognati in ærarium Ilithyæ pro naſcentibus, in Veneris Libitinæ pro defunctis, in Juventutis pro virilem togam ſumentibus. Unde poterat noſſe annis ſingulis quantus eſſet in univerſum numerus Civium, tum quam multi ex his eſſent per ætatem idonei militiæ.* Quod & ab eruditiſſimo *Dempſtero* notatum.

Nati in acta relati.

A Illud amplius hic obſervo. Statim atque naſcebantur liberi, a parentibus in acta publica referebantur. Hinc illa Satyrici:

In acta referre.

Fient iſta palam, cupient & in acta referri: Apuleji: *Pater natum ſibi filium cæterorum more profeſſus eſt:* Et Jul. Capitolini in Gordiano. *Filium Gordiani nomine Antonini, & ſigno illuſtravit, cum apud Præfectum ærarii, more Romano profeſſus filium, publicis actis nomen ejus inſereret:* & in M. Aurelio: *Inter hæc liberales cauſas ita minuit, ut primus juberet apud Præfectos ærarii Saturni unumquemque Civium natos liberos profiteri, intra tertium diem nomine impoſito.* Ea vero re id fiebat, ut de paterno jure conſtaret. Nam cum hoc fiebat, in acta referebantur.

Profeſſio Natorum Romæ apud Præfectos ærarii.

Profeſſionum duo fuiſſe genera tradunt Juriſconſulti. Aliæ enim Natales, quas παιδογραφίας *Modeſtinus* vocat: aliæ Cenſuales: illis natos ſibi liberos apud Acta parentes profitebantur, ſiquidem ætas probari dicitur ἐκ τῶν παιδογραφιῶν. Cenſuales vero jam inde a *Servii Tulli* temporibus ſingulis luſtris, ſive ſingulo quinquennio fiebant, unoquoque cive *Rom.* in *Campo Martio* declarante, & profitente, quantum in bonis haberet, & quot capita eſſent, & ætas cujuſque, Briſſon. *Select.* 3. *antiq. Lib.* 1. *Cap.* 3. Eandem probationem liberorum factam conjicio *Athenis*; nam teſte *Harpocr.* & *Suida*, μεῖον, *Meion*, erat ovis, & victima, quam tribulibus pendebant, qui liberos profitebantur, certo pondere expenſam, atque is, qui profitebatur, μειαγωγὸς dicebatur. *Syracuſani* quoque idem factitarunt; ut videre licet apud Plutarch. in Nicia his verbis: *Cœperunt hæ navem hoſtilem, ea portabat tabellas, in quas nomina ſua Syracuſani tributim perſcripſerunt: hæ procul urbe in Æde Jovis Olympii fuerant depoſitæ, tunc autem ad conquiſitionem & delectum Juventutis deportabantur.* Capitol. in Gordianis: *Jam illud ſatis conſtat, &c. quum apud præfectum ærarii more Romano profeſſus filium, publicis actis ejus inſereret.* Hanc profeſſionem *Joſeph* in *Bethleem* nato Jesu fecit *Cæſare* Imperante. Præter natos antiqui etiam profitebantur merces apud Acta pro vectigalibus, Pamel. *ad Tertull.* Actorum libri dicebantur, in quibus liberorum profeſſiones ſuſceptorum ſcribebantur, Briſſon. *Select. Lib.* 1. *Cap.* 3. Et morem hunc (ne videar extra oleas aberraſſe) Sapientiſſimi etim *Veneti* Patricii ad amuſſim ſervant, publice profitentes nomina natorum, ut nobilitatis ſtemmate potiri jure poſſint in Reip. Adminiſtratione.

Eadem profeſſio Venetiis uſitata.

FINIS DISSERTATIONIS DE DESPONSATIONE MARIS ADRIATICI.



JOAN-

IOANNIS VALACRII,

Scoto-Britanni,

SPECTACULA VENETA.

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO OPTIMOQUE HEROI,
ANTIQUA GENERIS PROSAPIA NOBILISSIMO,
omniumque literarum & virtutum dotibus ornatissimo,

D. ISAACO WAKE,

Equiti Aurato,

Et Augustissimi Magnæ Britanniæ &c. Regis

Ad Serenissimam Rempublicam Venetam Legato.

Mirabilis Augustissimæ Reipublicæ Civitas, quæ te, *Illustrissime & Excellentissime Heros*, quarto jam anno potentissimi Regis prudentissimum Legatum habet, nominis sui celebritate, velut magnetica quadam virtute, me à ferreis Septentrionibus huc attraxit: ubi multo nunc lautius oculis pascuntur, quam usquam antea aures:

Scilicet immodicam superat præsentia famam.

Quam lautæ mihi fuerint oculorum epulæ mens conscia est, & calamus Epigrammatis aliquot testari conatur: ut simul etiam Excellentiæ tuæ testatum faciat, sanctum amicitiæ numen, qua sapientissimam prosequitur Rempublicam invictissimus Monarcha, heroicis virtutibus tuis & auctoritate tibi merito concessa hic ad vivum expressus, vel in infimi subditi sui corde calentes thure aras obtinere. Itaque Exultissimum utraque Pallade animum tuum, a summo rerum maximarum fastigio jure tibi credito (si vacat) demitte, ad excipienda levia hæc peregrinantis Musæ thymiamata: non quia ab humillimo virtutum tuarum cultore profecta, sed quia de rebus *Venetis* tibi semper gratissimis confecta. Alii forsan multi multo felicius rerum istarum majestatem carmine assecuti sunt: nemo tamen majori unquam coluit affectu: qui tantus mihi est, ut ratione cohiberi nequierim, quin *Caledonius* etiam anser inter olores *Hadriaticos* canerem. Quod si Musæ genius acerrimo tuo judicio dignus habetur, qui tuo præsidio fretus nobilissimum toto orbe Senatum alloquatur, sic incipiet.

AD

AUGUSTISSIMUM
SENATUM VENETUM.

I. *Vestra siderei Patres Senatus*
Urbs spectacula præbuit Camœnis,
Quæ Vobis humiles ferunt Camœnæ.
Æquis hæc oculis videte: vestro
E vultu decus haurient refulgens,
Quæ vestro adjiciunt nihil decori.
Nam terra à radiis trahit nitorem.
Solis, cui tribuit nihil nitoris.

Triumphus Venetus ad Gentes omnes.

II. *Ingenio Venetis aliæ concedite gentes,*
Quantum undis genii cedit honore solum.
Vincere si vultis, jam figite in aëre sedes,
Quas Veneta in tumidis gens sibi fixit aquis.

De Venetorum Fama, & Insignibus.

III. *Pondere stat, natat arte, alis volat una per orbem*
Urbs, cui fama alas contulit ipsa suas.
Fama, equus alatus Grajis, Leo nobilis alis.
Nunc Venetis, terras, æthera, aquasque replet.

Aquilæ Spolia Veneto Leoni addita.

IV. *Romanæ exuvias Aquilæ dum dividit orbis,*
Hic caput, ille pedes, pectus & ille rapit.
Dumque alias alii plumas volvere, revulsas
Jure alas Veneti præposuere Duces.
His sine nam torpent Aquilæ membra omnia fractæ,
His Leo nunc Aquila doctius ipse volat.

Venetiæ Maximum Mundi Miraculum.

V. *Coctilibus Babylon muris hortisque superba*
A *Pensilibus, prisco condat in orbe caput.*
Clarior Urbs Veneta est liquidis murisque, viisque,
Totaque in Hadriacis pendet ut hortus aquis.
Clarior hæc una est miraclis omnibus orbis
Urbs stabili, in liquido marmore, lege natans.

Miraculum Divinum.

VI. *Altior humanis Divini est æmula facti*
Urbs Veneta, Hadriacis quæ dominatur aquis.
Hadria nam Rubri renovat miracula Ponti:
Hic Veneto, Hebræo paruit ille Duci.

De Venetiarum Apasterosi ad Neptunum.

VII. *Hadria ut Oceano cedat, Neptune, laboras*
Incassum: Veneti nam vetuere Patres.
B *Hadriaci Regina sali Nereidas omnes*
Anteit, ut comites pulchra Diana suas.
Illa soli dominas etiam supereminet Urbes,
Quantum aër undas, turgida & unda solum.
Illa sali atque soli victrix dignissima Cœlo
Debet ad Eridani sidus habere locum.
Qui Nili Eridanum sinuoso in sidere quærunt,
Urbs Veneta his fulgens jure Canopus erit.

Neptuni & Apollinis Consilium de Mœnibus Venetis.

VIII. *Neptunus omnes Urbium videns muros*
Vi machinali dirui, vel annorum
Edace dente conteri, mihi æternum
C *Urbs stabit, inquit, absque mœnibus tuta,*
Nisi quis profundos mœnia æstimet fluctus
Cui sic Apollo: Est fossa pontus, haud murus
Tuis Venetiis: ligneos habent muros
Tuæ Venetiæ me monente turritos,
Quales Athenis dextera Persica offendit.

Est

Est cincta nostris mœnibus tua & fossa
Urbs Veneta: nostri mobiles facile muri,
Quacunque fossa tua patet, notant fines
Orbi universo, atque unicæ pares Urbi.

De Venetorum Antiquitate.

IX. *Ex Henetis Veneti memorat quos Mœone natus:*
Litera mutata est, gens tamen ipsa manet.
Non alia in toto gens hac antiquior Orbe,
Non alia invicta est Pergama victa dolens.
Jam victrix Venetis submisit Græcia fasces
Parte aliqua, & dominos hos sibi tota cupit.
Euganeos Veneti Troja domuere relicta,
Illyriumque illis prisca trophæa dedit.
Nec ter mille furens annis hinc expulit illos
Mars, ergo æternas censet habere domos.

De Antenore, & Ænea.

X. *Dux Henetum Antenor, Æneas sanguinis auctor*
Romani: ambo Phryges: numquid & ambo pares?
Solus Apollo potest hic respondere rogatus,
Qui Tripode excusso talia dicta refert.
Sit pius Æneas, qui patrem hinc, inde penates
Sustulit, Iliacis eripuitque rogis:
Justior Antenor multo & prudentior inquit,
Hospite dimissa patria sospes erit.
Claruit Æneas odio Junonis iniquæ:
Æquos Antenor sensit ubique Deos.
Notior Æneas, Antenor major habendus:
Vatem habet ille sibi, non habet iste parem.

Romæ & Venetiarum comparatio.

XI. *Dum Phrygiam Æneadæ certant reparare ruinam*
Atque Antenoridæ, fit nova Troja duplex.
Roma prior, magnis sed non felicior ausis,
Dura quater Trojæ fata parentis habet.
Serior Urbs Veneta est, multo at felicior: hæc est
Virgo Barbarica non violata manu.
Aut hæc Virgo Dea est, aut a Diis condita magnis,
Quos secum Antenor Dardana ab arce tulit.
Scilicet huic æqui comites trans æquora Divi,
Pellice qui spreta suaserat æqua suis.

Venetiarum & totius Italiæ comparatio.

XII. *Barbarus Ausonias quateret cùm Vandalus arces,*
Hunnusque, & sævis gens oriunda Getis,
Antiqua Æneadum virtus submisit iniquæ
Se sorti, exque illo degener usque jacet.
Ast Antenoridæ potius se credere ponto,
Quam servire feris constituere Gothis.
Urbem igitur Venetam pelago exstruxere profundo,
In qua hodie virtus integra prisca manet
Aurea quam tulerant priscorum secula virtus
Exulat à terris, incolit aucta mare.

Cur Venetiæ sero exortæ.

XIII. *Venerit in dias cur sero luminis oras*
Urbs Veneta, hanc causam Musa rogata dedit:
Tempore formantur multo magna omnia: parvo
Tempore proveniunt parva, obeuntque simul.
Secula quot rutilum volventia flagitat aurum?
Et quanto plumbum fit breviore rota?
Secula Phœnicem vix unum multa reponunt:
Una Hypanis gignit bruta necatque dies.
Amphitryo Iphiclum primo sibi fabricat ictu:
Jupiter Alciden triplice nocte facit.
Uno musca die paucisque excluditur horis:
Et tu annos uterum fers, Elephante, decem.
Quatuor annorum peperit post millia pontus
Urbem, quæ ponto jus sine fine daret.

De Alcedoniis Hadriaticis ad Venetos.

XIV. *Credebam Alcyones puer potentes*
Esse vos, Veneti, Æoli nepotes:
Qui sic ventisono, in mari perennes
Nidos exstruitis, dies ut omnes
Brumæ, secula multa, mille & anni
Alcedonia sint serena vobis.
At mihi ut licuit videre vestræ
A *Navalem Urbis & Orbis apparatum,*
Turres æquoreas, rates, triremes,
Carinas, tabulas, trabes dolatas,
Funes, carbasa, machinasque miras,
Cœpi credere vos Deos marinos,
Queis utres dedit Æolus tumentes,
Neptunusque suum libens tridentem.
Vobis Carbasa tanta, totque funes,
Ut Caurum, Boream, Notumque, & Eurum
Arctis stringere vinculis queatis,
Ni vestris Ithacos utres Carinis
Tradat Hippotades potens procellis.
Præter innumeras diu ante structas
B *Turres æquoreas, rates, triremes,*
Tot vobis tabulæ, & trabes dolatæ,
Vestra ut gignere nocte possit una
Vastam Dædalia officina classem,
Quæ ponto eripiens diem profundo
Damnaret Stygiis Thetin tenebris,
Ni jam fuscina cederet trisulca
Vestri fascibus inclytis Senatus.
Vobis Martia plurima est supellex:
Vobis aureus omnis est Gradivus,
Qui ferrum Diomedis haud moratur,
Qui crure haud metuit manuve vulnus.
C *Vobis fulmineo fragore ferrum,*
Et Ceraunia sunt tot æra vobis,
Tot sunt denique machinæ tremendæ,
Ut cum fulmine Jupiter Gigantas
Titanasque velit domare diros,
Quos nunc Sol oriens videt cadensque,
Vestram poscat opem, decusque pugnæ,
Trophæa, exuvias, opes, triumphos,
Vester cum Jove dividat Senatus.

Venetiæ Cœlo, & Salo oriundæ.

XV. *Unde hæc in medio moles operosa profundo?*
Unde tot unius monstra stupenda loci?
Unde tot in liquido constant palatia ponto?
D *Tot fora, tot pontes, templa, theatra, domus?*
Nunquid ego Tyrio structa hæc miracula plectro,
An rear Ismaria ducta fuisse lyra?
An pelago Urbs Veneta emersit velut altera Delos,
Æquandos Divis progenitura Duces?
An potius lapsam velut olim Ancilia cœlo
Hanc Urbem in mediis Dii posuere vadis?
Ambiguæ duplex sedeat sententia menti:
Cœlum Urbi genitor sit, genitrixque salum.
Nam Venus hoc gemino se jactitat alma parente,
Estque Vrbs Diva Deæ parte ab utraque soror.
Nec mirum Venetæ si nomine consonat Vrbi
Diva Venus, cujus quadrat origo duplex.

E De Venetiarum & Romæ Cognatione ad Romam.

XVI. *Roma, soror Veneris Veneta Vrbs, matertera magni*
Æneæ, dic quo sit tibi juncta gradu?
Hæc atavis cognata tuis ab origine prima:
Huic assurge, decet, sis licet ipsa prior.
Æneam pudibunda tace Phrygiosque penates:
Huic Vrbi cœlum est quod tibi Troja fuit.

Septem Deorum certamen de Venetiarum tutela.

XVII. *Conjuncta Vrbs Veneri Veneta est, & nomine, & ortu:*
Jupiter hanc Cretæ vult dare jura suæ.
F *Aliger hic Arcas, spretis & Pallas Athenis*
Ingenio certant, imperioque valent.
Attalicis hic Juno opibus, Carthagine & Agris
Deletis, regnat: hic sua templa locat.
Mars quoque divina simul & Neptunus in urbe
Sunt Domini: hic undis, viribus ille suis.
Sic tot de Venetum tutamine numina certant,
Quot patriam affectant oppida, Homere, tuam.

De Templo D. Marci apud Venetos ad Dianam.

XVIII. *Tuum, Diana, quod Ephesi fuit templum.*
Centum columnis inclytum elaboratis,
Centum superbus sumptus atque opus Regum

Annis

Annis ducentis, totusque miraculum
Orbis vetustum, Marcii umbra delubri,
Quod Veneta construxit manus fuit tantum.
Illud palustri conditum quidem campo
Sprevit frequentem terræ Ionicæ motum:
At mole surgens lignea impii haud fugit
Herostrati ignes, ambitumque funestum.
Arte hoc stupenda ipsi insidens mari, atque altum
Marmore & Jaspide inferens caput cœlo,
Herostrati ignes spernit & soli motum.

De Divina Venetiarum Quiete.

XIX. *Dum tremit inclusis terrenus flatibus orbis,*
Urbs domina Hadriaci non tremit una maris.
Dum tumet iratis agitatum fluctibus æquor,
Urbs velut in sicco est Marcia tuta solo.
Dum mare, dum tellus ferro lacerantur & igne,
Urbs eadem æetherea pace beata sedet.
Quæ ferrum & flammas, fluctus, terræque tremorem
Non metuit, cives Urbs habet illa Deos.

De D. Marco, & Marte.

XX. *Martia Roma jacet, Veneta urbs dum Marcia surgit:*
Marcus enim major Marte patronus adest.
Totila Romani numen quam futile Martis,
Brennus, & Alaricus, Gensericusque sciunt.
At Divi indomitus Marci Leo sidera calcans,
Hostilem à Venetis vim fugat usque suis.

AD
SERENISSIMUM
VENETORUM DUCEM,

De annulo sponsali, quem quotannis è Bucentauro in medias undas projicit,

Festo Ascensionis Die.

XXI. *Divina humanis sapiens solemnia jungis*
Dux, freta cui parent terraque, & astra favent.
Aureus in placidum conjectus ut annulus æquor
Te magnæ generum Tethyos esset notat.
Sic sacer ipse dies scandenti ad sidera Christo,
Cum Christo hæredem te monet esse poli.

De Aqueo Venetorum Cœlo.

XXII. *Ignea suspendunt aqueo qui sidera cœlo.*
Hadriaci expendant astra stupenda poli.
Hadria nam Cœlum est, mentes Venetique moventes,
Quæque domus fixa est stella, planeta ratis.
Quisque Senator in hoc Deus est venerandus Olympo,
Jupiter & Dux es maxime, Juno Thetis,

De Fulmine Tormentario à Venetis primùm usurpato ad fossas Clodias contra Genuenses Anno 1380.

XXIII. *Sæva fulmineo ære bella primi*
Gesserunt Veneti: Ligur fatetur,
Sit mendax licet, & licet sit hostis.
Ligur vulnera dira primus acer
Ignoto tulerat profecta telo:
Fossa est Clodia testis omne in ævum,
Et tu summe Pater, tonans, coruscans,
Potens fulmine Jupiter trisulco,
Quod primùm Venetis tuis dedisti.
Tu Cretam his dederas, dedisti & ignes
Queis tuam tueantur usque Cretam.
Fulmen pontibus æreis sonorum
Demens finxerat, ungulisque equorum,
At non consilio tuo, superbæ
Rex quondam Elidis: Ergo fulminante
Tua est dextera ad inferos adactus.
At tuum Veneti tuo æmulati
Fulmen consilio, tua vehentur
Virtute ad superas potenter arces.
Qui fulmen Venetis tuamque Cretam
Dedisti, dabis & libens Olympum.

De Naumachiis Venetis ad Romam.

XXIV. *Naumachias Venetum specta & mirare frequentes,*
A *Si juvat & confer, Martia Roma, tuis.*
Hadria commissos Venetis dat sæpè Gigantas,
Sed tibi Pygmæos Cæsaris unda dedit.
Ludicra tu levibus gessisti prælia contis:
At Jovis hi fingunt fulmine bella suo.
Pugnantem in stagnis te spectavere Quirites:
Nereides spectant hos, & arena mare est.
Tu vacuas tremulo ære auras, auresque replebas:
His simul æra tonant contremit ipse polus.
Ludicra qui tanto molimine bella capessunt,
Qua patrare putas seria bella manu?

Neptunus Venetus ad Vulcanum.

B XXV. *Cum sua Neptunus flammis populata videret*
Pergama, flammivomum sic petit Ore DEUM.
Jus, Vulcane, tibi tribuit scelus Urbis: at olim
In Venetos juris nil erit usque meos.
Hi mihi constat æquo, virtute, fideque,
His ego fundamen, mœnia, tutor ero:
Nec prius in sanctam tibi dira potentia gentem,
Quam tuus æquoreas hauserit ignis aquas.

Vulcanus Venetus ad Neptunum.

XXVI. *Mulciber æquoreo, curas dimitte, parenti*
Æquus ait: namque est Urbs tua chara mihi.
Conjugis hæc germana meæ est, Urbs æquore nata
Et cœlo, huic conjunx nomen & ipsa dedit.
C *Hanc genitrix opibus, genitorque hanc fulmine dotat:*
Huic ego flammiferi fulminis ipse faber.
Pro Venetis, Neptune, meus nunc militat ignis:
Ignibus hi totum te domuere meis.

De Speculis Venetis.

XXVII. *Abjecit speculum Venus superbum,*
Tersum, nobile, percelebre, pulchra
Quod Lais dederat sibi Corinthi:
Jussitque à Venetis superbiora,
Et magis nitida & celebriora,
Cognatis fieri suis: & inde
Orbis utitur universus istis.

D De Speculari Vitro & virtute Venetorum

XXVIII. *Virtutem Veneti mundo exhibuere vitrumque:*
Corporis hoc speculum, mentis ut illa foret.
Par utriusque nitor: virtus constantior: ævo
Par vitrum terris, par erit illa polo.

De Reipublicæ Venetæ Forma.

XXIX. *Tandem composita est multis lis ardua seclis,*
Imperiique Sophis optima forma patet.
Sive placet Princeps, seu plebs, sanctusve Senatus,
Imperii Venetos optima forma regit.
Imperat & Princeps Venetis, populusque, Patresque:
E *Imperium at virtus omnibus una dedit.*

De Venetorum Justitia.

XXX *Primum Astrea solum coluit, mox inclyta Cœlum.*
Tandem cum Venetis incolit illa salum.
Liquerat illa solum fulgeret ut ardua cœlo:
Cœlum pro Veneto liquit & illa salo.

Politicæ Venetorum Pyramides duæ.

XXXI. *Astreæ eximias videt columnas,*
Qui sancti videt aream Patroni,
Quem colunt Veneti: at sacras Minervæ
Potest Pyramidas videre nemo,
Cui non Imperii ardui recessus
Arcanos Sophiæ dea ipsa pandit.
Una est Pyramis inclyti Senatus,
F *Ostro picta latus triplex & auro,*
Et miti trabea, truce & securi:
Cui basis populus Synedriumque
Ter amplum Proceres, apexque Dux est
Alto sidera vertice alta tangens.
Sortis Pyramis altera est severæ,
Urnis picta latus triplex globisque,
Cui virtus basis est, Deusque vertex.
Nam si prævia non sit ampla virtus,
Nulli sors aditum severa præbet:
Nec cui sors aditum dedit, secundus
Contingit globulus repente, si non

Deo

Deo præside sortium probante.
Sic sors est Venetis quasi absque sorte.
Has qui Pyramidas recentis Urbis
Componet Phariis vetusto in orbe,
Illas despiciet, stupebit istas.
Namque illæ stolido labore Regum
Structæ, frontibus ambitum superbis
Et luxum & tumidum extulere festum.
Collapsæ ergo suo obruere lapsu
Regum nomina & ambitum suorum.
Ast hæ mole sua basique calcant
Et fastum tumidum ambitumque dirum,
Et quicquid misera oppida atque regna
Evertit validè premunt teruntque.
Ergo istæ Venetis erunt perennes,
Cumque istis Veneti perennè stabunt.

Auctoris Excusatio ad Venetos.

XXXII. *Cur nostra, Veneti, vos Camœna prædicat,*
Ignota vobis hactenus?
A *Hoc vestra nobis nota virtus Entheo*
Calore præstat ardua.
Virtus volantis vester fons est Pegasi
Vatum omnium ultimo mihi.
Virtus Poëtis vestra corvos inserit
Persi metallo doctiùs.
Picasque virtus ære vestra audacius
Certare Musis concitat.
Sed nec Poëtis nec Poëtriis opus,
Corvisve, Picisve obviis.
Nam vestra virtus vos celebrat unica
Flacco & Marone clariùs.
Non hanc Homerus ter resurgens grandior
B *Iliade adæquabit nova,*
Non ipse Præses hanc Apollo, Musaque
Ter trina pro meritis canet.
Hanc quisque modulo pro suo, nemo satis
Pro laude vestra buccinat.

F I N I S.

I N D E X
RERUM MEMORABILIORUM.



F I N I S.

ANDREÆ MOCENICI,
P. V. D.

BELLI MEMORABILIS CAMERACENSIS

Adversus

VENETOS, HISTORIÆ

LIBRI SEX:

Quibus Epitome latior præmissa est, unde breviter omnia intelligi possunt, quæ in singulis libris continentur.

Editio postrema, à mendis variis purgata, ac Indice locupletissimo aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

NOVÆ HUJUS EDITIONIS PRÆFATIO AD LECTOREM.

ANIMUS nobis non est, Præstantiam & Amplitudinem Reipublicæ *Venetæ* hic efferre, licet ejus opportuna nobis detur occasio; nam nihil magis est sermone omnium contritum, nihil magis decantatum, nihil magis pervulgatum, quam eam præ se ferre Regiam Majestatem, innumerabilibusque ad omnem virtutem præstantibus viris floruisse, & adhuc florere, quorum numerus valde ingens, & res ab ipsis gestæ has Historias legenti etiam occurrent. Cum autem hæc Respublica tot literarum monumentis, tam multis Scriptis, tot Orationibus, tam multis Historiis illustrata est, ideo eam non attingemus; Sed modo ea te, Benevole Lector, commonefaciemus, quæ ars & industria nostra in his historiis prelis de novo committendis effecit. Secuti sumus exemplar Editionis *Venetiis* per *Bernardinum Venetum de Vitalibus* Anno M. D. XXV. impressæ, cujus etiam paginas in commodum legentis margini nostræ Editionis, nisi iis caruisset, adjecissemus. Epitomas autem, quæ omnes in capite hujus libri præmissæ erant, singulo libro non solum præfiximus, sed & diversis characteribus excudi curavimus, quod & tam in nominibus propriis quam orationibus literisque observavimus. Contractionesque vocum, quarum multæ in supradicta Editione erant, plane sustulimus, & adimplevimus. A mendis quoque non modo iis, quæ in calce prædictæ Editionis indicatæ erant, verum etiam pluribus aliis nostram perpurgavimus. Et ne videamur nos Auctorem nostrum, cujus tamen familia tam multis, tamque præstantibus in Republica Senatoribus perpetuo fuit illustrata, ut multos abhinc annos scribi nullæ potuerint historiæ, quin de præclaris rebus ipsorum gestis passim videamus factam esse mentionem, silentio præterire velle, quædam ex *Dictionario* MORERI mutuata in Auctoris familiam dicta Præfationi nostræ subjunximus. Postremo Indicem ejusmodi libro convenientem satisque perfectum adjecimus. His ut fruaris atque delecteris animo precamur. Vale faveque.

Ex MORERI Dictionario Historico In Familiam MOCENICORUM.

ANDRE Mocenigo noble Venitien, etoit en estime au commencement du XVI. Siecle, en 1522. On l'employa dans les grandes affaires de la Republique, & il y réussit. Il composa aussi deux Ouvrages Historiques, de bello Turcarum, & belli Cameracensis Lib. VI. *La Maison de Mocenigo de Venise a eu de grands Hommes, & a donné quatre Doges à la République, savoir Thomas Mocenigo élu en*

1413. & mort en 1423. Ce fut de son tems que les Venitiens se rendirent maîtres du Frioul en 1416. sur Louis Techio, Patriarche d'Aquilée, qui s'étoit temerairement engagé à la guerre contre la République, sur l'esperance de la faveur des Hongrois ses alliez; ce que je remarque en parlant du Frioul. Pierre Mocenigo élû en 1474. gouverna durant deux ans avec beaucoup de prudence & de bonheur. Coriolanus Cepius publia une Relation Historique de la Vie de ce Doge. Jean Mocenigo fut élû en 1477. & il mourut en 1485. Louis Mocenigo en 1570. après Pietro Loredano fit ligue avec le Pape & les Espagnols, contre les Turcs qui avoient pris l'Isle de Cypre. Sebastien Vencero commandoit les Galeres de la République, Marc Antoine Colonna celles de l'Eglise; Et Dom Jean d'Autriche celles du Roi d'Espagne L'armée Chrêtienne gagna la célebre bataille de Lepante, le 7. Octobre de l'an 1571. Louis Mocenigo mourut en 1577.

ANDREÆ MOCENICI,
P. V. D.
PRÆFATIO
IN BELLUM CAMERACENSE.

IN omni vita præclarum est, otium recte disponere, ut nulla dies transeat sine linea, sic enim vita satis longa efficitur, quam alioquin illi homines brevem esse conqueruntur, qui corporis imperio, & servitio mentis abuti volunt, atque inde rapti insania libidinis, quæ solet nihil compositum reddere, prolabuntur in omne scelus contra conjunctissimum quemque, quod diis iratis quantacunque pæna ulciscendum esset. Et nihil mirum eos audaces & temerarios esse, atque dolis & fallaciis, ad honores contendere, nec putare, id utile, quod honestum, nec velle æqua ex æquo, qui neque se, neque alia noverint. Viros autem decet contraire, & sic agere, ut quales haberi volunt, tales sint, atque in otio & negotio posse prodesse videantur, necnon in primis seipsos cognoscere, & in seipsos descendere, metiendo cuncta alia eadem mensura, qua nos ipsos metiendos putamus corpus nostrum exercendo & subjiciendo viribus animi, ut par est, & probe animadvertendo nostras vires, quantæ & quales sint, antequam aggrediamur aliquid facere. Pulchrum est enim & scribenda facere, & legenda scribere, non tamen omnes ad omnia apti sumus, sed sicut in corporibus & in formis, sic in animis magnæ dissimilitudines videntur. Namque omnes propria persona & aptitudine, quasi a natura induti sumus, quam cognoscere & sequi debemus, quia inde in omnibus negotiis evadimus, & maxime decet, quod maxime nostrum est. Sed alioquin nimius amor sui, sæpe facit, ut inniventibus oculis quisque in se videat, quæ aliena & sua sunt, atque ideo recte noster *Plato* præcipiebat, nos oculum nostrum, in alterius oculo videre, & ex illa fenestra cordis actiones animi prospicere, atque oportet ea non facere, quæ in aliis reprehendimus, & identidem ea imitari, quæ digna laude in aliis viderentur. Nempe æmulando vis etiam judicandi comparatur studio, consuetudine, & doctrina, sicut *Protagoras* docebat ingenium & administrationem reipublicæ, quia tametsi ingenium a principio nobis inditum sit ex officina *Vulcani* & *Minervæ*, ut dicitur, illud tamen ut cætera, doctrina & exercitatione maxime coalescit. Namque

que legendo omnia, quæ in toto orbe terrarum anteactis temporibus gesta sunt, facile omnium rerum sumuntur experimenta & judicia de similibus ad similia, & alioquin nemo bene judicat, quæ nescit, & recte dicitur in *Alcibiade* primo, scientis officium esse, non divitis, de unoquoque consulere, atque illi ita pauci sunt, ut diceret *Philippus Alexandri* pater se unum solum *Parmenionem* reperisse, cui res agendæ merito crederentur. Itaque mihi cogitanti cum otium haberem, & interessem belli consultationibus in mentem venit, nostri temporis historiam scribere, quia adhuc prægnans animus videbatur, & putabam parum prodesse, quæ intus in animo sunt, nisi foras edantur, merito enim dicitur, omnem virtutem in actione consistere, & nihilominus prodest domi bene vivere, & bene agere, quam foris & militiæ strenuum esse, & qui non possunt in bello fortiter se gerere, si facta aliorum scripserint, merito etiam laudandi sunt. Et quidem mihi maxime laudabile & difficile videtur, historiam scribere, quia illa omne genus dicendi complexa est, atque amplius ea dictis æquanda sunt, quæ in bello fortiter geruntur, & reddenda omnia suæ naturæ consentanea. Sed ego etiam majorem difficultatem habui, quia difficilius opus scripsi quam aliquando contigerit, & adeo multiplex, ut in disponendo multum tempus contriverim, atque amplius oportuit præ multitudine, & copia loquentium, rem valde incompositam in formam redigere, & multa coaptare, quæ variis in locis uno tempore fiebant, & tamen laborem non detrectavimus, quia videbamur, operæ pretium facere, & benemereri de republica, si absque mendacio literis mandaremus istud bellum memorabile, quod nostris temporibus gerebatur. Namque alioquin conatus sum præstare quantum potui, & exacte scribere tantam historiam, si nostra imbecillitas animi & mediocre ingenium pateretur, & putavi omnes in bonam partem accipere, quandoquidem intelligant, non parum esse in tanto opere voluisse, si assequi non potuerim quod volebam. Neque enim nescii sumus, tantum posteris debere quantum possumus, & patriæ gesta magnifica referre, pium laborem appellari, atque ego in primis puto vitam & mortem eorum æqualem esse, qui solummodo ventri & somno dediti sunt, somno enim & luxuria omnis virtus atteritur, & sopita gloria vertitur in infamiam. Nos autem a teneris unguiculis animi officiis usi sumus, & hujusmodi laboribus assuevimus. Usque adeo nunquam hucusque pertæsum est, dum putamus ista qualiacunque mussitando posse forsitan pluribus horis vivere. Et nuper contenti non fuimus historiam nudam scribere, sed etiam digressi sumus in rebus gestis *Venetorum* atque in descriptione orbis & bellorum, quæ in partes gerebantur, atque amplius ea diximus, quæ ad *Venetias* nostraque æstuaria pertinere viderentur, & quemadmodum tantæ pecuniæ reperirentur, quæ usque in finem suffecerint. Et quidem istud bellum adeo amplum & varium fuit, ut omnia contineat, quæ censentur difficilia in historia. Namque & multæ orationes referuntur, quæ domi & militiæ habebantur, bellum maritimum & fluviatile, oppugnationes urbium, descriptiones locorum, & quemadmodum sæpe collatis signis pugnatum est, ut non injuria dici possit, nullum bellum tam dictu difficile fuisse, atque magis nunquam amplius fortuna jocata est. Namque *Veneti* in bello terræmotum diutinum passi sunt, & *Rivalti* damnificum ignem, atque ante bellum navale exarsit, & concidit pars palatii, quasi futuri belli certa præsagia. Deinde quatuor reges cum *Helvetiis* & tota *Italia* in *Venetos* moverunt, atque infeliciter cum *Gallis* ad flumen *Abduam* pugnavimus, & passim ad hostes descitum est. Postea rebus *Venetis* accissis, cum omnes valde conflictarentur, subiit spes habendi *Hispana* auxilia, atque illis conductis stipendio, reparandæ reipublicæ studebatur, sed nos fefellit spes vana, quia ab illis dolo malo decepti sumus. Denique accersitis *Helvetiis* frustra etiam confidimus,

quia *Galli* hoſtes expulſi ſunt, & nos non potuimus rempublicam reparare. Itaque neceſſe fuit cum *Gallis* iterum in amicitiam coire, atque illi venerunt in *Italiam* profligaruntque hoſtes *Helvetios*; & inde nobis ſalus reddita eſt, unde tantum vulnus provenerat. Quod ſi nos defeciſſe videbimur, certe belli ſeries & res ardua placebit, atque ipſa fortunæ varietas magnum documentum poſteris afferre poterit. Namque legendo per quos viros, quibuſque artibus domi & militiæ iſtud bellum geſtum eſt, quiſque poterit omnis exempli documenta ſumere, ut imitetur quod profuit, & vitet ea, quæ alioquin nocitura viderentur, atque amplius quiſque illud maxime intendat, contra tantos reges, unam rempublicam ſtetiſſe, quod ſemper celebre & memorabile erit. Et quidem noſtra reſpublica ſicut magis longæva omnibus fuit, ſic credendum eſt, viciſſe alias ſanctitate bonis exemplis & legibus, atque amplius poſſe durare per multa tempora, ſi modo ſequi noſtrorum majorum recta inſtituta & veſtigia parati ſumus. Nempe illæ viæ veterum in domibus & republica juſtitia & æquitas, omnis enim injuſtitia diſſidioſa, & omnis iniquitatis comes diſcordia. Juventus omnis non ad ambiendum aſſueſcebat loqui jucundiſſime & utiliſſime aſſiſtere, ſed ad capeſcendum virtutem animi & corporis exercebatur, ſiquidem vivebatur in illa civitate duratura, ubi virtus & jus firmitatem roburque ſemper accipiebat, atque infirmitatem & imbecillitatem inſcitia & injuria. In eligendis magiſtratibus nulla erat acceptio perſonarum, ſed apti ad regendum & idonei legebantur, qui circa ſeria verſarentur. Nam qui in ridiculis ſtudioſi ſunt, eos ſcias, in ſeriis ridendos fore, & ſi quid mali fecerint nunquam ſcire corrigere ut par eſt, cum ita ſit *vita hominum, quaſi ut ludas teſſeris, ſi illud quod maxime eſt opus jactu non cadit, illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.* Et ſupra omnia animadvertebant eos reipublicæ præſidere, qui nullis libidinibus tenerentur, ſed poſthabitis propriis ſoli reipublicæ conſulerent, & proinde lege prohibebatur, eos de ſumma rerum conſultationibus intereſſe, qui negotiationibus eſſent impliciti, & maxime ambitioſos inutiles putabant. Nam qui honores ambitione adepti ſunt, ea duce ducuntur comparandis amicitiis, & alioquin viri magnanimi ſecum afferunt alexipharmacum, & dedignantur in iſta vilia deſcendere, niſi abuſu & neceſſitate compellantur. Cum regibus vero & principibus tantum amicitias & pacem excolebant, ut boni amatores pacis non minus eſſent, quam ab omnibus haberentur, & iccirco longa pace fruebamur, quamvis reges invicem pugnarent, atque inde patres ſenectutem hilarem agebant ex bene actæ vitæ jucunda conſcientia. Quod ſi iſtis artibus domi foriſque recte adminiſtrabatur reſpublica, & nos quæſo aliquando revertamur unde abſceſſimus, ſi divertimus ab itineribus, quæ nobis tanta bona peperere, ſic enim felicia illa tempora redibunt, quæ in actis temporum præteritorum legi poſſunt. Et quidem illa præcipue legenda ſunt, unde hominum meliora monimenta ſumuntur, quam ex ſtatuis quæ apud antiquos fiebant, atque ideo *Ageſilaus* moriens juſſit, nullam ſibi neque fictam neque pictam fieri, & identidem *Cato* ſenior ajebat, ſe malle homines quærere, cur *Catoni* ſtatua poſita non eſſet, quam cur eſſet poſita, quaſi parum proſint imagines, niſi aliquod opus illuſtre, & dignum memoria fecerimus ſub typis chalcographis. Et merito dicitur hiſtoria magiſtra vitæ, quia ea eſt, quæ nos maxime inſtruit ad res agendas, & recte ex præteritis, præſentia dirigimus, & conjectamur futura, & ſunt tres oculi prudentiæ, ſine qua non bene gubernatur reſpublica. Niſi enim alonge viderimus & tempeſtive caverimus ventura mala bene conſulendo & bene agendo antequam eveniant, illud ſæpe ſolet accidere, quod turpe eſt dicere non putaram. Igitur quiſque res geſtas veterum libenter legat, & inde diſcat, quid agendum eſt in omnibus negotiis, atque pro comperto habeat, facile imperium retineri iis artibus, quibus ab initio partum eſt.

AN-

ANDREAS MOCENICUS D.
ANDREÆ GRITTO
PRINCIPI ET SENATUI S.

BELLUM *magnum & memorabile, Princeps & Patres amplissimi, natum apud nos proxima fœtura, vobis merito dicandum censuimus, & putavimus vos accepturos benigne prompteque, tametsi munus exiguum, sicut* Artaxerxes *rex* Persarum *haustam aquam e proximo flumine jucundus suscepit, quam operarius obvius obtulerat, atque eo magis quia vos decet præcipue vestrarum rerum gestarum fautores esse, & ego nihil propterea stipendii petam, id quod vestra facili munificentia soliti estis dare etiam iis, qui solummodo professi sunt, & nihil aut parum benemeriti de Republica. Tu vero ille es, qui in istis maximam partem habes, & te sæpe invenies Princeps jucundissime, sic enim libet te compellare præfatione verissima, quæ antehac in aliis obsoleverat. Namque tu te soles ita omnibus facilem præstare, ut omnes sciant, quam ex æquo tecum vivat imperium, triumphalis & victor, procurator & legatus in castris, & quod iis nobilius fecisti, dum illud senatorio ordini præstas sapiens consilii, atque hæc omnia reipublicæ, & talis fuisti in omnibus magistratibus domi forisque, qualis in castrensi contubernio, nec quicquam mutavit in te fortunæ amplitudo in iis, nisi ut prodesse tantumdem posses, quantum velles. Itaque omnibus in venerationem tui patent illa omnia, quæ etiam nos invitant ad colendum te familiarius, nisi alia via ingens occurras, & longe submoveas ingenii facibus. Fulgurat enim in te vere dicta vis eloquentiæ, & magna fœcunditas animi, ut hæc non possim non trepidus æstimare, subiturus ingenii tui judicium lacessitum. Multum enim refert publicare, & dicare tibi, quia tum possem dicere, te non fuisse in hoc albo, cum ista condicerem, aut possem te rejicere, sicut fecit* Lucilius *&* M. Tullius *cum scriberet de republica, & quanto nos causatius faceremus, nisi usi essemus ista tui nuncupatione. Accedit vilis apparatus, & te hospitem invitavimus, & elegimus judicem, a quo non licet iniquum aliquid velle, non aliter quam apud* Catonem *illum hostem ambitus, & gaudentem repulsis tanquam ineptis honoribus, cum apud illos honores ambitione & largitionibus traderentur, & candidati propterea pecunias deponerent, hoc ajebant se facere pro innocentia, ne viderentur a* Marco Portio Catone *rem improbam petere. Et quidem immensa subit cura tibi condigna tribuere, quem positum in excelsissimo fastigio reipublicæ, & præditum summa eloquentia cum summa rerum gestarum gloria, religiose adiri etiam a salutantibus scio, sed tamen etiam diis lacte rustici, & multæ nationes supplicant, & litant solummodo mola salsa, quibus tura defuerint, & nemini vitio attribuitur, deos colere, quemadmodum potest. Verum illud nos consolatur, quod tibi dicamus opus memorabile, & libellos non levioris operæ. Namque ingenii capaces sunt, quamvis illud nobis per quam mediocre est, & admittunt excessus, orationes, sermones, casus mirabiles, & rerum eventus varios, atque alia multa, quæ jucunda dictu, & legentibus blanda sunt. Neque tamen unquam adeo istis moveor, ut non semper utilitatem juvandi prætulerim, gratiæ placendi, quod non fecisse videtur* Titus Livius, *cum scriberet ab origine urbis* Romæ *potius sibi, quam* Romani *nominis gloriæ, & utilitati legentium. Ego autem nihil audeo promittere, nisi hoc ipsum, quod tu præstas, ut ad te scribam, & hæc est fiducia operis super tanta nomenclatura, atque æstimatio & pretium, sicut & multa valde pretiosa ideo videntur, quia templis Deorum dicata sunt. Et certe alioquin decreveram, istud hoc mandare hæredibus, ne vita dedisse aliquid ambitioni judicaretur, & proinde tu debes præoccupantibus locum magis magisque favere contra illos, quos scio nobiscum decertaturos. Neque enim nescius sum, me sub eo malo sidere natum esse, ut omnia mea in malam partem accipi soleant, & faba cudi in meum caput, quando malevolis aliis vorti vitio deberet. Neque tamen eo*

insi-

inficias multa adjici posse istis meis, & aliis omnibus editis, ut obiter caveam istos ὁμηρομάστιγας, sed soleo vitilitigatores eos parvifacere, qui veræ laudis expertes, parati sunt sola obtrectatione alienæ scientiæ famam sibi aucupari, atque eorum orationes sino præterfluere, ut ajebat Cato Censorius. Securus ergo per te nuper experiar, an possim aliquid in historia, atque illud maxime me movit, quod intereram rei gerendæ, quæ ardua & memoranda videbatur, & omnia videbam singulatim, quæ domi & militiæ fiebant, unde expertus sum facile illos potuisse a veritate divertere, qui gesta temporum præteritorum scripsere, & qui ab aliis quovis modo relata referre contenti sunt. Namque ego maxime studui in habendis omnibus, quæ in senatu consultabantur, & quæ ex castris, & ex oratoribus nostris apud reges & principes senatui referebantur, & tamen vix potui veritatem elicere, quia eadem res gesta, ab illis qui interfuerant, non uno modo referebatur. Usque adeo oportuit me nonnunquam conjectari & posteritati consulere, ut omnia multo verissima haberentur, neque enim historiam puto, nisi & eadem vera fuerit. Quod si in multis aliis defecero, quod certus sum, certe in hoc, ut omnia vera traderentur diligentissimus fui. Adjeci & illud, ut omnia senatus consulta & regum actiones, quæ in bello gerendo domi consultabantur complexus sim, & quæ deinde ex consulto gerebantur, ut omnia quemadmodum consulta sint oculis legentium subjicerentur, & quemadmodum gesta sint. Namque domi consulto opus est, & foris mature facto postquam consulueris, & non aliter bene se res habet, si alterutrum defuerit aut arma foris aut domi consilium. Totum vero opus P. OP. non me latet sumpsisse ad scribendum difficile, & non posse nisi per vos alienis auribus placere, atque ideo vestram opem imploro, & præsertim te nostrum ducem inclytum fautorem voco, ut suscipias ista qualiacunque, illa tua facie hilari digna imperio, & proceritate augustissima, sicut soles omnia jucunde excipere, & te gerere erga omnes tanto summissius, quanto es omnibus superior. Hæc tua virtus est, & vera magnitudo animi, non solum potentia & dignitate, sed humanitate præcellere, & majora alia, quæ dicenda in aliud tempus differo, ne modo in magnitudine rerum tuarum confundar, dum nimium volo brevem epistolam scribere. Cæterum quia fuisti istorum pars maxima, ideo valde lætatus sum, tibi Principi dicare, bellum istud Cameracense, quod ita appellare collibuit a principio, quia principium totius plusquam medium perhibetur, & nolui festiviorem titulum excogitare, sicut Græci solebant vocare, alii κηρίον, alii λειμών, alii κέρας ἀμαλθείας, quos in eo non sequerer, sed illud laudo, quod solebant pendenti titulo inscribere, ut Apelles faciebat, aut Polycletus, & velim ex illis intelligi, ut mihi semper superesset regressus ad veniam. Sed quod nobis licitum est, libenter facimus, & profitemur facile posse errare & decipi, quando nihil mirum videri solet, si bonus etiam aliquando obdormiat, cum multa dicturus accesserit. Quo fit ut non injuria modo secutus sim vestigia antiquorum auctorum in nuncupando fautore, & nulli magis dicandum opus erat, quam tibi Principi & senatui, quorum gesta talia referuntur, quæ possint ad immortalitatem perducere, si nostra aliquid apud posteros valebunt. Id quod fore omnino confido, si te talem fautorem habuerint nostræ istæ lucubrationes, quæ alioquin non audebunt prodire in publicum, nisi tuo tanto patrocinio foveantur. Tu igitur jucunde accipe quicquid est, quod tuum est, & libenter datur, quod dari potest, ex nostra officina tenui & infœcunda, tu majora facito tuo ductu, & tuis auspiciis, & da candorem illum, quem tu melius scis, qui rebus omnibus gestis interfuisti. Et quia parcendum fuit tibi impedito publicis negotiis, subjunxi latius epitomas, unde posses breviter omnia intelligere, quæ in singulis libris continentur, atque alii etiam per te poterunt non perlegere, sed ex eo quærere aliquid & scire, quo loco inveniant. Valete.

ANDREÆ MOCENICI,
P. V. D.

BELLI CAMERACENSIS HISTORIÆ
Epitoma
EX LIBRO PRIMO.

BELLI Causæ quæruntur, & quemadmodum inter principes Italiæ discordiæ ortæ sunt, & Ludovicus Sfortia regem Gallorum Carolum contra Ferdinandum regem Neapolis in Italiam accersivit. Et quidem Rex Gallorum facile compos voti factus est, quia statim hostes in fugam conversi sunt. Sed Galli ea victoria nimium insolenter utebantur, atque iccirco ab omnibus in illos conventum est, & facile Italia expulsi sunt. Quoniam vero per idem tempus res Pisana Venetorum auspiciis agebatur, Ludovicus Sfortia veritus eos nimium aspirare, Turcas & Christianos reges in Venetos hortatus est, & cum alioquin bellum ingens instaret, Veneti compulsi sunt, contra ducem Ludovicum Sfortiam, fœdus inire cum Ludovico rege Gallorum, qui in demortui regis Caroli locum suffectus est. Sic ea faba in caput Ludovici Sfortiæ cudebatur, & demum ille semel expulsus, atque iterum captivus in Galliam abductus est. Postea referuntur ea, quæ Galli cum Hispanis apud Neapolim gessere, & quemadmodum res omnes pacatæ sunt, simul ac rex Hispaniæ Gallam uxorem duxit. Inde Rex Gallorum cœpit machinari in Venetos, atque eo maxime dum itur obviam Germanis, qui volebant per Tridentum in Italiam irrumpere. Cæterum Rex Romanorum Venetos socios malebat, si illi transitum dare contenti sint. Sed Veneti nunquam passi sunt, ad Germanos desciscere, quamvis amplæ conditiones proponerentur, & tandem e Senatu consulto potius cum Gallis statum est. Quare primo cum Germanis ad Cadubrium certamen fuit, & hostes ad unum cæsi sunt, atque identidem ad Goriciam & Tergestum res cessit ex sententia, & ambæ civitates in Venetorum potestatem venere, atque amplius Rex Romanorum declinavit ad inducias cum Venetis, & illæ denique in triennium factæ sunt. Sed quia Gallus orator rei agendæ non interfuerat, inde belli istius causæ quærebantur, & tandem reges Cameracense fœdus in Venetos pepigere. Deinde sub digressione rerum Venetarum series habetur, quemadmodum civitas opibus aucta est, & quænam bella feliciter gesta sunt, dum boni mores veterum excoluntur, & aliter cum primum illi immutari cœpti sunt, labefactata civitas est, quia potius quam mare opiferum, dissidiosa continens spectabatur, & cum regibus ibatur de bello in bellum, quousque in istud bellum Cameracense, perventum est. Cæterum quia difficile Venetis erat, contra tantos reges pugnare, illi primo quoque tempore egerunt cum Pontifice & Regibus Angliæ, Hispaniæ & Germaniæ, si aliquo pacto possent inita fœdera disturbare, & cum ea parum profectura viderentur, ingentes copiæ parabantur ad Ravennam, ad Justinopolim, ad Veronam, ad Forum Julii, & ad flumen Abduam præsertim contra Gallos ibatur. Comparata quoque maritima classis est, quæ oram Apuliæ & Flaminiæ tueretur, & Padana classis altera, quæ posset suppetere, si qua vis ingruat ex Ferraria. Nihilominus copiæ hostium parabantur, atque passim ad confinia pugnabatur. Namque Marchio Mantuæ in expeditionem exivit, & Casale majus cepit, atque identidem parte alia majoribus copiis agebatur, quia Mediolani magnus magister amnem Abduam trajecit, & cepit oppidum Trivilium, atque amplius in incerto res erat, quousque ad Caravagium vis hostium repressa est, sicut & contra Marchionem Mantuæ apud Asulam oppidum, & contra exercitum Pontificis apud Ravennam urbem stabatur, simul ac Pontifex valle Lamonia & civitate Faventia potitus est. Parte alia Venetorum omnis exercitus ad flumen Abduam venit, hostes repulsi sunt, vi receptum Trivilium, & omnia prædæ militibus fuere. Sed ea præda valde perniciosa Venetis fuit, quia inde multæ discordiæ ortæ sunt, & hostes potuerunt amnem impune trajicere, & paulopost ad Pandinum oppidum, infaustum certamen fuit, & vires Venetæ accisæ sunt. Quare Venetiis valde tumultuatum est, curatumque copias colligere, & exercitui supplementum mittere, atque augere classem ad quinquaginta triremium. Sed quamvis domi foris-

que omnia fierent, quæ usui forent, usque ad Veneta *æstuaria tamen paulatim recessum est, quia omnes urbes & oppida res novas molirentur præter oppidum* Pischeriæ, *quod vi captum in hostium potestatem venit. Et quidem aliæ urbes ultro etiam regibus tradebantur, atque amplius* Veneti *assidue pacem implorabant, sed tantum abfuit, ut passim bello potius ageretur. Namque parte alia Dux* Ferrariæ *terra marique infestus erat, & parte alia Rex* Romanorum *incepit novum bellum gerere in* Istria & Forojulii, *atque amplius cum magno exercitu in* Italiam *venit, ubi* Germani *magna crudelitate utebantur, quamvis passim deditio fiebat. Itaque apud* Mestrum *oppidum quoque in castris* Venetis *tumultuatum est. Sed* Andreas Gritti *legatus oratione placavit, jussitque milites iterum dare nomina, & jurare imperata facescere, quia alioquin nemo amplius sub ordinibus militiæ stabat. Pari modo apud* Tarvisium *seditio orta est, & cives volebant* Maximiliano *regi civitatem tradere, nisi illa statim compressa esset favore populariium, qui propterea immunitate donati sunt, atque omnis exercitus* Tarvisium *venit. Deinde muniendæ urbi, & colligendis frugibus studebatur. Namque de patriciorum frugibus cum* Patavinis *maxima quæstio fuit, & tandem propterea paratis omnibus ex sententia, clanculum contra* Patavium *ibatur, & quia passim agricolæ pro* Venetis *stabant, custodes* Patavii *ad fores decepti sunt,* Venetorum *omnis exercitus in urbem venit, &* Patavium *in fidem iterum recepta est.*

LIBER PRIMUS.

SCRIBERE aggredior bellum multorum Regum adversus *Venetos*, tum quia illud nostris temporibus gestum est, tum quia valde memorabile videtur. Namque si veterum etiam *Atheniensium* & *Romanorum* gesta magnifica censemus, nusquam tale exemplum reperimus, ut cum tantis simul regibus ageretur, quanti & quales isti sunt, de quibus modo dicturi sumus. Sed antequam tantum opus incipiam, ut res omnes melius innotescant, referam succincte omnia, quæ consentanea videntur. Mortuo Duce *Mediolani Galeatio Sfortia*, quia *Joannes Galeatius* ejus filius puer erat, ei demum tutor fuit Patruus *Ludovicus Sfortia*. Sed cum ille adolevisset, & *Isabellam* neptem *Neapolitani Ferdinandi* Regis uxorem duxisset, Rex ægre ferebat *Joannem Galeatium Mediolani* Ducem non agere, atque eam rem enixe curabat. Igitur quia alioquin ita fore *Ludovicus* merito verebatur, sicut illis solet accidere, qui non legitime imperant, statim adversus Regem, *Gallos* in *Italiam* accersivit. Neque mora fuit in *Carolo* Rege *Gallorum* compositis rebus cum Regibus & præcipue cum *Venetis*. Itumque est terra marique cum expeditissimis copiis, rerum omnium successu felicissimo, tota subacta *Hetruria*, depopulata *Campania*, fama increbrescente sine ullo conflictu hostes in fugam conversi sunt, & ille toto regno potitus est. Sed postea parum *Gallis* cessit ex sententia, quia ab illis cœptum est nimium velle, potentiam aliorum nihil ad vires suas putare, totius *Italiæ* imperium aspirare, *Florentinos* in *Pisanos* movere, atque supra omnia infestos esse *Alexandro* Pontifici, & propterea ne opprimeretur Ecclesia, inter Pontificem, Regem *Hispaniæ*, *Mediolanenses*, & *Venetos* fœdus initum est, & *Galli* ad *Tarrum* fluvium fusi fugatique sunt. Et quidem magna fuga *Gallorum* fuit, atque etiam longe major fuisset, nisi dolo malo magis quam *Venetorum*, *Gallorum* rebus *Ludovicus Sfortia* studuisset, quia *Venetos Pisam* usurpaturos verebatur, & amplius eo auctore *Turcæ*, *Galli*, *Germani*, & Principes *Italiæ* contra *Venetos* bellum enixe parabant. Sed forte interea *Carolus* Rex *Gallorum* occubuit, & *Ludovicus* suffectus est, qui maluit sua recipere, quam aliena usurpare, &

A convenire cum *Venetis*, qui necessitate in eam sententiam ducti sunt, ne alioquin nostræ *Venetiæ* paterentur. Itaque *Ludovicus* Rex *Gallorum* contra *Ludovicum Sfortiam* in *Italiam* venit, atque eum semel expulit, & iterum captivum in *Galliam* duxit, atque amplius Rex *Gallorum* voluit *Neapolitanum* regnum iterum vendicare, multoque facilius cum Rege *Hispaniæ* illud cepit & partitus est. Sed postea inter eos propediem bellum fuit, atque primum *Hispani* vincebantur, postea paulatim vicerunt, & decompacto Regnum habuere, quia Rex *Hispaniæ* neptem Regis *Gallorum* in suam uxorem duxit. Secundum ea connubia belli futuri in *Venetos* primæ occasiones datæ sunt, atque in excidium *Venetarum* rerum

B plusquam semel fœdus percussum est. Cæterum omnia facile dissolvebantur, quoniam Rex *Romanorum* ad suscipiendum coronam imperii tutissimum iter *Romam* arripere volentibus *Venetis* malebat. Denique ea res per nobilissimos Oratores *Germaniæ Venetiis* agebatur, atque iccirco Rex *Gallorum* veritus conabatur *Venetos* in *Germanos* incessere, quatenus putabat bello proculdubio fieri, ut ipsi amplius non possent coire in amicitiam, & ipse facilius rem suam ageret, quam dudum antea molitus est. Igitur super ea re, quæ maximi momenti videbatur, frequenter actum est in senatu. Multi aderant, qui *Gallorum* fidem multum suspectam haberent, atque ab eis statim secedendum arbitrarentur. Contra plu-

C res erant, qui standum promissis dicerent, atque aliquis eorum in hanc sententiam loquebatur.

Cogitanti mihi P. C. quid præcipuum nobis attribuitur, nihil magis invenio, quam nomen fidissimarum gentium. Neque id parum putare debetis, quando rerum humanarum maximum vinculum fides perhibetur, quæ si desit, nulla ratio commercii, & fœderum haberetur. Nunc vero ea in quæstionem venit, de qua modo dicendum est mihi & cuique optimo, quatenus ne dum is male agit, qui male consulit, sed ille etiam qui alioquin dicendo vetare poterat. Verum id frustra, an ob rem faciam in vestra manu situm est. Certe ego si possim suadere experiar fidem datam Gallis inviolatam servare, & pacem amicam sperare, cum nemo soleat sine causa bellum gerere. Ea vero P. C. ratio futura est, ut sicut

D *antea sequamini amice cum ambobus agere. Neque enim Germani hostes erunt, si propter initum fœdus cum*

cum Gallis esse eis auxilio, non potestis. Neque Galli ab inito fœdere discedent, tum quia vobiscum res suæ tutissimæ sunt, tum quia cum Rege Romanorum intercedunt nova & vetera odia, quæ semper inter eos futura sunt fomenta discordiæ. Neque vos debet movere, si nuper usus simulatione solita Rex Gallorum visus est filiam suam Claudiam, Carolo filio Ducis Burgundiæ nubere, namque & eventus docuit, & ea vobis consciis ficta, & irrita fœdera fuere. Quod si etiam solummodo cum Rege Gallorum, aut Romanorum, standum esset, Regem Gallorum eligerem, quia ille armis, & divitiis, potior est, & pacem curat, quæ vobis semper usu venit. Rex autem Romanorum Maximilianus plus erogat, quam habet, & semper opere testatur suum esse, ac Regem augustissimum quemque maxime decere, bellum famigerum semper gerere, ut vos scilicet ejus partes sequamini, si potius quam pacem, mavultis bellum, nervosque reipublicæ, & vestras opes projicere. Duo sunt .P. C. quæ majores vestros semper studiosos pacis fecere. Alterum est, quod pace latius, imperium vestrum propagatum est, & opes vestræ semper auctæ, quæ alioquin bello vigente, externo milite vestro mercenario, profusissime dilapidantur. Alterum est, quod ipsi non erant ignari, rempublicam dominandi plus satis ambitiosam, & bellicosam, regibus cunctis infestam esse. Et quidem ea de causa potissimum, patres vestri externo milite semper usi sunt, ut omnes nationes intelligant, vos semper invitos bellum gerere, & potius semper cupere, Regibus cunctis rem gratam facere. Nempe & vestra interest, & semper debetis sperare, hostes etiam amicos fore, dum quisque suarum rerum Zelotypus est, & semper ægre patitur, alicujus imperium crescere. Igitur debetis semper amice cum omnibus agere, pacem sequi, & bellum fugere. Et quia nuper convenistis cum Gallis, dignitate & fide vestra servata, standum est fœderibus, quæ rite sancita sunt, atque enitendum potius (ut mea fert opinio) eisdem artibus majorum vestrorum, quibus parta, atque longe aucta, vestra majestas est, rempublicam administrare, vestra beneficia & acquisitum nomen fidissimarum gentium, libertatemque vestram, & regum ac principum gratiam, atque pacem placidissimam curare.

Contra alius ita ajebat.

Ego quidem .P. C. primus auctor pacis essem, si ea aut bellum proponatur. Sed ne vos seducat nomen pacis semper blandum & amabile, longe aliud est, quod eligere debetis, aut bellum vobis perniciosum, aut bellum vobis utile. Si enim amplas Regis Romanorum conditiones accipietis, cum amplitudine rerum vestrarum bellum geretis. Aliter rege Gallorum auctore multorum regum, proculdubio bellum instat. Ecquid apud nos in incerto res est. Vidistis enim pauloante in vos confectum id fœdus pro infecto habitum, non quia fictum esset, sed quia regnum Britanniæ Duci Burgundiæ non cederet. Adjicite ad hæc nuper tentatæ conjurationis indubios testes, oratores vestros Germaniæ, Petrum Pascalicum, & Vincentium Quirinum. Et quid testibus istis egetis? si hoc ipsum apud vos Regis Romanorum oratores Cardinalis Brixinensis, & Archiepiscopus Treverensis frequenter ajunt, & Regis Gallorum obsignatas literas ostendunt conjurationis futuræ monimenta certissima. Quod si ita se res habet, ut liquido patet, vos consilium antecapere debetis. Usque adeo semper licitum est par pari reddere, & merito omni genere animantium, a natura tributum est, ut se vitam corpusque tueatur, & declinet ea omnia, quæ nocitura viderentur, atque in senatu præcipue omnis quæstio in rationem utilitatis debet cadere. Sic autem utile vobis est Germanos socios potius habere, quia cito parta victoria quiescetis, & Mediolani Dux erit Maximilianus Sfortia. Quod si etiam diutinum bellum esset, supererunt saltem cum Germanis

A *mutua commercia, & vobiscum erit etiam Rex Hispaniæ, quando amborum unus Dux Burgundiæ hæres est. Nescio quo nostro fato P. C. in re tam certa magnos viros allucinari, & reipublicæ obviam ire, ut aliquando dubitem, ne eorum apud vos auctoritas rationem subvertat. Quis enim alioquin putet, Gallis fidem servandam esse, qui fidem fregerint? Quis vana simulachra sibi effingat, odia vetera, & novas inimicitias Regis Gallorum & Romanorum? cum inter eos antea conventum sit, & Reges sola utilitate ducantur. Quis dicat pecuniis parcendum esse, cum aliter simul cum vestris opibus, imperium & res vestræ non tutæ futuræ sint.* B *Quis opinetur Gallos rem suam non agere, si possint vestras urbes etiam capere. Ista sunt quæ præferre vos decet, & cavere antequam eveniant, ne si contra spem eveniat, frustra Deos incusetis, & vos facti sero pœniteat. Neque enim spes & ratio salutis supererit, si vestra negligentia, Reges iterum coeant in amicitiam. Capescite .P.C. rempublicam in tanto rerum summarum discrimine, dum tempus opportunum habetis, & adhuc integrum est cavere tanta belli sævissimi pericula. An pacem aliquo pacto sperare potestis, si bellum molimini, & venientibus Germanis, vultis obsistere. Ea profecto potius belli causa credenda est, ut Rex Romanorum lacessitus injuria,* C *in vos cum Gallis facilius conveniat, & Julius Pontifex ut ipse ait, venenum bibat, vobis futurum acerbius. Et mirum quidem nos tam sæpe putare nobis profuturum amice pariter cum omnibus agere, cum tam sæpe contra eveniat, & omnes putent contra se illum esse, qui secum non est, & qui non colligit dispergere. Igitur quia pacem nusquam estis habituri, bellum suadeo, & amplas conditiones Regis Romanorum accipere. Sic enim reipublicæ optime consuletis, & citius expedietis, bellum vobis utile, quod vos facturos, omnino confido, nisi plusquam ratione, fato in contrarium ducamini.* Postquam dicendi factus est finis consuetum studium servan- D dæ fidei superavit, itumque est in eam sententiam, ut fœdus sancitum simul cum *Gallis* ita inviolatum servaretur, ne aliquo pacto *Germani* hostes haberentur. Verum Rex *Romanorum* supraquam oportuit id ægre tulit, atque statim bellum movit, *Cadubrium* cepit & diripuit, pariterque urbes finitimas aggressus est, & perrexit agros vastare & prædas agere. Contra *Veneti* necessitate compulsi sunt sociis auxilio esse, hostibus obviam ire. Denique ad *Cadubrium* prælium consertum est, & *Germani* omnes ad unum crudeliter cæsi sunt. Atque amplius *Livianus* cum legato, *Georgio Cornelio* ea victoria naviter utebatur, E & iccirco statim recepit deditione *Cadubrium*, Regisque *Romanorum* multa oppida, & denique *Goritiam* & *Tergestum* expugnavit. Parte alia belli vis major incumbebat, & *Venetorum Gallorum*que junctæ majores copiæ Regi *Maximiliano* venienti per *Tridentum* acriter obsistebant, ut tandem ille rerum difficultate moveretur de induciis agere. Et diu quidem per *Zachariam Contarenum* legatum *Venetum*, & *Gallum Carolum Zuphre*, cum Legatis Cæsaris ad *Ripam* oppidum actum est. Sed denique sine interventu legati Regis *Gallorum* inducias in triennium pacti sunt, F quia *Germani* alioquin nolebant comprehendere Ducem *Geldriæ*, quæ olim *Sicambria* dicebatur, & nos frequenter de industria usi sumus istis provinciarum, regionum, oppidorum, urbium, & locorum propriis nominibus, quibus nunc utimur, ut omnes facilius intelligerent, & *Veneti* non tenebantur de iis agere, quæ ultra montes haberentur. Inde tamen est quæsita ratio discordiæ, adeo *Galli Venetos* socios nuper indignabantur, & non amplius æqua ex æquo volebant, sicut illis solet accidere, qui mutua societate frequenter abusi sunt.

Illud vero inter Reges præcipue quærebatur, quomodo quisque civitates *Venetorum* reciperet, quæ aliquo pacto ad se spectare viderentur. Et quidem *Julius* Pontifex *Venetos* civitates habere *Ariminum* & *Faventiam* æquo animo ferre non poterat, & quia propriis viribus eas recuperare non posset, de conciliando Rege *Romanorum* & *Gallorum* cum *Helvetiis* agebat. Rex autem *Maximilianus* desperatione ductus declinabat ad *Gallos*, tum quia cum *Venetis* rem infeliciter gesserat, tum quia cum eis nulla ratio pacis haberetur. Regem vero *Hispaniæ* Regis *Romanorum* voluntati oportebat acquiescere propter metum Ducis *Burgundiæ*, qui alioquin iturus in *Hispaniam* videbatur. Igitur inter eos actum est, & ventum facile in *Venetos* ad fœdus *Cameracense*, & hæc hactenus de industria compendio complexi sumus, quæ alii diffuse scripsere, quia ista non intendimus, nisi quantum ad nostrum bellum istud *Cameracense* facere visa sunt. Et quoniam res postulat de *Venetis* dicere, dicemus ea breviter quæ ad propositum facere videntur.

SATIS CONSTAT *Venetiam* provinciam dictam fuisse ab *Henetis*, quæ gens *Paphlagonum* cum *Antenore* in *Italiam* venit, & quoniam *Gothico Hunnico*que tumultu inde passim in insulas migratum est, ubi sedem primariam posuere, quasi venientium tutissimum refugium merito *Venetias* appellarunt. Et primum a *Patavis* rivum altum inhabitari ceptum est, atque ex agro *Patavino* qui aufugerant in littoribus *Medoacum*, *Fossamclodiam*, & *Albiolam*, *Aquilejenses Gradum*, *Concordienses Caprulas*, *Altinates* sex propinquas insulas condidere. Et quidem illæ in dies frequentiores fiebant, quia boni mores colebantur, & sine libidine & avaritia cum maxima concordia & æquitate administrabatur respublica. Asciti in urbem novam præsertim navalis fabricæ & rei maritimæ periti, eam rem summa ope curabant, & vacabant maxime commerciis. Namque ista pars est *Italiæ* amœnissima & pulcherrima, sita ad mare affluum, irrigua fluminibus, lacubus, stagnis, saltibus, nemoribus, agrorum ubertate, frugumque omni genere copiosa, & convehendis mercibus valde accommoda. Igitur omnes pariter loci opportunitate utebantur. Alii quibus fortuna amplior erat, aut novis institutis civitatem formabant, aut peragrabant orbem mercimoniis. Alii quibus domi angusta res erat, peregrinas merces in mediterranea convectabant. Alii piscationibus & salinis. Alii alio modo victum quærebant. Delecti primum qui plus saperent annua imperia, & singuli in singulis insulis reipublicæ confidebant. Ii curæ similitudine appellabantur Tribuni, quia tribuerent unicuique quod suum est. Post ubi *Longobardico* tumultu tribunitia potestas in seditionem civilem se convertit, mutato more novum Ducem fecere, penes quem esset omnis decus & majestas imperii simul cum tribunis & aliis, qui rogabantur consultandi gratia accedere, quotiens de republica ageretur. Illi vero optimi quique legebantur, & scientissimi earum rerum de quibus pro tempore agendum erat, & quorum animus in consulendo liber esset, & nulli libidini obnoxius. Neque difficultas erat eligere, quando omnium ingens amor vigebat erga rempublicam. Accedebat maximum æquitatis studium, & religionis cultus præcipuus, atque honores probitati & virtutibus dabantur. Cæterum plerique corpus suum navalibus officiis exercebant, & in illis præcipue volebant excellere, atque ideo talibus viris nihil asperum aut arduum videbatur, quia nemo vitabat maris pericula, & sicut quisque maxime negociosus erat, sic quisque belli laboribus assueverat.

A Sed postquam his artibus res *Veneta* opibus & civibus accrescere videretur, ex finitimis multæ difficultates ortæ sunt. Namque primo *Istri*, *Liburni*, & *Dalmatæ* maritimis latrociniis tentare, deinde *Longobardi*, *Galli*, *Saraceni*, *Hunni* & *Gothi* terra marique majori bello lacessere. At *Veneti* intenti paratique hostibus obviam ire, libertatem, patriam, parentes tueri, præsertimque pyratas insectari, & *Saracenos* propellere, qui quotannis soliti erant totam *Italiam* diripere, unde *Venetis* sinus *Adriatici* merito acquisitum jus dicitur, quia virtute hostes Ecclesiæ frequenter propulerant. Deinde cum domi pacatæ res essent,
B illi etiam libenter portabant finitimis auxilia, & assidue conabantur eos placare, mollire animos, conciliare in amicitiam, odium & invidiam beneficiis vincere. Succisivis tamen etiam temporibus vario eventu pugnatum est cum *Græcis*, *Veronensibus*, *Patavinis*, *Ferrariensibus*, *Tergestinis*, *Aquilejensibus*, *Pisanis*, *Anconitanis*, *Bononiensibus*, & cum *Liguribus* maximis odiis annis centum & amplius bellum exercuimus, atque in eo bello *Ligustico* quia *Theodorus* nimis similis *Georgio* videbatur, in Deum tutelarem *Marcum* Euangelistam suffecimus. Insuper cum *Turcis* sæpenumero bella aspera gerebantur, & semper fui-
C mus antemurale Christianæ Ecclesiæ, ut nisi nimium digrederer a proposito, possem equidem de *Venetis* multa præclara facinora dicere, victas gentes, captas urbes, disjectas classes, Regna edomita, dum terra marique bello acriter ageretur. Namque forte etiam non injuria *Venetorum* res gestæ domi & militiæ satis amplæ & magnificæ videri possent, si *Venetiis* fuissent quantum collibuit extollendi præclara ingenia. Verum priscis *Venetis* potius curæ erat facere quam dicere, ingenium simul cum corpore exercere, domi frugalitatem, rempublicam, libertatem, amicitias, in primisque justitiam excolere, foris au-
D dacter arma capessere, pericula subire, malle mori quam ignominiam pati. Sed mortuo *Thoma Mocenico* meo atavo sub quo Duce res *Veneta* pace, opibus, probitate hominum, & bonitate artium floruerat, successit *Franciscus Foscarus* & bello *Philippico* impliciti sumus, posthabito mari & commerciis, unde virtus divitiæ & bona multa provenerant, atque amplius ceptum est diffidere cum Regibus, & de bello in bellum ibatur. Usque adeo animum adverterunt ad continentem & destituerunt mare opiferum, atque labefactati animi & capti continentis luxuria facile diverterunt a laboribus ad delitias. Itaque dum *Turcis* parum
E obviam iretur, illi potuerunt in magnum imperium crescere, totam *Thraciam* & *Græciam* subigere atque nostras urbes maritimas capere & diripere. Neque enim *Veneti* poterant contra *Turcas* sufficere, quando variis bellis in continenti tenerentur. Et illud maxime periculosum fuit, quod cum *Hercule* Duce *Ferrariæ* & tota *Italia* gestum est, atque illud magis invidiosum, quando civitates *Apuliæ* in pignus habuimus, urbesque *Ariminum* & *Faventiam* cepimus. Sed illud suspicione non caruit, quod voluimus in *Florentinos* pro *Pisanis* bellum assumere, atque ideo *Ludovicus Sfortia* *Gallos* primum in *Italiam* accer-
F sivit, & bella alia orta sunt, atque istud denique, cum Reges *Romanorum* & *Gallorum* dominandi Zelotypia ducerentur, & Patres rogati nunquam satis ostenderent, quarum partium futuri essent. Has reor irarum & belli futuri causas fuisse, aut potius sine causa Rex *Gallorum* volebat movere in *Venetos*, quia & antea simile fœdus pepigerat. Sed illud facile solutum est, cum *Galli* proceres non paterentur regnum *Britanniæ* Duci *Burgundiæ* cedere, atque istud identidem *Veneti* distur-

diſturbare primo quoque tempore nitebantur, & quia multum refert, quarum partium Pontifex eſſet, protinus illi in eam ſententiam literæ dabantur. *Non ab re factum ſumme Pontifex putamus ſi modo apud te de bello & pace in quæſtionem venit. Namque tu caput religionis Chriſtianæ juſta ab injuſtis merito debes ſecernere, atque videre, ne injuſte quiſquam agat. Et nunc maxime intereſt iſta regem contra nos inopina vincula diſſolvere, ſi Rex Gallorum hoſtis nobis noſtra culpa non eſt. Neque enim ſolum de nobis agitur, ſed etiam de tota Italia, quando Rex Gallorum præcipue cupit totam Italiam ſubigere. Nos vero contra facturi ſumus quantum in nobis eſt, ſed oportet ſicut intereſt veſtra omnium principum Italiæ, ſic viciſſim etiam veſtris auſpiciis agere, & non expectare aliquando calamitatem ad vos venturam, ſi neglexeritis, & putetis hæc ad vos ipſos non pertinere. Igitur quid noſtra & tua interſit tu in primis ſumme Pontifex videris. Namque iſta mala opus eſt tempeſtive cavere non minus velle quam poſſe. Poſſe vero facile eſt, ſi modo velis. Velle autem debes, quia bellum inimicum tollere, & pacem amicam dare, te decet præcipue, cujus proprium eſt ſemper pacis auctorem eſſe.* Pari modo cum Rege *Angliæ* per *Andream Baduarium* oratorem agebatur, ſi velit contra *Gallos* irrumpere. Cum Rege autem *Germaniæ* & *Hiſpaniæ* *Veneti* quantum dici poteſt omni officio uſi ſunt, ſi poſſent res omnes componere. Sed cum fruſtra fierent omnia ſimilia, illi denique converſi ad rempublicam ſedulo bellum parare, arma expedire, urbes munire, & nihil earum rerum relinquere, quæ bello futuro uſui fore viderentur, & præſertim intercidebant itinera, & ducebant aggerem ad ſaltus, unde in *Germaniam* itur. Poſtea commeatus, homines, equi, currus, & jumenta omnia cenſa ſunt, & delecti omnes pedites agricolæ e regionum ordinibus, qui ſemper ad bellum inſtruebantur, atque amplius in tanto rerum turbine exteræ nationes quæſitæ ſunt. Sed nemo venit ex ſuperiori *Germania*, neque ex *Pannonia Michael Frangipanes Joannes* comes *Corbaviæ* & *Bothandreas* præfectus *Liburniæ* cum mille quingentis levitibus. Neque venerunt ex *Roma* Duces *Urſini* & *Sabelli* cum trecentis quinquaginta militibus ut convenerant. Aliter e *Creta* magna venerunt *Zagdari*, ſagittarii agreſte ac ſemiferum genus hominum, & ex *Peloponneſo*, ac tota *Græcia Illyria*, *Liburnia*, *Dalmatia*, *Myſia*, *Macedonia*, equites levis armaturæ ſtratiotæ, pileati, haſtati, atque ex tota *Campania* & *Apulia* delecti pedites paſſim in caſtra *Veneta* confluebant, & denique omnes copiæ *Venetorum* tribus millibus militum, quatuor millibus levitum, & triginta millibus peditum cenſebantur. Non tamen fortaſſe ut par erat, in hoſtem ad flumen *Abduam* omnibus copiis ibatur, ſed partitæ omnes erant, ad *Faventiam* quingenti milites, totidem levites, & quinque millia peditum, ad *Veronam* totidem, ad *Forumjulii* quingenti haſtati equites, in *Iſtria* quoque ad mille peditum ordines adſcripti ſunt. Inſuper in lacu *Benaco Zacharias Lauretanus* præfectus claſſem non contemnendam habebat, ut ea comprimi poſſet, ſi repente aliqua vis ingruat ex *Germania*. Et quia ſimul cum Pontifice Dux *Ferrariæ* & Rex *Hiſpaniæ* hoſtis erat, & paſſim terra marique bellum enixe parabatur, *Apuliam* provinciam *Joannes Maurus* cum claſſe quadriremium ſortitus eſt. *Laurentius Sagredus* cum armatis cymbis littora *Flaminiæ* & *Sebaſtianus Maurus* cum *Padana* claſſe proxima flumina. Cæteræ omnes copiæ caſtrametatæ fuerant ad *Pontemvicum*. Cui ſumma in caſtris rerum demandabatur, primarium ducem agebat *Pitiliani* Comes *Nicolaus Urſinus* vir prudentia, & longa rerum bellicarum experientia celeberrimus. Pariter gubernatoria poteſtate fulgebat, *Bartholomeus Livianus* lingua & manu promptus, nec non multi peritiſſimi ductores erant, ſimul cum legatis *Georgio Cornelio* & *Andrea Gritto*. Poſtea de belli ratione frequenter agebatur, & quidem optimus quiſque diutinas moras incuſare, ſimul ac omnia parata ſunt, ut egregium quantum vis facinus feliciter aggredi poſſent. Igitur dicere pro militum honore & gloria, pro *Venetorum* re & amplitudine proficiſcendum eſſe verſus flumen *Abduam*, ubi conſultaretur quid agendum eſſet, ſtandumne, an ulterius eundum, prout tempus exiget, & oblata occaſio videretur, atque ea excipiens Imperator exercitus convocata concione ita locutus eſt. *Video libenter in vobis Milites virtutem Italiæ, & cum adeo ad bellum accincti ſitis, vobis in mentem venire exiſtimo, quomodo victorem exercitum Caroli Regis Gallorum ad Tarrum fluvium fudiſtis, fugaſtiſque. Illud quidem difficilius fuit, quia hoſtis erat integer viribus & exultans victoria. Nunc vero longe facilior vobis res eſt, cum eiſdem victis hoſtibus, qui nuper prætergreſſi juga Alpium inter ſaxa & rupes illiſi contuſique ſunt, atque fame, illuvie, & ſquallore, ipſi enecti, arma quaſſata & fracta, claudi equi & debiles, ut vos victores, cum victis, vos integri, cum debilitato pedite & equite pugnaturi ſitis. Macte virtute veſtrum quiſque eſto habiturus quicquid petit, atque eum animum gerat, qui victoribus adverſus victos eſſe ſolet. Quod ſi Dii fœderum arbitri ante hac Caroli Regis Gallorum cum Alexandro Pontifice violandum fœdus ulti ſunt, multo magis Ludovico Regi Gallorum debent eſſe irati, atque infeſti. Si quidem is fœdus cum Venetis rite ſancitum violavit, atque dolo malo hoſtis eſt, ea tantum de cauſa, & nimia dominandi cupidine, qua ſimiliter cæteris omnibus nationibus hoſtis eſt. Atque utinam vobis hoc tantum certamen eſſet pro aliena libertate, de qua quondam agebatur. Sed modo pro veſtra ſalute pro libertate Italiæ vobis pugnandum eſt, neque eſt alius a tergo exercitus niſi vos vincatis, qui poſſit hoſtibus reſiſtere, neque Alpes aliæ ſunt, quas dum hoſtis ſuperat, nova præſidia comparari poſſint. Igitur ut vultis ad flumen Abduam eundum eſt, atque acriter obſiſtendum, Milites, velut ſi ante Venetam urbem pugnemus. Unuſquiſque ſe non corpus ſuum, ſed conjugem ac parvos liberos armis putet protegere, nec domeſticas curas ſolum agitet, ſed identidem hoc animo reputet, Patres Venetos, qui ſemper nos alunt, noſtras manus, nunc intueri, qualis noſtra vis, virtuſque fuerit, talem deinde fortunam illius urbis, & Venetæ Reipublicæ fore.* Sic ille milites hortatus eſt, & deinde verſus amnem *Abduam* ibatur, atque utinam antequam Rex *Gallorum* & omnes copiæ veniſſent, *Venetæ* jam tum inſtructæ acies, in fines hoſtium acriter prorupiſſent, neque in tanta rerum bene gerendarum occaſione, tantum prohibuiſſet, vetus inſtitutum & ſtudium, non irritare, & potius propulſare, quam inferre injuriam. Aliter hoſtes enim ea occaſione uſi ſunt, non ignari quanti momenti ſit, ſemper hoſtem antevenire, & in alieno ſolo bellum gerere. Itaque primo quoque tempore apud amnem *Abduam* inter finitimos, nuper contumelioſis verbis agebatur, deinde miſſilibus telis & tormentis militiæ, denique paſſim vario eventu pugnabatur, & hæc belli prima præludia fuere. Poſtea vero majoribus copiis geſta res eſt. Namque *Mediolani* magnus magiſter *Carolus Damboſia*, cum centum quinquaginta militibus, ducentis levitibus, & tribus millibus peditum, amnem *Abduam* repente trajecit, & pulſis *Venetis* parabat oppidum *Trivilium* capere, quod cum oppidani vidiſſent, maluerunt oppi-

dum dare, & *Venetum* præsidium prodere. Itaque ductores ambo, *Vitellus* & *Vincentius Naldius* venerunt in potestatem hostium, simul cum comite *Brazio*, & *Justiniano Mauroceno* præfecto levitum. Deinde hostes facile digressi sunt, agros vastare, & prædas agere. Namque passim fuga ex agris in civitates fiebat, & amplius multi cum conjugibus & liberis impune in civitates hostium ibant, & vicina oppida, ut cum hoste prius convenerant deditionem facere festinabant. Aliter tamen apud oppidum *Caravagium*, contra hostes acriter stabatur, quia adversus oppidanos *Bernardinus Tajapetra* præfectus recepit subsidium, & cum hostes signo dato prope oppidum venissent, re infecta repulsi sunt. Interea etiam Marchio *Mantuæ Franciscus Gonzaga* cum *Boisensi* Domino, & trecentis militibus, quingentis levitibus, & mille peditibus, in fines *Venetorum* prorupit, & ingentem prædam egit versus oppidum *Casalemajus*, atque illud etiam statim cepit proditione civium simul cum *Aloysio* bono doctore præfecto illius oppidi. Ille tamen alioquin nunquam potuit *Asulam* oppidum capere, quia *Federicus Contarenus* præfectus, oppidani, & mercenarii milites ire obviam hostibus ausi sunt, & ille compulsus est, ad tuenda propria redire, simul ac *Bartholomeus Livianus* cum quadringentis militibus, trecentis levitibus, & quatuor millibus peditum, ad Pontem molarum venit, atque inde obviam vicissim stabatur, & frequenter agebatur levibus certaminibus. Parte alia Pontifex *Julius*, armis spiritalibus, & censuris Ecclesiæ, in *Venetos* etiam usus est, neque segnius armis temporariis agebatur. Namque Dux *Urbinas*, cum quadringentis militibus, totidem levitibus, & octo millibus peditum, *Venetorum* fines ingressus est, agros vastare, prædas agere, domos comburere, in pueros & mulieres sævire, atque festinare in oppidum *Vallis Lamoniæ*. Est oppidum *Brixegella*, ad montem situm, loco natura munito, præsidio stabant octingenti pedites, atque omnis exercitus *Venetorum* per mille passus proximum collem occuparat, ut semper subsidio esse posset. Sed hostes positis insidiis in propinquo nemore, pauci ad oppidum accedunt, & hostem ad leve certamen invitant, certatumque est diu marte ancipiti, donec venerunt subsidio ex castris *Venetis* ducenti equites levis armaturæ, deinde oppidani rati posse vincere, eruptione repente facta hostem invadunt, nescii multos in insidiis latere, & subsidio hostibus protinus fore, ut vero accrevisse illico hostium numerum vident, atque opprimi multitudine, vix obsistunt, & retrocedunt in oppidum, quos inde fusos fugatosque hostes insequuntur, & pariter per portam turris in oppidum vadunt. Igitur ea occasione vi captum oppidum est, & deinde ad castellum admota tormenta militiæ, & projectis in terram parietibus atrox certamen obortum est, quia *Veneti* milites fortiter in hostes agunt, cum *Andrea Basilio* prætore, & *Joanne Paulo Manfrono* Duce exercitus, & hostes repulsi sunt iterum atque iterum. Illi tamen denuo magis magisque obnixi conabantur in castellum vadere, & parabant illud vi capere, nisi oppidani festinassent deditionem facere, atque *Andreas Basilius*, cum *Joanne Paulo Manfrono* in hostium potestatem venit. Capto oppido omnis exercitus Pontificis ibat similiter *Rusium* oppidum oppugnare, jamque tormentis militiæ mœnia acriter quassabantur, & muri passim cadebant. Contra oppidani & septingenti pedites, hostibus obsistere, collapsa mœnia reparare, & munimenta adstruere, denique hostes per diruta mœnia parabant in castellum ire. Et ecce fusi pabulatores referunt,

A *Venetos* ex *Ravenna* subsidio oppidanis venire, quo fit ut eo hostium arma conversa sint, præmissi levites obviam manum conserere, neque *Veneti* certamen detrectant, certatumque est marte ancipiti, quousque equites gravis armaturæ venerunt hostibus subsidio. Namque inde a *Venetis* cessum est, & *Joannes Græcus* ex equi lapsu in hostium potestatem venit, unde oppidanis timor, & hostibus crevit audacia, atque illi sedulo lignamina, & oppugnandi oppidi, quæcunque essent utilia parabant. Oppidani vero quia nulla spes salutis supererat, deditionem fecerunt, atque ex compacto in fidem recepti sunt, & militibus
B concessum est, quo vellent impune discedere. Dum ista fiunt venerant *Ravennam* & *Ariminum*, *Hannibal* & *Hermes Bentivoli*, & conabantur accersire suæ factionis bis mille pedites, & quingentos equites, ut talibus auxiliis, si possint *Bononiam* subvertant. Verum paulopost supersederunt id facere, desperatione ducti, quia jam *Faventia* desciverat, & vastatis passim agris, urbs *Ravenna* acriter obsidebatur. Igitur Patres passim lacessiti injuria pro viribus obsistere, omnia tueri, custodire, curare, præcipueque versus flumen *Abduam*, atque illuc animum advertere, ubi summa rerum, & belli totius majus onus videba-
C tur incumbere, frequenter e senatu consulto Duces ambos, atque ambos legatos in castris obtestari commonefacere, in tanto rerum discrimine, nihil esse aggrediendum temere, sed in rebus cunctis agendum esse, quam oculatissime, & quam tutissime, ne aliquod detrimentum respublica pateretur. Itaque eo studio sub signis, & sub ordinibus militiæ, instructæ acies *Venetorum*, versus flumen *Abduam* ibant, & cum primum prope amnem venissent, oppida omnia, quæ prius ad hostes desciverant, deditione redierunt in fidem pristinam, atque hostes ultra flumen *Abduam*, facile fusi fugatique sunt, & deinde ad
D *Ripaltam* oppidum stabatur, tantisper dum iterum in mentem venit in oppidum *Trivilium* ducere. Igitur quia multum refert, in quorum potestatem *Ripaltæ* locus esset, inde repulerunt omnes oppidanos, ab annis quindecim ad septuaginta, si quidem de illis suspicabantur, & jussi sunt trecenti pedites, & quinquaginta equites subsidio stare, itumque est versus oppidum *Trivilium*, levigatis prius itineribus, & rebus cunctis ex sententia probe compositis, sub signis & sub ordinibus militiæ, ac si protinus cum hoste confligendum esset. Totus exercitus quadruplici acie constabat, quarum qualibet continebantur,
E levis armaturæ quingenti equites, & totidem equites gravis armaturæ, ac peditum supra quinque millia. In prima acie & in ipso sincipite *Pitiliani* comes erat, subsequebantur multæ fusiles machinæ plurium formarum & nominum, simulque ordines custodibant, duæ itidem magnæ acies intermediæ, denique in extrema acie, & in ipso occipite, *Livianus* substes erat, qui illico præstes factus est, simul ac prope oppidum venit, quod situm est, loco paulo eminentiori, haud longe distans a flumine *Abdua*, & amplius probe munitum erat, armis virisque, sexaginta *Gallis* militibus, & mille quingentis peditibus.
F Igitur oppidani simul cum adventitio milite, intrepide præ mœnibus stare, factosque *Venetos* in conspectu propius ferire tormentis militiæ, telis missilibus summovere, & nihil tutum munimentis pati, deinde delecta juventus, ubi plurimum periculi, & laboris ostendebatur, ibi vi majore obsistere, faciliusque id agere, e turri prælta, quæ oppido, & subjectis oppido campis, longe prospiciens imminebat. At *Livianus* ut consulto cæteros antevenit, versus *Cassianum* locum

dele-

delegit affigendis machinis contra turrim, & partem muri, quæ debilior videbatur. Et primo quidem tormentis militiæ acriter gesta res est, denique oppositæ fores, & repagula omnia dirupta sunt, & turris quassata, ac muri pars ingens cum ingenti fragore prociderat. Acrius inde obortum prælium est, & jam junctæ acies, quasi patenti campo, inter ruinas concurrunt. Horum animos spes potiundæ victoriæ accendit. Illorum suarum rerum desperatio irritat. Diu anceps certamen stetit, demum *Veneti* multitudine vincebant, & sublato repente ingenti clamore, hostem in ruinas muri expellunt, indeque impeditum, & trepidantem, loco deturbant, fusum fugatumque intra mœnia redigunt, atque inter primos *Dionysius Naldius*, cum peditatu lamonio, primum hostium oppidi ingressus est, ut exercitui *Veneto*, aperti aditus paterent, & videri facile posset, spem omnem oppidanorum sitam esse, in auxiliaribus copiis suorum, quos ad ferendas suppetias frequentibus lampadibus accersebant. Neque mora fuit in *Gallis* sociis, quia illi statim venerunt subsidio, neque nostri recusarunt factam copiam pugnandi, immo tantis animis & viribus obviam itum est, ut non absque aliquantula strage eorum, hostes ultra flumen *Abduam* in fugam conversi sint. Igitur ut prius contra *Trivilium* oppidum stabatur, & acriter agebatur tormentis militiæ, quia jam nox incubuerat. Quod cum viderent Ductores hostium, rati non expectandum amplius, nocte intempesta ultro venerunt ad colloquium & denique conventum est, duces *Gallorum* captivos esse cæteros milites inermes abire, atque prædæ oppidum fore, *Dionysio* & peditibus lamoniis, quorum virtus in eo bello maxime emicuit. Hinc sine ordine, sine imperio, pariter omnes milites, ad prædam discurrere, diripere, amplius sub signis, & sub ordinibus neque stare neque jussi redire, quinimmo multi onusti præda domum abierunt, ita e *Cremona*, *Crema*, *Brixia*, & *Verona*, oportuit supplementum exercitui mittere, ut ejusmodi *Triviliana* victoria, plus mali quam boni attulisse videretur. Siquidem dum peragitur fœdum, exilium, senum, & juvenum, mulierum, & puerorum omnium, qui loco cedere cogebantur, & miserabile spectaculum urbis, quæ solo æquata est, inter milites multæ discordiæ ortæ sunt, & amplius ut opus erat, non iverunt obviam hostibus, dum illi ponte, & angusto calle flumen *Abduam* impune trajicerent. Namque nactus eam occasionem Rex *Gallorum*, quam tutissime cum innumeris tormentis militiæ, totum exercitum traduxit, plusquam centum millium hominum, præter enim exercitum Marchionis *Mantuæ*, & copias *Mediolanensium* in castris erant, cum Rege comprehensis ducentis nobilibus, mille octingenti milites, & enumeratis tribus millibus *Helvetiorum*, quindecim millia peditum. Igitur tantæ copiæ *Gallorum* trans fluvium in conspectu hostium locum castris elegerunt, munieruntque vallo & fossa faberrime, postremo *Galli* nihil intentatum reliquere, quod exercitui conservando expediens foret, vigilias & excubias pro castris ponere, undique exploratores mittere, modo levia concire certamina, & vario eventu, in ea statione comitiaria duorum exercituum, frequenter pugnare, modo aquas omnibus locis adimere, ut tuto loco *Venetos* deturbent, modo occultis itineribus, per silvas & nemora, alonge castra hostium circuire, modo insidias locare, atque omnibus modis tentare, si possent aliquo pacto *Venetos* hostes decipere. Sed cum parum prodesse vis occulta videretur, palam agendum rati, cum parte copiarum, in patentes campos

A venerunt, & fecerunt *Venetis* copiam pugnandi diei hora vigesimasecunda, qua milites forte cœnabant. Acriter tamen ad arma conclamatum est, atque itum statim sub ordinibus militiæ eodem successu, quo antea levioribus præliis semper superiores extiterant. Namque & nuper identidem hostes usque ad tentoria fusi fugatique sunt. Deinde *Galli* aliud stratagema fecerunt, & castra moverunt ad *Ripaltam* oppidum, quod parvo discrimine vi ceperunt, æquaruntque solo, & inibi castrametati sunt, atque ad *Venetos* ire jubent tubicinem, & referre, quemadmodum *Galli* ad pugnam parati sunt, ad quam *Livianus*,
B Regem antea poposcerat. Interea vero *Venetorum* pariter omnis exercitus, ut suis auxilio esse posset, *Cassiram* oppidum situm inter *Ripaltam* & Caravagium aliquanto serius venit quam volebat, ut duces & legati satius e republica standum putarent, loco satis munito non pugnaturi, nisi necessitate compellerentur. Sed obiter hostibus acriter respondendum rati sunt, & reverti ad suos tubicinem jubent, atque referre identidem *Livianum* ac omnem exercitum valde animatum esse ad prælia, & numquam detrectaturum pugnare adversus servitutem *Gallorum*, pro libertate *Italiæ*. Sed hostium verbis facta non respondere,
C siquidem potius quærunt latebras, & interstitia, post flumina, post sentes, & nemora. Si tantopere cupiunt decernere quandocumque collibeat, æquo & aperto marte prodeant atque habeant pro comperto, nullam moram in hostes *Venetos* fore. Itaque uterque exercitus verbis colluctabatur, & toto illo die tertio Idus Maji, intra castra vallata consistebat, semper habitis vigiliis pro castris, atque statis in locis præmissis semper exploratoribus. *Galli* vero non nescii quantum intersit bellum administrare explorato & excusso consilio, quia alioquin turpiter dicitur: non putaram, diem
D illam, & totam noctem, semper armati insomnem protraxere, plurima egerunt, quæcunque usui forent, præsertim per transfugas & exploratores, consilia omnia *Venetorum* exacte scrutati sunt, & probe intellexerunt, quacunque ipsi pergant, *Venetos* secuturos esse, & nihil minus expectare quam prælium, quippe qui certo putent *Gallos* amplius non ausuros ultro *Venetos* hostes invadere. Igitur Rex *Gallorum* exploratis omnibus consiliis & itineribus hostium, supra omnia ex opportunitate loci, quo manus conserendæ erant, in spem potiundæ victoriæ ductus est. Verum eam confidentiam hostium, maxime au-
E gendam ratus, præcisas multas arbores per itinera transversas apponi fecit. Postea jussis militibus ne quisquam ordine egrederetur, atque cunctis compositis ex sententia, sub signis & sub ordinibus militiæ, omnibus copiis, versus *Pandinum* oppidum, exercitum *Venetorum* antemovit. Erant duo, quæ ducebant *Pandinum* jam antea levigata itinera, superius alterum, alterum inferius, alterum parum distans ab altero, in eo medio stabant conserti vepres, & complicata arbusta, locus repertus de industria, quia ille exercendis levitibus, quibus *Veneti* pollebant, nimis angustus est. Itaque *Galli* paratissimi, quasi semper pu-
F gnaturi essent, in hostes directis aciebus & tormentis militiæ, juxta flumen *Abduam* iter inferius tenebant. Tum Rex ipse modo in primo agmine, modo in extremo, sæpe in agminibus mediis, hortator esse, & identidem omnes monere, obtestari, ut memores suæ pristinæ virtutis essent, & se nomenque *Gallorum* a *Venetis* hostibus defendant, dicere cum iis certamen fore, qui nihil tale veriti sunt, apud se quæcumque bonum Imperatorem decet omnia provisa esse, ut prudentes, cum imperitis, plures, cum

pau-

paucioribus, meliores bello, cum rudibus, manum consererent. Proinde parati intentique essent, signo dato hostes *Venetos* invadere, illum diem certissime, nomen *Gallorum* celeberrimum confirmaturum, atque bonarum & maximarum rerum initium fore. Ad hæc viritim uti quemque ob militare aliquod facinus egregium, pecunia aut honore extulerat, commonefacere sui beneficii, & ipsum aliis ostendere, postremo cujusque ingenio pollicendo, minando, obtestando, alio, & alio modo, alium, & alium summopere excitare. *Livianus* autem cui prævidendi & imperandi, cura demandata fuerat, consiliorum *Gallorum* hostium penitus ignarus erat, scilicet ut Ducis hostium consilia occulta essent, ipsi in castris veteri instituto, signum Minotauri gerebant. Namque ac si hostes fusi fugatique essent, & non deindustria vincendi occasionem quæsitum irent, *Livianus* præter locum antecapere, nihil amplius curabat, nihil prorsus imperabat, quasi non adhuc imperandi tempus esset, ut plerique milites sine galea, omnes sine imperio essent, atque ita temere e regione hostibus, superiori itinere ibatur. Jam vero *Livianus* cum levis armaturæ omni equitatu & inofficiosis tormentis militiæ, primam aciem hostium antevenerat, cum signo repente dato, cœptum est audiri voces *Gallorum* insultantium, & ubique a lateribus propulsantes machinæ, alii prætergressum primum *Venetorum* agmen invadere, alii medias acies acriter cædere, alii extremum agmen tentare, ubique infesti esse, atque instare omnibus locis, *Venetorum* ordines conturbare. Et quidem primo quoque tempore ordinum collectitiæ copiæ in fugam conversæ sunt, & deinde *Veneti* multi milites, quid agendum nescii, tormentis militiæ peribant, multi impetente milite sauciabantur, neque ipsi contra feriendi bellicis tormentis, aut conserendi manus, ullam rationem habebant, nulla signa, nullos ordines observare, forte resistere, forte omnia facere, nihil consilio, nihil imperio agere. Facies tamen totius negotii dubia adhuc erat, dum *Livianus* milites in unum conducit, ordines quantum potest restituit, cohortes peditum, adversus pedites hostium collocat, & ipse cum delectis militibus prælium revocat, cuncta circuit, omnia pertentat, hostibus instat, suis auxilio adest, simul orando, & hortando milites, ne diffiderent, neu paterentur hostes vincere. Igitur *Veneti* milites optimi quique equites & pedites, tantam impressionem in hostes fecerunt, ut eorum acies inclinaret, facileque appareret, *Venetos* potuisse vincere, nisi ductores alii res novas etiam moliti sint, & alii cum majori parte exercitus, ne auderent quidem hostem conspicere. Rex autem *Gallorum* cum delectis equitibus & peditibus *Helvetiis* suis illico subsidio venit, & restitutum prælium est, quod cum diu etiam anceps stetisset, denique *Veneti* cæsi fusique sunt, atque omnia impedimenta & tormenta militiæ venerunt in potestatem hostium. *Livianus* quoque captus est, qui antea cum suo equitatu, vim acriter sustinuerat, necnon cum suis veteranis peditibus interfectus occubuit, vir egregius *Petrus Montanus*, cujus potissimum opera, non incruenta victoria hostibus relicta est. Nempe quam *Venetorum* plures hostium equites gravis armaturæ desiderati sunt. Sed apud *Venetos* longe major jactura peditum fuit, tanta vero equitum & peditum fuga, ut nemo præ timore sibi satis constaret, aut usquam videretur posse consistere. Ad Caravagium tamen aliquantum milites respirarunt, & vix tandem imperatoris opera, & legatorum diligentia, omnes exercitus reliquiæ, ac ingentes copiæ e-

A quitum & peditum collectæ sunt, & versus *Brixiam* perrexerunt, ubi militibus stipendium daretur, & consultaretur, quid agendum esset. Sed ubi ea quæ in castris gesta fuerant, *Venetiis* comperta sunt, ingens dolor & metus civitatem invasit, pars re infeliciter gesta dolere, pars insolita rerum bellicarum suæ libertati timere, omnes infensi militibus esse, *Livianum*que incusare, quod *Æmilium* potius quam *Varronem* imitatus, de republica desperasset, & capi maluisset, cum posset subterfugere, quam *Venetis* auxilio superesse. Patres autem turbati animis tot motibus uno tempore trepidabant magis quam consulerent. B Et primo quidem pro salute publica, supplicationes indictæ sunt, & suscepta vota privatim & publice, denique omnibus modis, pecuniæ congerebantur, ad comparanda ea omnia, quæcumque bello, & imminenti periculo, usui fore viderentur. Classis aucta est ad numerum quinquaginta triremium, & *Angelo Trivisano* datum classis imperium, ut contra classem *Gallorum* staretur, quæ *Genuæ* parari dicebatur. Classis quoque præfecto *Hieronymo Contareno* datum negocium est, annonam abunde curare, & permissum amplius, omnia extera navigia, ac si *Venetæ* naves essent, portare annonam *Venetias*. C Et quia in dies magis magisque milites libenter abibant, primo quoque tempore e senatu consulto cautum est, exercitum augere, ad duo millia militum, & decem millia peditum, atque ex *Mysia* adscribere, quatuor millia levitum, simulque duobus legatis, *Petro Duodo*, & *Christophoro Mauro* cura injuncta est, congregandi dispersos milites, atque confirmandi popularium & civium animos in fidem pristinam, hortando, obtestando, pollicendo, se semper eis auxilio fore. Cæterum cum domi parum vires suppetere viderentur, patres iterum atque iterum *Julium* Pontificem, & Reges, *Germaniæ*, *Angliæ*, & *Hispaniæ* D hortabantur, Regis *Gallorum* elati victoria, regnandi cupidinem immodicam tempestive comprimere. Aliter sero re *Veneta* collabante, quid de se futurum esset, ipsi viderint, quando nemini dubium esse debeat, insatiabilem animum regis ambitiosi fore, nunc Regi *Angliæ*, nunc Regi *Hispaniæ*, vicissim bellum inferre, atque sedi Apostolicæ, & coronæ imperatoriæ insidias parare. Igitur in primis precabantur *Julium* Pontificem tanta arma temporaria, & spiritalia deponere, seque optatæ pacis decentissime auctorem præstare, atque sibi magis magisque *Venetos* obnoxios reddere. E Sed omnia frustra fiebant, sicut etiam frustra Patres usi sunt opera *Michaëlis Pontani*, ut *Prosperus Columna* vir belli scientissimus, locumtenens in castris haberetur. Siquidem putabant, sub novis iis auspiciis, de summa rerum posse melius sperare. Namque alioquin bello confracti milites, atque propemodum amentes erant, & sicut ægre congregabantur, sic ægre in castris pretio aut precibus retinebantur. Ea enim sunt quæ secum afferunt mala res adversæ, ut quem amicum fidissimum, in rebus prosperis expertus fueris, eum in adversis, a te alienum reperias, si ejus opera uti velis. Itaque *Venetorum* F labefactatus omnis exercitus, nihil amplius audere, nihil amplius sperare, quatenus omnis omnium in fuga sita spes erat. Pluries legati & Imperator exercitus, modo precibus, modo minis, modo verbis asperis, modo lenibus conati sunt, milites sub signis, & sub ordinibus militiæ revocare, & nunquam potuerunt id facere. Pars adscribi iterum recusare. Pars præ magna trepidatione, nihil magis quam commeatum velle. Pars acceptis etiam pecuniis, domum abire, omnes sine ordine, sine imperio esse,

omnes

omnes duplum ſtipendium exigere, neque poſtea juſſa faceſcere, aut ordines ſervare, aut urbes cuſtodire, aut conſilia & itinera hoſtium explorare, quinimmo quique milites in patriam repedare, pro ut ab hoſte paulatim recedebatur. At legati imperterriti, & Imperator exercitus, quid facto opus eſſet, frequenter conſulere, deinde mature facere, nihil prætermittere, quod uſui foret, exercitum reſumere, milites beneficiis demereri, equos, arma, refectiones, pecunias, abunde tradere, illudque præſertim precari, ut memores beneficiorum eſſent, atque in tanto rerum diſcrimine, rempublicam ſuſciperent, quæ de ipſis ſemper fuiſſet benemerita. Nihil eſſe quod timeant, aut deſperent, ſi modo vires & animos priores ſumant, quibus auſi fuerant hoſtem antea, levioribus certaminibus propellere. Et quoniam *Brixiæ* etiam titubatum eſſet, alter legatus *Andreas Grittus*, urbem ingreſſus eſt, & convocatis omnibus iſtam orationem habuit. *Si unquam Brixienſes Socii fidiſſimi reipublicæ noſtræ veſtra fides uſui fuit, nunc maxime ea futura eſt, quam certo ſcimus conſtantiſſimam fore. Namque ejus rei indubia teſtimonia patrum veſtrorum habemus, qui bello Philippico, potius quam deficere, maluerunt pati omnia difficilia. Et amplius Petrus Avogarius, clanculum per vallem Sabiam Venetias venit, & quia Veneti non poterant per menſem, ut petebatur, ſuppetere, & malebant Brixienſes deditionem facere, quam ea pati, quæ victi, urbe vi capta pati ſolent, ipſe nunquam paſſus eſt, & per alium menſem commeatum in urbem tulit, ſervavitque donec noſter exercitus ſubſidio venit. Sed vos iſtæ difficultates non premunt, atque amplius munitiorem urbem habetis, & majora præſidia, ut niſi videamini ad deditionem ſpectare, hoſtis civitatem non obſideat. Quod ſi etiam obſideat, nequaquam ea re gravari vos decet, neque id bellum pro nobis iniquo animo ferre. Veniat quæſo in mentem veſtram modo ut bello Philippico, trepidos quondam majores, veſtros exceptos in fidem defenderimus annis triginta & amplius, quibus propter vos, adverſus Philippum ducem, vario eventu bellum diutinum geſtum eſt. Adjicite ad hæc, quod æquas conditiones tulimus, quod noſtras leges, quod ad extremum, id quod ante Abduenſem certe cladem maximum fuit, civitatem noſtram vobis dedimus, atque res omnes noſtras, ac ſi veſtræ eſſent, ſemper vobiſcum libenter communicavimus. Itaque & vos communem hanc cladem, quæ modo accepta eſt, credere Brixienſes oportet, & communem, patriam tuendam eſſe, atque eo plus quam parentes veſtri fecerunt, quod non cum duce Mediolani Philippo res eſt, ut cum a nobis ablatum ſit, in Italia tamen imperium maneat. Gallus hoſtis eſt, gente barbarus, natura immitis, moribus efferus, libidine incontinentiſſimus, ut deteſtabile ſit, cuilibet modo in Italia genito, eos dominos habere, e Gallia ac ultra inacceſſa Alpium juga, jura petere, & Italiam Gallorum pati provinciam eſſe. Vobis modo non minus quam patribus veſtris olim, pulchrum profecto Brixienſes erit, prolapſum modo quantacunque clade Venetum imperium, veſtra fide, veſtris & noſtris viribus, atque opibus, retentum ac recuperatum eſſe. Igitur quæſo facite, ne ſpes nos fallat, quam in vobis habemus, reparandæ reipublicæ. Namque domi & foris ſunt, quanta vultis auxilia, ut ſi illam quam præ nos ferimus, fidem indubiam, patrum veſtrorum habetis, neque Gallus ſe viciſſe ſentiet, neque Veneti ſe victos eſſe exiſtimabunt.* Sed ea fruſtra dicebantur, quia jamdudum *Brixienſes*, auctore *Joanne Franciſco Gambara*, ad deditionem ſpectabant, & propterea in urbem, non niſi *Brixienſes* equites, ſubſidio recepti ſunt, atque inde cum toto exercitu, verſus *Piſcheriam* oppidum, magnis itineribus ibatur. Interea Rex *Gallorum* exultans victoria, nunc hunc, nunc illum, manu prenſare, quemque laudare, quemque donare, more militiæ, dicere, non amplius bellum illis gerendum, ſed prædam agendam eſſe, omnia oppida, & urbes *Venetorum*, ad defectionem ſpectare, ſe compertum habere per transfugas, & exploratores *Venetorum* omnem exercitum converſum eſſe in fugam trepidiſſimam, pleroſque milites, accepto commeatu abire, multos invitis ducibus aufugere, ut apparens ſit, non verus exercitus, iners, imbellis, indocilis, inobediens, vecors, & plenus formidine. Itaque exploratis omnibus, & cunctis compoſitis ex ſententia, caſtra movit, atque agmine quadrato, verſus *Brixiam* perrexit, rerum omnium ſucceſſu feliciſſimo. Namque ex agris cultores paſſim, ex cunctis oppidis cives obviam procedere, præſidium & præfectos *Gallos* accipere, præſidium *Venetorum* prodere, præfectos *Venetos* in captivitatem ducere, frumentum dare, commeatum portare, aliaque affatim quæcunque uſui forent præſtare, & poſtremo omnia, quæ imperabantur facere. Ita paucis conſultọ prætereo tam multa oppida, quia illa adeo leviter in poteſtatem hoſtium facta ſunt, ut nulla paſſa ſint, hoſtes conſpicere, ſicut etiam ad ſonum tubæ defecit magna *Brixia*, *Cremona*, *Crema*, & prima urbs *Bergomum*, in monte ſita, & bene munita, omnibus utilibus. Rex ergo cum urbes omnes obtinuiſſet, quæ ſibi ex partitione contigerant, præſidia valida, *Cremonæ*, *Cremæ*, & *Bergomi* diſtribuit, atque *Brixiæ* magnificum triumphum egit. Dum ea apud hoſtes aguntur, *Veneti Piſcheriam* oppidum profecti ſunt, & cum id loci exercitui non ſatis tutum fore videretur, ſi repente *Gallorum* aliqua vis ingruat, neque *Veronenſes* exercitum urbem, aut urbis *Civitatulam* ingredi paterentur, diu cum illis agebatur, & quia illi oratione flecti non poterant, denique in *Campo Martio*, juxta *Veronam* caſtra *Veneta* ſita ſunt. Hoſtes autem *Galli Piſcheriam* oppugnabant, & concutiebant mœnia, tormentis militiæ. Contra oppidani & milites, acriter obſiſtere, *Antonius Bonus*, & *Andreas Ripanus* omnia, quæ uſui forent imperare & facere, ſed parum potuerunt proficere, quia demum hoſtes obnixi, cuneo facto, per diruta mœnia vadentes, oppido potiti ſunt, & de *Venetorum* militibus, magna edita cædes eſt. Namque *Antonius Bonus* præfectus, cum *Andrea Ripano*, & *Vico Peruſino* duce peditum, in hoſtium poteſtatem venit, & cæteri omnes, quadringenti quinquaginta pedites, ad unum crudeliter cæſi ſunt. Deinde *Galli* trajecturi amnem *Mintium*, totius exercitus *Venetorum*, ultimam internecionem minabantur, necnon *Archenſes* Domini collecta multitudine tumultuaria agreſtium, nunc vi iſtud oppidum, nunc illud deditione capere conabantur, & quod pejus erat, in primiſque compulerat, urbes & oppida *Venetorum*, res novas moliri, rumor in dies magis magiſque cepit increbreſcere, Regem *Romanorum*, cum octo millibus equitum, & duodecim millibus peditum, *Tridentum* venire, ſimulque ſexdecim millia hominum, verſus *Forumjulii* feſtinare. Parte quoque alia Dux *Ferrariæ* ultro auſus eſt, *Venetis* terra marique bellum inferre, vaſtare agros, aggredi oppida, cymbis obſidere *Padi* oſtia, ac toto deprædari pelago. Verum ſupra omnia illud maxime *Venetos* angebat, quod Pontifex illis interdixerat, cenſuris Eccleſiæ, niſi termino conſtituto, omnia redderent, quæ quoquomodo, ad ſedem Pontificiam, ſpectare viderentur, & amplius Rex *Hiſpaniæ* poſcebat oppigneratas civitates *Apuliæ*, & paſſim alioquin contra *Venetos* bellum enixe pa-

rabatur. Igitur Patres, potius quam consilio, trepidatione ducti sunt, adversæ fortunæ cedere & omnia, ut cumque petita, omnibus ultro tradere, sicut & *Julio* Pontifici, *Ariminum*, *Faventia*, *Ravenna*, & *Cervia*, civitates traditæ sunt, Duci *Ferrariæ* tota *Rhodigii* peninsula, & Regi *Hispaniæ* civitates *Apuliæ*. Sed Regi *Romanorum* tradita est urbs *Verona*, *Vincentia*, & *Patavium*, ne *Galli* hostes ulterius progrederentur, & amplius quantum Rex ipse *Maximilianus* volebat, tantum dabatur, assidue precando, & obtestando, dum res *Venetæ*, adeo periclitantur, quibus semper usus esset, valde familiariter, & semper uti posset, ac si suæ res essent, ut rem suam probe prospiciat, an suarum rerum hostis potius, an amicus accederet. Cæterum prorsus omnia frustra fiebant, adeo nemo contentus erat eorum, quæ sponte vocatis etiam præsidibus tradebantur. Namque Pontifex noluit, ut convenerat, e civitatibus præsides *Venetos* abire, & asportare tormenta militiæ, & Dux *Ferrariæ* ultra *Rhodigianam Pollesinum*, in *Venetos* movit, & disjecit classem eorum tormentis militiæ, quam *Sebastianus Maurus* per amnem *Athesim* ductabat. Rex autem *Hispaniæ*, terra marique, armis etiam usus est, & aliquas urbes vi cepit, quia noluit expectare ultro recipere. Pari modo Rex *Romanorum* non contentus habere *Veronam*, *Vincentiam*, & *Patavium* novum bellum incepit gerere in *Istria*, & *Forojulii*. Namque primo quoque tempore *Christophorus Frangipanes*, cum quingentis equitibus, & totidem peditibus, in *Istriam* venit, & vi cepit oppidum *Duinium* & *Pisinium*, quia uti viribus malebat, agros vastare, prædas agere, fædare, diripere, & victis nihil reliqui facere. Ille tamen nuper non potuit *Raspruchium* capere, quia *Venetorum* viginti septem equites, & quinquaginta pedites, cum prætore *Francisco Delphino* acriter hostibus obviam ibant, & locus ipse clivosus est, & amplius cum subsidium *Venetis* venisset, contra hostes vicissim stabatur, & sæpe agebatur, levibus certaminibus. Nihilominus Dux *Brunsuigensis* cum duobus millibus hominum, prorupit in *Forumjulii*, & Civitate *Bellumni*, *Feltro*que oppido potitus est. Sed alioquin non potuit, *Sclusam* castellum capere, quia *Venetum* præsidium venit, & identidem ea parte, contra hostes acriter stabatur, donec belli *Germanorum* istis præludiis ageretur. Posteaquam vero Rex *Romanorum*, cum magno exercitu, in *Italiam* venit, passim deditio fiebat, & nemo poterat obviam ire. Namque *Germani* magna sævitia utebantur, agros vastare, prædas agere, nulli sexui parcere, & cuncta igni ferroque subvertere. Itaque consternati Patrum animi, voluerunt aliquando de pace etiam cum *Gallis* agere, si modo loqui apud quemquam facultas esset. Namque sua interesse putabant quoquomodo confractis rebus tantos impetus comprimere, atque omnibus modis pacem amplecti velle, cujus semper studiosissimi sunt, neque unquam bellum aliquod suscipiunt, nisi tuendi se gratia, & necessitate compulsi sint. Neque enim *Veneti* bello assueti sunt, neque oppidani, aut cives socii, sed longa pace opulenti, quamvis fidissimi sint, nullam agrorum vastationem, nullam obsidionem pati possunt. Neque profecto *Venetos* latet ingenia suorum militum, qui conductitii sunt, & bonam operam enavant, si modo res prosperæ cedunt. Sin autem illæ adversæ sint, nihil petulantius, nihil cernas confusius, sicut & modo manifeste patuit, quando paulatim cessum est, & perventum, usque *Mestrum* oppidum. Imperator exercitus præter fugam, nihil amplius curare, non ordines distribuere, non excubias locare,

A denique quicquid facto opus esset, an standum, an eundum, nihil imperare, non animadvertere in milites, quicunque furentur, ordines relinquant, aufugiant, agant impune, quodcumque collibeat. Igitur omnis exercitus, sine duce, sine ordine, sine imperio esse, multi quotidie e castris aufugere, omnia facinora quantum vis gravia impune perpetrare, omnia militaria opera recusare, non signa sequi, non ordines observare, non ea quæ imperabantur facere. Accedebat quod dolo malo disseminatum est, & vulgo dicebatur, ob id stipendia non dari militibus, quia Patres ita potius vellent, omnem exer- B citum dissolvere, & cum de ea re, præsertim ductores conquererentur, & frequenter legatos rogarent, ut si ea mens esset reipublicæ, se certiores faciant, sinantque rebus suis tempestive posse consulere. Ea re legati valde commoti sunt, & censuerunt e republica fore ad sedandum tumultum, *Andream Grittum*, ita omnem exercitum alloqui. *Illud facile quisque suadere solet Ductores & Milites, quod sibi & illis apparet utile apud quos loquitur. Et quid utilius mihi & vobis potest accidere? quam vos ad reparandam rempublicam servare, qui omnia ejus adversa pertulistis, sicut veros amicos decet, ne eam jam nullam esse patere-* C *mini. Neque enim suspicione caret, si quis prosperum vitæ cursum comitetur, sed qui sinceræ fidei in adversis rebus cognoscitur, quicquid præstat a constanti benevolentia proficiscitur. Vos tales estis Ductores & Milites & nostram rempublicam labantem tenuistis, ut bene ingrati simus, nisi erga vos gratissimi simus atque vos omnes, & vestra omnia, summa ope, semper servemus. Nempe exercitus iste cor nostrum est, vos milites estis nostra viscera, quod si cor & viscera pereant, quid auxilii superesse potest, atque iccirco nostra potissimum interest, exercitui supra omnia studere, confirmando, augendo, tutando. Ecquid apud vos in incerto res est? siquidem ampla* D *testimonia esse possunt, assidua nostra studia, adscribendi milites, supplementum exercitui. Quod si aliquis etiam dubitet, ex nostro testimonio, pro comperto habeat, certissimam mentem reipublicæ esse, neminem vestrum discedere, atque ita cupimus persistendi, ut eadem mens vestra sit. Neque enim patres nostri multitudine rerum opprimi, aut varietate negotiorum confundi, aut agendorum magnitudine superari patiuntur, quæ multa hujusmodi in adversis solent accidere, & nunc maxime Patres soliciti sunt fortiter & prudenter bellum administrare, urbes, exercitus servare, atque res tantas & varias mente gerere, ratione disponere, diligentia obire, &* E *gubernare sapientia. Et vos identidem Milites capescite modo rempublicam, vos confractis rebus subvenite, vos pariter totius Italiæ de qua agitur, libertatem defendite, & quanto difficilius est, tanto audentius enitimini, etenim ea vera gloria militum, & virtus est, si rebus adversis illi fortes & animosi sint. In vobis speramus Milites, in vestra manu situm est, rem Venetam collabantem reparare persistendo & expectando, tantisper dum fortuna biceps respectet. Igitur durate quæso, atque tuemini libenter res nostras ac si vestræ res essent. Vestræ profecto res sunt, quando semper nostra stipendia, vobis suppetunt, atque in dies magis magisque itidem fiet,* F *si modo ut certo credimus nostris opibus, vestra fide, virtuteque rem Venetam simul & libertatem Italiæ a servitute Gallorum, cum ingenti vestra gloria conservetis.* His dictis milites placati animis jussi iterum dare nomina, percensi singulatim & quique optimi delecti sunt, pro ut tempus exigere videbatur, ut omnes essent sexcenti milites, mille quadringenti levites, & sena millia peditum, simulque omnes stipendium acceperunt, & jure jurando adacti sunt semper signa sequi, semper ordines

dines obſervare, ſemper omnia quæ imperarentur facere. Dum ea vero in caſtris geruntur *Tarviſii* pluſſatis tumultuatum eſt. Namque *Leonardus Dreſſanus* imperatorius nuncius illam quoque civitatem pertentare aggreſſus eſt. Sed parum ceſſit ex ſententia, cum pro *Venetis* exules *Tarviſii* bonam operam enavaſſent, quia nuper indemnitate donati fuerant, & *Venetias* pergens orator Regis *Hungariæ*, quia novitate rei motus eſt, dum ingrederetur *Tarviſium* pro *Venetis* identidem egit, & dixit oportere *Marcum* potius acclamare, & ſic a comitibus repente exceptum & acclamatum eſt, atque amplius *Marcus Cerdo* fidiſſimus vexillum *Marci* ſuſtulit in media platea, cepitque identidem alta voce pro *Venetis* dicere, atque ea excipiens præfectus urbis in eam ſententiam locutus eſt. *Nos equidem Tarviſini deditionem faciendi primi auctores eſſemus, ſi veſtra intereſſet & noſtra, etenim a nobis veſtrum nihil alienum putamus. Si quidem quod parti nocuum, aut proficuum eſt, idem & toti, aut obeſſe, aut prodeſſe ſolet. Vos Cives & Populares noſtri eſtis pars maxima, veſtra civitas noſtrum ſuburbium eſt. Quod ſi manus aut pes in officio non maneat, totum corpus collabitur, & corpus econtrario ſe bene habet, ſi membra omnia officioſa ſint, ſicut & nunc proculdubio eveniet, ſi modo vos officioſi ſitis, reſpublica & totum corpus facile convaleſcet. Patavium quidem & Vincentia urbes bona noſtra venia Regi Romanorum traditæ ſunt ne Gallus hoſtis progrederetur, neu vaſtationem agrorum, aut quampiam obſidionem paterentur, atque eadem vobis data facultas eſſet, qui quanto propinquiores, tanto cariores eſtis, ſi eadem vereri deberetis. Atqui nullæ copiæ hoſtium adſunt, quæ vobis ne tantillum quidem obeſſe poſſint, ut multo ſatius veſtra fides ſatis ſpectata perſiſtendo confirmetur, & noſtris copiis auxiliaribus, omnes res veſtræ tutæ ſint. Ecquid res veſtræ tutæ eſſe poſſunt? ſi petat Leonardus Dreſſanus qui Patavium retinere non poſſet ſi mens noſtra retrorſum eat. Ecquid ſi etiam veſtræ tutæ res eſſent? tam parum ne vobis curæ eſt veſtra fides, & in vos noſtra beneficia, ut potius cum Rege Romanorum quam nobiſcum res veſtras ſalvas eſſe velletis. Nunquam profecto veſtra omnia tuta eſſe poſſunt ſine noſtra frequenti opera, nos ſemper vos tutati ſumus, nos fovimus & juvimus, nos omnium rerum noſtrarum, ac ſi veſtræ res eſſent, ſemper vos complices libenter fecimus, & nunc etiam ut magis magiſque obnoxii ſitis, omnes immunitate donamus, & ſi quid eſt quod vultis amplius morem geremus, nihil habentes antiquius, quam vobis ſemper rem gratam facere. Igitur & vos memores beneficiorum eſtote, & in fide perſiſtite, ut veſtra opera res Venetæ minus acciſæ videantur, & reverſuræ in ſtatum priſtinum, quod facile ut ſpero eveniet, niſi forte volens animus me fallit, & vos magis barbaris hoſtibus inſervire quam frui libertate Italiæ parati eſtis.* Sic ille locutus eſt, & omnes acclamarunt velle fidem ſervare, & omnia quæ imperarentur facere. Deinde ſeptingenti pedites in urbem recepti ſunt, & diſtributi arci foroque & cunctis portis cuſtodiæ, ne quiſquam amplius multitudinem ſeducere, aut aliquo pacto res novas moliri poſſet, ſimulque quod maxime intererat tantum commeatuum intra civitatem aſportarunt, ut in omnem eventum annona poſſet ſufficere. Et quia in eo tumultu quidam bona Judæorum diripuerant, datum negotium eſt quibuſdam civibus cum quadringentis delectis peditibus urbem cuſtodire, vicatim ire, & ubique auxilio eſſe, ne aliquid tale amplius poſſet accidere. Servata urbe *Tarviſio* ceptum eſt audentius in hoſtes ire, & legati *Veneti* præcipue conati ſunt, hinc inde cum equitatu & peditatu totam provinciam reviſere, factioſos cives compeſcere, & præſertim agricolis auxilio eſſe, quibus hoſtes infeſti erant propter meſſem, de qua frequenter agebatur. Igitur noſtri milites nunc ſtare, nunc hoſtibus obviam ire, nunc hoc, nunc illud oppidum vi aut deditione recipere, denique dum acriter ageretur, collata agricolis facultas eſt fruges colligere, & *Venetias* aſportare. Namque alioquin de frugibus maxime apud *Patavium* in quæſtionem venit, & quia *Patavini* pluſſatis duriuſculi videbantur, Patres valde commoti ſunt, & aliquando cogitabant, propterea de recipienda urbe *Patavio*. Sed modo *Venetorum* præcipua cura verſabatur circa id, quod exercitui munitum foret, atque ideo de tutiori loco caſtrametandi magna quæſtio fuit, & denique creditum eſt locum tutiſſimum exercitui fore, qui *Mergariam* & *Meſtrum* oppidum interjacet, ſi propugnaculis, foſſa, & aggeribus apprime muniretur, quatenus neque aquæ adimi poſſunt, niſi ſupra quatuor millia paſſuum ut adimi nequeant, niſi amicis & inimicis demantur, neque ex proximis *Venetiis* defuturæ ſuppetiæ videbantur, & amplius quia locus iſte intermedius eſt *Patavio*, *Vincentiæ*, *Tarviſio*, & *Forojulii* ſemper inde milites eſſe poterant terrori hoſtibus, & ubique ſociis auxilio. Sed alioquin cum Rex *Romanorum* uſque *Valliſeram* oppidum veniſſet & videretur, aut *Venetum* exercitum, aut urbem *Tarviſium*, propediem velle invadere, viſum eſt magis e republica, atque tutius urbi *Tarviſio*, & exercitui fore univerſas copias, intra mœnia ſtatim ducere. Igitur primo quoque tempore datum negotium eſt *Lucio Malvetio*, & *Joanni Mariæ Fregoſio Tarviſium* anteire, & omnia gratanter componere, deinde cum omnibus copiis itum eſt, & omnis exercitus cum commoditate ſub ordinibus tantis hoſpes venit, ut facile omnibus daretur intelligi non illum oneri, ſed omni officio ſemper paratiſſimum fore. Deinde opera, & foſſores diſtributi ſunt per loca omnia, ut urbem inexpugnabilem redderent, aggeres conſtruendo & propugnacula, atque aquas affatim ſublevando, quæ circa totam urbem abunde vagarentur. Itaque *Veneti* multo commodius contra hoſtes frequenter ibant, & paſſim levia certamina fiebant. Namque ubique ſociis agricolis auxilio ibatur, ſicut & nuper *Andreas Grittus* cum levitibus prope oppidum *Axilium* venit vetare, quæ frequenter fiebant prædationes & vaſtationes agrorum, & ſtatim jubet, ducentos levites anteire, & videre copias hoſtium ubi & quantæ eſſent, & quid pararent. Huic alæ equitum hoſtes occurrunt, noſtri primo fugam ſimulare, ac hoſtes confiſos in ſubjectam oppido planitiem paulatim protrahere conati ſunt, denique ſumpta occaſione loci corruerunt in prælia. Et primo quidem acriter certabatur, ſed poſtremo de hoſtibus magna edita cædes eſt, & multi capti ſunt, atque alii vix potuerunt in oppidum evadere, & cum *Veneti* levites redirent in caſtra, ex victoria parta cum manubiis hoſtium, ab agricolis excepti ſunt cum maximo applauſu, atque vino, pane & obſoniis, & ſupra omnia vultus boni accedebant, ut omnes amice comederent, quæcumque libentiſſime tradebantur. Uſque adeo omnes agricolæ maximos affectus in rempublicam præ ſe ferre, ſemper armati & officioſi eſſe, ſemper omnem ſuam operam polliceri, ſemper omnia quæ imperabantur ſedulo præſtare, omnia itinera hoſtium & conſilia propalare, ſæpe etiam nacti occaſionem rerum bene gerendarum *Venetos* accerſere, & potiſſimum ducere, in ſpem potiundi *Patavio*, ſimul ac urbs illa incuſtodita videretur. Igitur primo quoque tempore datum negotium eſt, *Andreæ Gritto* ire & videre, ſi poſſit urbem *Patavium*

vium recipere. Ille vero tantam rem mature agendum ratus, eo ordine cuncta distribuit, ut *Citolus Perusinus*, *Lactantius Bergomensis*, & *Bernardinus Parmensis* caput itineris, & consilii cum peditatu veteranorum *Miranum* rus pergant, sequenti nocte profecturi *Patavium*, quos pariter sequatur *Alvisius Dardanus*, cum ingenti manu agrestium. Ipse vero *Andreas Grittus* cum quadringentis levis armaturæ delectis equitibus *Novalem* oppidum constituit petere, atque inde *Patavium* ire, & junctis copiis cum peditibus impetere portam *Patavii*, cui *Cauda longa* nomen est. Et quoniam diversione etiam opus erat, visum est, ut opera *Philippi Parutæ Gambararienses* agricolæ ad duo millia hominum excirentur, & parte urbis opposita, *Portellum Patavii* acriter invaderent cum trecentis peditibus, & sexaginta hastatis equitibus, ac omni præsidio *Veneto*, quod *Meduaci* flumine subvehebatur in classe paratissima, & amplius parte alia ne quisquam *Patavinis* subsidio esse posset, alter legatus *Christophorus Maurus* cum quinquaginta equitibus, & mille peditibus, *Civitatulam* oppidum ibat invadere. Itaque *Andreas Grittus*, eo die septimodecimo calendas augusti, pedites & equites ad loca constituta expedire, omnia parare, quæcumque usui forent, denique cunctis compositis ex sententia locis simul omnibus die postera *Patavium* itum est. Et primo quidem inter eundum apud *Stratam* castellum *Gambararienses* agricolæ feliciter egerunt contra hostes *Germanos*. Namque dum illi recusant deditionem facere contra viribus agebatur, & tandem hostes victi cæsique sunt, & vi captum castellum est, atque amplius parte alia, dum ea res agitur, primi pedites *Patavium* venerunt, & summo mane obnixi humeris portam aperuerunt semiclausam, ut forte paulo ante quibusdam fœni curribus patuerat. Tum

A tres pileati equites hastati præmissi sunt urbem explorare, dum cæteri omnes fores obsident, quibus renunciantibus omnia imparata, & impræmeditata esse, omnis exercitus introgressus in forum usque perrexit, semper anteeunte, & in primis agente *Vulpensi* equite, & *Joanne Diedo* cum equitatu, & cum peditatu *Citolo Perusino*, & *Lactantio Bergomensi* quorum in eo bello maxime virtus emicuit. At *Leonardus Dressanus* accitus tubarum clangore resono, & sublato clamore venientium cum trecentis *Germanis* peditibus primo obviam ire, atque acriter obsistere, demum ingruente multitudine, paulatim recedere, usque quo omnes intra arcem recepti sunt. B Inde Comes *Brunorius Saregus* cum quinquaginta equitibus gravis armaturæ e *Civitatula* urbis prorupit, atque in *Venetos* impetum fecit, & pro virili expertus est, an multi a paucis aliquo pacto vinci possent, præliumque sustinuit tantis animis, ut aliquandiu in incerto esset, quis cederet. Denique veró *Cæsariani* milites multitudine opprimebantur, & circumventi simul a fronte, a tergo, & a lateribus omnes cæsi, aut capti sunt. Deinde paribus animis in arcem ibatur, & quidem *Leonardus Dressanus* quantum in se fuit arcem defendere conatus est. Sed postquam videt omnia plena hostium, neque superesse spem aliquam, se arcemque & præsidium dedit. C Victis hostibus, victores ad prædam conversi sunt, quæ ingens omnis generis fuit, quamvis enim *Andreas Grittus* id fieri noluisset, Judæorum tamen omnia prædæ militibus fuere, & nonnullæ domus quorundam civium, qui nimium factiosi visi sunt. Tantus vero fletus & ululatus passim edebatur, ac si diriperetur tota civitas, & quia in die *Marinæ* virginis urbs *Patavium* in potestatem *Venetorum* rediit statutum est, ut ea dies semper celebris haberetur.

Epitoma

EX LIBRO SECUNDO.

R*ECEPTA urbe* Patavio *cum* Maximiliano *rege de pace iterum agebatur, sed nihil fiebat, & plus solito* Germani *in* Istriam *&* Forumjulii *proruperant, ubi frequenter vicissim res erat, atque multa oppida sæpius capta receptaque sunt, & passim levia certamina fiebant, dum* Germani *volunt sævire & prædas agere, &* Veneti *contra sociis auxilio ubique sunt. Sed apud civitatem* Austriæ *vis hostium repressa est, & simul ac* Angelus Trivisanus *cum classe in* Istriam *venit, civitatem* Fluminis *vi cepit diripuit & solo æquavit. Aliter rex* Romanorum *cum magno exercitu contra* Patavium *in expeditionem ibat, &* Venetorum *omnis exercitus urbem ingressus est. Deinde studebatur* Patavium *munire, ordines distribuere, & quia forte apud Insulam* Scalanam *Marchio* Mantuæ *temere stabat,* Veneti *obiter ea occasione usi sunt. Et quidem res cessit ex sententia, quia clanculum ibatur, Marchio* Mantuæ *cum militibus, & divite supellectili in* Venetorum *potestatem venit, &* Venetias *abductus est. Hostes autem* Ferrarienses *ex altera, &* Germani *ex altera, agros vastare, prædas agere, denique obsidere* Patavium *festinabant, atque iccirco ex agris fuga passim fiebat, abducebanturque ad paludes animalia, & miseri agricolæ* Venetias *venerunt, & habuerunt paratam domum, instructumque penus ex ære publico. Namque & si multi custodes animalium foris essent, hostes tamen frequenter prædabantur, & committebant levia certamina. Contra* Veneti *ad servandam urbem* Patavium *omnia parare & facere, quæ in rem sunt. Dux quoque oratione usus & operatus est, ex totis* Venetiis Patavio *supplementum mittere. Et quidem* Patavina *obsidio diutina fuit, & multa levia certamina fiebant. Deinde hostes diverterunt* Ateste *oppidum, &* Monsilicem *capere & diripere, quibus peractis cum magna strage* Venetorum *militum, iterum contra* Patavium *ibatur. Et quia centum millium hominum omnis exercitus hostium erat, & merito dubitabatur de republica, ideo militibus nostris qui* Paduæ *præsidio stabant, plenæ exhortationum e senatu consulto redditæ literæ sunt. Legati quoque & Imperator exercitus milites inhortabantur imperata facescere, urbem servare, sedulo usui esse, & in verbis conceptis omnes obligarunt sacramento militiæ. Cæterum dum ea res agitur, ab hoste cœptum est tormentis militiæ muros urbis concutere, & frustra in urbem ad deditionem convolutis literis sagittæ conjiciebantur. Namque acrius etiam contra hostes agebatur, & modo noctu eruptiones fiebant usque ad stationes hostium, modo interdiu in hostes ibatur ordines disturbare & intercipere, si qui hostium palantes ibant. Aliter ad portam* Caudæ longæ *atrox certamen fuit, quia nimium* Hispani *pedites ausi sunt murum ascendere. Namque propterea multi eorum exusti & contriti sunt, & pauci integri potuerunt evadere. Sed ea victoria cœperunt nostri milites insolescere & imperata non facere, quia* Veneti *legati solvendo non erant, ut valde in incerto res*

res esset, nisi pecuniæ impune ex Venetiis *portarentur, quando propter sublatum pulverem hostes obvii nequiverunt in* Venetos *vectores agere. Patres autem solliciti de summa rerum frequenter hortabantur Regem* Angliæ *contra* Gallos *in expeditionem exire, & ea occasione uti, quando Rex* Gallorum *implicitus esset rebus* Italiæ. *Et quia Rex* Romanorum *videbatur velle antecapere, atque excire* Turcas *in* Venetos, *qui antehac promiserant* Venetis *affore auxilio,* Veneti *compulsi sunt cum* Turcis *identidem agere, oblata gratanter excipere, atque auxilium implorare, quia etiam Rex* Pannoniæ *cum classe* Gallica *&* Hispana *in* Dalmatiam *bellum moliri videretur. Sed præcipue studebatur obsidionem levare, & parare alterum exercitum apud* Mestrum *ex manu collectitia cum peditibus & equitibus qui* Tarvisii *subsidio stabant. Et quidem apud* Patavium *sæpe committebantur levia certamina cum hostium magno malo, quia semper illi repellebantur, & nunquam totis viribus agebatur, dum* Galli *volunt non nisi subsidio stare. Igitur hostes denique soluta obsidione potius digressi sunt prædas agere. Sed ex opulentia discordia orta est, & hostes copias partiti sunt. Et quia* Vincentiæ *non nisi* Germani *ad septem millia hominum erant,* Venetorum *omnis exercitus cum manu collectitia in eam expeditionem exivit, & cum nequisset urbem vi capere,* Vincentini *voluerunt deditionem facere, &* Germani *impune dimissi sunt. Sed* Veneti *milites nescierunt uti victoria & celeritate qua oportuit, atque ideo apud* Veronam *postea res parum cessit ex sententia, quia Rex* Romanorum *iterum in* Italiam *venit, & parte alia* Germani *qui abierant ex* Vincentia *ubique infesti erant, nisi* Alexander Bigolinus *ad vallem fidatam illis obviam isset, & illi abissent in* Germaniam. *Parte alia* Aloysius Mocenicus *cum exercitu in arcem* Scalanam *ibat, quia finitima oppida deditione receperat. Et primo quidem tormentis militiæ acriter agebatur, postea atrox certamen fuit, denique vi capta arx est, & omnia prædæ militibus fuere, atque identidem gestum est feliciter apud* Castrumnovum Forijulii, *ubi multa quoque levia certamina fiebant, & frequenter cum hostibus res erat.* Angelus *autem* Trivisanus *cum ingenti classe in* Ferrariam *perrexit agros vastare, prædas agere, igni ferroque omnia passim subvertere. Sed tandem res cessit aliter quam putarat, quia dum temere statur,* Veneta *classis disjecta est, & amplius hostes* Lauretum *cepere, atque ituri longius videbantur, nisi alioquin* Itali *&* Galli *invicem pugnassent, & multi hostium periissent. Namque propterea* Veneti *potuerunt classem reficere, & apud* Rhodigianam Pollesinum *stabatur. Postea apud* Hospiciolum *de pace cum* Germanis *oratoribus agebatur, & quia tandem re infecta* Germani *oratores recesserant, pacis auctor identidem Rex* Angliæ *quærebatur, &* Achilles Crassis *Pontificis orator agens apud Cæsarem. Namque* Veneti *censuris apostolicis expiati, cum Pontifice de bello & pace identidem agebant, quia Pontifex ad* Venetos *declinabat, curabatque Regem* Angliæ *a* Gallis *avertere, &* Helvetios *mercenarios habere. Aliter Rex* Romanorum *propterea oratorem Pontificis expulit, qui profectus inde in* Pannoniam *cum* Petro Pascalico *pro* Venetis *frustra identidem egit, quia* Helianus Gallus *orator, omnia disturbavit, & Regem* Pannoniæ *ad recuperandam* Dalmatiam *oratione hortatus est.* Veneti *vero interea pene* Veronam *obsidebant, & quia* Veronenses *aliqui* Petri *castellum pollicebantur tradere, nocte media in eam expeditionem ibatur. Sed scalæ breviores fuere, &* Veneti *seipsis in fugam conversi sunt, atque ideo hostes statim moverunt in* Venetos, *quamvis alioquin ea res parum cessit eis, ex sententia. Namque compulsi sunt in urbem propediem redire, atque amplius multi hostium in* Veneta *castra confluebant, & quia illi* Germani *milites essent, benigne excipiebantur, ut* Hispanis *&* Gallis *suspiciosum & dissidiosum foret.*

LIBER SECUNDUS.



Urbe recepta *Patavio* visa est res *Veneta* aliquantum respirare, & instaurati animi sunt, quia ad conciliandum Regem *Romanorum* facilius videbatur. Neque enim Patres *Veneti* bello vigente aliquid satis tutum fore putabant, apud quos semper fuit nomen pacis blandum & amabile. Igitur ejus rei auctores, & Regem *Hungariæ*, & Regem *Angliæ*, frequenter exposcebant, simulque *Nurimbergensi* communitati *Germaniæ* in eam sententiam literæ datæ sunt. *Non equidem nostra culpa .P. N. Cæsar nobis hostis est, atque adeo ejus aures obturatæ sunt, ut colloquendi nusquam facultas sit. Neque id tamen in ipsum referimus, qui clementissimus est, sed potius id fieri putamus suggestione malevolentium, qui dum sibi tantum consultum existimant, nullam rationem habent collapsuri Romani imperii, etenim muneribus capti sunt, & non vident Gallos natura Germanis infestos esse, & gestire coronam imperii. Et quidem ea Cæsari in aperto res est. Namque ipse sæpe etiam profitebatur, facile collapsura machinamenta hujusmodi, si celeri remedio occurratur, sicut & nos futurum credimus, si modo Cæsar ita velit ut potest, obviam ire, atque ea quæ fecimus, & quæ per oratores dicturi facturique sumus in bonam partem accipere. Et quæ nam nos egimus adversus Cæsarem? nisi ea quæ plena officii sint. Bello lacessiti tuendi nos gratia obsistimus, & quæ ceperamus ultro reddidimus, dum ea re Regem Maximilianum placatum iri, merito putaremus. Insuper modo ne dum cupimus foedus rite factum validum & inviolatum esse,*

A *sed etiam pacem perpetuam intercedere cum vestro Cæsare, cujus si possumus esse volumus, semper cultores obsequentissimi. Verum obstant obtrectatores quibus vos obviam ire par est, dum nostra simul & res vestra agitur, quando mutua nostra commercia vicissim semper usui sint. Nostra præsertim in vobis sita spes est, & in Deo optimo maximo, quem procul dubio speramus nobis auxilio fore, non immemorem eorum quæ semper egimus servandæ & augendæ Christianæ Religionis gratia. Namque alioquin Reges terræ nobis infesti sunt magis quam unquam in Turcas fuerint, & rem Venetam, quanto maxime possunt perditum eunt. Vos igitur auctore Deo in vobis, qui semper antiqua benevolentia nobis conjun-*
B *ctissimi fuistis, nostram quæso causam agite apud Cæsarem, ut vestra opera illo conciliato nobiscum, vos rebus nostris omnibus uti possitis, atque conservata dignitas, & civitas nostra non magis nobis, quam vobis semper usui sit.* Neque cum Rege *Romanorum* de pace solummodo per litteras agebatur, sed etiam per nuncios, simul ac ille contentus fuit *Venetos* oratores admittere. Sed frustra omnia fiebant, quamvis pacis amplæ conditiones proponerentur. Hostes enim *Germani* potius bellum gerere parati sunt, & nuper ad sævitiam, canibus etiam utebantur in quibus odora vis est. Namque ea via pueros & mulieres quærebant per segetes, & alia loca subterranea,
C & exitii novo genere, venationes hominum habebantur. Non tamen potuerunt *Monfalconium* oppidum *Forijulii* capere, quia contra acriter stabatur, & ipsi diverterunt *Cadubrium* capere, quia villici nequiverunt tantam vim hostium sustinere,

& qui rei interfuit *Ricinus Reverensis* centurio. Sed circa castellum difficultas fuit, & hostes aliquando repulsi sunt, denique princeps *Analtius* * cum decem millibus hominum in castra venit, & cum magna strage castellum etiam vi cepit. Sed postea multi eorum repedarunt in *Germaniam*, simul ac relatum est, quæ nuper apud *Valliseram* oppidum de *Germanis* octingentis hostibus magna edita cædes erat. Namque cum primum *Leonardus Hierosolymitanus* eques & *Petrus Corsius* cum centum levitibus, quadringentis peditibus, & manu agrestium in eam expeditionem exissent, oppidum vi captum est, & omnia prædæ militibus fuere, atque amplius sese dedit Civitas *Bellumni*, quam hostes incustoditam reliquerant. Adeo sæpe hostes soliti sunt oppida capere & deserere, ut nulla omnino sint non capta & recepta pluries, id quod singulatim sæpius dicere supervacaneum esset. Verum ut plerumque consuevit accidere, quanto magis *Veneti* contra hostes nitebantur, tanto minus semper illis usui fuit. Namque & nuper ideo Dux *Brunsvigiæ* cum decem millibus hominum in *Venetos* movit, & *Utinum* urbem statim obsedit. Sed quia viris armisque civitatem bene munitam videt, obsidionem solvit, & in Civitatem *Austriæ* statim ibat. Adeo semper nocuit plus capere quam retinere facultas est, & illos hostem ultro lacessere, qui propulsare injuriam vix apti sunt. Est autem Civitas *Austriæ* sita loco clivoso ad *Natisonem* fluvium. Illi præerat *Federicus Contarenus* vir impiger, & præsidio stabant cives fidissimi, necnon *Vicus Perusinus*, *Antonius Santipetra*, *Lucas Anconitanus*, & *Paulus Baxilius* cum ducentis quinquaginta peditibus. Turris erat & angulus muri ad suburbium Dominici, quam cætera planior & patentior. Igitur adversus eum hostes admoverunt tormenta militiæ, & ceperunt noctis secunda vigilia oppidum fortiter concutere. Contra oppidani & milites arma expedire, locum capescere, hostibus obviam ire. Dum vero apud Civitatem *Austriæ* in incerto res esset, *Joannes Paulus Gradonicus* legatus *Forijulii* cum octingentis equitibus, & quingentis peditibus infeliciter conatus est hostem ab oppugnatione avertere. Namque cum primum hostibus relatum esset *Christophorus Frangipanes* cum ducentis *Liburnis* equitibus, haud procul ab oppido se in insidiis locat, & cum *Veneti* proximiores fierent, ipse protinus ex insidiis eos tanto impetu aggressus est, ut parvo momento *Utinenses* omnes cum magna strage victi fusique sint. Secundum eam pugnam reversi hostes elatiores victoria, magis magisque prælium instant. Jamque diu quassata turris procubuerat, atque aditus inter ruinas muri patebant, & hostes progressi propius ea ruina captum oppidum credebant, tripartitoque agmine ubique infesti erant. Contra oppidani ad omnia tuenda & obeunda parati intentique stare, missilibus telis & tormentis bellicis hostem summovere, & nihil satis tutum munimentis pati. Demum ea parte qua mœnia corruerant utrinque in pugnam procursum est, hostis multitudine hominum abundabat, oppidani invictis animis pollebant, hostes credula spe potiundæ victoriæ summa ope nitebantur, oppidani desperatione compulsi pro nudata mœnibus patria corpora opponebant, nec usquam pedem referebant, ne relicto loco hostem immitterent, multi utrinque peribant, plurimi sauciabantur. Inter muri ruinas ubi prælium & belli futura vis omnis apparebat, oppidani anteposuerant deindustria magnam struem sarmentorum & paleæ ac pulveris illius, quo utimur ad tormenta militiæ. Cum ergo diu anceps certamen foret, & oppidani quia præter

A spem resisterent animosiores essent, *Federicus* militem suum singulatim compellare, collaudare, adducere in spem victoriæ, si paululum adnitatur, omnibus locis instare, omnia curare, sæpe etiam ipse hostem invadere, & loco deturbare ubique hortator esse, omnibus modis suis animum augere, hostibus terrorem incutere. Quibus hortationibus ducti oppidani clamorem repente tollunt, & paratis fomentis ignem supponunt. Accedunt fusiles machinæ sagittarii scorpionarii & tormentarii pedites, qui eminus hostem feribant, ut demum multi hostium combusti ignibus, plures contriti tormentis militiæ & saucii telis missi-
B libus, omnes in fugam conversi sint. Eo conflictu fertur trecentos hostium periisse, & oppidanorum vigintiquinque non amplius. Postea hostes obsidione soluta captoque oppido *Tulminio* in omne facinus prolapsi sunt, in omnem sexum puerorum & mulierum truculenter sævire, & omnia inhumana crudelitate fœdare. Nihilominus ea sævitia usi sunt in *Istria* postquam iverunt ingens supplementum equitibus levis armaturæ qui erant cum *Christophoro Frangipane*, & omnia subvertebant, quia *Franciscus Pascalicus* præfectus ducentorum levitum non poterat hostibus obviam ire, & amplius cum oppidani mille quin-
C genti, & præsides oppidorum in expeditionem exissent municipia Cæsaris capere, apud *Vermen* castellum de illis magna edita cædes est, quia sine ordine sine imperio temere nimium ibatur. Posteaquam vero *Hieronymus Contarenus* cum sex triremibus in *Istriam* venit, pariter terra marique contra *Tergestum* ibatur. Est autem urbs sita ad mare, juxta quam exit in pelagus *Natiso* fluvius, qui finis *Venetiæ* dicitur, fluit & *Timavus* amnis *Tergestum*, *Concordiam*que disterminans, qui delatus e montibus decidit in profundum, habens septem fontes fluviatilis aquæ, & deinde absor-
D ptus infra terram stadiis circiter centum & triginta erumpit in mare. Postquam autem classis applicuit contra urbem gesta res est, non tamen *Veneti* civitatem ceperunt, quia solummodo tormentis bellicis agebatur, sed sublata omnis vindemia, & ager desolatus est. Atque amplius quia *Fluminenses* hostes ausi fuerant in portu *Curitæ* insulæ cymbam onustam mercimoniis capere, *Philippus Baduarius* illam injuriam graviter ultus est. Namque cum triremi, & duabus uniremibus in regionem hostium venit, oppidumque *Lauranium* vi cepit & diripuit. Verum postea cum abiissent classis præsidia, in caput *Veneto-*
E *rum* ea faba iterum cudebatur, quia propterea plures copiæ hostium convenerunt iterum agros vastare, & plus solito prædas agere, atque amplius cum desolata essent omnia citra *Quietum* fluvium, hostes quingenti equites, & duo millia peditum deditione etiam potiti sunt *Castronovo Istriæ*, & oppido *Raspruchio*. Sed paulo post *Christophorus Frangipanes* cum parte copiarum ad tuenda propria recessit, quia *Angelus Trivisanus* cum sexdecim triremibus in *Istriam* venit, & primo quoque tempore contra Civitatem *Fluminis* tormentis bellicis acriter agebatur, postea atrox certamen fuit, denique urbe vi capta, omnia
F prædæ militibus fuere, & solo æquata civitas est, atque amplius *Veneti* iterum terra marique contra urbem *Tergestum* in expeditionem ibant. Sed quia civitatem armis virisque bene munitam vident, & adhuc satis ad rem agendam copiæ comparatæ non erant, primo quoque tempore studebatur agros vastare & prædas agere, & postea in *Raspruchium* omnibus viribus ibatur. Namque milites & nautæ simul oppidum aggressi sunt, & primo tormentis militiæ gesta res est, & denique admotis scalis in oppidum ibatur, atque illo vi

capto

* Forte: *Anhaltinus*.

capto omnia prædæ militibus fuere, quibus peractis *Veneta* classis abiit, & *Germanus* hostis iterum in *Istriam* venit, & sæpe *Veneti* vincebantur. Adeo frequenter fiebat, ut modo *Venetis*, modo hostibus vicissim prospera omnia cederent, dummodo horum, modo illorum vires ampliores essent. Nuper vero *Venetorum* solummodo sita spes erat superinduciis de quibus agebatur, simul ac ultro *Christophorus Frangipanes* sub *Venetis* auspiciis merere vellet. Sed tantum absuit, ut inducias non pepigerint & *Christophorus Frangipanes* hostis iterum venit, quia nunquam e senatu consulto literæ redderentur. Itaque bellum majus in *Istria* vigebat, & omnes conversi in trepidissimam fugam erant, seque in pedes proripiebant cum liberis & conjugibus, ubi se tutos fore putabant in civitatibus, atque obiter rura & oppida hostibus prædæ relinquebantur, & tota desolabatur provincia multa animalia in quibus potissimum omnis opulentia constat, ultra montes abigebantur, multi mortales interficiebantur, multi quotidie captivi fiebant, & omnia consumebantur, quæ hominibus & cæteris animantibus esculenta & poculenta sunt. Igitur ad eam rerum penuriam tollendam simul cum dignitate & amplitudine reipublicæ, ut facilius omnia tuta esse possent contributæ pecuniæ machinæque & omnia utilia, datumque negotium est, *Damiano Tharsio*, ut mille pedites in provincia deligat & exerceat, alamque equitum adscribat, qui possint auxilio semper esse, & omnem vim hostium comprimere. Parte alia interea relicto præsidio *Taurisii* quod satis est, omnis exercitus *Patavium* se contulerat, curabaturque urbem omnibus modis munire, mœnia & propugnacula reparare, & alia omnia facere, quæcumque usui forent. In primisque longe lateque prospicere qua via optime possent uti victoria atque ea fortuna, quæ opera agrestium sedulo aspirare videbatur. Sed tantum absuit, ut dum *Veneti* semper differunt in aliud tempus ultro se dedentem *Vincentiam* & *Veronam* recipere, fortuna inconstans prolapsa sit. Namque *Galli* ad tria millia equitum in castra Regis *Romanorum* venerunt, & propterea constabat omnis exercitus hostium decem millibus peditum, & sex millibus equitum, ut *Veneti* non amplius inferendi belli, sed potius se tuendi, & propulsandæ injuriæ studiosi forent, & eorum omnis exercitus urbem *Patavium* ingressus est, positæque custodiæ per loca cuncta, & ordines distributi sunt, ut omnes equites gravis armaturæ intra prima mœnia urbis continerentur, necnon ea parte semper usui essent, qua majus periculum imminebat. Intus vero quod esset fori præsidio, parte altera *Citoli Perusini*, parte altera *Lactantii Bergomensis* acies bipartiti sunt, & ne aquæ adimi possent, quæ apud *Liminium* oppidum manufactis obicibus divertunt circum circa *Patavium*, obfirmati illi obices sedulo, & claustra sudibus complicatisque trabibus & multiplicibus ferramentis, quantum fieri potuit summopere munita sunt. Dum ea vero agerentur *Patavii*, agrestes insulæ *Scalanæ* solicitabant magis magisque *Carolum Marinum*, qui nuper *Lemniacum* immunitum receperat, eo præsidium mittere, ajebantque sua opera fore, ut prædam opulentam agant, & Marchionem *Mantuæ* suosque sexcentos milites, qui nuper illuc venerant, incautos adoriantur & opprimant. *Carolus* in spem potiundæ victoriæ ductus illico de ea re legatos in castris certiores facit, simulque auxilium ingens expostulat. Igitur *Veneti* legati statim jubent *Lucium Malvetium* & *Citolum Perusinum* cum ducentis equitibus levis armaturæ, & octingentis peditibus ex *Patavio* proficisci *Lemniacum*. Et

A illi deinde cum advesperasceret ceperunt iter facere versus Insulam *Scalanam* junctis copiis cum *Hieronymo Pompejo*, *Petro Pulvereo*, & *Vincentio Cassineo*, ut omnes copiæ essent trecenti viginti equites levis armaturæ, & quinquaginta tres equites gravis armaturæ, octingentique pedites, & mille quingenti agricolæ. Postea itum est quadrato agmine prope villam usque ad mille passuum, deinde acies bipartiti sunt, atque aliæ occuparunt exitus viarum, & primi pedites villam ingressi sunt, confestimque Marchionis domum obsederunt, & domos alias, in quibus milites habitabant, vociferandoque conati sunt majorem trepidationem incutere. B Hostes vero nihil tale unquam veriti incauti & semisopiti, pars sese dedere, pars arma capere & obviam ire. Sed omnes oppressi multitudine facile trucidabantur, quicumque vellent obsistere, denique passim deditio facta est, atque omnia prædæ militibus fuere. Et quidem ipse Marchio sub noctis tenebris per posticum aufugerat, atque inter vepres & arbusta latebras quærebat, sed interventu diei latitantem eum post melicam viderunt ceperuntque quatuor agricolæ, & nunquam flecti precibus aut pollicitis potuerunt, ut eum manumitterent. Ita sorte dabatur, ut maxima pars victoriæ C eorum esset, qui ejus rei primi auctores fuerant, sicut & postea cumulati muneribus & immunitate donati sunt. Quanto autem victoria major fuit, tanto majori studio usi sunt, ut Marchio & cæteri captivi quam tutissime conducerentur *Venetias*. Namque omnes copiæ quæ ejus expeditioni interfuerant, Marchionem & captivos comitabantur, & ne qua vis ingruat ex *Ferraria*, *Andreas Grittus* cum centum equitibus gravis armaturæ, & quingentis peditibus illis obviam venit, & simul ac ad *Ateste* oppidum ventum est, custodiæ domui appositæ sunt, in qua Marchio cum captivis aliis habitabat, deinde *Patavium* & secundo flumine *Venetias* venit, ubi Marchio cum D magno clamore exceptus est, & diligenti sub custodia popularium in turri supra comitia servabatur. Interea vero omnis exercitus hostium ad viginti millia hominum accreverat, atque progressus usque oppidum *Liminium*, cum maxima custodum cæde, illud vi ceperat ademeratque aquas diruptis obicibus, ne possent amplius *Paduæ* ad mollas triticeas suppetere. Deinde *Germani* hostes agros vastare, prædas agere, omnia diripere, omnia igni ferroque subvertere. Et parte alia *Ferrarienses* hostes identidem facere, unde passim fuga facta est, & ad imas paludes abducta cuncta animalia ad *Caputaggeris* decem millia, & ad E *Montem Albanum* viginti millia, atque illis intercisis itineribus & congestis aggeribus infelices agricolæ subsidio stabant, & armata navigia cum tormentis militiæ. Senes vero pueri & mulieres cum paupere supellectili *Venetias* venerunt, quibus ex publico ærario penus instructum est, parataque habitacula. Et quia continue novæ familiæ pauperum confluebant, Patres statis locis distribuerunt navigia, & constituerunt portoria, ne quis plusstatis exigeret. Hostes vero cum parte copiarum ad prædam *Montis Albani* repente digressi sunt, & quidem solummodo tormentis militiæ ea gesta res est, quia omnes *Veneti* terra mari- F que statim fugerunt, & reliquerunt duas naves hostibus impune comburere, atque multa animalia abducere. Parte alia *Ferrarienses* hostes, ut commodius possent prædas agere, primo quoque tempore erexerunt propugnaculum in *Athesi* flumine prope *Caputaggeris*, atque inde miseris agricolis frequenter obviam ibant, neque contra satis ulla vis erat, dum statim redire in castellum facultas esset. Igitur *Marcus Antonius Contarenus* præ-

præfectus classis *Padanæ* cum octo cymbis, & manu collectitia repente locum aggressus est, & post diutinum certamen illud vi cepit, & solo æquatum est. Nihilominus hostes *Germani* cum manu prædatoria sæpe victi cæsique sunt, dum illi passim prædari volunt, & *Veneti* acriter illis ubique obviam venissent ad *Butinicum*, *Lizafusinium*, *Mergariam*, & *Mestrum* oppidum. Sed *Veneti* illud magis advertebant, quod hostes interagendum se propediem obsidionem illaturos *Patavio* minabantur expediendo & parando omnia, quæcumque usui forent. Igitur Patres soliciti de summa rerum noctu frequenter & interdiu quid agendum consulere, deinde maturare, facere, & nihil intentatum relinquere, festinare, parare, mittere *Patavium* tormenta militiæ, insuper instrumenta bellica, & munimenta cujuscumque generis, atque affatim pecunias, & farinæ ingentem copiam subvehere, populares cunctis *Venetiis* vicatim adscribere, quacunque pedites adcersere, & *Patavium* supplementum exercitui mittere, denique omnia facere, quæ conferre viderentur levandæ obsidioni illius urbis, in qua proculdubio omnis vis incumbebat servandæ reparandæque reipublicæ. Pari modo ut res ipsa tutius procederet si nobiles quoque cum adscriptis peditibus illuc auxiliatum eant, convocatis comitiis *Leonardus Lauredanus* Princeps inclytus in hanc sententiam locutus est.

Præfari rem vestram agere .P. C. supremum exordium & artificiosa insinuatio videri potest in re tam vestra. Neque enim magis aliud vestrum est, quam patriæ vestræ tuendæ frequens studium, de qua re profecto solummodo nuper agemus, quatenus de servanda urbe Patavio dicturi sumus. Namque Patavium suburbium vestrum est, atque inde pendet salus istius urbis & reipublicæ, & iccirco istud consilium tuendæ urbis antecapere debetis, cum ejusmodi ista sint, ut nisi provideris ne accidant, ubi eveniunt frustra ignaviam tuam incuses, aut deorum auxilium implores. In vobis vero tuendæ reipublicæ facultas est, si modo parati estis vestris opibus & pectoribus rempublicam juvare, sicut & vos decet facere, qui Romanorum imitatores esse vultis. Bello Punico secundo cum exhaustum ærarium, ne deorum quidem cultui sufficeret, Publicani ultro aditos Censores hortati sunt, ut omnia sic locarent, tanquam respublica pecunia abundaret, seque præstaturos cuncta nec ullum assem, nisi bello confecto petituros polliciti sunt. Domini quoque servorum, quos Sempronius Gracchus ob insignem pugnam Beneventi manumiserat, pretia ab imperatore supersederunt exigere. In castris etiam non eques, non centurio impendium dari sibi desideravit. Viri ac fœminæ quicquid auri, argentive habuerunt: item pueri insignia ingenuitatis ad sustentandam temporis difficultatem contulere. Vos ergo sequimini ista vestigia, & libenter locate vestram operam vestræ patriæ in tanto rerum discrimine. Et quidem a nobis etiam ceptum est filios nostros Aloysium & Bernardum cum centum peditibus Patavium mittere, & vos operæ pretium est identidem facere, aut vos ire, aut filios, aut nepotes vestros mittere, qui auxilio esse possint singuli quique cum peditibus, quatenus opes vestræ possunt sufficere. Namque tanta temporum difficultas est, ut nemo possit suam operam negare, sine nefario scelere, quando quisque plurimum patriæ habeat acceptum referre. Agrestes quoque popularesque vestri ad viginti millia hominum vestra auspicia libentius sequentur, si & vos imperata feceritis. Tunc enim facile omnes obediunt, si quæ aliis imperes, tu prius præstiteris, & id tanto magis vos decet præstare, quanto magis vestra interest, qui senatores estis, & republica magis magisque fruimini, ut sicut Senatus Populo honore præstat, ita vos ad omnia A *dura & aspera subeunda primi duces esse debetis, & nihil dubitare præsertim modo, cum aliquanto fortuna mitior sese offerat, & benignitate Deum jam id paremus, atque agamus, ut propediem obsidione soluta, ultro hostem possimus invadere. Neque cuiquam vestrum videatur majus id audaciusque consilium, quam exigat cladium nuper acceptarum recens memoria, siquidem fortuna reipublicæ & virtus desperare de summa rerum prohibet eo fato, quo donata nobis sors est, ut magnis omnibus bellis victi vicerimus. Vetera omitto Gallos hostes & Mauros, Sarracenos, atque veteres inexhaustas inimicitias Ligurum, & bella periculosa victis simul & victoribus,* B *quot Padanæ classes, quot Duces, quot exercitus? Bello Philippico amissi sunt. Quid hoc bello Gallico memorem profligatum exercitum nostrum ad flumen Abduam, & conversum in fugam turpissimam, usque Mestrum oppidum. Adde festinam defectionem oppidorum omnium, & cunctarum urbium nostrarum. Adde tantam in urbe trepidationem, & ingentem tumultum. In hac tamen rerum intemperie & imminenti naufragio Veneta navis & reipublicæ constans virtus, tanquam rupes Caucasea, stetit una integra immobilis, ac omnia strata humi erexit, & cuncta deperdita sustulit. Vos primi Senatores post Abduensem cladem vestro ductu & vestra* C *opera, vestris pecuniis affatim datis militibus, vestris consiliis auspicatissimis rem Venetam, vos filios ac uxores vestras, & lares vestros tutati estis, atque nullum jam reipublicæ nomen esse obstitistis. Nunc benignitate Deum omnia aliquanto lætiora & meliora futura sunt, procul abest hostis invictus Rex Gallorum, neque Germanorum multigenas copias vereri debetis sine duce, sine ordine, sine imperio, ut valde inconveniens esset, si vos qui labantem fortunam reipublicæ nuper sustinuistis, nunc ipsi quia illius omnia lætiora & meliora sunt animis deficeretis. Hæc fateor tamen acerba sunt, sed fortuna vestra vobis suadet, ne in pejus collabamini. Quemadmodum* D *& medica pharmaca acerba sunt, illa tamen reparandæ sanitatis gratia sumuntur. Rex Atheniensium Codrus addicente Apolline Delphico bellum aliter discuti non posse, ne Athenæ occiderent ipse mortem oppetere passus est. Quid loquar Decios, aut præcipitem Curtium? qui pro patria mori nequaquam veriti sunt, dum ei profuturi viderentur. Atqui vos .P. C. non pro patria ad certam mortem, sed pro patria ad certam victoriam hortamur, nullus enim exercitus est, qui posset unquam capere viris armisque tam bene munitam urbem Patavium. Igitur in vestra manu sita victoria, & tuendi vestri suburbii facultas est, si nunc adeo cum vestra res agitur,* E *vobis ipsis & reipublicæ consuletis. atque ut semper fecistis, & nunc assueta virtute vestra, & nostra hortatione enixe operam dabitis, ut res vestræ omnes privatæ salvæ sint republica incolumi, quas aliter rempublicam prodendo nequicquam serves.*

Postquam Dux ipse conticuit totis comitiis consensum est, quisque Principi gratias agere, ac interjecto certamine juvandæ reipublicæ, quisque suam operam libenter polliceri, quisque prima inter primos nomina sua velle in tabulis publicis esse, ut nec Princeps accipiendo, nec scribæ referendo sufficerent. Primates filios suos aut nepotes mittere, alii pecuniam dare, alii ipsimet F ire, denique omnes certatim omnia facere, quæcunque vires suæ paterentur, ut ex cunctis *Venetiis* cum trecentis nobilibus, & decem millibus hominum *Patavium* iretur. Sed *Patavium* studiorum placidissimum gymnasium, & urbem immunitam, quam e *Troja* profugum *Antenorem* condidisse ferunt, tunc Imperator exercitus & legati in alteram faciem mutare, summo studio perficiendo munire, fossas augere, mœnia reparare, & alterum murum e terra congestum educere,

cere, propugnacula munitissima construere, intus & extra prope urbem omnes domos demoliri, atque passim itinera levigare, ut sine impedimento milites possent exercere opera militiæ, denique in urbe militum ordines distributi sunt, & visum est omnes levites extra mœnia stare, hostem exercere, ordines disturbare, annonam diripere, sæpe etiam pabulatores & palantes alios insidiis intercipere, denique omnibus modis, omnibus locis, quanto maxime possent hostibus infestos esse, & ubique sociis auxilio festinare. Sicut & nuper agricolis, qui se muniverant ad pontem villæ *Tencharollæ*, & hostibus fortiter obsistebant, *Veneti* levites repente subsidio venerunt, & hostes fusi fugatique sunt. Atque amplius parte alia *Joannes Maria Fregosius* cum parte exercitus comitem *Philippum Mariam Rubeum* apud *Vincentiam* aggressus est, dum ille cum trecentis levitibus annonam in castra hostium comitaretur. Et quidem primo atrox certamen fuit dum utrinque nihil prætermittitur, quod usui foret, denique apud *Venetos* stetit non incruenta victoria, sed major cædes hostium fuit, & multi eorum cum duce *Philippo* capti sunt. Hostes vero primo quoque tempore expectare *Ferrariensium Gallorum*que auxiliares copias & *Germanos* milites, qui quotidie in castra hostium confluebant. Postea agros vastare, animalia abducere, oppida diripere, nunc omnis exercitus ad urbem procedere, & ad *Bassanelli* pontem ire, ut locum castrametandi prospiciat, nunc ne machinis offendatur, paululum recedere, quotidie levibus certaminibus contendere, modo scorpionarii equites levis armaturæ decompacto certare adversus scorpionarios equites hostium, modo utrinque centeni pedites digladiari invicem, multi utrinque cadere, nunc hi nunc illi recedere. Et nuper quidem anceps prælium stetit & prope urbem vario eventu ea gesta res est, denique cum advesperasceret hostes visi sunt velle obsidere *Patavium*, sed tantum abfuit, ut illi statim inde versus *Aponum* & montes ad consuetam prædam digressi sint. Contra milites *Veneti* pedites equitesque levis armaturæ, eos quasi fugientes audacter sequebantur, multa impedimenta ceperunt, multi pedites & equites hostium capti sunt. Et quia hostibus ea valde molesta res est, illi primo quoque tempore *Ateste* oppidum capiunt & diripiunt, deinde *Monsilicem* oppidum acriter oppugnare aggressi sunt. Est autem *Monsilex* haud longe distans ab urbe *Patavio* oppidum parum munitum, sed arx ejus in monte prærupto sita est. Et primo quidem contra oppidum tormentis militiæ acriter agebatur, & *Veneti* centum quinquaginta pedites cum *Petro Gradonico* præfecto, & duce *Paulino Cursio* nihil omnino vereri videbantur, omnes sub imperio esse & sub ordinibus militiæ, omnes cuncta officia libenter facere, quisque locum servare, quisque hostibus obviam ire, atque eum mœnibus deturbare, & tueri omnia. Postremo autem *Veneti* ingruente hostium multitudine satius & tutius rati sunt imminenti periculo cedere, & ab omnibus in arcem protinus itum est, ubi belli vis major incubuit. Namque oppidum situm erat in plano, & ex ea planicie mons saxeus insurgebat undique præceps & satis patens mediocri castello, cui virorum, armorum, frumenti, vini, & olei, satis magna vis erat, locus importunus tormentis & instrumentis militiæ. Simul ac enim ea agebantur, & paulo processerant, *Veneti* e mœnibus igni aut lapidibus corrumpere, milites quicunque pro opere parum consistebant propter iniquitatem loci, neque inter instrumenta militiæ sine periculo administrabant, toto colle faci-

A le detrudere, acriter præ mœnibus certare, optimum quemque hostium interficere aut ferire, & cæteris metum incutere. Contra hostes cuneo repente facto *Venetos* invadere, omnes pariter omnibus locis cuncta pericula subire, terrere tormentis militiæ, tentare, instare acriter in castellum vadere. Et jam *Venetorum* spes omnis in sola deditione sita erat, de qua cum hostibus agebatur. Sed hostes consultando potius ea occasione rerum bene gerendarum acriter usi sunt, *Venetos* milites loco dejicere, multos occidere, scalas admovere, murum ascendere, & super occisorum corpora in castellum ire. Itaque Arx
B *Monsilicis* oppidi omnino satis munita in hostium potestatem venit, & omnia prædæ militibus fuere, præfectus & pauci alii captivi facti sunt, & de cæteris omnibus magna edita cædes est, denique hostes gloriam invenerunt ex ea re, quam temere aggressi sunt, & tempus conterituri videbantur. Capto Castello hostes iterum in omne scelus prolapsi sunt inhumanum sævumque facere quantum dici & excogitari potest, passim agros vastare, prædas agere, sævire, interficere, violare, rapere, populari, comburere. Sacratissimum quoque Christi Corpus superadditis verbis scelestissimis in terram projicere, & divina omnia
C fœdare. Denique crudeliter agendo iterum ad pontem *Bassanelli* reversi sunt, & conabantur iterum aquas adimere, supra *Bassanellum* fossam ducere, & *Brentam* omnem dictum olim *Meduacum* fluvium versus *Monsilicem* divertere. Contra *Veneti* acriter obsistere, & e regione compactis aggeribus reparare, fossores hostium impedire tormentis militiæ, tegumenta humi prosternere, & cuncta infecta reddere. Sed interea exercitus hostium numerosior fiebat, venerantque ex *Ferraria* auxiliares copiæ Cardinalis *Estensis* cum centum militibus, ducentis levitibus, octingentis agricolis, & multis tormentis militiæ. Hostes
D ergo quia nuper repulsi sunt, simul ac prope urbem consertum prælium esset, postea magis insidiis contendere aggressi sunt, multi pedites tormentarii post diruta mœnia latebant, & *Venetos* venientes incaute immissa glande feribant. Sed ea ars parum profuit, siquidem *Veneti* admoverunt ad locum tormenta militiæ, & statim dejecerunt parietem, unde plerique hostium contriti, & reliqui in fugam conversi sunt. Dum ea invicem milites agunt, viderenturque hostes in procinctu esse urbi succedere, Imperator exercitus & legati apud fanum *Justinæ* convocatos milites ad capessendam rempublicam hortabantur,
E simul ac militibus e Senatu consulto in eam formam literæ redderentur. *Ante hac semper milites spes nostra sita erat in Deo optimo maximo, ut is nobis semper auxilio esset, qui justam causam semper fovet. Verum ea apud nos non amplius in incerto res est, quandoquidem ejus opera idipsum fiat, quam nos simul & vos vestris omnibus votis semper postulastis, ut tantum hostes morarentur, quantum muniendæ urbi sufficeret. Jam vero benignitate Deum civitas apprime munita est, & omnia sedulo subministravimus, quæcunque usui fore putastis, ut solummodo illud supersit vos agere, quod semper polliciti estis urbe munita, & cunctis paratis ex sententia, omnem obsidionem hostium frustra fore. Neque*
F *profecto spes concepta vos fallet Deo auctore in vobis, qui in arte militari omnes valde exerciti estis, ut opera vestra assueta, & virtute vestra præclara, populique Patavini fide incommutabili, facile omnes tuti esse possitis. Veniat quæso in mentem modo quantum oculi omnium in vobis conversi sint, ut videant quantum in rebus adversis animosi & fortes sitis. Vos omnes bellamini pro justitia, pro salute propria, pro libertate Italiæ, quam semper hostes*

barbari dilacerare soliti sunt, & modo eorum fides & animi quales sint in totam Italiam, documenta certissima antiqua & recentia habentur, & nos posteris exemplum amplissimum futuri sumus. Vos omnes bellamini pro fide Christi, quæ alioquin manifestum periculum subiret si quod absit hostes Patavium capiant. Contra hostes bellum injustum gerunt, inducias dolo malo & jurata fœdera violarunt posthabitis divinis & humanis cunctis rationibus, ut merito in eam spem ducti simus, qua putamus nobis auxilio fore Deum optimum Maximum, qui protector justitiæ & veritatis perhibetur. Igitur vestrum erit Milites acriter in hostes agere, & nusquam deesse vobis & reipublicæ. Quod si feceritis ut vos facturos non diffidimus, insenescibilem gloriam vobis, apud omnes nationes merito comparabitis, & nos gestarum rerum nunquam immemores, re & omni officio, dando & gratificando, de vobis ita benemerebimur, ut apud omnes nationes erga vos gratissimi non magis habeamur, quam simus. Postea legati in castris militibus in eam sententiam dicebant, tantam esse reipublicæ spem sitam in uniuscujusque militis & totius exercitus virtute maxima, ut animata esset divitiis & omni vi tutari libertatem *Italiæ*, & tantorum virorum Ducum militumque virtutem exercitam, quæ alioquin hostibus barbaris semper invidiosa sit, & facile extingui possit, si illi *Patavio* potirentur. Accedere ad hoc ajebant, ut quisque summa ope eniti debeat, quod quisque pro comperto habet, omnia commoda, & omnes opes reipublicæ sibi semper usui fore, si modo ut dictat ratio divina favente clementia, atque experta virtute & sedula opera militum, apud *Venetos* foret desiderata victoria. Nihilominus Imperator exercitus stans ante altare milites inhortabatur, ut rempublicam suscipiant, & pro virili tantæ se expeditioni accingant, quam honoris eorum gratia deinduſtria Deus optimus obtulerat. Tum orare, obtestari, suadere quemque simultates deponere, & se ita componere, ut omnia amice gererentur, simulque ut illud fieret, quod viderat in obsidione urbium solitum fieri, quemque cogebat contactis manu scripturis in verba concepta jurare, se constanter servaturum in omnibus fidem reipublicæ, & in hac urbe servanda præcipue, qua constabat omnis salus totius *Italiæ*, & simul ac ea dixerat, ipse primus cepit jurare, postea legati, Ductores, & cætera multitudo identidem fecit, & deinde per loca cuncta appositæ custodiæ, & ordines distributi sunt, atque statuerunt nocte qualibet alterum legatum cum ala equitum gravis levisque armaturæ totam urbem perquirere, atque custodias & duces peditum in diem mutare, ne aliquis sciret quem locum sortiturus esset, aut posset unquam de loco cum hostibus convenire. Portis autem præfecerunt nobiles *Venetos* a porta *Crucis*, usque ad Pontem *Bassanelli Lactantium Bergomensem* & *Citolum Perusinum* cum peditibus locarunt. Inde versus Pontem *Curvum* usque ad Portellum *Dionysium Naldium*, ad Portam *Cataractam* quadringentos pedites, ad Portam *Caudæ longæ Bernardinum Parmensem* cum acie peditum, atque statis aliis locis muris & munimentis distribuere præsidia. Super *Pratum Vallis* Imperatorem exercitus, & Comitem *Bernardinum* cum militibus, atque identidem cum militibus *Antonium Pium* parte alia supra plateolam *Antonii*, & amplius triginta equites gravis armaturæ cum peditibus ad forum tuendum, atque jubent alios milites & levites semper præsto esse huc & illuc ire, utcumque usuveniet. Cæterum hostes iterum ad prædam ibant villam nostram *Gurgensem Bobulentam*que villam, & omne solum *Plebissacci* diripere, atque igni ferroque subvertere. Postea omnis exercitus hostium auctus ad centum millia hominum iterum *Patavium* venit. Et quidem a *Portello Patavii* usque ad portam *Caudæ longæ* castra hostium sita sunt, deinde ad Portam *Portiæ*, & ad Portam *Caudæ longæ* ceptum est tormentis militiæ civitatem concutere, & obiter arcubus in urbem multas sagittas conjicere, convolutis literis Regis *Romanorum*, quæ omnibus agentibus *Paduæ* in eam formam dabantur. *Datum est deinduſtria vobis omnibus longum tempus pœnitendi, & dedendi sedulo urbem nostram Patavium, ne urbe vi capta cum maxima strage hominum, cuncta prædæ militibus forent. Nunc vero cum velimus urbem vi capere, ne patiamini ea quæ victi capta urbe pati solent, vos antea certiores fieri curavimus, ut dum vobis integrum est clementiam potius quam vim nostram experiri velitis. Itaque hortamur vobisipsis consulere, & nostra diutina patientia non amplius abuti velle. Aliter scitote proculdubio fore, ut cum volueritis incompresso impetu militum, non amplius locus pœnitentiæ supererit.* Sed *Veneti* milites nihil prorsus timere, infensi intentique sine tumultu manere, prælium audacter expectare, & solummodo tormentis bellicis agere, modo stare, modo obviam ire, nunc pedites aliquot nocte intempesta usque ad hostium tentoria repente vadere, & eum impræmeditatum tubis, & sublato clamore perterrefacere, nunc interdiu equites pileati hastati castra hostium circuire, & ubique infesti esse, ordines disturbare, multos ferire, aut perimere, nonnullos semper intercipere. Namque quousque contra *Patavium* statum est, nostri quotidie ad minus quinquaginta equos prædati sunt. Hostes vero nuper quasi urbem oppugnaturi agmine facto usque ad Portellum *Patavii* venire & recedere visi sunt, & deinde venerunt ad Portam *Caudæ longæ*, ubi primo tormentis militiæ acriter gesta res est, & postea *Hispani* pedites propugnaculum oppugnare aggressi sunt, atque nemine resistente murum incustoditum ascendere. Contra *Citolus Perusinus* eo stratagemate acriter usus est, & delecti pedites qui intus præsidio stabant. Namque ictibus hastarum & elaboratis ignibus ita impetuose & repente cum hostibus gesta res est, ut omnes illi ducenti, qui munimenta superaverant, afflicti sint, cæteri quomodo potuere pauci integri magna pars confecti vulneribus in pacatum abire compulsi sunt, & hostium audacia compressa est, videbaturque fore, ut *Veneti* acriter obsistant, si modo pecuniæ suppeterent, quarum inopia jam conducticii milites, quibus stipendium debebatur, clamitare, dolere, protestari, si ea de causa secus res cederet, multi officia militiæ recusare, non signa sequi, non ordines observare, non amplius sub imperio esse, ut reipublicæ in dies majus periculum immineret, nisi opportune ex *Venetiis* pecuniæ portarentur. Erant autem cuncta hostibus obsessa itinera, præter illud, quo ex monte *Apono Patavium* itur, & ideo ea parte pecunias excipere trecenti stratiotæ *Græci* equites præmissi sunt, & deinde cum duce itineris *Lucio Malvetio* equites gravis armaturæ, & equites scorpionarii ingens præsidium ibat. Jamque receptis pecuniis equites pileati hastati redibant, & inter eundum vident hostes *Gallos* octingentos equites alonge, & *Patavium* protinus illos anteveniunt. Namque reliqui levites & omnes milites ut conducendæ pecuniæ tutæ essent, obiter conati sunt hostibus obviam ire, & ultro etiam invadere. Sed eo primo congressu militum pulvis in nubem sublatus utrique obcæcatis militibus consertum atrox prælium diremit. Itaque milites *Veneti* potuerunt impune *Patavium* venire, & pecuniæ delatæ sunt. Jam vero *Patavii*

vii magna pars muri procubuerat, & ecce mœnibus repente subeunt duæ turmæ hostium, quarum altera militum, & altera levitum erat, cum multis peditibus. Contra *Veneti* quadringenti pedites tormentarii post mœnia latent expectando, donec hostis proximior fieret, deinde omnes pariter hostem contundunt glande plumbea, multos interficiunt, plurimos sauciant, atque omnes alii in fugam conversi sunt. Sicut & frequenter fiebat, & quotidie levia committebantur certamina cum hostium magno malo. Namque habitis pecuniis milites *Veneti* in officio esse, collapsa mœnia reparare, & imperata facescere, simulque omnes viri *Patavii* cum clamaretur ad arma, libenter arma expedire, & locum audacter capescere. Rex autem *Romanorum* quia videt *Venetorum* socios & milites intentos esse fortiter urbem servare, custodire, protegere, non contentus secum habere contra *Patavium Germanos*, *Gallos*, *Hispanos*, & gentem *Italiæ*, cepit etiam sedulo contra *Venetos* per oratores cum *Turcis* agere, atque amplius in *Venetos* movit Regem *Pannoniæ*. Et jam rumor ceperat increbrescere, illum contra *Dalmatiam* bellum moliri, & ad eam rem classem *Gallicam* & *Hispanam* propediem expectare. Igitur Patres necessitate compulsi, & quia antehac *Turcæ* polliciti fuerant se *Venetis* auxilio fore, quandocunque usu venerit, primo quoque tempore *Aloysium Raimundum* Oratorem ad *Turcas* mittunt oblata gratanter excipere, & cum nuper videretur suam operam usui fore, eorum auxilium implorare, dicere, Regis ipsius rem pariter agere, siquidem Reges ea de causa convenerunt in *Venetos*, quia ipsi noluissent fœdus initum cum Rege *Turcarum* violare, ut cum *Venetos* e medio sustulerint, de *Turcis* facile actum putent. *Venetorum* quidem vires amplas esse, sed tantis regum omnium viribus an possint sufficere in incerto res est. Sua itaque interesse rempublicam armis virisque tempestive juvare, & sibi propterea semper eam obnoxiam reddere. Pari modo Patres Regi *Angliæ* suadere conati sunt, adeo implicito Rege *Gallorum* rebus *Italiæ*, ut facile vinci posset, ea nunc uti occasione invadendi & debellandi *Gallias*, sicut olim fecit *Henricus* Rex *Angliæ*. Aliter ajebant proculdubio fore, ut Regis *Gallorum* nimia potentia Regi *Angliæ* formidolosa etiam videretur. Et quidem *Turcæ* libenter polliciti sunt præstare auxilia, ut *Veneti* eo oratore obtinuerint, ne dum ut *Turcæ* hostes *Venetis* non essent, sed etiam ut sedulo afforent auxilio si eorum opera uti *Veneti* contenti sint. Et Rex *Angliæ* contra *Gallos* animatus erat identidem facere, atque expectabat solummodo personam exuere, quæ sub tutore adhuc erat. Cæterum Patres illud maxime curare, & quæ levandæ obsidioni usui forent cuncta facere, festinare, parare alterum exercitum apud *Mestrum* oppidum, e manu collectitia, cum peditibus & equitibus gravis & levis armaturæ, qui *Taurisii* alioquin sub legato *Petro Marcello* præsidio morabantur, ut simul a tergo lacessitus hostis ab urbis oppugnatione discederet. Namque aliter ubique hostis infestus erat, & nuper structa acie ad urbem oppugnandam venit, ingressique pedites fossam propugnaculi *Caudæ longæ* conabantur illud ligonibus a fundamentis destruere. Contra citi *Veneti* obviam ire, igni ferroque missilibus telis & tormentis bellicis hostem repellere. Atque identidem parte alia *Veneti* ducenti pedites iverunt lanceis, hostium tormentorum foramina obturare, & pulverem igniferum comburere. Et amplius equites levis armaturæ per portam *Cataractam* profecti sunt usque ad vallum hostium prælium cum peditibus inire, aliquot interfice-

A re, & omnes perterrefacere. Quæ cum primum Regi *Romanorum* relata sunt, ipse protinus hortator adest in hostes stimulando militum suorum ignaviam, modo incusat, modo spe præmiorum virtutem accendit, & captæ urbis prædam edicit militum fore. Sic milites extemplo accensi sunt, & iterum sub signis & sub ordinibus militiæ in expeditionem ibatur. Et quidem ad propugnaculum *Caudæ longæ* iterum tria vexilla *Germanorum* peditum alios anteveniunt, deinde scalas admoverunt, & summa ope nitebantur murum ascendere. Contra *Veneti* acriter obsistere, hostem loco deturbare, denique conserto prælio
B tam multos tormentis militiæ, & elaboratis ignibus, aut sauciare, aut conficere, ut ex omni exercitu hostium, nemo amplius inceptum opus aggredi auderet, sed quisque cum suo magno malo ab inceptis explosus est. Igitur hostes quia vident urbis potiundæ nullam spem esse, ut pariter *Venetos* excirent sub signis militiæ stare, ipsi dissimularunt omnia parare & facere, quæ futuræ oppugnationi usui fore viderentur, & denique noctis silentio obsidione soluta protinus loco recessum est. *Veneti* vero milites armati intenti hostem expectando totam noctem insomnem du-
C xerant, & cum primum illucesceret pedites aliquot visum exeunt quid hostes agant, sublata tormenta militiæ & hostes abiisse vident, sicut & *Patavium* relatum est. Sed soli milites *Italiæ* *Galli*, & *Hispani* abierant, *Germani* vero cum Rege *Maximiliano* manserant, & cum primum postera dies oriretur, sublato clamore repente muros & propugnaculum *Caudæ longæ* iterum adorti sunt, simulque pluribus locis ceperunt urbem acriter oppugnare, mœnibus subire, scalas admovere, murum ascendere. Contra *Veneti* milites intenti paratique stare, semovere hostem missilibus telis, & nihil tutum munimentis pati, deinde atrox certamen fuit, & denique hostes
D fusi fugatique sunt, atque inde abierunt cum magna ignominia, sicut & Cæsar abiit protinus in *Germaniam*. Et quidem nunquam apud *Patavium* totis viribus gesta res est, quia dum sæpe in quæstionem venisset, *Fracassius Severinas* semper ejus rei dehortator erat, simul ac videt *Gallos* nolle prælium inire, sed solum subsidio stare procul a *Patavio* per tria millia passuum. Namque ex urbe tormentis militiæ adeo acriter agebatur, ut qui prope essent, non possent habitare, nisi in scrobibus. Ipse autem verebatur ne alioquin *Germanis* contra spem eveniat, & *Galli*
E illis etiam infesti sint. Atque amplius ajebat necesse esse ad triginta millia hominum perire, si in certamen iretur, quod Rex *Maximilianus* fieri nolebat, quia non potest pati hominem mori, & humanissimus est. Soluta autem obsidione primo quoque tempore *Veneti* stipendium militibus dare, annonam curare, ubique sociis auxilio esse, aquarum repagula demoliri, & pandere obturata itinera, atque obiter ut hostes longius abeant expectare. Contra hostes agros vastare, prædas agere, oppida & civitates diripere, & magnis contributionibus gravari, villas passim comburere, & maxime agricolis infesti esse. Ve-
F rum ut sæpe fieri solet inter nationes ex opulenti præda, magna discordia orta est, & *Germanis*, *Hispani* & *Galli* hostes erant, qui etiam aliquando frustra tamen repugnantibus *Germanis Vincentiam* & *Veronam* diripere obnixi sunt, & propterea copiæ hostium in partes fiebant, & *Germani Vincentiæ Veronæ*que subsidio stabant, atque *Galli*, *Hispani* & milites *Italiæ Lemniacum* oppidum oppugnatum ibant. Igitur oppidani arma expedire, bellum parare, undique aggeres & munimenta construere. Et quidem frequenti-

A. Mocenicus. C 2 bus

bus scissuris *Athesi* flumine circumcirca amplius palus obducta est, & vis ingens aquarum, & *Jacobinus Novellus* cum ducentis peditibus per occulta itinera *Lemniacum* subsidio statim venit. Quæ cum primum hostibus relata sunt, quia oppidum armis virisque bene munitum vident, & tempus hyemis, re intentata hostes *Galli* etiam *Veronam* venerunt, & distulerunt rem omnem in tempus aliud. Interea vero *Venetorum* omnis exercitus rursus accersitis fidissimis agricolis in expeditionem exivit, & *Vincentiam* oppugnare profectus est, & quia *Veneti* populum res novas moliturum sperabant, statim jubent levites ad portas civitatis antevenire, & deditionem tentare. Sed cum id parum procederet, totis castris itum & ceptum est acriter mœnia tormentis militiæ concutere, demum aperto aditu pedites immissi sunt, qui urbem ingredi summa ope nitebantur. Contra Cæsariani milites ad septem millia hominum acriter obsistere, & hostem repellere, festinare, parare, facere, & ferro decernere. Igitur utrinque nihil prætermittebatur quod usui foret, quisque magis quam in alio, in se spem sitam habere, pariterque agere & pugnare omnibus locis, & avidius parare alter alterum hostem ferire, quam semet tegere. Clamor permixtus exhortatione, lætitia & gemitu, itidem strepitus armorum ad cælum ferri, telaque utrinque volare, denique *Veneti* & *Dionysius Naldius* præfectus peditum magis magisque obnixi ceperunt *Pusterlæ* suburbium, & deinde quia nox erat cecinerunt receptui. Et quidem difficilis factu ea visa res est, nisi ex insperato *Vincentini* oratores intempesta nocte ad *Venetos* legatos in castra veniant, & ultro deditionem faciant. Itaque Cæsariani milites impune dimissi sunt, & *Vincentia* in fidem recepta est, præsertim opera *Severinatis Fracassii*, qui Dux hostium intus erat, & eam rem summa ope curaverat. Quod si eo rerum successu & tanta agrestium & populorum omnium vocatione *Veneti* milites opportune usi essent, & protinus *Veronam* itum foret, proculdubio aspirans fortuna rursus in solidum rem *Venetam* collocasset. Usque adeo semper usuvenit festinare, & in re militari potissimum celeritate opus est, & occasione uti, ut nunquam prosit differre, cum rerum bene gerendarum omnia parata sint. Aliter dum tempus frustra conteritur protelando stipendium militibus dare, & cavendo ne milites urbem diripiant, iterum e manibus quæ se obtulerat fortuna inconstans elapsa est. Namque cum Regi *Romanorum* captam *Vincentiam* nunciatum fuisset, ipse primo quoque tempore *Tridentum* venit bellum parare, copias colligere, & *Gallos* in auxilium *Veronam* accersere, ut cum primum *Venetorum* omnis exercitus cum manu collectitia citra amnem *Athesim* in eam expeditionem exiret, & ultra fluvium *Carolus Marinus* præfectus *Lemniaci* cum quingentis equitibus levis armaturæ, septingentis peditibus, & quatuor millibus agrestium, hostes facta repente eruptione ausi sint manum conserere cum *Venetis* levitibus, qui utrinque *Venetorum* exercitum, & ad portam *Maximi*, & ad portam *Episcopi* antevenerant. Certatumque est utrobique vario eventu quousque nox anceps prælium diremit. Ea re legati valde commoti sunt & Imperator exercitus, & quoniam *Veronensium* qui in castris erant exploratores non revertebantur, neque videbatur populus res novas moliri, re infecta statim inde *Veneta* castra mota sunt, ne aliquod detrimentum respublica pateretur. Interea vero hostes *Germani* qui *Vincentia* capta impune dimissi fuerant, totam regionem prædabantur, & igni ferroque cuncta miserabiliter vastabant, & in dies magis

A magisque illa illuvies serpebat, nisi forte aliquando cum hostes illi ad duo millia hominum incautius ex *Bassiano Civitatulam* prædatum irent, *Alexander Bigolinus* cum quadringentis levitibus, & manu agrestium in valle fidata illos protinus introcludat. Namque deinde atrox prælium consertum est, *Venetorum* jaculatores agricolæ & scorpionarii equites ubique hostibus infesti erant. Contra hostes summa ope nitebantur evadere, & inter vineta semper sub ordinibus stabant, & quingenti pedites tormentarii ictu alio super alium *Venetos* semovebant, donec hostibus ex *Bassiano* subsidium venit, & illi multi saucii, B nonnulli contriti tormentis militiæ, omnes valde trepidi in oppidum cecinerunt receptui, & illud reliquerunt *Venetis* incustoditum propediem. *Aloysius Mocenicus* autem legatus *Tarvisii* identidem profectus est Civitatem *Bellumni Feltrum* & arcem *Scalanam* recipere. Sicut enim ex *Bassiano* ad Castellum *Scalanum* via difficilis est. Sic ex Civitate & *Feltro* oppido expeditio facilis futura videbatur. Accedebant rei agendæ agricolæ montani exerciti, qui facile possint vineas, tormenta & instrumenta militiæ, per patulum iter deferre. Datum tamen simul negotium est *Alexandro Bigolino* & aliis, qui apud *Bassianum* C erant, ut eodem tempore quo isti oppidum aggrederentur, illi parte altera hostibus obviam irent, & semper subsidio essent. Igitur compositis rebus omnibus ex sententia cum quadringentis peditibus, & villicorum duobus millibus, ex *Taurisio* Civitatem & *Feltrum* itum est, quibus oppidis in fidem deditione receptis, contra arcem *Scalanam* protinus ibatur. Arx autem undique præceps est supra montem sita pervia tantum duobus montanis itineribus, & alio plano itinere ad *Primolanum*, qua ad castellum per subjectam planiciem itur, hæc itinera primo quoque tempore *Venetus* obsidet, ne quisquam hoD stium auxilio esse possit, deinde ceptum est oppidum tormentis militiæ concutere. Contra hostes quinquaginta delecti pedites omnibus modis acriter obsistebant simul jurati fidem servare, & potius mortem pati, quam deditionem facere. Namque tormentis militiæ, missilibus telis, & rebus omnibus quæ usui essent apprime munita Arx erat, & videbantur duo millia *Germanorum* peditum ad locum *Grigni* subsidio fore, nisi vitabundi *Veneti* ostendant ad *Primolanum* se audacter ituros obviam. Verum nonnulli agricolæ primo armorum strepitu territi sunt, & post sentes & spineta latebras quærebant, quod cum *Mocenicus* E animadverteret, eis se medium gessit dicens se illuc venisse eorum gratia, eos e tanta servitute eripere, & ulcisci necem parentum & filiorum, pariterque velle in bello simul ut ipsi sunt inermem esse, & pedibus ire, denique cum eis communem fortunam habere, si modo velint secum loco consistere, sin aliter scitabatur sententiam dicere quid facturi sint, quandoquidem magis quam in militibus in eis spem sitam haberet. Sic ille locutus est, & vicissim agricolæ collachrymati & polliciti sunt, se *Mocenici* thoracem fore, & velle propriis pectoribus eum servare, quo auctore pristinam salutem propediem possent reciF pere, & deinde illi libenter iverunt ad *Primolanum* jussi locum capescere. Cæterum ab opere cessatum est & statum sub dio frigido nivoso, quia massæ ferreæ defecerant, & muri nondum satis prociderant, ut *Venetis* spes omnis demeretur, nisi forte villico monstrante locum sub terra pilas idoneas invenissent. Itaque summo mane tormentis militiæ frequentius agebatur. Parietes passim disjecti sunt, & consertum atrox prælium. *Veneti* freti multitudine ad victoriam animo-

animosius tendunt. Hostes quia nullam spem salutis habent, acrius in mortem ruunt. Denique *Alexander Græcus* vexillum *Marci* primus audacter in arcem tulit, & deinde cuneo repente facto cætera multitudo passim secuta est, victique hostes exceptis Ducibus omnes ad unum cæsi sunt, & arce capta omnia prædæ militibus fiunt. Nihilominus cessit ex sententia apud Castrumnovum *Forijulii*. Namque nuper *Antonius* & *Hieronymus Savorgnanus* cum duobus millibus hominum in eam expeditionem exierant, & quamvis armis virisque Castellum bene munitum esset, quod ultra *Tiliaventum* fluvium in medio *Forijulii* supra præruptum montem erigitur, solum tamen tormentis militiæ gesta res est, quia oppidani ducenti pedites cum mercenario milite, qui præsidio stabant, majorem vim expectare ausi non sunt, & deditione statim facta in *Venetorum* potestatem castellum venit. Deinde *Veneti* milites ad prædam digressi sunt, atque hostes idemtidem, & dum utrique vim hostium volunt comprimere sæpe vario eventu pugnabatur, & amplius vicissim igni ferroque sæviter agebatur, simul ac hostibus non sufficeret prædas agere. Sed tantummodo levia certamina fiebant, quia alioquin facere hyems horrida vetabat. Aliter parte alia quoniam Dux *Ferrariæ Rhodigianam Pollesinum* ceperat, & amplius terra marique infestus erat, contra *Veneti* volebant ulcisci illatam injuriam, & primo quoque tempore contra *Ferrariam* ibatur. Namque *Angelus Trivisanus* quem penes erat classis imperium adverso *Pado* per hostium fluminis, quod *Fornaces* accolæ appellant, cum sexdecim triremibus, galeonibus, lembis, ganzariolis, & aliis diversi generis navigiis, totum solum *Ferrariæ* prædatum ibat. Statis locis aquas in hostes abscindere, & omnia igni ferroque subvertere, tantumque terrorem omnibus injicere, ut omnes præcipiti fuga cum liberis & conjugibus *Ferrariam* abirent, ubi se tutos fore arbitrabantur. Ventum erat ita prædando & vastando omnia usque *Lacum Obscurum* oppidum, & idemtidem equites levis armaturæ prædas egerant usque oppidum *Ficarolium*, ubi *Padus* amnis ex *Vessuli* montis gremio dilapsus in duas partes scinditur, & inde amplexus aliquantum agri biceps confluit in mare, simul ac *Ferrariæ Pollesinum* fecit. Et ecce quidam explorator statim venit *Venetos* certiores facere, hostem illis obviam venire, atque iccirco recessum est, & deinde apud *Pilosellam* stabatur, & propugnaculum fiebat, ut classis semper eum obicem haberet, si aliqua vis hostium repente ingruat. Parte alia quia *Padana* classis terrestrium copiarum auxilio egebat, omnis exercitus *Montagnanam* urbem venit, & injecto levi certamine deditione recepta est, *Ferrarienses* præfecti captivi venerunt in castra *Veneta*, & alii septingenti milites inermes dimissi sunt. Atque amplius vicina oppida & omnis *Rhodigii* peninsula ultro in *Venetorum* potestatem venit, ut *Veneti* suo contenti merito & tutius esse possent, quam ulterius progredi cum damno & ignominia reipublicæ. Adeo facile classi periculum ingens imminebat, sive aquarum frequenti abscissione depauperato flumine carinis in vado statio non tuta sit, sive *Ferrarienses* hostes prævaleant impetuosis tormentis militiæ, & *Gallorum* auxiliaribus copiis, ut obsessis itineribus aut *Venetis* non integrum esset, dum vellent in pacatum abire, aut necessitate cogantur id facere, quod voluntate rectius agant, & receptis oppidis contenti sint. Aliter illi fortunæ illecebris allecti sunt, quæ ut sæpe solet primo facilis est, & postremo duriuscula videri solet. Igitur *Veneti* rati sunt e republica usque *Ficarolium* to-

A tam classem subvehere & hostibus infestam esse, atque inde ad *Pilosellam* redire. Quod si omnes itidem terrestres copiæ eandem rem agant, facile etiam prospera omnia cedant. Sed adeo majores copiæ *Gallorum Germanorum*que *Veronam* venerant, ut liquido pateret illis paulopost prædæ omnia fore, nisi pars major exercitus versus *Suavium* statim eat, & propterea dum *Veneti* rei utrique consultum volunt, eo modo quo fieri potuit, datum negotium est *Joanni Paulo Gradonico* cum quadringentis solummodo levitibus, & quingentis peditibus classi, & *Rhodigianæ Pollesino* semper subsidio fore. *Andreas* autem *Grittus* cum reliquo equitatu
B levium *Suavium* oppidum profectus est, & Imperator exercitus cum *Petro Marcello* & omnibus copiis *Montagnanam* & *Coloniam* venit, atque inde *Suavium*, ubi illud præsertim curabatur, ne dum ipsi hostibus infesti sunt, illis ut ferebatur eruptione facta, rerum bene gerendarum facultas esset, & propterea *Veneti* primo quoque tempore locum castris aggeribus & fossa apprime munire, colles passim conjectari, propugnacula statis locis construere, ut si opus esset pauci multis possent obsistere. Fossa diducta est a *Suavio* oppido usque ad amnem *Athesim*, & passim obducta palus quantum fieri potuit levigataque itinera
C a *Suaviano* colle ad campestrem planiciem, qua ex *Leonico* oppido ad montem fortem itur simulque *Suavium* & *Leonicum* muro promurali & fossa, aquarum & itinerum abscissione quantum fieri potuit tumultuario opere, ambo oppida munita sunt. Dum ea vero apud *Suavium* fiunt, in urbe *Verona* multarum nationum multæ contentiones ortæ sunt, ut *Germani*, *Hispanis* & *Gallis* non satis fiderent. Accedebat rem *Ferrariensem* maxime periclitari, nisi consocia arma auxilio jungerentur, eamque ob rem eo profecti sunt *Galli* & milites *Italiæ*, qui sæpe antea minabantur adversus *Venetos* in expeditionem exire, &
D deinde belli vis major apud *Ferrariam* incubuit. Stabat *Veneta* classis juxta *Pilosellam* fluvium, & ut diximus pro antemurali Castellum habebat, & haud longe super triremes temere pontem fecerant, ut *Joannes Paulus Gradonicus* modo hinc pergat, modo inde equitatum levis armaturæ trajiciat, cuncta circumspectare, Arcem *Guilielmiam* & Turrim *Donatiam* præsidio munire, Castellum *Venetium* demoliri, & demum omnia facere, quæ hostibus terrorem, & *Venetis* audaciam merito augere viderentur. Parte alia *Marcus Antonius Contarenus* cum classe *Padana* & minoribus navigiis *Comaclum* oppidum statim venit,
E & parvo discrimine illud cepit & diripuit. Namque hostes ut primum vident classem *Venetam* in eam expeditionem festinare ex *Padi* ostio cui *Vollanæ* nomen est, quamvis locus situs intra lutosas paludes & armis virisque bene munitus esset, omnes tamen illico in fugam conversi sunt. Et quidem oppidanis facile impune cessit, quia cymbas paraverant, sed quadringenti quinquaginta pedites, dum pedibus conantur in continentem evadere, multi lutosis itineribus & fluminum vorticibus absumpti sunt. Itaque facile oppidum captum est, & omnia prædæ militibus fuere, quæ magna fuit tritici, salis, & piscium & omnis
F *Venetias* delata est. Interea vero *Ferrarienses* hostes magis aucti manu collectitia *Gallicis* Pontificiisque auxiliaribus copiis sæpe *Venetis* obviam ire, & manum acriter conserere, denique castellum summa ope oppugnare obnixi sunt, munimenta superare, & *Venetos* opprimere. Contra *Veneti* pro viribus stare Castellum & seipsos tueri, hostemque longe repellere. Igitur utrinque acriter agebatur, & marte ancipiti certatum est toto die duodecimo calendas Januarii usque

 quo

quo nox atrox prælium diremit. Et quidem in eo prælio plures ceciderunt de hostibus, quamvis illi ad decem millia hominum essent. Nocte vero media intercisis aggeribus hostes tormenta militiæ contra classem *Venetam* affigunt, atque inde in eam acriter agebant, si possent summergere & disjicere. Ea re nautæ valde conterriti sunt, & ignari quid agant, pauci sibi constare, arma capere, & conari si saltem possent, cum tribus triremibus in pacatum abire. Namque reliquæ triremes statim aliquæ tormentis militiæ summersæ sunt, & aliæ omnes in hostium potestatem venerant. Siquidem tantisper dum omnium in sola fuga sita spes esset, alii tormentis bellicis, B alii fluminis vorticibus absumpti sunt, plerique tamen incontinentem fugerunt, ubi nostri exercitus pars erat, quæ illis auxilio fuit, quousque in pacatum abirent. Itaque hostes *Veneta* classe, & deinde castello deditione potiti sunt, & amplius trecenti equites super ripas fluminis, & secundo flumine cum classe quingenti pedites contra *Laureti* locum venerunt, ceperunt, combusseruntque illum incustoditum, quia protinus omnes inde aufugerant, & de classe *Padana* idemtidem agebatur, nisi statim illa etiam recessisset ad *Bebias*. *Veneti* vero milites paulatim venerunt *Abbatiam* oppidum, quod si tueri possint in tanto C successu hostium, facile videbatur totam *Rhodigianam Pollesinum* tutam fore, & ideo omnes copiæ inibi collectæ sunt, & pontem fecerunt inter Turrim *Mediam* & Turrim *Marchioniam*, ut citro ultroque commeandi semper facultas esset. Aquæ pariter abscissæ sunt, ut diducta passim palude omnia multo tutiora redderentur, & demum adhibitis operibus omnia curata, ne hostes *Rhodigianam Pollesinum* ingredi possent, quod alioquin *Veneto* exercitui, & solo *Patavii* periculosum foret. Patres autem certiores facti de his quæ gesta fuerant, statim conversi ad rempublicam classem reficere, triremes decem, quæ D *Istriæ* erant accersere, novum Imperatorem classis deligere, terrestribus copiis supplementum mittere, & demum omnia facere, quæcunque usui forent, ne hostis amplius impune posset procedere. Tantum vero abfuit hostem progredi, ut in castris hostium potius veluti in civitatibus factiosi solent, milites *Italiæ* adversus *Gallos* pugnarent. Certatumque est ac si hostes essent, & plusquam trecenti desiderati sunt. Accedebat brumale tempus rebus agendis incongruum, nivosi colles & frigore congelata lutosaque itinera, quamvis isto bello nunquam hyematum iretur, ut sicut pares erant animi Regum adversus *Venetos*, E ita paria essent bellandi tempora. Sed dispar erat fortuna, quæ hyeme rebus *Venetis* aspirare videbatur, simul ac æstate adversa fuerat. Id quod plusquam semel cum esset comprobatum experientia, pecuniis parcendo & stando, consultum foret reipublicæ longe melius, quam sæpe frustra periclitando operam & impensam perdere. Aliter vicit multitudo insipiens quamvis pauci boni frequenter hortati sint, salvis opibus solummodo *Patavium* & *Taurisium* servare. Sicut semper par est illos hostem non lacescere, qui propulsandæ injuriæ vix apti sunt. Cæterum ne dum *Ferrariæ* milites hostium invicem pugnabant, sed etiam *Veronæ* idem frequenter fiebat, F simulque omnes milites omnibus modis populo infesti erant, modo hanc, modo illam domum oppugnando, diripiendo, inferendo vim mulieribus pueris & innuptis puellis, ut cum forte hostis adesse diceretur, & ad arma acclamatum esset, quem quisque magis timeret, hostemne an socium aut popularem, apud quemque in incerto res erat, & ideo *Veneti* in spem urbis potiun-

A dæ iterum ducti sunt. Sed eam rem lentius quam par erat curabant, tum quia nuper apud *Patavium* Imperator exercitus perierat, cujus bene actæ vitæ & rebus gestis merito longa memoria supererit, tum quia *Aloysius Mocenicus* & *Joannes Cornelius Veneti* oratores cum Cæsarianis oratoribus de pace apud *Hospitiolum* agebant, ubi diu quidem actum est, & quamvis amplæ conditiones pacis proponerentur, Cæsariani oratores tamen omnia aspernati sunt, & tandem re infecta repedarunt in *Germaniam*, atque ideo postea Rex *Angliæ* ejus rei auctor quærebatur, & *Achilles Crassis* orator Pontificis apud *Maximilianum* Regem id maxime curabat. Namque jam oratores *Veneti Dominicus Trivisanus*, *Leonardus Mocenicus* Pater meus, *Aloysius Malipetro*, *Paulus Capellus*, & *Hieronymus Donatus*, qui continuos sex menses eam rem apud *Julium* Pontificem agebant, tandem eo modo quo fieri solet censuris Ecclesiæ expiati sunt, & deinde ceptum erat invicem de bello & pace consulere, & mutuo frequenter agere. Itumque inficias est *Germanis*, *Hispanis* & *Gallis* oratoribus, Pontificem amplius *Cameracensi* fœdere teneri, aut quicquam auxilii laturum venienti in *Italiam* Regi *Gallorum* & *Romanorum*. Siquidem aliquando Cæsar habuerat, quicquid ei ex *Cameracensi* fœdere debebatur, & Rex *Gallorum* voti compos jam antea, non sine suspicione amplius affectati imperii rursus in *Italiam* venit. Se posthac Pontifex ajebat adversus *Venetos* cum eis nihil habiturum commune, & Christianorum non belli, sed pacis autorem fore. Contra tamen Rex *Gallorum* pro expeditione *Italiæ* auri pondo multa millia ingentesque copias parabat, & ne suum opus usquam Rex *Angliæ* moraretur, nitebatur consultores ejus pecuniis corrumpere, & res omnes componere, simulque *Helvetios* in suas partes seducere. Igitur Pontifex cum Rege *Angliæ* frequenter agebat, & conabatur quanto maxime posset a *Gallis* avertere, necnon auctore Episcopo *Sedunensi* in multos annos *Helvetios* mercenarios habere, & quod plurimum intererat præsertim curabat, cum *Maximiliano* Rege *Venetos* conciliare auctore *Margareta* filia Cæsaris *Burgundicola* & *Matheo Lancher Gurgensi* Episcopo. Verum supra omnia consultabatur, quonam pacto libertati totius *Italiæ* maximum imminens periculum vitaretur, modo veniebat in mentem totam *Italiam* unire, modo cum Rege *Hispaniæ* & *Angliæ* Pontificem *Venetos* & *Helvetios* in novum fœdus coire. Nihilominus Dux in castris *Venetorum Joannes Paulus Balionus* quæsitus est, & *Laurentius Cerinas*, qui peditibus præsit. Namque exercitui non minus quam parandæ classi enixe studebatur, ut *Venetorum* in castris essent mille quadringenti milites, quatuor millia levitum, & decem millia peditum, constaretque classis ingenti numero navigiorum naviumque & quadraginta triremium, quæ cuncta Pontifici semper usui fore *Hieronymus Donatus* orator *Venetus* ajebat, & rogabat Pontificem operam dare, ne Rex *Romanorum Venetis* hostis esset, simul ac ad eam rem Principes etiam *Germaniæ* allecti sunt, & tandem *Augustensi* conventu cautum est, ne de bello prius ageretur, quam de pace cum *Venetis* oratoribus agatur. Sed tantum abfuit quod Cæsar ægre ferens rem omnem infectam reddidit, & minabundus propterea Oratorem Pontificis expulit. Ille vero inde in *Pannoniam* profectus est, & identidem rem *Venetam* fovit, simul cum *Petro Pascalico* oratore *Veneto* apud Regem *Pannoniæ* ut facile res omnes tutæ essent, nisi *Helianus* orator nomine Regis *Gallorum* & *Romanorum* in *Pannoniam* venisset rem omnem subvertere. Namque ille Regi *Hungariæ*

riæ pollicebatur annua centum millia numûm, classem paratissimam, & connubia Ducis *Burgundiæ*, & sororis ejus, cum *Ludovico*, & *Anna* filiis Regis *Hungariæ*, si Rex contra *Venetos* bellum sumat. Sin aliter ajebat fore, ut Reges *Dalmatiam* capiant & tradant Regi *Angliæ*, ad quem ea spectare videretur. Igitur *Pannones* valde commoti sunt, & quia res magni momenti videbatur *Heliano* & *Petro Pascalico* statuta dies & locus est, ubi quisque pro concione loqueretur, atque primo *Helianus* sic orsus est. *Si quisquam unquam confidenter locutus est, ego nunc debeo id maxime facere. Namque de bello suscipiendo apud bellacissimas nationes dicturus sum. Neque de vestra utilitate difficultas oritur, quam suadere omnes solent, qui de rebus dubiis loquuntur. Patet enim Dalmatiam vestram fore quæ trecentas insulas, quatuordecim magnas urbes, & duas provincias habet. Siquidem modo venimus ad eam recuperandam classem & pecunias offerre, quæ possint sufficere. Et quidem antea .P. OP. Romanorum & Gallorum Reges hortati sunt, ut velletis vestram Dalmatiam recipere. Sed stabat adhuc classis Veneta, & vos classe, & pecuniis egebatis. Nunc vero apud Ferrariam triremes Venetorum captæ sunt, & vos classem & pecunias habetis, ut si vultis facile possitis, Dalmatiam vestram recipere aut perdere, quia si vos in re tam vestra negligentes estis, Reges Dalmatiam capient, & tradent Regi Angliæ. Quod si belli justæ causæ quærantur, illæ Regis Gallorum sunt, quod Veneti ex municipiis Regis Romanorum nullam partem dedere, quæ ex fœdere debebatur, & se invito fecerunt inducias. Vos vero semper jure potestis vestra repetere, & nunc maxime tempus est, dum omnia parata sunt, & Reges vicissim agunt, donec capiant ipsas Venetias. Et quidem id facere omnes Reges summa ope eniti decet, quando Veneti Reges spernunt, & quod turpe etiam est, sæpe gloriari solent, vestrum Regem mercenarium habere. Quod si bene recolamus etiam præterita, & quemadmodum incuria Venetorum Constantinopolis capta est, merito Veneti & Turcæ duo dracones Ecclesiæ appellandi sunt, quorum oportet qui intus prius perimere, & postea qui foris habitat, si velimus rem Christianam tueri & protegere. Vos ergo has amplas conditiones accipite, atque eo maxime confidite in Regibus, quia vestri consanguinei sunt, & in Venetos bellum libenter sumite sicut vos decet facere, si parati estis rem vestram agere.* Contra *Petrus Pascalicus* ita locutus est. *Cogitanti mihi .P. OP. tantam esse satis spectatam fidem vestram erga nostram rempublicam, ut vobis semper obnoxii futuri simus, non dubito de fide servanda apud vos loqui, & illud impetrare quod maxime cupio, atque eo præsertim, quod modo in quæstionem venit, cui fides potius habenda sit, an Venetis qui semper fidissimi reperti sunt, an istis Regibus, qui solent fide posthabita, sine justa causa bellum gerere. Et de nobis quidem exemplum sumi potest, qui semper erga reges omni officio usi sumus, & tamen illi nos vexant bello sævissimo sola imperandi libidine, qua etiam cæteris omnibus nationibus hostes sunt. Vos soli .P. OP. in tanto rerum turbine fidem erga rempublicam inviolatam servastis, & nunquam hostium quantumvis magnis pollicitis victi estis. Neque illi profecto quæ pollicentur facturi sunt, sed faciunt, ut Gallorum mos est, unum dicere, & aliud facere. Ecquid potestis Germanis credere? quibus cum semper gessistis inimicitias. Ecquid Gallis & Hispanis fides potius habenda est? quibus cum nihil unquam commune habuistis, quod si inde auxilium expectetis, antequam veniat, de vestro imperio actum sit. Nos vero Veneti vobis optimi finitimi commutandi non sumus, sed oportet potius certare officiis, sicut & semper fecimus. Pax & bellum commune cum Turcis est, & semper nostra*

A *omnia vobis usui sunt. Quod si nostris rebus omnibus utimini, ac si vestræ res essent, quid opus est Dalmatiam quærere, quam custodimus & servamus maximis sumptibus tanquam promurale Pannoniæ. Neque enim unquam vobiscum defuimus in Turcas agere, atque hoc bellum commune etiam putare debetis, quia si de nobis actum sit, quæ spes vobis contra Turcas supererit. Igitur servate quæso vestram fidem erga rempublicam, & nolite audire istos mendaces & malevolos. Servate fœdus indissolubile, & putate sicut res est, non nisi salvis rebus Venetis, res vestras omnes salvas fore.* Postquam vero dicendi factus est finis *Pannones* conventum *Thatensem*

B habuerunt, decreveruntque nisi *Veneti* ultro *Dalmatiam* restituant, quatuor millia peditum & duo millia equitum in eam expeditionem mittere, quasi sua esset *Dalmatia*, quam *Veneti* emerunt sub Rege *Ladislao* centum millibus numûm, & illi semper antea jure eam tenere visi sunt. Sed deinde Regi *Pannoniæ* defuerunt pecuniæ, & propterea nihil in *Venetos* agebatur. Aliter parte alia bellum vigebat, & *Veneti* castrametati ad *Bonifacium* pene *Veronam* obsidebant, & quotidie equites pileati, hastati currebant usque ad portas civitatis prædando, invadendo, intercipiendo, & sæpe committendo levia certamina. Haud

C longe ab urbe locus est, quem accolæ *Martinum* appellant, quousque hostes solebant sæpe confidenter accedere, & ideo *Veneti* nuper ea occasione usi sunt, datumque negotium est *Dominico Husichio* cum suis *Græcis* equitibus illuc statim ire & videre, si possit incautos hostes intercipere. Vix ille confinia attigerat, & ecce videt alam hostium, & viginti milites antevenire. Contra *Veneti* levites statim hostem acriter adorti sunt, & feliciter gesta res est. Namque in fuga hostium alii cæsi sunt, & dux eorum *Cletensis* Dominus captivus cum aliis in *Venetorum* potestatem venit. Igitur timor hostibus, audacia *Venetis*

D crescebat, augebantur etiam *Veronæ* multæ hostium discordiæ, & copiæ quotidie minuebantur, quia stipendium principes solvendo non essent, & qui sine stipendio morabantur, frequenter nundinas esculenta & poculenta passim diripiebant, unde *Veronenses* desperatione ducti, res novas moliebantur, & nuper aliqui in castra *Veneta* venerunt, & portam *Georgii* noctu tradere polliciti sunt. *Veneti* vero nihil temere aggrediendum rati, prius paraverunt omnia utilia, deinde quibus commendanda res erat, delectos ex omni numero quinquaginta pedites ire jubent, & locum animadvertere, pensare fossas, muros, pro-

E pugnacula, munimenta, custodias, quæ & quomodo noctu & interdiu fiebant, diversas scalas operi idoneas breves, oblongas, funeas, ligneas conficere, serarum formulas habere, & ad aperiendum varia ferramenta construere. Denique omnibus paratis ex sententia datum negotium est, *Joanni Paulo Gradonico* legato apud *Rhodigianam Pollesinum*, ultra amnem *Athesim* cum quingentis levitibus in eam expeditionem exire. Igitur cum advesperasceret versus *Veronam* ibatur, ut in campestri planicie omnis exercitus esset, quarta hora noctis, qua putabatur, opus constitutum præmissos pedites peregisse. Jam vero pedites

F qui ad rem agendam antevenerant, prima mœnia ingressi portas rumpunt, scalas admovent, turrim ascendunt, pontem demittunt, mœnia intrant subsidii, & dirutis similiter foribus *Petri* Castello proximi fiunt, cujus mœnia extremum opus erat ascendere, ut nemine sentiente, aut qui intus esset, aut qui foris in suburbiis moraretur, reliqua jam factu omnia facilia viderentur. Sed præter spem evenit, quia scalæ breviores erant, quam operi possent sufficere, atque eas dum jungunt

gunt imminens periculum in mentem venit. Deinde ceptum est tantopere timere, ut quamvis nihil esset, *Veneti* audire viderentur hostes clamare ad arma, & protinus accurrere. Sic quoque unus & alter confestim nunciatum venit, & denique omnes conterriti in fugam turpiter conversi sunt, atque inde cum toto exercitu ad *Bonifacium* iterum recessum est. Hostes autem certiores facti de his omnibus, quæ gesta fuerant, primo quoque tempore alios occidunt, alios sauciant, & duos vivos frustratim cædunt, qui forensem turrim custodibant, & falso rei conscii putabantur. Deinde vitabundi periculum urbem muniunt, itinera incidunt, obices passim apponunt, novum erigunt propugnaculum in loco paradisiaco prope portam Episcopi, & fossam ducunt, ut illac tuitioni pergat e montoriensi fonte diductus rivulus, & ne propterea timere viderentur, equites levis armaturæ sæpe *Venetis* obviam exibant, & levia certamina committebant. Nuper vero sicut antea minabantur, hostium omnes copiæ hominum octonum millium *Veronam* urbem egressæ sunt, & prope *Venetos* castrametari velle videbantur. Quod cum *Venetis* nunciaretur, protinus ad arma conclamatum est, & dum cataphracti milites & pedites se in expeditionem accingunt, statim obviam hostibus præmissi levites ibant, ut equites pileati hastati juxta amnem *Athesim* dextrorsum vadant, & sinistrorsum, scorpionarii equites per montis declivia. Vix *Veneti* obviam hostibus facti sunt, &

A eos a lateribus utrinque invadunt, & si qui hostium ab ordinibus discedunt facile intercipiunt, aut sauciant, aut necant. Igitur hostes majorem vim non expectandum rati, protinus receptui canunt, & deinde omnis exercitus iterum *Veronam* venit, quoniam alioquin *Venetorum* levites nimium eis ubique infesti erant, frequenter invadendo, & intercipiendo eos hostium, qui passim pabulatum, & palantes ibant. Verum etiam *Veronæ* majores angustiæ hostium vigebant, quia omnes milites populo & civibus infensi erant, modo passim prædando, modo nova vectigalia imponendo, & omnibus modis urbem expilando, si possint dandis stipendiis aliquo pacto sufficere.
B Nuper quoque *Hispani* & *Galli* contraibant militibus *Italiæ*, & Ducem eorum *Joannem Gonzagam Mantuanum* falso commentæ conjurationis insimulabant, & concito tumultu voluerunt eum apprehendere, simulque pedites *Germani* quibus non dabantur debita stipendia, cuneo repente facto conabantur abire, & bonis verbis dehortantem Ducem *Analtium* armis aggressuri, & abituri impune videbantur, nisi cum eis clausis foribus, potius quam verbis ageretur, & sic quoque furtim quotidie *Germani* pedites aliqui & aliquando plusculi in castra *Venetorum* confluebant, & naviter militaturi pro *Venetis* gratanter excipiebantur, tum quia simul hostium copiæ minue-
C rentur, & vires *Venetorum* augerentur, tum quia id non ab re *Veneti* putabant *Hispanis* & *Gallis* suspiciosum & dissidiosum fore.

Epitoma

EX LIBRO TERTIO.

QUONIAM *vero* Veneti *plus solito conabantur copias augere, Reges etiam ducti sunt majoribus viribus agere, &* Germanis *ingens supplementum mittere. Itaque* Galli *copias partiti sunt cum Rege* Romanorum *ad* Lemniacum, *& cum duce* Ferrariæ *ad peninsulam* Rhodigii, *& cum acriter ageretur contra* Pollesinum, *illa tandem in hostium potestatem venit, atque amplius in agrum* Patavinum *ibatur.* Veneti *vero cum toto exercitu ad* Brentellas *venerunt, & deinde moverunt contra* Vincentiam, *dum putant ab oppugnatione* Lemniaci *hostes avertere. Sed tantum abfuit, ut hostes magis magisque obnixi oppidum vi, & deditione castellum ceperint. Postea* Veneti *iterum ad* Brentellas *stabant, & sæpe levibus certaminibus agebatur, dum hostes passim prædari volunt, &* Veneti *sociis auxilio ubique sunt. Et quia sæpe etiam* Veneti *audebant ultro hostem invadere, hostes demum junctis invicem copiis in* Venetos *moverunt, simul ac Rex* Gallorum *contentus est Regi* Romanorum *morem gerere, quia alioquin timet quæ contra se de nuptiis apud Reges fiebant. Igitur* Venetorum *omnis exercitus iterum* Patavium *ingressus est cum miseris agricolis, & adcersitis nobilibus servandæ reipublicæ studebatur.* Julius *autem Pontifex parabat contra* Genuam *&* Ferrariam *in expeditionem ire, & ejus rei* Hispani *quoque socii adhibebantur, simul ac Pontifex oratione usus suasit Regi* Hispaniæ Neapolitanum *regnum in feudum dare atque insuper* Genuensibus *suasoriæ literæ Pontificis datæ sunt. Et quia jam* Helvetii *in solum* Mediolanense *proruperant,* Galli *qui prius parabant obsidere* Patavium *aut* Tarvisium, *ad propria tuenda recedere compulsi sunt. Aliter* Germani *cum quadringentis* Hispanis *militibus ubique sævire, & prædas agere, deinde stare ad villam bataleam, atque identidem velle obsidere* Patavium *visi sunt, & tamen diverterunt* Monsilicem *capere & diripere. Sed dum ea res agitur forte* Soncinus Benzonius *in* Venetorum *potestatem venit, & vitam finivit suspendio. Et quia in castris stabatur sine imperio, & tumultuatum est, Patres fecerunt* Lucium Malvetium *Gubernatorem exercitus, &* Laurentium Cerinatem *præfectum peditum. Interea vero cum omnia parata essent, contra* Genuam *&* Ferrariam *ibatur, & primo quidem apud* Genuam *terra marique* Veneti *& Pontificii frustra iterum iterumque tentarunt urbem capere, quia pauci milites erant, & contra* Gallorum *classis paratissima, & in urbe ingens præsidium stabat. Aliter contra* Ferrariam *feliciter ibatur, & ducis multa oppida capta sunt, atque amplius, quia Marchio* Mantuæ *rei suppetere videbatur, tandem ad preces Pontificis custodia liberatus est, ut deinde Imperator exercitus* Venetorum *esset. Hostes autem* Galli *propterea venerunt* Veronam *&* Ferrariam, *ut sociis auxilio forent, dum magis propulsandæ quam inferendæ injuriæ apti essent. Itaque iterum* Veneti *potuerunt recuperare oppida* Tarvisii *&* Forijulii, *ubi frequenter levia certamina fiebant, & multa oppida in fidem recepta sunt. Nihilominus in* Istria *sæpe cum hostibus res erat, & terra marique vario eventu pugnabatur, dum hostes ubique infesti sunt, & vicissim* Veneti *milites conantur passim illatam injuriam propulsare. Parte alia quia omnis exercitus hostium ex* Verona Vincentiam *venit, & videbatur in* Forumjulii *velle prorumpere, contra omnis exercitus* Venetorum *ex* Patavio Vincentiam *ibat, atque identidem parte alia cum parte copiarum in* Rhodigianam Pollesinum *ibatur. Et quidem tota* Pollesinus *iterum in fidem recepta est, atque amplius cum* Padana *classe feliciter agebatur in* Ferrariam, *&*

par-

parte alia noster exercitus pene fugientes hostes usque Veronam *secutus est. Sed solum levia certamina fiebant, cum potius opus esset totis viribus bellum gerere, & uti occasione, quæ se nuper obtulerat, quia alioquin fortuna inconstans dilapsa est, atque impune hostes in* Veronam *potuerunt evadere. Interea* Helvetii *in* Mediolanense *solum proruperant, & cum* Gallis *acriter agebatur. Sed* Galli *nunquam prælium conferi passi sunt, & potius conabantur hostem vincere inopia & lassitudine, sicut & tandem fecere, atque* Helvetii *compulsi sunt re infecta in patriam repedare, & cum Rege* Gallorum *in gratiam redire.* Veneti *vero parte alia ausi sunt* Veronam *invadere cum suo magno malo, quia dum tormentis militiæ res agitur, & frequenter fiunt levia certamina,* Lactantius Bergomensis *&* Citolus Perusinus *cum multis aliis vulneribus confossi sunt, atque amplius re infecta recessum est, & contra* Ferrariam *ibatur, ubi & identidem infeliciter gesta res est. Namque* Venetorum *ambæ classes* Padanæ *disjectæ sunt, &* Rhodigiana Pollesinus *in hostium potestatem venit, dum* Veneti *cupiunt omnibus modis* Julio *Pontifici morem gerere, qui* Bononiam *venerat, & illam rem expeditissimis copiis agebat. Sed parum cessit ex sententia, atque amplius* Gallorum *omnis exercitus in Pontificem movit, & quia copiæ ejus non possunt obsistere,* Mutinam *urbem ingressæ sunt, & super* Bononia *difficultas erat. Namque* Paulus Capellus *cum* Veneto *subsidio non poterat tam cito, ut par erat suppetere, quia Dux* Ferrariæ *infestus esset, & Marchio* Mantuæ *semper differret in aliud tempus venire, atque ideo Pontifex videbatur ad* Gallos *velle desciscere, nisi* Veneti *levites opportune subsidio venissent, atque identidem Orator* Angliæ *fecisset* Gallos *paulisper recedere, ut sine trepidatione* Bononiæ *staretur. Postea* Joannes Maurus *ad Castrum novum classem* Padanam *impune trajecit ex* Pado *in* Tartarum *& in amnem* Athesim, *&* Paulus Capellus *cum parte copiarum* Mutinam *venit sine Marchione* Mantuæ, *quia frustra illi fides haberetur. Aliter* Venetorum *omnis exercitus iterum contra* Veronam *ibat, quia Dux terminus cum parte copiarum discessit, &* Veneti *in spem urbis potiundæ ducti sunt. Sed parum cessit ex sententia, quia ingens subsidium statim in urbem venit, &* Veneti *protinus inde abierunt contra* Ferrariam. *Et quidem inter agendum de pace etiam frequenter agebatur. Namque Rex* Gallorum *conatus est Regem* Hispaniæ *&* Germaniæ *in Pontificem &* Venetos *movere. Sed cum* Hispanis *suspiciosa res esset, illi potius ad Pontificem &* Venetos *declinabant, & volebant cum Rege* Angliæ *novum fœdus inire. De conciliando alioquin Duce* Ferrariæ *frustra agebatur & quia Pontifex viribus agendum videt,* Venetis *præsidiis usus est, civitatemque* Concordiam *&* Mirandulam *cepit, quia* Galli *hostes nondum obvii venerant. Sed alioquin cum illi passim venissent, passim identidem recessum est, & potius propulsandæ injuriæ stabatur. Sed quia postea* Galli *versus* Mediolanum *ibant, cum* Helvetii *iterum in* Italiam *festinarent, vicissim iterum contra* Ferrariam *ibatur. Et quidem infeliciter gesta res est ad propugnaculum* Coloniæ, *quia ex* Ferraria *statim ingens subsidium venit, & nostri fusi fugatique sunt, atque identidem ad palatium* Bellaerem *cum* Gallis *infaustum certamen fuit, &* Leonardus Hierosolymitanus *eques occubuit. Nihilominus in* Pado *sæpe inter classes pugna fluviatilis fiebat, & tandem* Veneti *repulsi sunt, atque* Gallorum *omnis exercitus in eam expeditionem iterum cum* Bentivolis *venit, simul ac apud* Bononiam Gurgensis *de pace frustra egerat cum Pontifice. Igitur deinde ad* Padum *& ad amnem* Panarum *frequenter & acriter agebatur, multa levia certamina fiebant, semperque* Veneti *& Pontificii repulsi sunt. Denique apud* Bononiam *infeliciter gesta res est, quia dum temere intra urbem & montem statur,* Bononienses *& monticolæ res novas moliti sunt, fuderunt diripueruntque* Venetos, *& Pontifex amissa* Bononia Romam *reversus est.*

LIBER TERTIUS.



A Dum hæc a *Venetis* geruntur copias enixe augendo, & parando cuncta utilia, ut sæpe fieri solet, in suspicionem conversa res est, & nocuit fecisse plus solito. Siquidem Reges contra belli istos apparatus rati sunt, majoribus viribus agendum, & auxiliandum Cæsari quanto maxime possent. Igitur ultra id quod in dies magis magisque pedites ex *Germania* coibant, ex *Hispania* quadringenti milites expectabantur, & *Gallorum* mille quingenti milites, atque duo de viginti millia peditum. Pari modo Dux *Ferrariæ* arma expedire, bellum parare, annonam, currus, naviculas, lignamina, ferramenta, machinas, munimenta, equos, jumenta, vastatores vicatim indicere. Videbanturque hostes *Galli* partitis copiis cum *Maximiliano* Rege, & Duce *Ferrariæ*, hinc inde simul *Rhodigii Pollesinum* & *Lemniacum* oppidum aggredi velle. Contra soliciti *Veneti* quæcumque usui essent facere, munire oppida, custodias locare, exercitui supplementum mittere, & ne turris, quæ stat e regione *Lemniaco* aliquando obesse posset, subterducta fossa, & factis cuniculis, ligneis pessulis illam pensilem fecerunt, ut statim igne supposito facile dirui posset, si aliquando usuveniat. Deinde amnis *Athesis* scissuræ occlusæ sunt, & quæ *Sabadina* ruptura dicitur, & quæ duæ erant altera supra, & altera infra portuensem turrim, ut sic exuberante amne multa aquarum vi quandocunque opus esset, in hostes aggeres secent ad *Tresentam* oppidum, *Castellum Vielmium*, & Turrim *Donatiam*. Et parte altera usque ad *Padum* amnem protinus aquas immittant, & identidem parte altera ad oppidum *Abbatiæ* aggeres incidant, & totam regionem usque *Patavium*, & falsas aquas inundent, atque circum oppida altam paludem diducant. *Julius* Pontifex autem enixe curabat, Ducem *Ferrariæ* contra *Venetos* bello desistere, & nolebat *Gallos*, aut *Padum* trajicere, aut usquam duci auxilio fore. Sin aliter ajebat se *Gallis* armata manu protinus obviam iturum, ut rem Pontificiam tueretur. Cæterum Rex *Gallorum* compositis rebus cum Rege *Angliæ*, nihil erat tam arduum, quod

B facere non auderet, & quamvis dubitaret, quæ inde pericula ex *Germania* & *Hispania* imminere viderentur, volebat tamen cunctis posthabitis Regem *Vasconiæ Domino Boisensi* cedere, *Pandulphum Petrucium* e *Senarum* urbe ejicere, & suas copias in *Italia* Duci *Ferrariæ* contra *Venetos* suppetere. Jam vero ventum erat a *Gallis* usque ad amnem *Athesim*, & deinde cæptum est fluminum diverticula capere ligneis obicibus, & compactis ferramentis, aggestisque e terra aggeribus, scissuras obturare, contra *Veneti* quamvis pauci essent, freti tamen aquarum vorticibus passim hostibus obviam ire, & ubique operibus infesti esse. Stabat intra obductam paludem e regione operi-

C bus parva *Pollesinus*, hanc *Veneti* statim occupant, & inde missilibus telis & tormentis militiæ opera loco semovent, aut sauciant, aut necant. Hostes multitudine militum & tormentorum in-

genti copia audaciores erant. *Veneti* aquarum vorticibus posse vincere videbantur, si paululum enitantur. Utrinque acriter agebatur. Utrinque multi tormentis militiæ cadebant. Denique hostes magis magisque obnixi sunt tormentis militiæ agere, & *Venetos* loco detrudere, sicut etiam fecerunt, & *Veneti* inde ultra amnem *Athesim* ad *Candam* repulsi sunt, ubi eorum sita omnis spes erat, si possent aggeres manutenere, & vetare hostes Pontem jacere, & flumen trajicere. Et quidem per biduum statum est & vetitum hostes pontem construere. Sed cum hostes contra posuissent majora tormenta militiæ, neque *Veneti* valerent amplius obsistere, aut usquam supra aggeres apparere, inde omnibus ingens timor ingestus est, ne hostes vi illata pertranseant, & simul de omnibus copiis actum sit. Igitur vi & timiditate victi *Veneti* septuaginta milites, sexcenti levites, & mille pedites hostibus loco statim cedunt, & dum noctis interventu facultas est, protinus in pacatum eunt ultra amnem *Athesim* ad Turrim marchioniam, atque inde itum est *Monsilicem* & *Aponum*, simulque parte alia *Andreas Grittus* repente *Vincentiam* venit, & denique hinc inde processum est cum toto exercitu, & castra ad *Brentellas* prope *Patavium* sita sunt, quo pauloante venerat, & *Paulus Capellus*, qui *Petro Marcello* & *Joanni Paulo Gradonico* legatus in castris suffectus est. Is enim locus interclusus aggeribus & fluminum ramentis opportunus videbatur, ubi tutissime staretur, & unde *Veneti* possent semper hostibus obviam ire, ubique sociis auxilio esse, & semper *Patavium* antevenire, si hostes usque meditentur iter præcludere. Interea vero omnis exercitus hostium mille milites, mille quingenti levites, & undecim millia peditum statim *Rhodigiana Pollesino* deditione potitus est, & illico trajecto *Athesi* flumine in solum *Patavinum* & *Vincentinum* venit, agros vastare, & prædas agere. Unde fuga trepidissima passim fiebat, atque edicto proposito ex agris corruptis frugibus omnes ibant in oppida, ubi se tutos fore putabant. Sed etiam oppida ultro hostibus dabantur, & collatis quinquaginta millibus nummum simul urbs *Vincentia* deditionem fecit, ne prædæ militibus foret, & tamen non potuit subterfugere. Adeo semper parum profuit illis credere, quibus merito nulla fides haberetur. Siquidem paulopost hostes *Germani* ad duo millia equitum & sex millia peditum ex *Verona Vincentiam* venerunt, totam civitatem diripere, & amplius in latomiis contra pueros & mulieres sævitum est. Namque in proximo monte duæ latomiæ sunt, in quibus *Vincentini* cum divite supellectili aufugerant, & ad ostia se fortiter tuebantur, usque adeo in alteris propter amplitudinem semper impune statum est, sed in alteris angustioribus fumo omnes enecti sunt, & *Germani* hostes ingentem prædam egerunt. Hostes alioquin *Galli* vastatis passim agris *Lemniacum* oppugnabant. Est oppidum *Lemniacum* supra ripas amnis *Athesis* in campo situm, & munitum magis opere quam natura. Namque amplam & aquosam fossam habet, lata mœnia, & promuralia, probeque compacta propugnacula, nec desunt quadringenti pedites, qui cum multis tormentis militiæ locum custodiant, & amplius aquarum vorticibus passim altam paludem obduxerant. Igitur oppidani & omnes milites intenti paratique stare, semovere hostem telis missilibus, & nihil tutum munimentis pati festinare, parare, atque in primis tormentis militiæ in vastatores acriter agere, ferire & facere, ut hostes demum compulsi sint paululum recedere, tantisper dum novos vastatores accersunt, qui operi possint suppetere.

A re. *Veneti* vero ex *Patavio* rati posse hostes ab oppugnatione avertere, ubique eis infesti erant, conabanturque pabulatores, & si qui hostium aliquo tendant, semper intercipere, & frequenter obviam ire oppidanis & villicis, qui ad hostes desciverant. Denique *Venetorum* omnis exercitus cum fidissimis agricolis adversus *Vincentiam* in expeditionem exivit. Forte *Vincentiæ* præsidio stabant militum *Italiæ*, & *Germanorum* equitum duo millia, & sex millia peditum, quibus cum nunciatum esset *Venetos* adventare, illi ausi sunt statim obviam ire, & manum conserere cum *Venetorum* levitibus qui antevenerant. Et quidem

B utrinque fortiter statum est, donec levibus equitum præludiis procursando, & se recipiendo raptim potius ageretur. Sed postquam adventante exercitu in certamen ibatur, facile hostes victi fusique sunt. Videbanturque omnes copiæ hostium procul dubio magnum periculum subire, nisi protinus se intra mœnia condant non sine suo magno malo, quia in eo prælio capti centum hostium, & plures desiderati sunt. Nihilominus parte alia levites *Pollicenses* euntes visum quid hostes agant, ad villam *Lisieriam* venerunt obviam peditibus hostium, qui regionem prædatum

C ibant. Et quidem *Veneti* visos hostes audacter aggrediuntur, aggressi parvo discrimine eos fugant, fusos eorum ad centum quinquaginta facile necant. Cæteri in fugam conversi sunt, & latitando per altam messem vix etiam incolumes fugerunt. Dum vero ista per *Venetos* fiunt, apud *Lemniacum* infeliciter agebatur, quia hostes reversi iterum ad oppugnandum *Lemniacum* primo quoque tempore aquarum itinera partim obturant, partim super injecto ponte trajiciunt, & vadunt in *Portuense* semiustum oppidum. Deinde ceptum est tormentis militiæ fortiter *Lemniacum* concutere & passim mœnia perforabantur.

D Contra oppidani intenti paratique stare, hostibus acriter obviam ire, compacta lana patulos parietes jungere, denique quicquid facto opus esset, nihil intentatum relinquere. Porta erat & pars muri debilior, cujus fuerat *Carolo Marino* demandata custodia, ea via hostes aditum quærebant, qua etiam majores vires eorum incubuerant. Alii conabantur admotis scalis murum ascendere. Alii per ruinas muri in castellum ire. Alii vineis & arietibus portam confringere. Et quia *Carolus Marinus* videt non posse amplius obsistere, retrocedendi protinus in arcem consilium cepit. Sic captum oppidum fertur, atque deinde in omnem sexum crudeliter sævitum est, &

E concessa omnia in prædam militibus. Neque multo post in arce etiam diffidere ceptum est, & tandem in mentem venit se & arcem hostibus dare, & experiri misericordiam potius quam vim hostium. Itaque *Carolus Marinus* in potestatem hostium venit, simul cum quatuor aliis nobilibus, qui nuper ex *Venetiis* venerant, & milites inermes dimissi sunt. Capto *Lemniaco Venetorum* omnis exercitus ad *Brentellas* rediit, ubi studebatur servandæ reipublicæ, *Patavium* & *Monsilicem* omnibus modis munire, & levitum cum hostibus frequenter res erat. Namque *Veneti* le-

F vites modo se *Gallis*, interdum *Germanis* ostendere, postremos in agmine tentare, ac statim in castra regredi, rursus aliis, post aliis minitari, neque prælium conserere, neque otium pati, sed semper hostem exercere, vexare, & maxime in frumentatores ibatur late cædem fugamque hostium palantium facere. *Marostica* oppidum est situm ad colles, & nullius idoneæ rei egens erat, illud tamen nuper hostes *Germani* velle oppugnare visi sunt, & ideo legati *Veneti* de his quæ parabantur ab exploratoribus edocti, statim jubent alam

alam equitum gravis armaturæ, cum levis armaturæ ſcorpionariis equitibus, & *Turcis* haſtatis equitibus ſociis auxilio feſtinare, & hoſtem antevenire magnis itineribus. Sed forte equites *Turcæ* & *Dalmatæ* aliud iter fecerant, ut ſine eis, alii hoſtibus obviam facti ſint. Namque in villa prope oppidum aliquot pedites hoſtium prædantes offendunt, qui ſolis in latebris ſpem ſitam habebant. Vix tamen tres eorum intercepti ſunt, qui referebant quatuor millia hoſtium *Veronam* exiſſe, & quia facile illis credebatur, *Veneti* re infecta redierunt unde abſceſſerant. Aliter parte alia equites levis armaturæ viſam aciem hoſtium auſi ſunt audacter impetere, atque inde parvo diſcrimine hoſtes vincunt, ad ducentos eorum necant, alios ſauciant, nonnullos capiunt, cæteros omnes fugant, & denique cum captivis & manubiis hoſtium ſicut alii priores ignominiam, ſic poſteriores iſti gloriam reportarunt. Parte alia ſimiliter ducenti equites levis armaturæ, qui *Maroſticæ* præſidio ſtabant, hoſtibus facti obviam partim itinere altero equites ſcorpionarii victi fuſique ſunt, partim itinere altero *Liburni* & *Græci* equites de hoſtibus victoriam reportarunt. Quibus geſtis bene animati agricolæ corruerunt in hoſtes quoſdam equites gravis armaturæ qui ingentem prædam agebant, & quia illi nihil tale verebantur trucidatis aliquibus, cæteri relicta præda facile in fugam converſi ſunt. Et deinde tantus timor hoſtibus injectus eſt, ut plerique ſaucii, pauci incolumes rurſus in urbem abierint. Nihilominus inde hoſtiliter ibatur uſque ad portas *Veronæ*, frequenter invadendo & intercipiendo, ſi qui hoſtium prædatum, aut pabulatum exeant. *Joannes Paulus Manfronus* cum multis levitibus collem occuparat quem accolæ *Rovolonum* appellant, unde proſpectabatur quid hoſtes agant, & *Galli* qui *Montagnanæ* erant, & *Germani* qui *Vincentiæ* morabantur, ſimulque *Leonardus Hieroſolymitanus* eques apud *Monſilicem*, necnon apud *Baſſianum Federicus Contarenus* ambo cum equitatu levitum ſemper intenti paratique ſtabant. Sed quanto major erat *Venetorum* diligentia, tanto minus uſui fuit. Dum enim *Veneti* ſimul ubique injurii ſunt, omnes copiæ hoſtium convenerunt concordia, quæ antea partitæ erant diſcordia. Et quidem ea de cauſa *Germani* & *Galli* invicem diffidebant, quia dum *Gallis* proſpera omnia cedunt, ut victoria ſolent animi hominum nimium inſoleſcere, *Gallus* jam tum publice ajebat, totius *Italiæ* imperium aſpirare, atque amplius *Hiſpanis* & *Germanis* injurius erat, & audacter negabat ſe daturum *Germanis Lemniacum*, niſi prius opes redderentur, quæ multæ debebantur. Sed parum *Gallis* res ceſſit ex ſententia, quia cum Regibus aliis *Gallorum* nimia potentia periculoſa, & moleſta res eſſet, ipſi viciſſim rem ſuam agebant, & ſumma ope curabant, illud antequam eveniat cavere, quod alioquin eveniſſe valde periculoſum foret. Et nuper propterea Rex *Angliæ* videbatur daturus nuptui ſororem ſuam Duci *Burgundiæ*, necnon Rex *Hiſpaniæ* novum fœdus exactius moliebatur cum Pontifice, quia verebatur deſciturum eum ad *Gallos*, ſimul ac nuper Cardinalis *Rhotomagenſis* interiit, Rex autem *Gallorum* propterea diſcrutiabatur animi, & mitius agendo cum Rege *Hiſpaniæ* & *Germaniæ* pollicebatur ſe facturum omnia, quæcunque vellent. Itaque hoſtes omnes convenerant, & *Veneti* in caſtra redierant, ubi loco munito aggeribus, & aquarum divortiis ſe tutos fore putabant. Stabat enim a fronte oppidum *Liminium*, a tergo *Patavium*, a lateribus altus & aquoſus fluvius, qui nuſquam vadari poterat, ut ex tanto numero equitum & peditum

A milites ubique poſſint ſpectatum eſſe, ſi hoſtes uſquam pontem ſternere molirentur, id quod non neſcii facile vetent, ſin aliter ſaltem non ſinant trajicere. Curabatur etiam ex *Venetiis* nobiles & populares *Patavio* ſupplementum adcerſere, largas opes congerere, picem, ſulphura, tedas, artificioſos ignes, lignamina, ferramenta, tormenta, & inſtrumenta militiæ, atque annonam abunde parare, muros reficere, aggeres erigere, & omnibus modis urbem munire, quatenus *Veneti* propulſandæ potius quam inferrendæ injuriæ ſtudioſiores erant, niſi quandoque detur occaſio hoſtes invadendi, qui dum huc atque illuc oppugnatum ituri viderentur, frequen-

B ter aliquo prædatum palantes ibant. Sed parum profuit hoſtes vexare, quia illi propterea relictis oppidis, prope caſtra *Venetorum* ad duo millia paſſuum venerunt poſtridie pugnandi copiam facere. Igitur *Veneti* edocti per exploratores levites, ſimul ac vident periculoſum fore loco perſiſtere, mutarunt in melius conſilium, & deinde venerunt intra mœnia *Patavii* cum omnibus copiis & cunctis impedimentis impune noctis ſilentio, quibus cum ingreſſi ſunt & miſeri agricolæ ingens multitudo cum liberis conjugibus & paupere ſupellectili, ut omnes miſeratione mo-

C verentur, & deteſtarentur bella immania, quæ faciunt homines crudeſcere, & Regum deliramenta, eorumque immodicas regnandi cupidines converti in caput, & detrimentum pauperum, qui nihil unquam tale commeriti ſunt. Namque hoſtes acriter in victos convertebantur prædas agere, vaſtare, demoliri, comburere, ſacra incæſtare, pueros & puellas in captivitatem abducere, & prolabi in omne ſcelus & facinus, quod diis iratis merito ulciſcendum ſit (ſi Dii curant mortalia) & nullum malum impunitum ſinunt. Interea *Julius* Pontifex ſumma ope nitebatur Regem *Romanorum* a Gallis avertere conſentiendo

D illi *Lemniacum Vallegium* & *Veronæ Civitatulam* ſexaginta millibus numum redimere, ſi modo daretur in pignus *Regium* & *Mutina*. Namque Pontifex cum *Venetis* parabat contra *Genuam* & *Ferrariam* in expeditionem exire, atque amplius volebat petenti Regi *Hiſpaniæ Neapolim* in feudum dare, & ſic in conſiſtorio loquebatur. *Recte quidem traditum eſt a noſtro Platone in Alcibiade primo, oportere quemque accedentem ad rempublicam ſecum afferre Alexipharmacum, quia in omni conſultatione debemus prohibere malum & ſuadere utile, ſicut & nos modo ad vos venimus facere, & cum magno veſtro fœnore Regi Hiſpaniæ regnum*

E *Neapolitanum in feudum dare. Neque profecto a noſtro inſtituto rem alienam agimus, quatenus ducti utilitate ſummi Antiſtites & ante collatione feudi decenter uſi ſunt. Nempe olim Comes Franciſcus Sfortia Eugenio Pontifice Piceni totam provinciam occupavit diſſimulatione, & tamen illa libenter ei etiam data in feudum eſt, ut adverſus Philippum Ducem Mediolani ſtipendia Pontificis mereret. Neque tamen tunc nobis res erat cum Ludovico Rege Gallorum cui totus orbis non ſufficit, tantæ ſunt opes & vires ejus, tanti ſpiritus, tanta imperandi aviditas. Veniat quæſo in mentem veſtram modo Dux iſte Ferrariæ quid agat ſatelles ejus, ut a noſtra di-*

F *tione ſe ſubtrahat, ut noſtra imperia nihil curet, nihil faceſcat. Cum talia audeant ſervi conductitii, quid Domini facient? Jam a Rege Gallorum bonis Eccleſiæ interdicitur, & contra ſedem Apoſtolicam Dux Ferrariæ protegitur, regnum Neapolitanum, de quo nunc agitur, ipſe nunquam nobis acceptum retulit, & amplius nobis inrequiſitis in alium tranſtulit. Quo fit ut ille amplius in eo regno nullum jus habeat, & nos procul dubio uti poſſimus iſta collatione, quæ ſedi apoſtolicæ videtur profutura.*

Namque propterea Rex Hispaniæ in Ferrariensi expeditione nostra, quadringentos milites dabit, atque alia multa bona provenient, quæ ex istis bonis initiis sequi solent. Igitur id quod est cum dignitate Pontificis honestum & utile, & vos omnes in bonam partem debetis accipere, nisi aliqui vestrum magis aliorum, quam sedis apostolicæ utilitate ducamini. Postquam Pontifex dicendi finem fecit, a pluribus itum est in ejus sententiam, & deinde studebatur bellum parare, & nihil prætermittere, quod usui foret, præsertimque curabatur *Helvetios* confestim in agrum *Mediolanensem* adversus *Gallos* irrumpere, & *Marcum Antonium Columnam* cum exercitu, *Veneto*sque cum classe contra urbem *Genuam* festinare. Denique Pontifex expulsis *Gallis* & *Ferrariensibus* oratoribus, cunctis Regibus literas dedit, quibus continebatur *Gallos* in Sedem Ecclesiæ contumaces esse, simulque Pontifex statim jubet *Octavianum Fregosium*, & *Nicolaum Doriam*, atque extorres alios *Genuam* ire, & omnes inhortari, patriam libertatem capescere, ad quos ipse etiam literas dedit in eam sententiam. *Nostræ literæ vobis Genuenses redduntur, non quia putemus suasione opus esse in vestra patria libertate capessenda, nemo enim tam rudis est qui nesciat omnibus rebus patriam libertatem anteire, sed quia volumus vos omnes compertum habere, in vestra manu situm esse, vestram patriam in libertatem redimere. Namque ad eam rem expeditissimas copias Duce Marco Antonio Columna, & classem nostram paratissimam, necnon Helvetios bellacissimos populos, & amplius probe instructam classem Venetam habemus, ut si vos parati estis facere quæ vos decet, procul dubio apud vos erit optata victoria. Enitimini igitur quanto maxime potestis, & estote unanimes in re omnium, atque operam vestram patriæ tam bene locate in tanta rerum bene gerendarum occasione. Quod si feceritis ut confidimus, nos quoque operam dabimus, ut modo patriam in libertatem vendicetis, & eam in posterum retinere possitis.* Lectis his literis Pontificis, tota civitas commota est, & contra *Gallos* novæ seditiones ortæ sunt. Parte alia similiter Rex *Angliæ* contra Regem *Gallorum* omnibus modis causam diffidii quærebat, necnon Rex *Romanorum* cum Oratore *Hispano* de Rege *Gallorum* valde conquestus est, & annuentem Regem *Hispaniæ* in novum fœdus hortabatur. Igitur *Galli* circumventi videbantur, & nuper in castris tumultuatum est, simul ac certiores facti sunt, de his omnibus quæ fiebant, atque ideo præter septingentos milites, Magnus magister cum *Joanne Jacobo Triultio* & reliquis copiis *Mediolanum* statim venit, si possit venientibus *Helvetiis* obsistere, & titubantem *Genuam* in fidem pristinam retinere. Aliter *Germani* prædando cuncta igni ferroque crudeliter agebant. Namque ad sævitiam excitandam bacchi etiam jocum habent, ex quo societate facta cellam vinariam petunt, ubi vini bonitate allecti, jurejurando se non discessuros adstringunt, nisi totum vinum deglutiant, aut ebrietate rumpantur. Nuper vero vastatis passim agris hostium omnis exercitus cum quadringentis *Hispanis* militibus, qui tandem in castra venerant, ad villam *Bataleam* castris locum elegit, ubi tutissime staretur aquarum divortiis, atque abunde haberentur commeatus ex *Rhodigiana Pollesino* & si velint *Monsilicem* oppugnent, *Patavium* terreant, semperque auxilio esse possint, si copiæ Pontificis in solum *Ferrariæ* aliquid molirentur. *Veneti* vero ad omnia tuenda & obeunda semper intenti paratique stabant, præmissique sunt parte altera equites gravis armaturæ super ripas *Meduaci* fluminis, qua *Monsilicem* itur, molas triticeas corrumpere, ne hostibus usui forent, & similiter parte altera

A versus villam *Tencaroliam* equites levis armaturæ visum ibant, quid hostes agant. Hostes vero illis facti obviam fugientes *Venetos* semper aggressuri, usque ad *Bassanellum* venere, & quia inde *Veneti* non injuria veriti sunt hostes *Patavium* oppugnatum venire, primo quoque tempore arma expedire, bellum parare, tormenta militiæ locare, milites distribuere, janitores per singulas noctes e pyxide ductis sortibus mutare, visorias & auscultatorias excubias passim habere, atque alios præficere, qui per totam noctem urbem perquirant, si qui discedant ab officio, & noctem insomnem non ducant, præsertimque portam

B *Caudæ longæ* munire aggeribus, & anteportarium propugnaculum erigere, denique nihil prætermittere, quod oportet facere, cum in propinquo hostis est. Aliter hostes ad villam *Bataleam* reversi sunt, & ideo *Antonius Pius*, & *Leonardus Hierosolymitanus* eques cum centum levitibus apud *Bassanellum* stabant, ut semper sciretur, quid hostes agerent. Et identidem parte alia versus villam *Carrariam* a *Laurentio Cerinate* cum trecentis levitibus ibatur, ut si hostes prædatum aliquo palantes divertant, ipse illis infestus esset. Hostes autem *Germani* & *Hispani*, quia diffidebant cum *Gallis* iverunt *Monsilicem* capere. Sed quia

C oppidum armis virisque bene munitum vident, atque omnes pariter in procinctu stare, primo quoque tempore conati sunt munimenta, & mœnia tormentis bellicis in terram projicere. Cumque magna pars muri procubuisset, simul omnibus locis prælium consertum est, quod quidem diu anceps stetit, dum *Veneti* omnibus locis & modis omnibus primo audacter agendo visi sunt posse audaciam hostium reprimere. Sed postremo quia ex *Venetis* quibusque cadentibus non possunt integri alii succedere, sicut hostium semper erant supplementa recentia, denique *Veneti* cum magna strage victi fusique sunt, & capto

D oppido omnia prædæ militibus fuere. Sed apud *Patavium* ea faba cudebatur in caput *Soncini Benzonii*, qui forte per idem tempus in *Venetorum* potestatem venit, & quia tunc ille oblatus est, cum omnes amissum *Monsilicem* ægre ferent, ejus male actæ vitæ crimina etiam gravius suspendio ulti sunt. Et quidem dum ea res agitur rixatum esse & tumultuatum in foro videbatur, quia exercitus Gubernatore carebat, atque ideo *Lucio Malvetio* potestas Gubernatoria collata est, simulque *Laurentio Cerinati* Imperium omnium peditum, quia *Dionysius Naldius* plenus rerum gestarum

E gloria per eos dies perierat. Dum ea vero apud *Patavium* geruntur *Marcus Antonius Columna* in expeditionem exiverat cum Pontificis septuaginta militibus & octingentis mercenariis peditibus. Nam cætera multitudo collectitia ingens eorum erat, qui potius fortunæ & victoribus affecti sunt. Jamque *Macram* amnem trajecerat, & *Specium* oppidum deditione ceperat, faciebatque iter simul cum classe *Veneta* undecim triremium juxta mare versus *Sestrium* & *Chiavarium*, quibus similiter captis oppidis venerunt in flumen *Enteliam*, quod ex monte haud longe ab urbe labitur in mare. Est autem urbs *Genua Ligusticum* em-

F porium, unde *Apennini* montes incipiunt, & amplius ingentem portum habet bene munitum propugnaculis. Illi tamen putabant expeditionem facilem fore, quia etiam *Adorni* & *Spinulæ* rebus Pontificis studere visi sunt, simul ac cernunt exercitum Pontificis rebus suis non minus quam *Fregosiis* consulere. Sed tantum absuit, ut cum ventum esset ad urbem *Genuam*, ne *Fregosii* quidem ausi sint res novas moliri, quia urbs viris armisque probe munita esset, & adeo pauci milites Pontificis, ut non posse urbem invadere videren-

derentur. Atque ideo illi potius parabant nocte media per mare ad locum *Serzanii* repente in urbem vadere, qua parte res novas moliri factioſi intenti paratique ſtabant. Sed cum hoſtibus relata res eſſet, illi cum una navi & duabus triremibus locum protinus antecapiunt, & amplius *Adorni* & *Spinulæ* quingenti ſcorpionarii & *Galli* ſexcenti pedites ſubſidio venere, atque etiam prope urbem ad duodecim millia paſſuum ſtabat claſſis *Gallica* ſex triremium, quinque navium, & navigiorum plurium. Igitur cum urbis potiundæ nulla ſpes eſſet, re intentata terra marique receſſum eſt, & *Romam* verſus ibatur, atque inde velificantes venerunt in portum *Finium*, ut ſubducerent navigia, quibus egebant ad trajiciendum pedites. Eſt autem portus prope *Genuam*, capax multarum navium, & quædam oppida ſupereminent, unde hoſtes conabantur ulciſci illatam injuriam miſſilibus telis & tormentis militiæ, ut *Veneti* non potuerint ſubducere navigia ſine ſuo magno malo, quia *Franciſcus Pollanus* præfectus unius triremis *Venetæ* dum nimis audacter rem ipſam ageret, ſaucius tormentis militiæ vita non in gloria functus eſt. Cum ea vero quæ geſta erant *Hieronymus Doria Romam* nunciatum veniſſet, & diceret rem ipſam majoribus viribus egere, primo quoque tempore major vis belli parabatur, curabaturque claſſi alia navigia ſuperaddere, & equites & pedites ſupplementum exercitui mittere, ſimulque ſollicitabantur *Helvetii* iter ocyſſime arripere, ut uno eodemque tempore paratiſſima claſſe, & redintegrato exercitu hinc ex *Liguria*, illinc ex *Sabaudia* & ex *Pede Montium Helvetiis* bellaciſſimis populis verſus urbem *Genuam* in expeditionem iretur. *Hieronymus* quoque *Contarenus* præfectus claſſis *Venetæ Romam* venit, & apud Pontificem conſultabatur, claſſique additæ ſunt triremes *Venetæ* majores quatuor, & duæ naves Pontificis quibus ſupervehebantur Duces *Octavianus* & *Joannes Fregoſius* cum quadringentis peditibus. Itaque paratis omnibus ex ſententia iterum in eam expeditionem ibatur. Et cum navigaſſent aliquandiu ecce inter eundum claſſem hoſtium conſpicantur tenentem altum & venientem ex adverſo. Nec mora, ut mutuo ſe conſpexerunt, utrinque omnia inſtruunt ad confligendum, & locant milites multoſque ſagittarios & jaculatores ſuper cataſtromata. Sed alioquin cum ventum eſſet ad jactum lapidis, in alto prope urbem *Genuam* inter claſſes certamen fuit ſolummodo tormentis militiæ. Namque aliter *Veneta* claſſis, claſſem hoſtium aggredi non audebat, quia navigia hoſtium & majora & plura eſſent. Sed alioquin tentata civitas eſt, & quatuor triremes in eam expeditionem ibant, & ſuper unireme *Joannes Fregoſius* cum acie peditum in portum civitatis antevenerat, ſi poſſet aliquo pacto incautos hoſtes offendere. Sed tantum abfuit, ut hoſtes potius parati intentique ſtarent, & quia ex caſtello cui *Lanterna* nomen eſt, tormentis militiæ acriter agebatur, Pontificii & alii *Fregoſii* noluerunt in portum ire. Igitur infecta re iterum receſſum eſt, atque ea parte infeliciter agebatur. Aliter parte alia Pontifici *Julio* proſpera omnia cedebant, quia Cardinalis *Papiæ* cum valido exercitu eundo verſus *Ferrariam* Ducis omnia oppida citra *Padum* deditione ceperat, & amplius commota conſpiratio in Ducem & *Gallos* magis magiſque in dies *Ferrariæ* augebatur, ut illud ſolum valde obeſſe videretur, quod *Galli* ditione Marchionis *Mantuæ* nimium familiariter utebantur. Atque ideo Pontifex *Venetos* rogabat illum e captivitate educere, quod & tandem impetravit, ut delectus Imperator exercitus *Venetorum* veheretur *Arimi-*

A *num* eadem triremi, qua & orator Pontificis *Conſtantinus Harnicius* trajecturus erat in *Germaniam*, ſimul ac Rex *Romanorum* valde declinare ad pacem vel ad inducias cum *Venetis* viſus eſt. Hoſtes vero qui capto *Monſilice* uti victoria volebant & *Patavium* oppugnare, iſtis de cauſis rati ſunt defenſione potius quam offenſione opus eſſe, atque inde ex villa *Batalea* receſſerunt partitis copiis, ut *Germani*, *Hiſpani*, & *Galli* quingenti milites *Veronam* cuſtodirent, & *Ferrarienſes Gallique* trecenti milites *Ferrariam*. Namque ceteræ omnes *Gallicæ* copiæ *Mediolanum* & urbem *Genuam* ſubſidio antevenerant. Ea cognita abitio-
B ne hoſtium, *Aloyſius Mocenicus* cum valido exercitu ex *Tauriſio* movit contra *Axilium* oppidum, quod ſitum eſt juxta *Muſonem* fluvium, & intus habebat *Germanos* octingentos pedites, qui parati ad omnia obeunda videbantur. Igitur *Veneti* primo quoque tempore tentare per tubicinem, ſi hoſtes velint deditionem facere, ſed cum ſuperbe reſponſum eſſet repente immiſſi levites parvo diſcrimine combuſtis foribus in caſtellum vadunt, quia cives & populares cupiunt in fidem *Venetorum* redire, ſicut & facile ſuamet proditione victi ſunt. Capto oppido a ductoribus hoſtium cum vigintiquinque *Germanis* peditibus in arce
C receſſum eſt. Nam ceteri aufugerant, qui e manibus hoſtium potuerunt evadere. Eſt arx alta decempedali murorum amplitudine habens parte tertia juxta ſolum terroſa mœnia, ut pugna manuaria ſine fuſilibus tormentis militiæ vi capi non poſſet, neque porta arcis comburi poterat, quia alta anguſta & cataracta erat. Cæptum tamen eſt conſeri leve prælium, & diruti ſunt muri anteportarii, donec admoverentur vineæ & grandiora tormenta militiæ, deinde acriter agebatur, & jam magna pars muri procubuerat, atque plures hoſtium cadebant, quorum fortuna erat deterior. Igitur hoſtes tandem deſperatione ducti
D ſunt deditionem facere, & *Michael Friſcener* cum pulchra uxore, & captivis aliis in hoſtium poteſtatem venit. Poſtea quia alia oppida ad *Venetos* deſciverant, cum ſexcentis quinquaginta peditibus, & centum quinquaginta equitibus contra *Maroſticam* geſta res eſt, ubi præſidio erant *Germani* quinquaginta pedites, & triginta equites, atque inſuper cuncti oppidani ad omnia belli officia ſemper intenti paratique ſtabant. *Veneti* omnibus modis admotis ſcalis conabantur murum aſcendere. Contra hoſtes nihil tutum patiebantur, denique *Veneti* ſuppoſito repente igne fores comburunt, & ea via oppido potiti ſunt, cum
E hoſtes in arcem ſe protinus recepiſſent. Dum vero *Veneti* arcem ſumma ope oppugnant, *Germani*, *Hiſpani* & *Galli* omnis exercitus hoſtium ferebatur applicuiſſe *Ulmum* oppidum diſtans a *Maroſtica* quatuordecim millibus paſſuum, & oppidanis ſubſidio feſtinare. Sed ea cum in incerto res eſſet, ex re dubia diligentia, ex celeri timore audacia orta eſt, & ſiquidem vident celeritate opus eſſe, ſicut ſæpe fieri ſolet, tanto maxime operi incumbunt, ut demum hoſtes pacti ſint *Venetis* oppidum tradere, atque illud in fidem receptum eſt, & hoſtes omnes inermes dimiſſi ſunt. Nihilominus apud *Forum Julii* frequenter cum
F hoſtibus agebatur & paſſim levia certamina fiebant, dum viciſſim cupiunt oppida capere, prædas agere, rapere, fœdare, comburere. Et nuper legatus *Aloyſius Delphinus* deditione cepit caſtellum *Vipolzanium* quod interjacet *Goritiam* & *Cromonium*, quia multum refert hoſtibus iter occludere, quo ex *Goritia Cromonium* itur. Et amplius *Aloyſius Portenſis* apud *Cromonium* cæſis hoſtibus recuperavit ingentem prædam, quam illi paſſim egerant. Atque identidem parte alia *Con-*

stantinus Paleologus cum hastatis equitibus apud *Monfalconium Liburnos* hostes vincebat, nisi subsidium venisset. Namque alioquin oportuit *Venetorum* levites ultra amnem *Lisuntium* in pacatum recedere, atque hostes quingenti equites & mille sexcenti pedites non potuerunt amnem trajicere. Per idem tempus in *Istria* etiam bellum asperum vigebat, & nuper *Damianus Tarsensis* cum *Andrea Ciurano* semper intentus si posset *Pisinium* oppidum capere, iterum in eam expeditionem omnia utilia parabat, & cum primum passim convenissent in castra supra quatuor millia hominum, quia multum refert *Castrum novum* & *Pedemontem* oppidum antecapere, utrobique feliciter gesta res est. Aliter cum ventum esset ad *Gallignanium Veneti* cum magna strage repulsi sunt, tum quia oppidum situm in monte prærupto, & armis virisque bene munitum erat, tum quia a *Matheo Iadrense* cum parte copiarum temere suscepta res est, & tamen adhuc omnis exercitus auctore Damiano *Tarsense* oppidum obsidebat. Sed postquam videt hostes eruptione facta sæpe audacter agere, & in periculo sita esse tormenta militiæ, statim inde soluta obsidione noctis silentio in pacatum abiit. Namque alioquin hostes terra marique infesti erant, & nuper *Tergestina* uniremis usque *Muglam* urbem venit, quamvis inde a *Muglensi* biremi statim repulsa sit, sicut etiam cum venissent sexaginta equites hostium, & ducenti pedites ad *Ronzium* oppidum, & ad oppidum *Adignanum* ducenti equites, & multi pedites, & ad *Rubignum* trecenti equites & quadringenti pedites, ubique non impune prædati sunt. Ad *Castrum novum* vero cum hostibus acriter gesta res est, & si equites hastati in officio mansissent procul dubio actum erat de cunctis hostibus ducentis equitibus, & quinquaginta peditibus. Namque primo congressu *Andreas Ciuranus* Ducem eorum prostravit humi, & visa est acies hostium inclinare. Sed quia *Veneti* equites abierant, & contra ipsum solum magna vis hostium ingruebat, vix ille e manibus hostium impune dilapsus est. Et quidem in dies magis magisque hostes totam provinciam vexabant, quia modo *Tergestini* quatuor uniremes habebant, & mare totum infestum reddebant. Et similiter non absistebatur bello in ipsam continentem, quia parte altera ad *Pisinium* ducenti equites hostium semper infesti stabant, & identidem parte altera ad *Justinopolim Christophorus Frangipanes* cum trecentis equitibus, & quingentis peditibus nunquam cessat, agros vastare, & prædas agere. Et nuper ille centum quinquaginta *Liburnos* equites in insidiis locat, & statim jubet alios triginta versus hostes supra *Cervical* oppidum ire, & illos ad locum allicere. Neque difficultas fuit, adeo facile *Justinopolitani* creduli centum pedites præcipitarunt in insidiis, & omnes capti aut cæsi sunt, atque amplius totam provinciam longe lateque prædatus est. Non tamen potuit *Alboniam* oppidum capere, quia præfectus *Michael Foscarenus* retinuit oppidanos in officio, & illi passi sunt hostes agros suos vastare, & prædas agere. Sed præda diffidiosa hostibus fuit, & multi repedarunt in *Germaniam*. Interea vero parte alia hostes quingenti equites in *Forumjulii* ad *Feltrum* oppidum repente proruperant, quo statim deditione capto & igne absumpto, tantum terrorem injecerant *Venetis* sociis, ut passim facta fuga vicina oppida & omnia prædæ hostibus relicta sint. Namque *Venetus* exercitus ad *Gradiscam* civitatem erat, & dum ad *Feltrum* res est, mille equites hostium, & totidem pedites illis etiam infesti stabant, & frequenter levia certamina fiebant, atque ut plurimum *Veneti* pauci vincebantur,

A quia *Cauriana Mantuanus* eques, non nisi ducentos levites habebat, & alii ad summum trecenti equites erant. Igitur cum subsidio opus esset, *Antonius Savorgnanus* cum tribus millibus hominum statim venit, & dempta est hostibus confidentia. Namque nuper etiam *Goritiam* venerant Dux *Brunsuicensis*, *Lubianensis* Episcopus, *Christophorus Frangipanes*, trecenti quinquaginta *Liburni* equites, & *Thraces* septingenti pedites. Et quia vident secus quam putarant non posse impune amplius prædas agere, inde statim abeundi nova Regis mandata deindustria finxerunt, & plerique abierunt in *Germaniam*. Et quidem in

B isto bello ista res nova non fuit, adeo frequenter ire & redire hostes soliti sunt, ut cuncta oppida *Forijulii* sæpius capta & recepta sint. Sicut & nuper *Aloysius Mocenicus* cum exercitu Civitatem *Bellumni* oppugnavit & diripuit, atque amplius *Joannes Delphinus* cum *Feltrensibus* mille quingentis agricolis, & quinquaginta levitibus ausus est in *Germaniam* ire, fugatisque hostibus *Thesinium* opulentam convallem comburere. Deinde impune recessit & cum duobus millibus hominum proximos omnes saltus occupavit, atque obsedit *Covolum* cavatum opus in medio prærupti montis. Et quia menstrua obsidio fuit, hostes

C aliquando ad tria millia hominum laborantibus sociis commeatum afferre, per saltum *Scalanum* frustra conati sunt. Namque statim mille pedites venerunt subsidio, & tantus timor hostibus injectus est, ut illi conversi in fugam e monte etiam se præcipites darent. Et amplius victis pulsisque hostibus ad *Grignum* & *Hospiciolum*, ambo loca igne confestim absumpta sunt, quæ prius erant proxima receptacula hostium. Atque iccirco cum longum esset subsidium expectare, oppidani maluerunt oppidum tradere & in *Germaniam* abire. Itaque utrinque vario eventu pugnabatur, & dum omnis in incerto res esset, semper simul de bello & de pace vicissim agebatur,

D & denique inter *Feltrenses* & *Germanos* illos *Castri Petræ* & *Vallis Primerii*, mutuæ induciæ factæ sunt, & compositis rebus *Aloysius Mocenicus* repedavit in patriam minus tamen honorifice quia ex rebus gestis invidia orta est, ut illi etiam vitio daretur, dicereturque propterea copias hostium ex *Verona Vincentiam* venisse, & *Forumjulii* aggredi velle, nisi vetent *Hispani* & *Galli*, qui veriti se a *Germanis* relictum iri, causabantur difficilem expeditionem esse, tabidam luem sævire, & flumina repente increscere. *Veneti* vero qui similiter *Paduæ* sæva lue premebantur, ut tale exitium aufugerent, & terrori hostibus essent, si

E vadant in *Forumjulii*, moverunt castra contra hostes versus *Vincentiam*, & parte alia octingenti pedites, & totidem equites ibant *Rhodigianam Pollesinum* recipere, quibus primo præter spem evenit, quia simul cum classe *Padana* temere profecti sunt. Sed cum paulopost consulto ivissent fusis fugatisque hostibus facile ceperunt totam peninsulam. Namque duæ classes in solum *Ferrariense* proruperant, altera per *Padi* ostium *Fornacense*, altera per *Padi* ostium *Primarium*, quæ ambæ hinc inde conatæ sunt omnia subvertere, & ingenti terrore afficere, agros vastare,

F prædas agere, oppida diripere, captivos abducere, denique cuncta igni ferroque miserabiliter complere. Et identidem *Leonardus Hierosolymitanus* eques cum octingentis levitibus *Pado* amne trajecto ad *Crispinum* oppidum omnia prædatus est, & hostibus maximam trepidationem injecit, atque parte alia cum exercitu Pontificis contra *Ferrariam* acriter agebatur, & jam fuerat interdictum censuris ecclesiæ Duci *Ferrariæ* & omnibus qui auxilia præstarent, captaque urbe *Regio* &

& *Mutina* valde *Ferrariæ* tumultuatum eſt, & Ducis uxor cum liberis & divite ſupellectili protinus *Mediolanum* abiiſſet, niſi *Ferrarienſes* dicerent ſe pariter urbem *Ferrariam* relictum iri. Nihilominus parte alia *Veneti* levites *Vincentiam* antevenerant, & ubique hoſtibus infeſti erant, nunc equites ſcorpionarii *Vincentiæ* uſque ad portam *Petrinam* accurrere, nunc *Græci* haſtati equites ad portam Felicianam hoſtem invadere, & uſque intra urbem propellere, quibus cum & ſex *Græci* equites nuper ſuburbium ingreſſi ſunt, cumque magna trepidatione omnium uſque ad ſecundam portam venerunt, & cum ab hoſtibus circumventi eſſent, vix unus eorum interceptus eſt, & alii omnes redierunt ad ſuos incolumes. Denique *Venetorum* omnis exercitus inſectabatur exercitum hoſtium, quia ad paucitatem redactus erat ſeptingentorum militum, duorum millium levitum, & quinque millium peditum, atque ideo inter eundum verſus *Veronam* hoſtes quantum in ſe eſt, caſtra vallo & foſſa apprime munibant, ubi fluminum ramenta non erant. *Veneti* vero octingenti milites, tria millia levitum, & decem millia peditum non neſcii quantum interſit in re militari ſemper occaſione uti, currus colligere, commeatum expedire, omnia utilia parare, ex *Forojulii* & *Tauriſio* milites accerſere, atque agricolas paſſim concire. Et quia ſtatim hoſtes verſus *Veronam* abituri videbantur, cum primum *Veneti* ad villam turrium veniſſent, datum negotium eſt *Dominico Boſichio* cum ducentis haſtatis equitibus montes proximos aſcendere, & declinare, ad *Brendulas* ſuper itinere qua *Veronam* itur, ſi poſſint vetare commeatum vehi in caſtra hoſtium, & obiter eorum palantes aut impedimenta aliqua intercipere. Et identidem e regione latere altero ad vallem *Dreſſanam* quingenti equites ſcorpionarii duce *Troylo Sabello* juſſi ſunt tria millia agreſtium convenire, ut ſimul utrinque illac pergentibus hoſtibus ſtatis locis, & viarum anguſtiis ſemper infeſti forent. Quibus omnibus compoſitis ex ſententia, cum nunciatum eſſet hoſtem confeſtim abire, protinus deditione *Vincentia* recepta eſt, & recta quadringenti haſtati equites Duce *Federico Contareno* illuc in hoſtem celerius anteibant ſemper a tergo invadere, & quantum poſſunt ordines diſturbare, atque inde omnis exercitus ſequebatur cum numeroſa manu agreſtium, qui ad certam victoriam in caſtra *Veneta* confluebant. Illud vero præcipue curabatur, ut omnis exercitus hoſtem ſequendo ſub ordinibus militiæ ſtaret, neque prælium conſeri pateretur, quandoquidem *Veneti* volebant inopia commeatuum hoſtem conficere, & contando incruentam victoriam conſequi. Ventum erat ad tabernulas cum primum ceptum eſt committi levia certamina. *Veneti* levites ſimul a tergo & utriſque lateribus hoſtem invadere. *Galli* hoſtes autem qui retrorſum ibant pedites & equites ad quinque millia hominum, tormentis militiæ *Venetos* ſemovebant, neque prælium conſeri patiebantur. Igitur utrinque ſimiliter agendo ulterius ibatur, & ſatis de fuga hoſtium conſtabat, quatenus illi præ timore reliquerant in caſtra vini frumenti & hordei magnam copiam avenæ & currus, atque alia impedimenta hujuſmodi, ut omnes ducti in ſpem potiundæ victoriæ tota regione conclamarent ad arma & contra hoſtes rebus *Venetis* audacter faverent. Nihil tamen amplius ea die geſtum eſt, quia cum jam adveſperaſceret ad *Suavium* oppidum ſtabatur. Poſtera die ſimiliter equites levis armaturæ præibant, & ex monte pulchro omnis exercitus ſequebatur, & jam conſertum prælium erat, cum vix illuceſceret. Sed equites levis armaturæ parum poterant

A gravis armaturæ equitibus obeſſe, multi tamen hoſtium peribant & multi ſauciabantur. Quare hoſtes majore vi agendum rati multi equites & pedites ſimul coeunt ſub ordinibus militiæ, videbanturque *Venetos* aggredi velle, potiuſquam iter inceptum proſequi. Igitur & *Veneti* milites ſtetere, & deinde obviam hoſtibus ibatur, cumque *Venetorum* omnis exercitus veniſſet prope hoſtes ad duo millia paſſuum, hoſtes magis magiſque obnixi ſunt miſſilibus telis & tormentis militiæ *Venetos* repellere. Sicut & denique *Veneti* repulſi ſunt, & hoſtes potuerunt commode pedites & equites trans *Arpanum* fluvium ad *Villamnovam* trajicere. Quod cum videret *Lactantius*
B *Bergomenſis* vir fortis & induſtrius, protinus ſuper turrim proximam pedites tormentarios poſuit, & loco repulit tormentarios pedites hoſtium, qui *Venetos* equites antefuderant. Deinde ſicut antea verſus *Veronam* abeuntes hoſtes *Veneti* ſequebantur ſemper pugnando, & hoſtem urgendo quantum poterant, poterant autem parum nocere, quia milites hoſtium cataphracti ſunt. Poſteaquam vero omnibus copiis ad *Villamnovam* ventum eſt, non amplius quingentis paſſibus exercitus invicem diſtabant, dicebanturque hoſtes fuſi fugatique recedere, & procul dubio de eis actum
C foret ſi *Veneti* paulujum adnitantur, & collatis ſignis prælium conſeri poſſit. Cæterum in incerto res erat, ſi copia pugnandi fiat, an pedites rebus agendis apti ſint, quia feſſi erant ambulando, & propterea rogabantur dicere, an ſtandum, an eundum eſſet & cum ab omnibus acclamaretur eundum, tantis animis quantum dici poteſt in hoſtem ibatur, volebantque cataphracti milites pedites anteire, ſed maxime ad res agendas peditibus opus erat. Igitur cum pedites nequiſſent ut oportuit iter accelerare, tanta victoria *Venetorum* e manibus turpiter elapſa eſt, & *Veneta* caſtra ad fanum *Martini* ſita ſunt. Nam-
D que tantummodo *Veronam* uſque per *Venetos* levites cum hoſtibus agebatur, ſero enim ad pedites relata res eſt, quia tunc oportuit cum princeps *Analtius* qui forte apud *Suavium* ægrotabat, capto oppido ſtatim relictis pecuniis in caſtra fugiſſet, & præcepiſſet omnes copias ſub ordinibus militiæ ſubſiſtere. Sed *Lucius Malvetius* quem penes erat facultas gubernatoria frequenter ajebat, cavendum eſſe dum niterentur ad melius, ne id bonum amitterent, quod partum eſt. Satis actum eſſe merito viſum iri poſſe, ſi hoſtes in fugam converſi ſint. Itaque conſultando quid agendum eſſet, dum facto confeſtim opus eſt,
E tanta occaſione rerum bene gerendarum *Veneti* milites non uſi ſunt. Quod ſi etiam poſtea ſtatim urbem oppugnaſſent, multo ſane melius egiſſent, quam præſtolando fruſtra tempus opportunum conterere. Nihil enim pejus eſt dilatione, quando omnia parata ſunt, & contra *Gallos* potiſſimum ea maxima vis eſt, qui non minus vi quam celeritate vincuntur. Interea *Helvetii* qui jampridem cum Pontifice convenerant accepta mercedis parte iter facere in *Italiam* parabant, ſimul ac valde animati ſunt in ſuorum primarium angulum, ut *Baſilea* & *Conſtantia* eſt, ſic *Mediolanum* urbem redigere, & quamvis metu Re-
F gis *Gallorum* Dux *Allobrogum* ibat inficias tranſitum dare, & *Mediolani* Magnus magiſter cum ſexcentis militibus, & decem millibus peditum illis obviam veniſſet, illi poſthabitis omnibus prout ſunt audaciſſimi, vi ſtatim capto oppido *Vareſio* & *Caſtionio Ferro* ſibi viam facere perrexerunt ad locum, quem accolæ *Pontem Treſſanum* appellant, & quia id loci forte incuſtoditum erat, facile in poteſtatem illorum venit. Itaque *Helvetii* pugnaciſſimi ducenti equites, & quatuor-

tuordecim millia peditum aperto aditu ſolum *Mediolanenſe* ingreſſi compleverunt omnia terroribus. Et primo quidem illi prærupta montium tenere, deinde prodire, agros vaſtare, & prædas agere. Contra *Galli* hoſtes qui ſe receperant ad *Montiam* oppidum diſtans a *Mediolano* decem millibus paſſuum, modo ſtare & conſeri prælium detrectare, modo hoſtibus obviam ire & concire levia certamina, illudque præſertim cavere, ut locis omnibus qua *Helvetii* ituri eſſent ſubducerentur commeatus, &. ſimul curabatur illuc caſtrametandi locum frequenter antevenire, quo hoſtes ituros *Galli* per exploratores præſcibant. Quare ſæpe fiebat, ut hoſtibus victui ſuppeterent B ſolæ uvæ & nuces, caſtaneæ molles & lapidoſa corna, & quod longe pejus erat, præoccupatis ſedibus inquieti & laſſi ſæpenumero in duplo majus iter facere cogebantur, ut per hoc lentum & exangue bellandi genus & formulam vincendi, cito *Helvetii* coacti ſint ſine *Mediolanenſium* & *Gallorum* magno detrimento, repedare in patriam, & cum Rege *Gallorum* in gratiam redire. Non aliter quam olim ſub Principe *Franciſco Foſcaro*, *Martinus Faventinus* imperator noſtri exercitus fecit. Namque cum *Pipus Spanus* dux *Sigiſmundi* Regis *Hungariæ* cum magno exercitu repente in *Aquilejanam* provinciam prorupiſſet. C Ille æmulatus calliditatem *Q. Fabii* cum expedito agmine equitum quacunque hoſtis iturus erat, tectis incenſis, pabuliſque corruptis, interdum cedendo, rurſus inſtando, confectum *Hungarum* rerum omnium inopia tandem noſtris finibus ejecit. Dum ea vero per *Helvetios* aguntur, fruſtra a *Venetis* itum eſt urbem *Veronam* iterum oppugnare, ſimul ac illi apud locum *Martini* per pluſculos dies morati ſunt. Et quidem primo quoque tempore contra *Caſtellum Felicianum* tormentis militiæ acriter agebatur e monte *Feliciano*, qui e regione caſtello urbis erigitur, & jam magna pars muri ſubſidii procubuerat. Sed D hoſtes ſub compactis munimentis opera tormentaria tutius exercebant. *Veneti* vero quia ſine munimentis adminiſtrabant facilius lædebantur, atque ea maxima jactura fuit, quod & tormentis militiæ *Lactantio Bergomenſi* nates ſublatæ ſunt, dum ille ſemper inter talia opera verſaretur, ex quo vulnere tandem ille occubuit, qui rerum geſtarum gloria, nunquam ita debuit inglorius mori. Neque tamen inde a *Citolo Peruſino* qui vices ejus gerebat, deſiſtebatur concutere. Sed hoſtes cominus agendum rati repente eruptione facta mille octingenti pedites *Venetos* invadunt, qui tormenta bellica cuſtodibant. Et quia *Veneti* nihil tale verebantur, facile compulſi ſunt tormen- E ta militiæ incuſtodita relinquere, ut hoſtes poſſent eorum foramina ignifera obturare, niſi protinus *Citolus* cum manu paratiſſima ſubſidio veniſſet. Sic reſtitutum prælium eſt, quod quidem anceps & atrox fuit, donec *Citolus* fortiter agendo hoſtium vulneribus confoſſus eſt, cujus in iſto bello opera talia fuere, quæ nunquam ſitu mereantur perire. Eo mortuo hoſtes in ſpem victoriæ ducti nihil prætermittebant quod uſui foret. Contra ſtatim obviam ibat *Dionyſius Naldius* vir intrepidus cum tanta manu peditum, ut protinus hoſtes intra mœnia fuſi fugatique ſint. Deinde F noctu & interdiu tormentis militiæ ſemper cum hoſtibus res erat, conabanturque ſæpe *Veneti* milites per ruinas muri urbem ingredi, & paſſim hoſtibus infeſti eſſe. Cæterum ſtatio illa incommoda & non ſatis fida *Venetis* erat, quia pedites ſupra montem ſtabant, & in ſubjecta valle ſemoti equites, & flumen etiam longe aberat, quod ſi *Veneti* velint urbem vi capere, valde periculoſum fore videbatur, cum hoſtes ſub ordinibus

A militiæ ſemper intenti paratique ſtarent, rumorque increbreſceret ingentes *Gallorum* copias cum Magno magiſtro *Veronam* adventare ſubſidio, & Ducem *Brunſuicenſem* cum valido exercitu feſtinare ex *Germania*. Igitur a *Venetis* iterum ad fanum *Martini* receſſum eſt, ubi etiam frequenter cum hoſtibus res erat, & ſæpe committebantur levia certamina. Nuper vero cum monti *Feliciano* ſubjectæ vallis *Palthenia* agreſtes auxilium implorarent adverſus hoſtes, qui illuc prædatum ituri erant, quia *Veneti* pauloante eorum bona venia ſuis rebus cunctis familiariter uſi forent, datum negotium eſt *Joanni Græco* cum trecentis B levitibus eo ſtatim pergere. Vix ille ad locum venit, & protinus hoſtes aggreſſus eſt, quamvis illi octingenti & plures erant. Sed quia palantes ibant facile *Venetis* proſpera omnia cedunt. Namque primo impetu dum hoſtes aufugiunt, multi eorum cæſi & ducenti capti ſunt. Quod ſi affuiſſent & equites cataphracti qui ſequebantur, hoſtes ad unum cæſi aut capti eſſent, atque illa fuiſſet longe dies candidior & major victoria. Verum cum *Gallicum* & *Germanicum* ingens præſidium *Veronam* veniſſet, neque amplius videretur tutum fore, ſi *Veneti* loco maneant, illi protinus abierunt ad oppidum *Bonifacii*, atque inde C *Veneta* caſtra mota ſunt verſus *Ferrariam*, ut ſemper ſubſidio eſſent Pontificis exercitui, qui ad duodecim millia hominum erat, & vi capta civitate *Mirandula* parte altera uſque ad *Bondenum* oppidum venit. Sicut & parte altera *Veneti* milites profecti ex *Rhodigiana Polleſino* cum *Padana* claſſe uſque ad *Caſtrumnovum* acriter in hoſtes ibant. Igitur utrobique hoſtibus omnia infeſta reddebantur, ut illi qui ad duo millia hominum erant diffiſi ſint, ſub dio amplius ſtare & *Ferrariæ* morabantur, tuebanturque ſe prout poterant, modo ſtando, modo hoſtibus obviam eundo. Sicut & nuper contigit cum forte *Veneti* in *Ferrarienſe* ſolum prædatum iviſſent. *Ferrarienſes* tri- D ginta equites illis facti obviam ſunt, ut eos allicerent ad locum, ubi plures poſiti erant in inſidiis. Et quia *Veneti* temere præcipitarunt in inſidiis, illi ſtatim ultra amnem fuſi fugatique ſunt. Sed cum *Mutina* iterum deſciviſſet ad *Gallos*, & propterea paululum copiæ Pontificis receſſiſſent, Dux *Ferrariæ* liber ea moleſtia meditabatur nocte illa quæ calendas ſeptembris ſecuta eſt, cum mille equitibus, & duobus millibus peditum incautos *Venetos* aggredi, qui ultra *Padum* ad *Piloſellam* morabantur. Sed tantum abſfuit, ut antequam fieret, omnia *Venetis* relata ſint, & illi ideo ſemper armati totam illam noctem inſom- E nem duxere, cumque illuceſcente jam die viderentur hoſtes protinus velle amnem trajicere, *Veneti* milites ſimul cum *Padana* claſſe ſtatim in pacatum abiere, & ad *Rhodigii* peninſulam reverſi ſunt. Igitur quia apud *Ferrariam* in incerto res erat, & multum rei agendæ acceſſurum credebatur, ſi Pontifex *Bononiam* veniat ipſe itidem conſtituit facere, & obiter *Hiſpanos* quadringentos milites ſub duce *Fabritio Columna* ingens ſupplementum exercitui mittere. Illud autem præſertim curabatur, ut primo quoque tempore Marchio *Mantuæ Venetorum* imperator exercitus con- F tra *Ferrariam* in expeditionem exiret, atque ad eam rem amplæ conditiones proponebantur, & ille ſemper excipiendo duriuſculus erat. Uſque adeo in *Ferrariam* oculi omnium converſi ſunt, ut non aliter *Florentini Senenſes* & *Lucenſes* in partes Pontificis cenſendi viderentur, niſi ea res ſuccedat ex ſententia. Cæterum factu difficile videbatur, tum quia populus Duci fidiſſimus eſſet, tum quia *Galli* trecenti milites, & mercenarii pedites fortiter hoſtibus obſiſtebant, & nihil dubitare

bitare videbantur. Atque iccirco re infecta castra Pontificis mota sunt, & sita juxta castellum *Agathense*, ut semper auxilio esse possent *Bononiæ* simul & *Mutinæ*, quæ nuper deditione recepta fuerat. Inde vero Dux *Ferrariæ* illud præsertim cavebat, ne classes *Venetæ* aliquo pacto obesse possent. Namque duæ classes nuper immissæ fuerant Pontificis copiis ingens subsidium, altera constans duabus triremibus, totidem biremibus, multisque cymbis prædatoriis per *Padi* ostium Primarium, quo aditur civitas *Argenta*, altera similiter constans biremibus, ganzariolis, lembis, & minoribus navigiis, per *Padi* ostium *Fornacense*, quo petuntur *Venetiæ*. Nuper vero Dux *Ferrariæ* plus solito arma expedire, bellum parare, pedites tota urbe vicatim adscribere. Quibus omnibus compositis ex sententia classem *Venetam*, & *Rhodigii* peninsulam velle aggredi videbatur. Namque eam expeditionem animo advertebat factu facilem fore, quia pauci quadringenti levites, & centum quinquaginta pedites præsidio stabant, & illi etiam sine ordine, sine imperio palantes erant, & ideo cum primum nunciatum esset hostem adventare, facile *Veneti* omnes in fugam conversi sunt, & simul ac altera, quæ apud *Arii* locum erat disjecta classis est, altera cum duce suo *Marco Antonio Contareno*, quæ apud *Pilosellam* erat, frustra tentavit iter facere per proximum rivulum, qua itur in amnem *Athesim*, quia nimia erat aquarum penuria. Unde cum regredi necesse esset, hostes facti obviam sunt, & deinde tormentis militiæ *Padana* classis adeo quassabatur, ut denique *Veneti* coacti sint vix cum bellicis tormentis *Rhodigium* impune aufugere, & totam classem in hostium potestatem deserere. Equites quoque & pedites cum nequirent obsistere venientibus hostibus trecentis militibus, totidem levitibus, & duobus millibus peditum, similiter *Rhodigium* abiere, atque inde omnes *Montagnanam* oppidum profecti sunt, quo paulopost & *Venetorum* omnis exercitus venit, & recepta iterum est *Rhodigiana Pollesinus*, quæ paulo ante ad hostes desciverat. Quoniam vero *Galli* hostes quinquaginta milites, centum arcigeri, & trecenti pedites *Montagnanam* versus ex *Lemniaco* in expeditionem exissent repente cum *Veneto* equitatu contra illos ibatur, & jam *Joannes Fortis* hostes antevenerat ad pontem quem statim fregit, & super itinere arbores transversos posuit, ne hostes possent flumen trajicere & festinare. Illi tamen posthabitis omnibus satis cito venerunt *Bibaquiam* ubi consertum prælium est, & primo quidem tormentis militiæ agebatur, postea missilibus telis & ense vulnifico certamen fuit, multi utrinque sauciabantur, multi hinc inde cadebant, nihil ab utrisque prætermittebatur, quod facto opus esset, nusquam tamen adhuc inclinabat victoria, donec *Venetis* ingens subsidium venit. Namque deinde hostes a fronte, a tergo, & a lateribus circumventi sunt, & apud *Venetos* stetit non incruenta victoria, quia *Venetorum* multi saucii & nonnulli etiam periere, sed hostium omnes aut cæsi aut capti sunt, atque ita hostibus præter spem evenit, ut sæpe solet illis accidere, qui temere ad victoriam contendunt. Interea vero *Galli* frustra conabantur Pontificem in suas partes diducere, & quia alioquin parum proficerent, bello etiam tentare ausi sunt. Et nuper ad eam rem versus *Ferrariam* & *Bononiam* magnis itineribus ibatur. Et quidem ea magna vis erat, quia Magnus magister cum duo de triginta millibus hominum venit, & fratres *Bentivoli* cum octingentis equitibus, & tribus millibus peditum, atque amplius Cardinalis *Ferrariæ* cum quatuor millibus peditum *Pistoriensium*.

A Ventum erat ad *Carpum* oppidum, & primo tormentis militiæ acriter agebatur, deinde tantis viribus consertum prælium est, ut facile hostes victi sint, & vi capto oppido omnia prædæ militibus fuere. Postea contra *Mutinam* civitatem ibatur, sed copiæ Pontificis urbem antevenerant quingenti milites & septem millia peditum. Igitur *Galli* propterea in *Centum* oppidum conversi sunt, & quia oppidani acriter hostibus obviam ibant, & nunquam voluerunt deditionem facere cum primum vi captum oppidum in hostium potestatem venit, crudeliter in eos sævitum est, & omnia prædæ militibus concessa sunt. Atque amplius jungendi se Pontificis copiis demptum iter *Venetis* videbatur, qui sub *Paulo Capello* altero legato in castris trecenti milites, duo millia levitum, & quatuor millia peditum jampridem ad *Stellatense* oppidum venerant, & ire festinabant versus *Bononiam*. Et quidem patebat via facilis, quia ex *Cento* ad *Bondenum* decem millium passuum iter est, ex quo *Stellatense* oppidum distat non amplius quatuor millibus passuum. Aliter dum Marchio *Mantuæ* causando aliquid semper differt Imperator in castris accedere, ita *Venetis* præclusum iter est, & vires sejunctæ longe minores habebantur. Usque adeo Dux *Ferrariæ* nuper ausus est *Venetis* infestus esse, & ad *Bondenum* venit cum quadringentis militibus, octingentis levitibus, & tribus millibus peditum, atque inde parabatur adversus *Stellatense* oppidum in expeditionem exire. Sed adhuc tantum missilibus telis & tormentis militiæ res erat, & identidem parte altera fluminis super *Ferrariæ Pollesino* frequenter hostes apparebant, & duæ triremes citro ultroque meabant, atque locis omnibus tormentis militiæ pariter agebatur. Et tamen *Joannes Maurus* præfectus classis *Padanæ* non dubitavit adverso flumine lembos, & minora navigia in *Padum* subvehere per amnem *Athesim*, quoniam propter munimenta & opera hostium, per *Padum* nihil posset feliciter attentari. Et quamvis hostes quantum poterant tormentis militiæ vetassent, impune tamen applicuit ingens supplementum exercitui, necnon postridie & Marchio *Mantuæ* tandem *Sermenium* oppidum venit cum tanta quanta dici potest omnium summa lætitia, quia facile dabatur intelligi, si modo in proposito staretur, rebus Pontificiis & *Venetis* illam diem optimarum rerum principium fore. Dum ea vero apud *Ferrariam* geruntur, Pontifex *Julius Bononiæ* ægrotabat, & miser discruciabatur animi, quia *Galli* hostes cum *Bentivolis*, nuper vi capto oppido *Spilimbergio* festinabant versus *Bononiam*, neque exercitus Pontificis poterat suppetere, quia ex *Mutina* occlusum iter erat, & *Fabricius Columna* cum subsidio distabat adhuc sex dierum itinere, *Venetorum*que copiæ nondum *Padum* trajecerant, quia Marchio *Mantuæ* semper differebat in aliud tempus accedere, & quod pejus erat *Bononienses* propter malum regimen Ecclesiæ videbantur spectare ad *Bentivolos*, qui nuper etiam ausi sunt, usque *Bononiam* cum levitibus accurrere. Cardinales etiam quinque qui a Pontifice desciverant, ex *Florentia Genuam* ibant, quod in schisma & magnum malum Ecclesiæ converti poterat. Accedebat Pontificis febris aucta istis angustiis, & pejor febre *Gallica* frequens insinuatio, & pacis conditiones propositæ, ut denique *Venetis* oratoribus *Dominico Trivisano*, & *Leonardo Mocenico* patri meo, qui nuper eo venerant Pontifex frequenter diceret se *Venetos* relictum iri, nisi copiæ *Venetæ* postera die idibus octobris *Padum* amnem trajiciant, & *Bononiam* festinent. Ille enim pressus tantis angustiis facile videbatur ad *Gallos* velle desciscere,

A. Mocenicus.

& si non nescius esset *Gallis* hærere periculosum fore, adeo semper de futuris speramus, quando præsens periculum vitare possumus. Sed cum primum *Federicus Contarenus* & *Clapinus Vitellus* cum sexcentis *Venetis* levitibus ad diem constitutam *Bononiam* subsidio venissent, Pontifex respirare visus est, & se *Venetis* nunquam defuturum ajebat, atque obiter ut omnis timor & suspicio tollatur, statim jubet oratores *Germaniæ*, *Hispaniæ* & *Angliæ* in castra hostium proxima ad duo millia passuum ire & jubere, ut se posthac abstineant a talibus, quæ fieri contra voluntatem suorum Regum conquerebantur, & ipsi etiam ægreferre videbantur. Nihilominus *Marcus Antonius Columna* cui demandatum negotium erat urbis tuendæ cum centum militibus, quadringentis levitibus, & quatuor millibus peditum, primo quoque tempore arma expedire, bellum parare, urbem munire, custodias locare, præsidia distribuere, & omnia facere quæ usui sunt. Pari modo cives & populares *Bononiæ* sedulo præ mœnibus stare, & opera militiæ facere, ut liquido pateret erga *Bentivolos* qui favor civitatis erat penitus cessare, dum illi *Gallorum* auxiliis utuntur. Verum quia sanæ mentis est semper mutare incerta pro certis, Pontifex malebat sine incerto bello hostes impune discedere, atque ad eam rem iterum profecti sunt noctu in castra hostium qui prius iverant Regum oratores, & cum bonis verbis illud nequirent impetrare, *Anglus* orator conversus ad iram eo maxime movit *Gallos* Ecclesiastico solo confestim cedere, quod ajebat aliter fore, ut Regis *Gallorum* cum Rege *Angliæ* initum fœdus prorsus irritum haberetur. Interea vero nunquam cessatum est cum Marchione *Mantuæ* semper agere, ut primo quoque tempore in expeditionem exiret, & tandem ille *Mutinam* ire constituit cum quingentis militibus, mille sexcentis levitibus, & quinque millibus peditum. Et propterea classi *Padanæ* consultum fore videbatur si protinus per *Pilosellam* fluvium in pacatum abiisset. Sed aliter usuvenit, quia cum eo ivissent quinquaginta cymbæ prædatoriæ *Ferrariensium* tormentis militiæ octo earum submersæ sunt, quo experimento periculum edocti *Veneti* ad *Castrumnovum* totam classem ex *Pado* flumine tutissime trajecerunt in proximam foveam, quæ ducit in *Tartarum* & in amnem *Athesim*, & deinde parte alia cum toto exercitu versus oppidum *Finarium* ibatur. Cæterum Marchio *Mantuæ* confestim divertit ad villam *Felonegam* sitam tribus passuum supra *Sermenium*, ajebat enim aliter facere periculosum fore, quia quorsum ibatur *Ferrarienses* locum antevenerant cum quinquaginta tormentis militiæ, & jam complanatis itineribus volebant cum *Venetis* confligere, quæ omnia ficta dolo malo postea per exploratores comperta sunt. Ibatur tamen die quoque postera morando, & cum primum ad *Bivium* ventum esset, tunc Marchio *Mantuæ* hac inquit super solum *Mantuæ* nostrum iter est, & illac vestrum, super solum inimicum *Mirandulæ*, quod si vos usquam nocte ista hostes aggressuri viderentur, tormentis militiæ commonefacite & statim adero, quia apud villam *Stopiarium* stabo, & vos apud *Fœlicianum* state, sic fatus in verbo torsit vestigia. *Veneti* per solum hostile sub cælo pluvioso & tenebroso *Bellaerem* oppidum venerunt, non quidem parum veriti Marchionis *Mantuæ* suspiciosa facinora, quinimmo & cuncti milites de ipso conquerebantur, & putabant se duci deindustria per non tuta itinera, ut prædæ hostium militibus forent, atque iccirco postea ne illis usquam inter eundum cum hostibus res esset, magnis itineribus usque *Mutinam* profecti sunt. Quod cum

A Marchio *Mantuæ* cognovisset valde ægre tulit, & protinus *Fœlicianum* venit, quasi *Mutinam* vellet accedere. Sed tantum abfuit, ut ille potius repedaret in patriam, quasi oporteret tueri propria, quia per eos dies *Galli* hostes ex *Verona* solum *Mantuæ* prædati sunt. Per idem tempus *Venetis* rerum bene gerendarum oblata occasio videbatur, quia Dux *Tremulus* cum quadringentis *Hispanis* militibus, & quingentis *Celtiberis* peditibus, ex *Verona Neapolim* venit, ut provinciam tutaretur adversus *Turcas*, qui cum classe quatuor triremium, quinque biremium, & duodecim uniremium ad *Hydruntum* & *Tarentum* venerant.

B Igitur *Veneti* primo quoque tempore festinare, parare commeatum, milites adscribere, & agricolas passim concire. Itumque est majoribus animis quam viribus, quia solummodo quingenti milites, octingenti levites, & quatuor millia peditum erant, & contra hostes *Veronæ* præsidio stabant trecenti quinquaginta milites, & duo millia peditum. Accedebat impetuosa pluvia, quæ inaccessum iter reddebat, & vetabat *Venetos* simul ac ad fanum *Martini* venissent, propius urbem ut par erat accelerare, & amplius hostes ea occasione usi sunt, arma expedire, urbem munire, factiosos expellere, festinare, parare, face-

C re omnia utilia. Adeo semper etiam oportet rationem temporum habere, ne merito id omne irritum fiat, quod temere alioquin onus suscipitur. Ventum erat a *Venetis* usque ad fanum *Martini*, & hostes confestim combusserunt suburbia, ne venientibus ad urbem, usquam essent tegumenta, & tuta receptacula cum præsertim grave videretur fore, sub dio pluvioso persistere. Sed quia paulopost hostibus ingens supplementum venit, ipsi extra urbem locum castris elegere, & *Veneti* compulsi sunt ad locum *Cuchæ* recedere, quia nimia erat penuria commeatuum, quatenus asportari in castra non poterant propter ingen-

D tem vim aquarum, quæ super pontes etiam fluebant. Unde eadem de causa postea *Montagnanam* iterum recessum est, & deinde contra *Ferrariam* ibatur. Dux autem *Ferrariæ* antequam futura obsidio contingat, plus solito urbem munibat, & accersebat passim præsidia. Et nuper quidem hostes quingenti supra duo millia peditum ex *Padana* ripa ad *Brixellum* oram solverant & eo facile navigassent, nisi Marchio *Mantuæ* iter impediat ad *Hostiam* & *Sermenium* præsidia locet & tormenta militiæ, qua difficultate moti illi pedites terrestre iter tenebant versus civitatem *Mirandulam* nescii dum vitent *Charybdim*, inciden-

E di in *Scyllam* periculum subire. Namque & parte alia *Venetorum* ala equitum, & acies peditum eis obviam ibat, simul ac *Paulus Capellus Saxolo* vi capto oppido usque *Ronchajam* villam venisset prope civitatem *Mirandulam*, quam paulopost copiæ *Venetæ* & Pontificiæ parabant acriter oppugnare. Ille enim non ignarus eorum quæ fiebant, quanto maxime potuit rerum bene gerendarum ea occasione usus est, quamvis præter spem evenit, quia illi caute profecti per occulta & insueta itinera impune *Ferrariam* venerunt. Dum vero ea foris & militiæ geruntur, domi & *Bononiæ* de pace cum *Gallis* frequenter agebatur,

F & quia ea omnia frustra fiebant, denique apud *Tros* civitatem *Galliæ* decretum est contra Pontificem concilium celebrare, simul ac etiam Cardinales exiticii ejus rei auctores fuerunt. Sed apud *Lugdunum* cum oratore *Hispano* & *Germano* oratore *Gurgense* Episcopo frustra actum est in Pontificem & in *Venetos* amplæ conditiones propositæ, quibus dabatur Regi *Hispaniæ Cyprus*, *Creta*, *Corcyra*, & *Venetiæ*. Regi *Romanorum Vincentia*, *Forumjulii*, *Taurisium*, *Patavium*, & *Man-*

Mantua. Regi *Gallorum Luca*, *Sena*, & *Florentia.* Namque & Regi *Hispaniæ* suspecta erat Regis *Gallorum* tanta dominandi libido inexhausta, cui nisi tempestive occurratur, putabat eam sibi quoque periculosam fore. Adeo plus habendo semper ea intenditur, quæ a Rege *Nino* cæteris nationibus dominandi cupiditas orta est. Atque ideo *Hispani* declinabant ad Pontificem & *Venetos*, & eos ad conciliandos cum Rege *Romanorum* Episcopum *Gurgensem* sedulo *Bononiam* accersebant. *Anglus* autem orator quia per idem tempus fœdus initum inter *Anglos* & *Gallos*, ut suum robur haberet per Pontificem firmandum venisset, & illud fieri non posset, quia *Galli* Pontifici etiam bellum intulerant. Ille opportune ea occasione usus est, & Pontificem cum Rege suo & *Venetis* in novum fœdus hortabatur, ut teneretur Rex *Angliæ* ad recuperandam *Vasconiam Gallis* bellum inferre, oporteretque Pontificis & *Venetorum* copias in castris esse, ad duo millia militum, & decem millia peditum. Sed istud Pontifici factu difficile videbatur propter avaritiam, qua semper nimium tenebatur. Non desistebant tamen oratores semper agere de bello adversus Regem *Gallorum*, quia ejus immodicas regnandi cupidines, ea via solummodo putabant posse compescere. Et nuper etiam undecim Oratores *Helvetii* ad eandem rem *Bononiam* venerunt & convenerunt cum Pontifice. Pontifex quoque posthabito bello cum *Alphonso* Duce *Ferrariæ* ad *Concordiam* spectabat, quandoquidem per *Ludovicum Carpinatem* amplæ conditiones proponebantur. Et quamvis illæ ut eventus docuit, remoraturæ, fictæ, & fraudulentæ essent, merito tamen movebant Pontificem. Sed illud magis, quia Dux *Urbinas* nepos Pontificis præpositus exercitui rebus *Gallicis* magis quam Pontificis aperte studere videbatur, semper morando, & differendo in aliud tempus facere, dum rebus agendis celeritate opus est. Aliter *Paulus Capellus* cum *Veneto* exercitu antevenit ad civitatem *Concordiam* sitam juxta amnem *Sechiam*, & protinus expulsis hostibus cepit suburbia, deinde admovit urbi tormenta militiæ, & cum magna pars muri procubuisset, consertum prælium est, quod diu anceps & atrox fuit. *Veneti* summa ope nitebantur per ruinas muri in urbem ire. Contra hostes octingenti pedites pro viribus obviam ibant, & cum *Veneti* pedites munimenta superassent, statim supposito igne, eos hostis summovit, multi *Venetorum* combusti sunt, reliqui non integri ceciderunt in foveam. Redintegratum tamen prælium est majoribus animis & viribus, denique hostes victi fusique sunt, & capta urbe omnia prædæ militibus fuere. Deinde feliciter etiam gesta res est cum *Gallis* hostibus, qui exercitui præstites erant apud *Palatium*, quod prope oppidum *Carpum* est. Namque *Veneti* illos repente aggressi sunt, & hostium tanta trepidatio fuit, ut illi fusi fugatique usque ad *Parmam* civitatem abierint. Eo rerum successu *Veneti* videbantur civitatem *Mirandulam* posse capere, nisi Dux *Urbinas* dolo malo semper prohibeat, ex quo Pontifex animadvertit, si ipse intersit rei agendæ multum accessurum, & ideo *Felicianum* venit Ducem *Urbinatem* exauthorare, res omnes componere, & expeditionem in urbem *Mirandulam* festinare. Igitur eo auctore prope urbem admotæ vineæ sunt & tormenta militiæ, ducti aggeres, compacta munimenta, denique noctu, & interdiu acriter urbis mœnia quassabantur, & cum magna pars muri procubuisset, prælium conseri parabatur, quod oppidani veriti ne fiat, summo mane Pontificem adierunt in castra veniam petere, pacem implorare, & quibuslibet

A conditionibus urbem tradere. Sic capta deditione civitas est dum Pontifex *Julius* incumbit operi, quamvis nivosum tempus & ipse semiæger adhuc esset. Habita civitate *Mirandulâ* consultabatur identidem prout eundum esset contra *Ferrariam.* Namque *Galli* cum duce Magno magistro & *Joanne Jacobo Triultio* sociisque *Bentivolis* apud *Parmam* urbem ea ratione bellum moliebantur, ut Pontificis copiis repente obviam eant, & copiam pugnandi faciant, aut trajecto *Pado* flumine similiter aggrediantur exercitum *Venetum*, qui cum *Andrea Gritto* apud *Abbatiam* oppidum morabatur, aut etiam divertendi gratia

B adversus *Mutinam* & *Bononiam* in expeditionem exeant, quæ omnia cum essent Pontifici relata, ille statim jubet omnem exercitum duci ad *Bondenum* & *Finarium*, ut *Mutinæ* & *Bononiæ* semper auxilio esse possit, & parte alia identidem qua *Padus* amnis in duas partes scinditur utrinque *Ferrariensem Pollesinum* ponte jungere, ut Pontificiis & *Venetis* in omnem eventum commeandi semper facultas esset. Contra *Galli* hostes vetabant, ne aliquo pacto tales exercitus jungi possent, & parte altera ex *Verona* profecti sunt usque *Suavium* cum manu prædatoria ad quinque millia hominum, ut *Veneti* necesse haberent suc-

C currere, qui apud *Abbatiam* erant, simulque parte altera *Galli* hostes mille quadringenti milites & decem millia peditum, repente trajecerant amnem *Sechiam*, & videbantur castra Pontificis potius quam oppida aggredi velle. Igitur iterum apud Pontificem in consultatione posita res est, declinatumque ad partem tutiorem, & itum est ultra amnem *Panarum* ad *Centum* oppidum, ubi pro antemurali flumen habebatur, simulque datum negotium est Oratori *Germaniæ Mutinam* ire, & pro Rege *Maximiliano* eam tenere, quæ ad Imperium spectare videbatur. *Veneti* vero trecenti milites, mille levites, & totidem pedites,

D qui ad *Ficarolium* ulteriorem *Padi* ripam custodibant, similiter coacti sunt protinus loco cedere, simul ac hostes cum parte copiarum ad *Reverem* oppidum venissent, & pararent ad *Hostiliam Padum* trajicere, quod si inde se jungant copiis, quæ apud *Ferrariam Lemniacum* & *Veronam* erant, majus etiam periculum exercitui *Veneto* imminere videbatur, atque eo maxime, quod Marchio *Mantuæ* jam tum aperte ad *Gallos* desciverat. Igitur *Veneti* festinare, parare, accersere milites, qui apud *Suavium*, *Coloniam*, & *Leonicum* erant, ut confestim *Montagnanam* veniant, & eo deferant cuncta impedimenta, quæ inde secundo flu-

E mine ad *Ateste* oppidum transmittantur. Denique jubent copias omnes semper in procinctu stare, ut dum expedit, cito possint in pacatum abire, sicut & postea factum est, & distributis custodiis ad *Rhodigii* peninsulam, iterum ad *Montagnanam* omnis exercitus venit. Sed cum paulopost rumor increbresceret Regem *Gallorum* gravem ægritudinem pati, & *Helvetios* iterum in *Italiam* descendere, *Gallorum* hostium castra versus *Parmam* repente mota sunt, & hinc ab exercitu Pontificis ad *Finarium*, illinc a *Venetis* copiis ad *Ficarolium* contra *Ferrariam* iterum in expeditionem ibatur, simul ac distribuissent iterum

F præsidia, ducentos levites apud *Suavium*, apud *Leonicum* totidem, & quingentos equites apud *Coloniam*, ut semper auxilio essent agricolis, qui passim alioquin moliebantur aufugere, propterea quia hostes frequenter ex *Verona* totam regionem prædabantur. Parte quoque alia per *Padi* ostium Primarium adverso flumine *Joannes Maurus* cum classe *Padana* tredecim triremium, lemborum, & minorum navigiorum plurium, prope propugnaculum *Coloniæ* statim venit, simul ac etiam e

Pontificio & *Veneto* exercitu centum levites, & octingenti pedites, locum obſederant & cœperant oppugnare cum ſuo magno malo. Namque dum illuc e *Ferraria* quinque horarum ſolummodo iter eſt, Dux ipſe repente illis obviam venit cum trecentis militibus, octingentis levitibus, & tribus millibus peditum. Et quidem equites per continentem ibant, & pedites tribus triremibus, & aliis navigiis ſecundo flumine vehebantur. Itaque confeſtim acies junctæ ſunt, & conſertum prælium atrox. Equites enim *Veneti* quorum *Joannes Fortis* dux erat fortiter in hoſtes agebant, ut illi aliquando cedere viſi ſint. Aliter pedites nunquam manſerunt in officio, unde Pontificii & *Veneti* tandem coacti ſunt terga vertere & propriæ ſaluti effuſa fuga conſulere, multi cæſi ſunt, multi contriti bellicis tormentis, pauci integri amiſſis impedimentis omnibus in pacatum abiere *Faventiam*, ubi etiam valde tumultuatum & trepidatum eſt. Namque putabant *Gallos* eo ſucceſſu *Panarum* amnem velle iterum trajicere, & exercitum Pontificis invadere. Adeo ſemper cum infeliciter geſta res eſt, timere ſapientis eſt & cavere, ne aliquid mali eveniat, denique ea omnia conjectari probe, de quibus habenda fides eſt. Et bene quidem inde conſultum fuit, ad *Stellatenſe* & *Sermenium* oppidum hoſtem antevenire, ne *Galli* jungi poſſent copiis, quæ *Ferrariæ* morabantur. Sed parum prodeſt bonum conſilium, niſi mature fiat quod oportet facere. Stabat ergo alioquin Pontificis omnis exercitus ad *Finarium*, quoniam hoſtes ad *Stellatenſe* oppidum antevenerant arma expedire, copias acceſſere ex *Verona* & *Lemniaco Padum* pontem jungere, & meditari primo quoque tempore cum hoſtibus manum conſerere. Et quidem nuper parum ceſſit ex ſententia noſtris equitibus, qui viſum ibant quid hoſtes agant. Namque *Leonardus Hieroſolymitanus* eques cui tale negotium demandatum fuerat, dum inter eundum ad *Palatium* quod *Bellaerem* appellant, equites alios expectat. Ecce dominus *Paliſcus* cum trecentis *Gallis* militibus, & ſexcentis levitibus eo ſtatim venit, ad quos relata res erat, deinde certamen fuit ad fores *Palatii*, dum noſtri molirentur aufugere. Et multi quidem e manibus hoſtium dilapſi ſunt, ut parum actum videri poſſet, niſi *Leonardus Hieroſolymitanus* eques in hoſtium poteſtatem veniſſet, ſimul ac vulneribus confoſſus eſt, & paulopoſt etiam interiit vir ille non minus ſapiens quam fortis, & de republica benemeritus, ſicut in æde *Joannis Pauli* erecta ejus monimenta præferunt. Adeo ſemper æquum eſt eorum hominum rerum geſtarum memoriam longam eſſe, quorum militari fortitudine vita brevior fuit. Nihilominus in *Pado Ferrarienſes Venetorum* claſſem *Padanam* propulere, namque illi cum graviori claſſe altera triremium & uniremium ex *Ferraria*, & ex oppido *Comaclo* cum leviori claſſe lemborum altera, *Venetis* obviam ibant. Igitur primo per graviorem claſſem cum claſſe *Veneta* geſta res eſt, & cum ſemper pugnando ad *Alberti Fanum* veniſſent, tunc claſſis altera apparuit, ex palude *Comaclia*, & parabat *Venetis* iter occludere. Sed *Veneti* poſtquam imminens periculum vident, ſtatim in altum & in portum *Ravennæ* e manibus hoſtium dilapſi ſunt. Parte quoque alia mille equites hoſtium, & quingenti ſupra duo millia peditum trajecto *Pado* ad *Ficarolium* uſque ad ſtationes *Venetorum* & ad *Rhodigianam Polleſinum* venire & tentare auſi ſunt, ſi poſſent locum *Treſentæ Candæ* & caſtellum *Vielmium* e manibus *Venetorum* eripere. Sed ea expeditio minus proſpera fuit, quia a *Venetis* acriter obſiſtendo loco permanſum eſt, & illi amplius viſi

A ſunt ſemper ituri obviam hoſtibus, quotiens eis copia pugnandi fiat. Igitur cum ea via gravior videretur, iterum trajecto *Pado* ad *Stellatenſe* oppidum ceptum eſt exercitum Pontificis ad *Bondenum* vexare, datumque negotium eſt Duci *Ferrariæ*, ut cum copiis ſuper *Ferrarienſi Polleſino* e regione ad *Bondenum* eat, oppidumque tormentis militiæ concutiat, & ſi Pontificii *Gallis* obviam eant, qui ex *Stellatenſi* oppido ad oppugnandum ibant, *Ferrarienſes* eos identidem a lateribus tormentis bellicis impetant. Jam vero *Gallorum* ducenti equites ad primas ſtationes hoſtium antevenerant, ubi prælium conſertum eſt,

B videbanturque *Galli* primo cedere. Sed ſubeuntibus a tergo *Gallis* peditibus, qui ſuper duas cymbas per amnem *Panarum* clanculum venerant, redintegratum prælium eſt, non tamen illud diutinum fuit, quia copiæ Pontificis ſemper majores ſubibant & demum hoſtes impares expulſi ſunt. Itaque aliquantum audacia *Gallorum* compreſſa eſt, quæ alioquin nimium formidoloſa videbatur, dum illi omnia pertentant capere, & in ſuam poteſtatem redigere. Accedebat ad hæc, quod res *Veneta* cum Rege *Romanorum* ad concordiam ſpectare videbatur, quia *Gurgenſis* Epiſcopus *Bononiæ* Pontificem convenit, & diu

C egit de pace cum *Venetis*. Sed tum quia conditiones iniquæ proponebantur, tum quia ſuper *Aquilejenſi* præſulatu parum conventum eſt, denique re infecta *Gurgenſis Mutinam* abiit, unde minitando pontifici & *Venetis* in *Germaniam* reverſus eſt. Quod ſi cum ſolo *Patavium* & *Tarviſium Venetis* reliquiſſet, procul dubio Pontifex voluiſſet, quia ita fore literas *Gurgenſi* dederat, antequam *Bononiam* veniſſet & obiter volebat pecuniis parcere, quorum ſtudio maxime tenebatur, & vetare concilium, quod contra ſe fieri parabatur. Cæterum cum aliter eveniſſet

D Pontifex ſimul cum *Venetis* arma expedire, claſſem parare, ſupplementum exercitui mittere, e ſuperiori *Germania Helvetios* adſcribere, ex *Peloponneſo* equites ſtratiotas pilcatos, haſtatos accerſere, & demum omnia facere quæ uſui forent, ut poſſent indignatis hoſtibus obſiſtere. Hoſtes vero ſimiliter copiis aucti ſunt ex *Verona* & *Lemniaco*, & rati agendum viribus ad oppugnandum civitatem *Concordiam* perrexere, & primo impetu tormentis militiæ repulerunt hoſtes e ſtationibus, deinde facile in civitatem itum & ſævitum eſt, atque omnia prædæ militibus fuere. Et amplius cum Pontificii & *Veneti* obviam hoſtibus

E veniſſent ipſorum diſturbatis ordinibus, Dux *Joannes Paulus Manfronus* cum aliquibus aliis in hoſtium poteſtatem venit. Quibus geſtis ad *Bonumportum* ſitum juxta amnem *Panarum* hoſtes ituri videbantur, niſi Pontificii & *Veneti* locum protinus antecapiant, quia locus ille propter amnem tutiſſimus viſus eſt, propinquus civitati *Mirandulæ*, caſtro *Felicio*, & urbi *Bononiæ*. Cum vero hoſtes ſtatim etiam e regione ad eundem locum veniſſent, primo quoque tempore flumine intermedio tormentis militiæ acriter agebatur. Sed Pontificii & *Veneti* fruſtra tranſitum vetabant, quia hoſtium plura opera & vaſtatores

F erant, & ideo paulopoſt ſolummodo expectabatur partem hoſtium quam invadant amnem trajicere. Sed tantum abfuit, ut hoſtes potius verſus montes digreſſi ſint. Igitur ſuper aggeres fluminis utrique iterum ibatur, & viciſſim agebatur cum magna cæde, miſſilibus telis, & tormentis militiæ, uſque quo ventum eſt ad *Caſtrumfrancum*, ubi Pontificii & *Veneti* caſtrametati ſunt. Hoſtes autem ſuperius amnem vadati prope Pontificios & *Venetos* ad tria millia paſſuum locum caſtris elegere & viſi ſunt ſtatim velle con-

confligere. Aliter postea versus montem ibant cum impedimentis velociter, & milites paulatim incedebant, videbanturque velle pontem *Rheni* fluminis antecapere, quod iter facere Pontificii & *Veneti* propter commoditatem loci identidem aggressi sunt, & quia hostibus relata res est, deinde utrinque sub ordinibus militiæ stabatur, donec advesperasceret. Postea Pontificii & *Veneti* sub multa pluvia noctis silentio ad Pontem *Rheni* profecti sunt, & inter urbem *Bononiam*, & montem proximum stetere, loco satis tuto, nisi *Bononienses*, & *Monticolæ* res novas molirentur. Et quidem probe suspicari ante poterant, nisi frequenter humana læva mens esset, & quicquid vult facile inducit animum credere. Itaque nuper temere creditum est, *Bononienses* mansuros in fide, dum ipsi pollicentur ita propterea fore, & tamen noluerunt alioquin *Ramazotum* cum mille peditibus in civitatem recipere, quia ad defe-

A ctionem spectabant. Quod si tempestive etiam scitum esset, omnes incolumes abiissent, sed nimium sero, & cum tumultu castra mota sunt, & ideo *Bononienses* & *Monticolæ* inter eundum Pontificiis & *Venetis* magnam cladem intulere, ceperuntque impedimenta omnia, & maxime de *Venetis* magna edita cædes est, atque etiam major fuisset, nisi *Vulpensis* eques qui tergiductor erat, aliquantum hostibus ad civitatis fores obstitisset, & intra mœnia repulisset. Sic iterum *Bentivoli Bononia* potiti sunt, & prope civitatem erat *Gallorum* omnis exercitus ad mille quingenti milites, & decem millia peditum, ut nostrorum in sola fuga sita omnis spes esset, & ea quoque
B illos fefellit, quia in fuga a villicis etiam turpiter copiæ Pontificis & *Venetorum* dissipatæ sunt. Itaque Pontifex dum *Ferrariam* cupit subigere, *Bononiam* civitatem amisit, & re infeliciter gesta protinus *Romam* reversus est.

Epitoma

EX LIBRO QUARTO.

POSTEA *quam* Bononia *in hostium potestatem venit*, *Pontifex curam belli gerendi deposuit*, *& obiter litteras dedit Regi* Gallorum, *ut desisteret Ducem* Ferrariæ *defendere & concilium celebrare*, *simul ac ipse illud in Laterano indiceret*. *Sed supra omnia Pontifex &* Hispanus *Orator curabant* Venetos *cum Rege* Romanorum *conciliare*. *Nihil tamen fiebat*, *quia* Veneti *nunquam* Vincentiam *relinquere passi sunt*, *atque amplius cum* Galli *ad stationes issent*, Veneti *milites nimium ausi sunt circa* Veronam *agros vastare*, *& omnes segetes comburere cum suo magno malo*. *Namque inter agendum multi* Venetorum *cæsi & capti sunt*, *atque amplius* Gallorum *omnis exercitus cum* Ferrariensibus *&* Germanis *iterum in expeditionem exivit*. *Et quia* Veneti *voluerunt hostem validum expectare*, *ad* Villam novam *&* Suavium *fusi fugatique sunt*, *donec aufugissent in* Patavium, *& deinde studebatur* Patavium Tarvisium*que munire*, *quia in incerto res erat*, *si* Patavium *aut* Tarvisium *hostes parent invadere*. *In* Istria *quoque* Veneti *nimium ausi sunt* Tergesti *agrum vastare*, *penetrare in* Germaniam, *& locum fluminis comburere*. *Namque propterea* Christophorus Frangipanes *iterum in* Istriam *venit*, *& totam provinciam prædatus est*. *Usque adeo etiam in* Istria *multa identidem gesta sunt*. *Namque terra marique frequenter agebatur*, *& sæpe vario eventu pugnabatur*, *modo* Veneti, *modo hostes vincebant*, *& multa oppida sæpe capta & recepta sunt*. *Parte autem alia omnis exercitus hostium contra* Patavium *venit*, *ubi sæpe etiam vario eventu pugnabatur cum* Venetis *levitibus*, *dum illi maxime student commeatus hostium intercipere*. *Sicut & nuper fecerunt ad* Marosticam *&* Suavium, *& augebatur propterea magis magisque in castris hostium penuria commeatuum*, *atque iccirco hostes moverunt inde contra* Tarvisium, *simul ac in miseros villicos crudeliter sævitum est*. *Verum identidem hostes egerunt infeliciter apud* Tarvisium, *& tandem re infecta ibant in* Forumjulii, *quo &* Germani *passim ex* Tridento *confluere dicebantur*. *Itaque parvo momento totum* Forumjulii *in hostium potestatem venit*. *Namque* Antonius Savorgnanus *ad hostes descivit*, *& milites omnes ubique in fugam conversi sunt*, *atque amplius* Germani *&* Galli *hostes usque ad* Veneta *æstuaria venerunt agros vastare*, *prædas agere*, *sævire*, *subvertere*. *Sed paulopost hostes ibant ad tuenda propria*, *quia* Helvetii *iterum in expeditionem exibant*, *& identidem iterum* Veneti *potuerunt vicina oppida recipere*, *&* Forijulii *totam provinciam redimere*. *Namque hostes abierant*, *& deditio passim fiebat*. *Aliter* Cromonium *vi captum est*, *& contra* Gradiscam *infeliciter agebatur*, *atque amplius* Forijulii *in incerto res erat*, *quia* Germani *hostes iterum proruperant*, *nisi illi tantummodo contenti sint* Bellumni *civitatem diripere & in* Germaniam *recedere*. *Interea summopere de pace & fœderibus agebatur*, *& quia multum intererat in partes suas habere Regem* Angliæ, *qui statim in* Galliam *prorumpat*, *illi Pontificis litteræ plenæ suasionum datæ sunt*, *& tandem inter illum & Pontificem cum* Hispanis, Venetis *&* Helvetiis *novum fœdus initum est*. *Deinde omnibus locis contra* Gallos *ibatur*, *& primi* Helvetii *in solum* Mediolanense *venere*, *atque acriter gesta res est*. *Sed* Helvetiis *parum cessit ex sententia*, *quia re infecta unde abscesserant reversi sunt*. *Parte alia* Veneti *iterum iterumque contra* Brixiam *moverunt*, *& tandem urbs illa in* Venetorum *potestatem venit*, *dum* Galli *hostes impediti sunt contra exercitum Pontificis & Regis* Hispaniæ *apud* Bononiam. *Sed cum primum hostibus relata res esset*, *bene munita* Bononia Gallorum *omnis exercitus contra* Brixiam *confestim ibat*, *& inter eundum fudit fugavitque præsidium & subsidium quod* Brixiam *antestabat*, *atque amplius civitas cum magna strage* Venetorum *in hostium potestatem venit*, *& omnia prædæ militibus fuere*. *Interea vero iterum cæptum est agere de pace cum Rege* Romanorum, *& Pontifex visus est* Venetos *velle deserere*, *nisi illi contenti sint* Vincentiam *Regi* Maximiliano *tradere*, *atque ideo frequenter ad senatum referebatur*, *& cum pax displicuisset*, *placuerunt magis induciæ*, *& illas denique pacti sunt*. *Deinde quia* Gallis *magnum periculum imminebat*, *illi quantum in se fuit*, *sæpe antea conati sunt Pontificem &* Helvetios *in suas partes deducere*, *& cum illud facere non possent*, *viribus agendum ratisunt*, *& contra* Hispanos *audacter ibatur*. *Igitur apud* Ravennam *atrox certamen fuit*, *quia collatis signis gestum est*, *multi ex utraque parte cecidere*, *& non inulta fuit* Gallorum *victoria*. Veneti *vero cum classe Padana frequenter in* Ferrarienses *agebant*, *dum illi ubique infesti sunt*, *& volunt navigia cum mercibus intercipere*. *Et quidem sæpe vario eventu pugnabatur*, *nunc ii nunc illi vincebant*, Pollesinus Rhodigii *iterum capta & recepta est*. *Dum vero Pontifici & aliis*

Gallorum potentia formidolosa videretur, Helvetii iterum in Italiam venere, simulque cum Venetis in Gallos truculenter ibatur. Et quidem Galli quasi fugientes abibant, quandoquidem iterum iterumque fusi fugatique sunt, & simul ac Mediolanum atque urbes aliæ a Gallis desciverant, illi pauci quidem abierunt in Galliam, quia de multis edita cædes est, & omnia prædæ militibus fuere. Postea inter Venetos & Helvetios discordiæ ortæ sunt, quia ab Helvetiis cœptum est nimium insolescere, & tandem Veneti compulsi sunt invitis Helvetiis repente discedere versus Cremam & Brixiam, quamvis alioquin contra urbes illas aliæ Venetæ copiæ adhuc essent, & frequenter cum hostibus ageretur. Per idem tempus Romæ cœptum est concilium fieri, simul ac Bononia & tota Flaminia recepta est, Hispani iterum in Cisalpinam Galliam ibant, Rex Angliæ initum fœdus ingressus est, Rex Romanorum cum Venetis inducias sanxit, & Dux Ferrariæ Romam venit. Sed quia non potuit convenire cum Pontifice, clanculum aufugit in Ferrariam. Deinde cœptum est de bello & pace consulere. Namque Hispani & Helvetii machinari aliquid in Pontificem & Venetos videbantur, quia volebant Maximilianum Sfortiam Mediolani Ducem esse & Venetos Brixiam non oppugnare. Sed omnia frustra fiebant, atque Hispani & Helvetii contra Venetos ibant, quia ipsi nolebant ab oppugnatione Brixiæ desistere. Et fortasse apud Brixiam difficultas fuit, quia viribus agebatur, quandoquidem apud Cremam suasione pollicitis & muneribus custodes victi sunt, & civitas in fidem recepta est. Postea Regum & Principum Oratores ad Helvetios venere, & diu quidem actum est de concordia, tandem Helvetii cum Mediolanensibus convenere, & favere rebus Venetis visi sunt. Aliter apud Brixiam Venetis parum cessit ex sententia, quia denique urbs illa Hispanorum in potestatem venit, & quod pejus est, dum Mantuæ & Romæ de pace cum Gurgense iterum ageretur, & fieri non posset, Pontifex ægre tulit, & cum Rege Romanorum novum fœdus in Venetos fecit, ut Venetis necesse fuerit, iterum cum toto exercitu Patavium recedere. Interea vero novum bellum in Gallia ortum est, & quia per idem tempus toto orbe terrarum bellum identidem vigebat, brevis de situ orbis narratio fit, & in quibus partibus bello acriter agebatur, quando ubique bella aspera gesta sunt, atque identidem ab Hispanis & Anglis terra marique contra Gallos ibatur, & tandem Angli in Aquitania magnam prædam egere, & Rex Hispaniæ tota Vasconia potitus est. Deinde Galli agebant de pace cum Venetis & Helvetiis, & quidem cum Venetis actum est, ut dum eorum in ea re sita omnis spes esset, frustra Pontifex obnixus sit a proposito illos avertere, & conciliare potius cum rege Romanorum, quando non iniquæ pacis conditiones proponebantur. Et quia nihil fieri nimium Pontifici molesta res esset, ille præ tristitia in gravem infirmitatem incidit, & denique vita functus est.

LIBER QUARTUS.

apta Bononia Pontifex Julius deposita belli gerendi cura omnes copias dimisit, præter milites in albo, quos per civitates ad stationes distribuit, simul ac certior factus est, non ituros Gallos contra civitates Ecclesiæ, quia parabant Venetos ad Fossam Clodiam, & ad Patavium vexare. Igitur Veneti quibus belli majus onus incumbebat festinare parare, utraque loca affatim munire, copias sub Paulo Capello ex Rubicone flumine ad Clodiam trajicere, novos equites & pedites adscribere, denique omnia facere, quæ facto opus esse viderentur. Et amplius Orator Hispanus & Venetus apud Pontificem enixius etiam agebant de pace cum Rege Romanorum. Namque ea iterum in consultationem venerat, tum quia Gallis prospera omnia cedere invidiosa & periculosa res erat, tum quia valde dubitabatur Pontificem ad Gallos desciscere dum Scocensis Orator apud Bononiam cum Gallis de pace omnium frequenter ageret, & omnibus modis Pontifex conaretur concilium dissolvere, ad quod ipse etiam Pisas accersebatur, ubi Reges Romanorum & Gallorum Cardinalesque exiticii Calendis septembris indixerant. Quamvis enim Pontifex illud prævertisset in Laterano, dubitabat tamen aliter fieri, adeo frequenter sibi conscia plus satis timet, & semper mali præsaga mens est. Et quia per eos dies Pontifici literæ Regis Gallorum redditæ fuerant, quibus continebatur Regem cum Pontifice pacem summopere desiderare, & concilium apud Pisas celebrare, similiter Regi Gallorum in eam sententiam literæ pontificis datæ sunt. Nemini quidem Rex Gallorum magis quam nobis studium Christianæ pacis incumbit, quod si & tu adeo pacis studiosus es, non debes interdicto apostolico posthabito Ferrariensibus nostris hostibus adesse, quos si deseras, ut te decet facere, nos etiam non amplius recordabimur eorum, quæ nuper male contra nos egisti. Concilium autem vocare non

A tua, sed nostra legitima potestas est, qua nuper etiam libenter usi sumus & illud in Laterano indiximus. Igitur ejus rei te certiorem facimus, sicut & alios Reges & principes omnes admonebimus, & hortabimur ad differenda bella in tempus aliud. Et præcipue te Regem summa ope eniti decet, ut omnibus pateat liber accessus, & sepositis armis cuncta fiant, ne id quod vi & armis agitur, jure irritum esse culpetur. Illud vero Hispanus orator cum Pontifice & Oratore Donato præsertim curabat, ut ad faciendam pacem cum Rege Romanorum Veneti contenti essent Patavio & Taurisio. Sed Veneti nolebant Vincentiam relinquere quamvis obsidio Patavina iterum instare videretur. Adeo frequenter Veneti durare solent, & omnia ferre

B malunt, quam ignominiam pati. Cæterum de Gallis aliter evenit quam putabatur, quia potius ab illis ad stationes itum est, & illi solum qui Veronæ quadringenti milites erant, & quatuor millia peditum frequenter regionem prædabantur, & maxime apud Suavium Venetos vexabant. Sicut & parte altera Ferrarienses ostia Padi navigiis obsederant, ut illac iter maritimum, & terrestre periculosum foret. Et amplius frequenter videbantur Rhodigianam Pollesinum aggredi velle, ut Veneti milites utrobique semper intenti paratique starent, nunc locum servare, nunc hostibus obviam ire, & sæpe etiam levia certamina commit-

C tere. Denique Venetis in mentem venit Veronensium omnes segetes comburere, quia multum interesset, si possent hostibus commeatum adimere. Igitur statis locis distributis præsidiis noctis silentio ea acta res est, & ultra citraque amnem Athesim omnes segetes igni absumptæ sunt. Sed non impune recessum est, quia cum plures hostium obviam venissent, ex Venetis trecentis peditibus, ducenti venerunt in potestatem hostium, & multi fluminis vorticibus absumpti sunt. Secundum eam qualemcunque pugnam Galli non nescii quantum præstet in rebus agendis celeritate uti, simul ac passim Veronam venissent ad qua-

quatuordecim millia hominum cum *Ferrarienſi-*
bus & *Germanis*, locis omnibus contra *Venetos*
ibant, & quia *Veneti* auſi ſunt ad *Villamnovam*
validum hoſtem expectare, illi facile copia ho-
ſtium preſſi ſunt. Et tamen adhuc temere ſub-
ſtiterunt prope *Suavium*, quo vi capto parvo di-
ſcrimine, iterum de *Venetis* edita cædes eſt, &
uſque *Leonicum* in caſtra fuſi fugatique ſunt. De-
inde ſtatum utrinque prope ad jactum lapidis &
in illa ſtatione comitiaria in procinctu, & ſub
ordinibus militiæ ambo exercitus erant. Hoſtes
expectabant accerſitum ſubſidium. *Veneti* vero
viribus impares noctis ſilentio meditabantur in
pacatum abire, ſimul ac ea res in conſultationem
veniſſet. Igitur dum ſtatur verſus *Patavium Ve-*
neta impedimenta, & tormenta militiæ admota
ſunt, & occidente jam ſole idemtidem perrexit
omnis exercitus ſub ordinibus militiæ. Mediæ
acies peditum incedebant, præſtites milites erant
& ſubſtites, denique pileati haſtati equites ibant,
& omnis exercitus iterum *Patavium* venit, at-
que omnia præſidia, quæ prius erant in oppidis &
ſuper *Rhodigiana Polleſino*. Et quia neſciebatur
*Patavium*ne hoſtes, an *Tauriſium* parent invade-
re. Namque alioquin videbantur illam civitatem
prius aggredi velle, quam minus munitam vide-
rent, ſimiliter oportuit ex *Patavio Tarviſium* va-
lidum præſidium mittere. Et cum ea quæ foris
fiebant, relata *Venetis* eſſent, multi nobiles cum
adſcriptis peditibus, alii *Patavium*, alii *Tauri-*
ſium ſubſidio profecti ſunt. Simulque in urbes
illas ex agris paſſim concurſum eſt, & multi agri-
colæ iterum *Venetias* venerunt cum liberis con-
jugibus & paupere ſupellectili. Interea parte alia
in *Iſtria* cum *Tergeſtinis* res erat, quia illi cum
unireme & lembis per littora prædatum ibant.
Et cum nuper datum negotium eſſet *Aloyſio Mu-*
ſcatello cum unireme & cymbis longis portum
Tergeſti petere, & uniremem & lembos combu-
rere, quia parum caute agebatur, *Veneti* fuſi fu-
gatique ſunt, & amplius *Tergeſtini* cum unireme
& lembis ſexaginta equitibus, & trecentis quin-
quaginta peditibus auſi ſunt terra marique *Mu-*
glam oppidum acriter invadere. Sed ea res pa-
rum illis ceſſit ex ſententia, quia *Muglenſes* re-
pente facta eruptione obviam hoſtibus venere, &
illi cum magna ſtrage repulſi ſunt. Et identidem
apud *Adignanum* oppidum *Libûrni* hoſtes fuſi fu-
gatique ſunt, qui centum quinquaginta equites,
& ducenti pedites venerant temere oppida cape-
re & diripere. Deinde terra marique contra *Ter-*
geſtum ibatur agros vaſtare & prædas agere.
Namque ad eam rem convenerant ex tota *Iſtria*
multa majora navigia, & peditum ingens manus
collectitia, & cum primum omnes prope urbem
veniſſent, repente ſigno dato ceptum eſt agros
vaſtare, vineas, arbores, olivetaque intercide-
re, & paſſim omnia deſolare. Atque amplius
Andreas Ciuranus cum nonaginta levitibus, &
centum peditibus nimium audacter auſus eſt per
Poſtoynam oppidum ad ſexdecim millia paſſuum
in hoſtile ſolum penetrare. Et quidem cum ma-
gna præda regreſſi ſunt, uſque ad ſaltus, angu-
ſtos oppidi, cui nomen *Vetus Sanoſechium.* Ibi
locati in inſidiis ducenti pedites hoſtium repente
Venetos adorti ſunt. *Veneti* tamen cuneo ſtatim
facto inde evaſere incolumes. Sed quia poſtea &
Chriſtophorus Frangipanes cum ſeptuaginta leviti-
bus in *Venetos* irrupit *Venetorum* diſturbatis ordi-
nibus tanta de peditibus & equitibus edita ſtrages
eſt, ut vix Dux ipſe cum triginta equitibus in-
columis potuit aufugere. Adeo ſemper nocuit
hoſtem irritare, quando utilitas rationem ſubigit
& rapit in manifeſta rerum diſcrimina. Secun-
dum eam pugnam *Chriſtophorus Frangipanes* cum

A quadringentis equitibus, & quingentis peditibus
perrexit agros vaſtare, prædas agere, domos
comburere, & in omne ſcelus impune prolapſus
eſt, & deinde cum magna præda ad majores vi-
res comparandas in *Germaniam* rediit. Nihilo-
minus *Iſtris* & inſulanis proximis iter maritimum
periculoſum erat. Namque *Jacominich Fluminen-*
ſis pirata cum duabus uniremibus & lembis paſ-
ſim infeſtus ibat, & cum ingenti præda interci-
piebat multa navigia, ut *Iſtri* amplius negotiari
non poſſent, niſi ex omnibus vicinis inſulis in-
gens claſſis contra hoſtes veniſſet. Et quia non
invenerunt piratam in locum fluminis converſi
B ſunt, neque in vincendo difficultas fuit, quia
dum e mari ſolummodo tanta vis eſſet, hoſtis per
continentem abiit, atque ſtatim capta & com-
buſta civitas eſt. Poſtea vero *Chriſtophorus Fran-*
gipanes cum ſeptem millibus hominum iterum in
Iſtriam venit, & primo quoque tempore deditio-
ne cepit *Mocho* caſtellum bene munitum natura
& opere, quia oppidani nimium veriti ſunt tor-
menta militiæ, & quod pejus erat inde omnes in
fugam converſi ſunt & paſſim deditio fiebat, do-
nec audacia hoſtium tandem ad *Muglam* reprime-
retur. Namque civitas illa obſidionem pati vo-
luit, & ſtetit contra tormenta militiæ. Itaque
C omnes intenti paratique ſtare, hoſtibus obviam
ire, collapſa mœnia reparare, aggerem ducere,
hoſtes ſemovere, & nihil tutum munimentis pa-
ti. Et ecce ex *Juſtinopoli* civitate proxima trire-
mis & biremis ſtatim ſubſidio venit, & hoſtes
repente *Tergeſtum* recedere compulſi ſunt. *An-*
dreas autem *Ciuranus* præfectus levitum, ſicut in
obſidione *Muglenſi* ſe bene geſſerat, ſic nuper
etiam fortiter in hoſtes egit. Namque *Chriſto-*
phorus Frangipanes cum quadraginta equitibus, &
centum viginti peditibus prædatum iterum ve-
nit, & ille repente cum viginti levitibus, & cen-
tum villicis peditibus obviam perrexit ad *Mugla-*
nam planiciem, ubi & anceps, & atrox certa-
D men fuit, dum utrinque fit, quod facto opus
eſt. Denique inter *Andream* & *Chriſtophorum*
duellum aſperum fuit, & primo infeſtis haſtis a-
gebatur, poſtea ſtricto mucrone alter alterum
acriter aggreſſus eſt. Et quidem vario eventu
pugnabatur, donec uterque integer eſſet. Sed
poſtquam *Andreas Chriſtophorum* percuſſit in fa-
cie, acies hoſtium inclinavit, cumque *Veneti* ma-
gis magiſque eniterentur eo maxime hoſtes cum
magna ſtrage fuſi fugatique ſunt. Et niſi *Vene-*
ti intendant gregarios etiam milites diripere, ipſe
etiam *Chriſtophorus* in hoſtium poteſtatem veniſ-
ſet. Secundum eam pugnam *Veneti* milites co-
E nabantur montium ſaltus recipere, & quia *Ho-*
ſpium caſtellum in monte prærupto ſitum eſt,
qua *Carni* mercatores ſalem & vina ſolent ſubve-
here, & aliter capi non poteſt, ipſi clandeſtina
conſpiratione uſi ſunt. Sed primo ea quoque pa-
rum ceſſit ex ſententia dum nimium temere fe-
ſtinant, & *Tergeſtini* ſubſidio forent. Poſtea ta-
men cum plures factionis *Venetæ* diſſimulati car-
nes facere in caſtellum iviſſent, cæſis hoſtibus &
admiſſo *Veneto* præſidio proditione tandem ca-
ſtellum illud in *Venetorum* poteſtatem venit, at-
que identidem alia vicina oppida in fidem rece-
pta ſunt. Dum ea vero in *Iſtria* geruntur *Galli*
F hoſtes qui contra *Patavium* venerant, & penes
quos regionum poteſtas erat, multum amice cum
villicis & popularibus agebant, & invitabant il-
los omnes domum redire qui foris erant, publice
profitendo ſe illis mites & benevolentes fore. Et
iſtud fiebat tantiſper dum Rex *Romanorum* expe-
ctabatur, ſine quo non debebant civitates inva-
dere. Sed alioquin omnia pertentabant facere,
nunc videbantur contra *Tarviſium* in expeditio-
nem

nem exire, nunc contra *Patavium* divertebant, & curabant potissimum ad *Liminium* aquas vetare, ne amplius *Patavium* defluant, lignamina & ferramenta compingere, aggerem ducere, & aquarum itinera obturare: Contra *Veneti* levites obviam ire, & cito demoliri id quod diutino labore hostes fecerant. Namque passim adversus hostes ibatur sæpe etiam invadere, nunquam prælium conserere, semper hostem vexare, & præcipue commeatus frequenter intercipere, ut hostes non auderent amplius deferre annonam in castra, nisi per montes & cum magnis subsidiis. Sed & illud nuper tantum abfuit, ut vectores hostes trecenti equites, & totidem pedites victi sint apud civitatem *Marosticam*, ubi cum *Venetis* sexcentis levitibus certamen fuit. Atque primo marte ancipiti agebatur, deinde videbatur res *Veneta* inclinare, quam qui primus in hostes egit Comes *Guidus Rangonius* captus est. Denique vero cum *Joannes Maria Fregosius*, *Federicus Contarenus*, & *Veneti* levites hostem circuissent, simulque invaderent a fronte, a tergo, & ab utrisque lateribus, omnes pedites hostium cæsi sunt, & plerique equites in *Venetorum* potestatem venere. Parte alia identidem *Veneti* milites penetrarunt usque in castra hostium, & versus *Bassianum Coloniam*que prædati sunt perterrefactisque hostibus cum magna præda iterum *Patavium* venere. Sed ejusmodi lætitiam *Lucii Malvetii* Gubernatoris interrupit interitus. Is enim pridie nonas septembris morte intempesta præventus est, atque eo magis dolenda mors venit, quia ille non sic fortiter in bello occubuit, sicut rei militaris laudum plenus erat. Cæterum ut major etiam in dies fieret, quæ in castris hostium erat commeatuum penuria, illud *Veneti* milites præsertim animadvertere, ubi pro castris collecti commeatus essent. Itaque a *Venetis* itum frequenter est *Bassianum*, *Castrumfrancum*, & *Civitatulam*, intercepti hostes, ablati commeatus munimenta & tormenta militiæ, demolitæ moles triticeæ, combusti pontes, & passim itinera abscissa sunt. Et quoniam apud *Suavium* trecenti equites hostium erant, illuc pariter ibatur, & pedites ante lucem incautis hostibus oppidum ingressi sunt. Et quia præsidium conabatur foras aufugere, & contra *Veneti* equites foris erant, denique hostes omnes, & qui foris, & qui intus fuerant in *Venetorum* potestatem facti sunt. Atque identidem *Venetis* cum parte copiarum sæpe feliciter res erat quamvis illi cum toto exercitu hostium non possent confligere. Hostes vero qui erga omnes antea humanitate utebantur, postea in summam impietatem conversi sunt omnia prædari, cuncta vastare, delubra deorum spoliare, sacra profanaque omnia polluere, virgines incæstare. Ausi quoque sunt alii in templo *Mariæ* Virginis coram matre vi velle duas virgines comprimere, & quia illæ inficias ibant, ambæ in sinu miseræ matris sævis vulneribus confossæ sunt. Sic passim in omne scelus ibatur, & denique prope *Taurisium* castra hostium sita sunt juxta amnem *Silium* ad portam quadragenariam, atque inde ceptum est, sæpe committi levia certamina, dum hostes parant contra urbem tormenta militiæ affigere, & *Veneti* modo pedites, modo equites facta eruptione noctu & interdiu semper illis infesti sunt, ut hostibus parum vacet tormentis incumbere, dum illi semper intenti sunt, frequenter illatam injuriam propulsare. Et quia sic per triduum dilata res est, facile credebatur intra urbem conspiratores esse, atque ideo in castris hostium semper exploratores habebantur, & in urbe positæ excubiæ & passim ordines distributi sunt, ut milites, levites, & pedites, atque nobiles *Veneti*, qui multi aderant, stata loca custodiant, & eorum ducenti pedites, & totidem equites, vicissim noctu & interdiu, totam civitatem sedulo lustrent, simul cum *Laurentio Cerinate* duce omnium peditum, & *Joanne Paulo Gradonico* legato. Postea tormentis militiæ ex urbe acrius agebatur, ut statim hostium munimenta diruta, & multi eorum contriti sint. Et quia hostes vident stando contra urbem nihil agere, sed tormentis militiæ continue multos suorum cadere, & magnam inopiam commeatuum pati, denique obsidione soluta recessum est. *Veneti* vero milites ægre passi sunt ita impune hostes abire, & quia nimium temere egressi obviam ibant, ea faba in suum caput cudebatur. Namque in insidiis hostium inciderunt, & multi eorum cæsi sunt. Deinde versus *Plavim* amnem hostes ibant, & simul parte alia *Germanis* iter fiebat ex *Tridento* per vallem *Suganam* ad *Scalanum* oppidum in *Cellatium*, *Alamonem*, *Schenerium*, *Fenesterium*, & vallem *Lazoin*, qui saltus hostibus apti sunt in *Feltrensem* regionem irrumpere. Et primo quidem triginta levites hostium ad *Castrumnovum* venere, quod oppidum ante *Plavis* amnis rapidissimus defluit, & retro mons præruptus erigitur, quingenti agricolæ custodes erant, & *Ludovicus Batalea* cum centum quinquaginta levitibus. Ille tamen noluit hostem expectare, dum semper putat se vires impares habere, sicut illis solet accidere, qui natura meticulosi sunt, & statim venit *Sacillum* oppidum caput amnis *Liquentiæ*, ubi belli vis major incubuit, & aderat gubernator *Baldasar Scipionius* cum copiis, & *Antonius Savorgnanus* cum manu collectitia. Sed postea quam relatum est, *Germanos* hostes venire ad octo millia peditum, & mille trecentos equites, *Veneti* maluerunt in pacatum abire, quam temere stando prædæ hostium militibus fore. *Sacillo* capto septingenti levites hostium ad *Tiliaventum* amnem venerunt, & statim deditione potiti sunt oppido *Spilimbergio*, quod *Tiliaventi* fluminis caput est, & deinde visi sunt collectis repente lembis, velle amnem trajicere. Quod cum primum cognovissent præsides civitatis *Utini* qui pridie pro concione omnes hortabantur velle mori pro patria statim ementito habitu silentio noctis fugerunt cum tota supellectili, & quæ poterant auferri tormenta militiæ hostibus relicta sunt, civitatisque membra alia, quæ sine capite non possunt subsistere. Igitur *Utinum* in hostium potestatem venit, vicinaque oppida alia, & *Antonius Savorgnanus* ad hostes descivit. Sed alioquin hostibus aliqua difficultas fuit apud *Gradiscam* oppidum, quod illi nuper perrexerant oppugnare. Namque in eo conservandæ reparandæque reipublicæ merito omnis sita spes erat, quia locus ille totius provinciæ ampla fossa lato muro & promurali munitissimus est. Et amplius cum mercenario milite custodes erant *Baldasar Scipionius* & *Aloysius Mocenicus* legatus provinciæ, qui quantum in se fuit nunquam defuit fortiter obsidionem pati, acriter hostibus obviam ire, festinare, parare, facere cuncta utilia. Et primo quidem tormentis militiæ agebatur, postea atrox certamen fuit, denique cum magna strage hostes repulsi sunt. Aliter iterum consertum prælium est majoribus viribus, & quia *Veneti* non nisi ducenti equites, & totidem pedites intus erant infeliciter gesta res est. Namque *Veneti* milites deditionem fecerunt, & omnes abierunt incolumes, cum magna tamen infamia. Sicut semper illis solet accidere, quibus vita est carior quam honor insenescibilis. Deinde hostes perrexerunt identidem *Osopium* capere, & creditum est *Hieronymum* quoque *Savorgnanum* ad hostes desciscere,

simul

ſimul ac ille in caſtra hoſtium venit, atque inde in *Germaniam*, & menſtruas inducias pactus eſt. Namque hoſtes *Germani* ad quindecim millia hominum diverterunt in caſtra *Gallorum* hoſtium, & deinde quo infelices agricolæ in pacatum cogerant animalia ad paludes infeſtis ſignis ibatur. Itaque hoſtes prædando, comburendo, & crudeliter agendo uſque *Meſtrum* oppidum digreſſi ſunt, & progreſſi parte alia uſque ad prima clauſtra *Silii* & *Siluli* fluminis identidem agros vaſtare, prædas agere, & victis nihil reliqui facere. Adeo ſemper in victoribus non reperitur modus & temperantia. Poſtea ſimiliter ſæviendo omnis exercitus hoſtium *Veronam* venit, ubi a *Germanis* præſidio ſtabatur, atque a *Gallis Mediolanum* ibatur obviam *Helvetiis*, qui dicebantur in expeditionem exire. Vix hoſtes abierant, & ſtatim exivit in expeditionem cum *Venetis* copiis *Joannes Paulus Balionius*, qui per eos dies in demortui locum Gubernatoris ſuffectus eſt, atque inde deditione cepit *Vincentiam* & vicina cuncta oppida. Et identidem parte alia *Laurentius Cerinas* cum *Joanne Paulo Gradonico* legato & valido exercitu prorupit in *Forumjulii*. Neque in recipiendo totam provinciam difficultas fuit, quia paſſim deditio fiebat. Aliter apud oppidum *Cromonium* aliquandiu ſtabatur, quia ſitum in monte prærupto, & armis viriſque bene munitum erat. Illud tamen etiam vi captum eſt, & propterea cum primum in *Venetorum* poteſtatem venit e ſenatu conſulto ſolo æquatum eſt, & *Germani* præſides & præfecti militum in captivitatem *Venetias* abducti ſunt. *Hieronymo* autem *Savorgnano* cum centum *Græcis* haſtatis equitibus, & manu collectitia datum negotium eſt, *Carnos* in hoſtes excire, & ſaltus montis antecapere. Ille vero ſtatim jubet quadringentos pedites ire ſupra *Scluſam* ad quinque millia paſſuum, & diruto Ponte muri, ea parte iter hoſtibus occludere, ut *Veneti* commodius poſſent *Scluſam* recipere. Sed tantum abfuit, ut qui in eam expeditionem ibant centum equites, & quingenti pedites facile repulſi ſint, quia ad duo millia hominum hoſtes ſubſidio ſtabant. Verum quia poſtea præfectus peditum cum exercitu venit, trecenti pedites hoſtium oppidum *Venzonium* dedere, *Scluſa* caſtellum vi captum eſt, & cuſtodes omnes ad unum cæſi ſunt. Deinde contra urbem *Gradiſcam* in expeditionem ibatur conſtitutis ordinibus, ut ductores alii & *Theodorus Burgenſis* cum parte copiarum noctu montem antecapiant, qui ultra amnem *Liſuntium* e regione civitatis erigitur. *Laurentius* autem *Cerinas* & *Joannes Paulus Gradonicus* cum exercitu ſuper planiciem maneant, prope civitatem ad turrim *Marcellam*, atque hinc inde agatur tormentis militiæ. Sic invicem diu geſta res eſt, dum nihil utrimque prætermittitur quod uſui foret, denique *Veneti* ſimul ac vident civitatem bene munitam armis viriſque, & captu difficilem fore, ceptum eſt in agendo pluſſatis frigeſcere, ſicut & frigidum hyemis tempus erat, & tandem parum ceſſit ex ſententia, atque obſidione ſoluta receſſum eſt. Dum ea foris & militiæ geruntur, domi frequenter de pace & fœderibus agebatur, ſimul ac ad Regem *Hiſpaniæ* ſuper defectione *Bononiæ*, & *Piſano* concilio relata res eſt. Et quia hæreſim ſapere videbatur, Rex *Hiſpaniæ* Regi *Romanorum* & *Gallorum* per literas ajebat, ſe æquo animo ferre non poſſe, eos Eccleſiæ infeſtos eſſe, & velle concilium celebrare non eo modo, quo de jure fit. Quod facere niſi deſiſtant dicebat, ſe protinus Eccleſiæ auxilio fore, ut ſe decet qui Catholiciſſimus dicitur. Nihilominus *Romæ* per delectos Cardinales undecim de concilio agebatur, miſſi ſunt oratores ad Principes & datæ literæ, quibus continebatur Pontificem *Romæ* in Laterano ad diem Paſchæ concilium indicere, atque ideo irritum facere *Piſanum* concilium quod de jure etiam nullum eſſet, & omnibus qui interfuerint cenſuris Eccleſiaſticis interdicere. Non tamen propterea Pontifex etiam deſiſtebat multum & frequenter de pace cum *Gallis* agere, & videbatur ad illos velle deſciſcere, ſi dimiſſa *Ferraria*, *Bononiam* poſſet in fidem recipere, ut vetet concilium quod alii omnes etiam ægre ferebant, & futura Pontifici ignominioſa & periculoſa res erat. Aliter cum nihil boni *Scocenſis* orator attuliſſet e *Gallia*, cum *Gallis* nihil actum eſt, atque eo maxime quod *Galli* contra pollicita quingenti milites *Bononiæ* auxilio ſtabant, & Pontificis milites qui ſub *Regino* Cardinale legato in eam expeditionem exiverant protinus coacti ſunt in pacatum recedere. Sed cum *Hiſpanis* in dies magis magiſque poſtea de fœderibus agebatur, quia *Hiſpanus* Orator maxime veritus eſt, Pontificem ad *Gallos* divertere, & ſumma ope in contrarium nitebatur. Et quoniam *Germanicum* fœdus cum *Venetis* fieri non poſſet hortabatur Pontificem & *Venetos* ſecluſo Rege *Romanorum*, cum Rege *Hiſpaniæ* & *Angliæ* in novum fœdus coire. Satis ajebat jam ſerpſiſſe iſtam gangrænam, quæ latius etiam ſerpere nititur, niſi ſecetur. Agendum eſſe celeriter, quia tempus interpellat, & in mora periculum eſt. Igitur diu actum eſt, & demum in eam ſententiam Regi *Angliæ* literæ Pontificis datæ ſunt. *Cogitanti mihi Rex Angliæ frequenter ut me decet, quomodo in tanto bellorum turbine Chriſtianos placem. Illud præſertim in mentem venit, ut nos invicem cum Rege Hiſpaniæ, & Venetis, novum fœdus iniremus contra Regem Gallorum. Namque ſolum hoc modo videmur poſſe bellum bello tollere, ſicut frequenter ſolet accidere. Iſtud vero facere Rex Hiſpaniæ & Veneti contenti ſunt. Tu ſolus reliquus es, in cujus manu ſita res eſt. Noſtræ quidem vires Hiſpanæ & Venetæ ſatis amplæ & magnæ ſunt, ut ad victoriam omnia parata ſint, ſi modo ut confidimus fore, & tu nobiſcum Eccleſiæ & Italiæ tuendæ provinciam ſumas. Rex Gallorum aliorum Regum incuria jam totam Ciſalpinam Galliam habet. Genua, Ferraria, Bononia, & Florentia, ſuæ ditionis ſunt, reliquum eſt ut ſuggeſtione novi concilii rem Eccleſiaſticam occupet, & Neapolitanum regnum iterum vendicet, atque ejus fiat tota Italia. Tu quæſo ſuccurre labefactatæ Italiæ, dum facultatem habes, & probe videto quantum tua interſit. Namque Regis Gallorum nimia potentia tibi etiam periculoſa futura eſt, quando regum ambitioſorum ſemper dominandi inexhauſta voluntas eſſe ſolet; igitur neceſſe eſt, & nunc potiſſimum te Regem ſumma ope eniti decet, ut te auctore nobiſcum Regis Gallorum tanta audacia comprimatur. Quod ſi feceris, nobis rem gratam facies, & re bene geſta maximum honorem & gloriam reportabis.* Sed cum tabellariis non ſatis tutum & longum iter eſſet, ſecus quam res ipſa poſtulare videbatur, Pontifex ſervato loco Regi *Angliæ* cum Oratore *Hiſpano* & *Veneto* ſtatim fœdus inivit, ut Rex *Angliæ* contra *Gallos* in expeditionem exiret parte alia, parte alia Pontifex & *Veneti* in menſe quolibet quadraginta millia numûm darent Regi *Hiſpaniæ*, qui teneretur habere in caſtris mille ducentos milites, & decem millia peditum. Regi quoque *Romanorum* cum *Venetis* retenta *Vincentia* pacis conditiones propoſitæ ſunt, ut eas ſi renuet, *Hiſpani* etiam jure obviam ire viderentur. Jamque *Neapolim* applicuerat claſſis Regis *Hiſpaniæ* cum quingentis militibus, mille levitibus, & octo millibus peditum, deinde uſque urbem *Capuam* omnes copiæ venerunt, ſimul ac Pontifex in gravem ægritudinem incidiſſet, ut ſi locus vacet ſuper

per eligendo Pontifice eorum poteſtas eſſet. Igitur de quo frequenter agebatur fœdus aliquantiſper dilatum eſt, tum quia ſuper ejus conditiones difficultas fuit, tum quia Regis *Romanorum* anteponenda pax erat, tum denique quia Pontifex ægrotabat & miſerat acturum de pace oratorem in *Galliam*. Adeo ſoluto concilio & recepta *Bononia* fidere illi etiam volebat, cui ſuamet ex ſententia nulla fides habenda eſſe videretur. Sed tantum abſuit, ut Rex *Gallorum* nuncio Pontificis ſe illud facere inficias iret, & amplius Oratori *Hiſpano* & *Anglo* identidem dixit, & cum illi proteſtarentur fore, ut Reges *Hiſpaniæ* & *Angliæ* Regi *Gallorum* ſtatim obviam eant, parvifacere viſus eſt. Et quia *Hiſpanus* magis inſtabat, ille converſus in iram, Regi *Hiſpaniæ* ſuper utroque regno minatus eſt, & ſe daturum operam ajebat, ut Regi *Angliæ*, cum Rege *Scotiæ* domi bellandi ſatis ſuperque res eſſet. Poſteaquam vero Pontifex convaluit, quia ſic cum *Gallis* ſe res habet, & concilium apud *Piſas* fiebat, ille primo quoque tempore contra *Florentinos*, quia locum permiſerant, cenſuris Eccleſiaſticis invectus eſt, & idemtidem Cardinalibus exiticiis interdixit, deinde oratorem *Hiſpanum* & *Venetum* in dictum fœdus ſumma ope cogebat. Adeo ſemper nimis volendo aut nolendo, in eo non erat modus & patientia. Igitur demum occaſione recuperandæ *Bononiæ* & tollendi ſchiſmatis per Pontificem *Julium ſecundum*, *Hieronymum de Vich* oratorem *Hiſpanum*, & *Hieronymum Donatum* oratorem *Venetum* fœdus adſtipulatum eſt, & ſervatus locus Regi *Angliæ* cujus ſatis perſpecta mens erat, quia cum ejus oratore *Chriſtophoro Eboracenſe* Cardinale ſemper acta res eſt. Et quoniam ex conditione fœderis Pontificis judicio relinquebatur, ſi forte reciperentur e manibus hoſtium cujus civitates eſſent, quas *Veneti* ante iſtud bellum poſſederant, nunc pro ut ex tunc Pontifex pro *Venetis* ſententiam protulit. Vix ea omnia facta ſunt, & noſter *Hieronymus Donatus* orator *Venetus* interiit, cujus funus non minus lachrymoſum quam celebre & honorificum fuit, tum quia cum eo literæ *Græcæ* & *Latinæ* perire viſæ ſunt, tum quia propter facilitatem & bonitatem naturæ omnibus carus & amantiſſimus erat, & mors ejus merito felix habita eſt, quia bene agendo, & bene conſulendo, pro patria obiit, cum fœdus illud iniſſet, quod jure credebatur *Venetis* fauſtum felixque fore. Adeo ſemper non refert vivere ſed bene vivere, atque ea demum felix mors eſſe creditur, quæ in agendis rebus optimis provenerit. Ita vero Rex *Gallorum* credidit fœdus illud periculoſum fore, ut ſtatim mittat Oratorem ad *Helvetios*, qui exceptus non eſt, & ad Regem *Romanorum* Cardinalem *Severinatem*, qui difficulter eum convenit & hortatus eſt, ut ſe confeſtim expediat cum *Gallorum* copiis terra marique adverſus Pontificem bellum gerere, & ſe verum Regem *Romanorum* facere, quod & factu facile eſſe ajebat, quia *Romani* jugum Pontificis faſtidiunt, & res novas ejuſmodi moliuntur. Sed illud difficile Regi *Romanorum* videbatur, quia divitias non habet, & periculoſum erat temere Regi *Gallorum* ſe credere, atque eo maxime, quod nuper *Galli* ſe invito expilatis locis omnibus re infecta & *Tarviſina* obſidione ſoluta diſceſſerant. Accedebant dehortationes *Petri Uriæ* oratoris Regis *Hiſpaniæ*, qui ſtatim repedaverat in *Germaniam*, ſimul ac *Venetias* venit, & de induciis locutus eſt. Illud vero Pontifex & *Veneti* præſertim curabant, ut primo quoque tempore Rex *Angliæ* qui cum Rege *Scotiæ* jam fœdus pepigerat, necnon *Hiſpani* & *Helvetii* hinc inde contra *Gallos* in expeditionem exi-

A rent. Et quamvis omnibus locis bellum enixe parabatur, illud tamen differri in tempus aliud Pontifici & *Venetis* moleſtum erat. Igitur diu ea acta invicem res eſt, & denique *Venetorum* omnis exercitus ad *Rhodigianam Polleſinum* venit, atque ab exercitu Pontificis & Regis *Hiſpaniæ* contra urbem *Bononiam* ibatur. Parte quoque alia *Helvetii* ad ſex millia hominum prædatum in *Mediolanenſe* ſolum proruperant. Et quia illis *Galli* quingenti milites cum Magno magiſtro facti obviam ſunt, primo quoque tempore ad *Biam Craſſam* conſertum prælium atrox eſt, & denique apud *Helvetios* ſtetit victoria, ſimul ac *Gallorum* quingenti equites cecidere, & reliqui in fu-
B gam converſi ſunt. Sed paulopoſt cum adverſus *Helvetios Gallicæ* longe auctæ vires eſſent, illi cum ingenti præda, & manubiis hoſtium confeſtim redierunt unde abſceſſerant. Non aliter quam nuper parte alia *Tirolenſes Germani* vi capto *Cadubrio*, & direpta Civitate *Bellumni* victricia ſigna reportarunt in *Germaniam*, ſimul ac *Veneti* locis omnibus illis infeſti ſunt, ut inter eundum relictis impedimentis aliquibus, potius aufugere viderentur. Interea vero factioſi *Brixienſes* aliqui intempeſtive nimium res novas moliti ſunt, & protraxerant in eam expeditionem *Andream*
C *Grittum* cum trecentis militibus, mille trecentis levitibus, & trecentis peditibus, itumque eſt ſub ordinibus militiæ uſque prope *Brixiam* ad quinque millia paſſuum cum magna ſpe, & magno applauſu omnium, qui paſſim in caſtra commeatus portabant, & intenti paratique erant omnia, quæ imperabantur facere. Jamque locis omnibus ad arma conclamabatur, niſi *Andreas* in aliud tempus differat, ſi aliquis relatum accedat, in quo ſtatu ſita res eſſet. Et quia ſtatuta die qui referat aliquis non eſt, & præmiſſus equitatus levitum ad portas urbis, nihil paratum invenit,
D protinus a *Venetis* receſſum eſt quia *Galli* conjurationem detexerant, & de complicibus ſumpſere ſupplicium. Sed quoniam auctore *Aloyſio Avogario* palam adeo omnes ad *Venetos* deſciverant, ut ſine ſuo magno malo illis amplius non eſſet integrum redire unde abſceſſerant, diu cum *Venetis* actum eſt, & ſimul ac omnia rei gerendæ longe paratiora viderentur iterum contra *Brixiam* ibatur. Et jam ventum erat ad *Caſtagnedolum* prope urbem ad quinque millia paſſuum, & adhuc Comes *Aloyſius* qui adcerſerat in procinctu promiſſas copias non habebat, quando dilatione opus non eſſet, tantiſper dum *Galli* hoſtes impe-
E diti ſunt cum exercitu Pontificis & Regis *Hiſpaniæ* apud *Bononiam*. Igitur primo quoque tempore *Veneti* feſtinare, parare, facere cuncta utilia, denique omnes per literas admonere, qui in urbe ſunt, niſi ſtatim deditionem faciant, omnia prædæ militibus fore, deinde poſitis multis agricolis ſub ordinibus, locis ſimul pluribus nocte media ceptum eſt urbem invadere, quia ſemper magis terrent, quæ noctu, quam quæ interdiu fiunt. Et primo quidem tormentis militiæ acriter agebatur, poſtea atrox certamen fuit, dum utrinque nihil prætermittitur, quod opus eſt facere. *Veneti* ſumma ope conabantur hoſtem re-
F pellere, portas infringere, demoliri mœnia, & admotis ſcalis murum aſcendere. Contra hoſtes pro mœnibus acriter ſtare, fortiter obviam ire, nihil ſatis tutum munimentis pati, & ſæpe etiam *Venetos* loco detrudere, quandoquidem vis ingens telorum omnis generis e muris volabat. Porro ad Portam *Turris longæ* infeliciter a *Venetis* cum hoſtibus geſta res eſt, quia hoſtium tormentis militiæ *Veneti* ducenti ſaucii aut contriti ſunt. Aliter ad Portam *Garzulæ* ubi ductor erat *Baldaſar Scipionius*, & ad Portam *Pilarum* ubi præerat *Aloy-*

Aloysius Avogarius feliciter agebatur. Namque Dux uterque acriter ad urbem succedere, hortari, imperare, & facere quæ in rem sunt. Et quod plurimum ad accendendos animos militum intererat, testis spectatorque adesse cujusque virtutis & ignaviæ, atque inde accensi milites in vulnera & tela corruere, ut non possent arcere illos muri, aut superstantes armati, quin certatim ascendant. Itaque post cruentum prælium prospera omnia fuere, quia utrobique pulsis hostibus itum feliciter in urbem est, & *Galli* hostes in castellum fusi fugatique sunt. Namque & popularium arma quæ antea pro *Gallis* fuerant, in *Gallos* hostes convertebantur. Adeo frequenter omnes homines successus rerum sequi solent, & semper omnibus amica felicitas videtur. Capta *Brixia* quasi omnis res *Veneta* reversa esset in integrum, ceptum est ab omnibus bene sperare, licet spes illa potius voluntatis simulachrum esset, ut illis qui miseri sunt frequenter solet accidere. Sic tamen obiter cuncti agricolæ, & omnes *Monticolæ*, urbs *Bergomum*, & cuncta oppida in fidem *Venetorum* recepta sunt, & similiter visa est *Crema* & *Cremona* res novas moliri velle, nisi protinus re cognita, ex *Mediolano* ingens præsidium venisset. Namque hostes alioquin civitates & oppida statim munire, arma expedire, copias colligere, & bellum ocyssime parare. Sed *Veneti* ducti erant in tantam spem reparandæ reipublicæ, ut magis studerent mittendis præsidibus quam præsidiis & tormentis militiæ, sine quibus castellum capi non poterat. Igitur stando fossa & promurali hostes ad duo millia hominum castellum munire, & deinde in subjectam urbem agere tormentis militiæ, totam civitatem noctu & interdiu vexare, atque domos passim & munimenta prosternere. Jam vero & parte alia præsidio munita *Bononia Gallorum* omnis exercitus noningenti milites, mille levites, & sex millia peditum ad *Stellatense* oppidum confestim *Padum* trajecerat, & per Pontem molarum in agrum *Veronensem* irruperat, ubi *Brixiæ* præsidium erat *Joannes Paulus Balionius* cum *Venetis* quingentis militibus, ducentis quinquaginta levitibus, & mille ducentis peditibus. Et nuper ille ductus suspicione hostium redibat, ad *Alboretum* amnem *Athesim* trajicere. Sed quia ablatus pons esset, sub ordinibus militiæ ulterius prope *Veronam* ibatur. Et ecce hostes repente illis obviam facti sunt, & deinde consertum prælium est. Namque hostes extremam alam levitum aggressi sunt, qui cum pauci admodum essent, non potuerunt vim hostium sustinere. Postea cum peditibus gesta res est, & primo contra hostes acriter ibatur, denique *Veneti* cedere visi sunt, nisi statim milites subsidio venissent. Sic redintegratum prælium est, & utrinque fortiter agebatur, quia concursum est paribus animis, quamvis impares vires essent, multi utrinque cadebant, multi sauciabantur, denique hostium ingruente multitudine, *Veneti* cum magna strage fusi fugatique sunt in castra ultra amnem *Athesim*, ubi stabat Comes *Bernardinus Fortebracius* cum trecentis militibus. Itaque infeliciter gesta res est apud insulam *Scalanam* prope amnem *Athesim*, & majus quoque *Brixiæ* periculum imminebat, quia hostes inde usque *Castagnedolum* perrexerunt, & identidem adorti sunt *Meleagrum Forliviensem* cum equitatu levitum, quod ibi *Brixiæ* post præsidium erat. Certatumque acriter est contra *Gallorum* omnem exercitum, quantum debiles vires levitum paterentur. Sed quia in milites agere durum erat paucis levitibus, denique *Venetis* cum magna strage necesse fuit recedere, & inter eundum amplius equi lapsu fortuito *Meleager* Dux levitum in

A hostium potestatem venit. Cum primum autem ea quæ foris fiebant *Brixiæ* relata sunt, quamvis ad viginti quinque millia hominum intus essent, omnium tamen animi consternati sunt. Namque veniebat in mentem victorem exercitum prope esse ad quinque millia passuum, unde in urbis castellum via facilis est, & adhuc ex *Mediolano Triultios* & *Palavicinos* ingens supplementum exercitui venire, unde identidem facile possent in castellum vadere. Accedebat etiam castellum illud armis virisque bene munitum esse, & tormentis militiæ totam urbem frequenter terrere, atque multos aditus in civitatem habere. Igitur
B *Brixiæ* sæpe trepidatum est, & omnes videbantur, si quando in magno discrimine sita res esset, sibi consulturi potius quam omnia prædæ militibus fiant. Aliter dum adhuc etiam servandæ reipublicæ spes est, cives & populares cuncti sedulo in officio manere, arma expedire, locum servare, & opera militiæ facere. Atque identidem ex *Brixia*, & ex monte proximo per illos *Vallis Trompiæ*, quibus montis demandata erat custodia, acriter hostibus itum obviam est, simul ac illi prope urbem venissent in castellum subsidium mittere. Et quidem diu vetitum est, dum fortiter obsistitur, neque unquam hostes montem
C superassent, nisi nequissent ob ingentem pluviam pedites agricolæ tormentarii suis tormentis in hostes uti. Namque ea de causa hostes denique fuderunt fugaruntque agricolas, & monte potiti sunt. Capto monte quo poterant hostes ad libitum in castellum ire, civitatis solummodo in auxiliaribus copiis sita spes erat, accersebantque frequenter *Venetos* & *Hispanos* subsidio festinare, ut saltem aliqua nova suspicio hostibus ingeratur. Sed dum parando semper in aliud tempus differtur, hostes soliciti primo quoque tempore festinare, parare, facere, milites septingenti pedestres agere, sequi peditum octo millia, & omnes
D pariter ex castello in *Civitatulam* repente irrumpere, simul ac civitatis pars illa ad hostes defecerat. Sic primo apud urbis *Civitatulam* acriter agebatur, & quamvis ibi peditum *Venetorum* ingens præsidium esset, facile omne absumptum est, quia domi & foris hostes erant. Deinde protinus in urbem ibatur, ubi belli majus onus incubuit, quia super platea *Venetorum* omnis exercitus stabat sub ordinibus militiæ, simul ac videt in fuga nullam spem fore, sed moriendum aut vincendum esse. Igitur collatis utrinque signis gesta res est, & atrox certamen fuit. Clamor & strepitus armorum in cœlum ferrebatur, quisque
E non nisi moriendo loco cedere visus est, multi utrinque peribant, multi utrinque sauciabantur. Hostes acrius agebant, quia apud illos jam parta victoria videbatur. Contra *Veneti* desperatione ducti in funus animosum ruebant. *Federicus Contarenus* præfectus levitum dum inter primos fortiter agit, vulnifico scorpione occubuit, & forte indignata mors est, quia ille adhuc juvenis tam cito in bonum militem evaserat. *Andreas* autem *Grittus*, qui se gessit in bello fortiter quantum fieri poterat, cum *Antonio Justiniano*, *Joanne Paulo Manfrono*, *Vulpensi* equite & *Baldasare Scipionio*, se recepit in palatium, simul ac trucida-
F tis militibus res ad triarios venisset. Itaque per hostes *Brixia* iterum recepta & direpta est, sævitumque crudeliter etiam in mulieres & infantes innoxios. Denique *Aloysius Avogarius* dilaniatus occubuit, atque *Andreas Grittus*, cum *Antonio Justiniano*, & manubiis hostium in *Galliam* abductus est. In eo bello ex *Gallis* Domini *Boisensis* & *Palisensis* maxime virtus emicuit & ex utroque exercitu ad quindecim millia hominum cæsa feruntur. Namque de *Gallis* multi pedites,

& trecenti milites desiderati sunt, & de *Venetis* non nisi ducenti levites per medios hostes potuerunt evadere, quia alioquin ad portam *Lazari*, quo multi convenerant aufugere, non patebant aditus, nisi per ostiolum in anteportarium. Interea *Romæ* iterum & frequenter agebatur de pace cum Rege *Romanorum*, & ad illud tandem ventum est, quod nisi *Veneti Vincentiam* relinquant, Pontifex protestaretur alioquin fore, ut ab omnibus regibus contra *Venetos* iretur. Namque Rex *Hispaniæ* & *Angliæ* sine Rege *Romanorum* nolebant fœdus initum sancire, quorum voluntati etiam necesse erat Pontificem acquiescere, quia aliter apud *Mediolanum* quinta sessio fiebat, & Rex *Gallorum* cum *Ursinis* & *Columnensibus* clanculum egerat, veneno aut ferro Pontificem perimere. Igitur frequenter *Venetiis* ad senatum referebatur, atque aliquis iturus in sententiam Pontificis sic orsus est. *Boni Consultores .P. C. bonos medicos imitari debent, quia & respublica quoddam corpus dicitur. Quod si illi & bene quæ emarcuit partem corporis statim secant, ne pars sincera similiter trahatur, & vobis super Vincentia nunc ea ratio habenda est, ut dii lares, patria, parentes, & vestræ res omnes salvæ sint. Nonne vos plerique mercatores estis, & vestras mercimonias projecistis in mare, ne alioquin naufragium faceretis? Nunc quoque imminet naufragium reipublicæ, & dubitabitis identidem facere? quando cum tantis regibus vobis res est, & sine vestro malo non potestis quiescere. Istud quidem est quod ajebat Hesiodus dimidium nonnunquam plus esse quam totum quando alioquin totum comprehendere noxium est. Et nulla profecto scientia major dicitur quam seipsum cognoscere & metiri sua pondera, cujus rei ipsa opera maxima testimonia esse debent, & vos identidem quantum valetis facile potestis ex his comprehendere, quæ nuper apud Brixiam gessistis. Atque amplius animadvertite quemadmodum difficulter pecuniæ comparentur, quæ possint ad bellum sufficere, ut longe melius esset consulere quid faciendum, ut non egeamus tantis pecuniis, sicut Atheniensis ille Alcibiades hortabatur Periclem avunculum quærere potius quemadmodum rationem non redderet, cum ille propylæa Minervæ ædificasset & non inveniret, quo pacto ministerii rationem redderet. Accedit ad hoc quod Vincentiam daturi estis cum magno vestro fœnore, quia facta pace Reges invicem bello certabunt, & vobis ad reparandam rempublicam amplæ conditiones porrigentur. Aliter si vestra duritia nuper fœdus initum dissolvatur, & arma Pontificis in vos etiam convertantur, quænam salutis spes est? Quod si non putetis ita fore, reducite in memoriam quomodo Cameracense fœdus Reges antea pepigerint, simul ac Pontifici noluistis Ariminum & Faventiam reddere. Ista sunt .P. C. quæ me movent, ut putem e republica fore, Vincentiam tradere, & aqua pauca multum ignem sopire. Namque semper æquo animo ferre illud oportet, quod pati necesse est, & mea quidem sententia non possumus aliter facere, & reipublicæ bene consulere.* Contra ita alius ajebat. *Recte quidem .P. C. ex arte medica semper fit, ut secando pars alia reddatur innoxia. Sed qui nimium emungit contra artem elicit sanguinem. Et istud nunc est, quod in quæstionem venit, neque enim venit tradenda sola Vincentia, sed & Crema, Cremona, Brixia & Bergomum, ad quas urbes iter præcluditur. De reliquis quoque præter Patavium & Taurisium futura lis dicitur. Patavium vero & Taurisium emetis, ducentis quinquaginta millibus numum, & insuper quotannis urbes illæ censentur triginta millibus, ad quod vix cuncta vectigalia possunt sufficere. Adjicite ad hæc, quomodo illi qui in principio belli juratas inducias fregit, nunc fides habenda est, ne habitis nostris pecuniis, adversus nos bellum etiam enixius geratur. Ista sunt quæ modo in consultationem veniunt, an ita turpiter nobis ipsis debeamus deficere. Et mea quidem longe aliena mens est, ut putem potius durandum esse, & servandum vosmet ad meliora tempora. Nonne & vos estis .P. C. apud quos acta res est semel atque iterum cum obsideretur Patavium & Taurisium? & tamen nunquam istas pacis conditiones iniquas voluistis accipere. Quid modo facturi estis? cum divum benignitate omnia mitiora & meliora sint. Neque dubitare debetis quamvis frequenter dicatur, contra vos iturum Pontificem, non enim is est, quem ratio non vincat. Quod si propter metum concilii Regi Hispaniæ cupit rem gratam facere, & Rex Hispaniæ adeo contra Gallos se bello complicuit, ut amplius in amicitiam coire non possit, atque ista fiunt, ut cum Rege Romanorum excusationes sint, & vos in eam partem debetis accipere. Suscipite quæso rempublicam .P. C. neque eam patiamini nimia trepidatione perdere. Et quænam adeo vos cogit necessitas festinare? semper satis cito fit, si bene fit, neque vobis unquam pacis iniquæ conditiones defuturæ sunt. Expectemus quæso parumper, dum detur intelligi in tanto rerum discrimine, & Regum dissidio, in quo statu futura res est.* Postquam ille conticuit, cautum est e Senatu consulto *Vincentiam* non tradere, sed apud Pontificem præfari veniam, & omnia polliceri, quæ alioquin usui sunt. Et quoniam pax fieri non poterat, ad inducias redacta res est, & illæ tandem auctore *Francisco Foscaro* oratore *Veneto* in menses decem eo modo factæ sunt, ut ratione pacis futuræ *Veneti* darent Regi *Maximiliano* Florenorum rhenensium quinquaginta millia simul ac ille inducias sanxisset. Dum ista in *Italia* geruntur, in *Hispania* & *Anglia* belli adversus *Gallos* magni apparatus fiebant. Namque Rex *Hispaniæ* ad *Perpignanum* in *Galliam*, & Rex *Angliæ* ad *Gienam* in *Normandiam* moliebatur irrumpere. Contra Rex *Gallorum* cum Pontifice agebat de pace, & pollicebatur *Bononiam* & *Ferrariam*, atque identidem *Andreas Grittus* de pace cum *Venetis* clanculum quæsitus est, & supra omnes *Helvetii*, simul ac ad illos venere *Galli* tres oratores nobilissimi Baylius *Miensis*, Marchio *Rhotolinensis*, & Doctor alius, qui summa ope obnixi sunt duces aliquot pecuniis corrumpere, & *Helvetios* contra Regem *Angliæ* seducere. Sed tantum abfuit, ut *Galli* oratores expulsi sint, & *Helvetii* potius bellum moliri viderentur, quatenus decem oratores *Helvetii* ad eam rem *Romam* & *Venetias* ibant. Igitur *Galli* rati agendum viribus primo quoque tempore festinare, parare, facere omnia quæ usui sunt, denique trajecto *Pado* ad *Brixellum* contra *Hispanos* versus *Bononiam* ibatur, & cum ventum esset ad oppidum *Finarium*, quia haud procul ad *Centum* oppidum ultra *Rhenum* fluvium castra *Hispanorum* sita erant, ceptum frequenter est levibus certaminibus contendere, & nuper *Galli* nimium confidenter insidiis usi sunt. Namque convenere cum excubiis hostium noctu incautos *Hispanos* aggredi, & illis relatum est, antequam fieret, atque ideo cum cautis infeliciter agebatur & *Galli* ad quatuor millia hominum, qui flumen repente trajecerant plerique absumpti sunt. Ea victoria *Hispani* potius debebant insolescere, & tamen contra fiebat, quia *Galli* ut antea summa ope nitebantur manum conserere, & *Hispani* certamen summopere detrectabant. Unde etiam recessum est ad forum *Cornelii* urbem, quæ nunc *Imola* dicitur, atque identidem operabantur omnibus modis locum munire, ut propter difficultatem loci, *Galli* hostes cogerentur differre prælium in tempus aliud. Sed tantum abfuit, ut statim ad illud ventum sit, simul ac *Hispani* vident *Ravennæ* prostrata mœnia

nia tormentis militiæ, & oppidanos non posse amplius obsistere Duci *Ferrariæ*, qui cum quadringentis militibus, & sex millibus peditum eam rem acriter agebat. Igitur ea necessitate *Hispani* compulsi sunt pugnandi copiam facere, atque deinde collatis signis pugnabatur. Et quidem atrox certamen fuit quantum unquam aliud, quia paribus animis & viribus utrinque concursum est. *Galli* mille quingenti milites, & quatuordecim millia peditum erant. *Hispani* mille octingenti milites, & duodecim millia peditum. Accedebat utrinque vincendi, aut moriendi voluntas mutua, quisque locum servare, quisque nusquam hosti cedere, quisque male mori, quam ignominiam pati. Itaque per sex horas continuas agebatur, & adhuc nusquam victoria inclinabat. Sed postquam ea, quæ in urbem *Ravennam* prius erant tormenta militiæ in *Hispanos* conversa sunt, de illis magna cædes edebatur & multi contriti sunt, denique omnes alii fugerunt victi tormentis militiæ, & apud *Gallos* stetit non incruenta victoria. Adeo in incerto res erat, quænam passæ magis essent, an victæ, an victrices copiæ. Pugna vero raro ulla magis sæva, & cum utriusque partis pernicie clarior fuit, ut propius periculo fuerint, qui vicere, quam qui victi sunt. Namque in eo bello viginti millia hominum cæsa feruntur, ex *Gallis* septingenti milites, & sex millia peditum, ex *Hispanis* octingenti milites, & septem millia peditum, atque insuper legatus Cardinalis *Medices*, & qui apud ipsum orator *Venetus* agebat *Marinus Georgius*, *Fabricius Columna*, *Petrus Navara*, & Marchio *Pischariæ*, cum multis aliis in hostium potestatem facti sunt. Sed adhuc major *Gallorum* jactura fuit, quia multi equestris ordinis, & Regis centum quinquaginta nobiles, ductores militum quinque, & septem præfecti peditum desiderati sunt, & supra omnia dolenda mors venit *Domini de Fois*, cujus in eo bello maxime virtus emicuit. Namque ille pedester in millibus egit viriliter, & cum multam stragem hostium edidisset, morte non inulta occubuit, atque inde ejus funus celebre & lachrymosum fuit, & cum magna pompa usque *Mediolanum* ductum est, & merito posita honorifica monimenta, ut omnes sciant eos diutissime vivere, qui honorificentissime moriuntur. Secundum eam pugnam vicem Regis qui in castris gerebat *Cæsenam* urbem aufugio concessit, & identidem *Hispani* omnes alii in proximas civitates abiere, atque omnia impedimenta & tormenta militiæ prædæ hostibus relicta sunt. Urbs quoque *Ravenna*, quæ prius vi capi non potuit, postea deditionem fecit, dum sic putat suas res omnes salvas fore, sed frustra hostibus habita fides est. Namque illi cuneo repente facto per muri ruinas in urbem venerunt cuncta vastare, prædari, subvertere, sævire in pueros & mulieres, templa Deorum spoliare, & Christi corpus in terram projicere, denique quasi vi capta civitas esset omnia prædæ militibus fuere. Et amplius vicinæ civitates res novas moliebantur quantum *Gallorum* exercitus procedebat, & tandem deditione etiam *Ravennæ* castellum in hostium potestatem venit, simul ac *Marcus Antonius Columna*, ne periret inedia, abire compulsus est, & cum militibus versus *Romam* impune discedere. Parte quoque alia *Venetis* simul cum *Ferrariensibus* frequenter res erat. Namque illi per fluminum diverticula ubique infesti sunt, dummodo cum lembis & manu prædatoria usque ad *Bebias* & *Caput Aggeris* prædari volunt, & sæpe etiam cum uniremibus & majoribus navigiis oppida maritima pertentant capere. Contra citi *Veneti* cum classe fluviatili lemborum & uniremium custodias locare, ordines distribuere, hostibus obviam ire, & ubique sociis auxilio esse. Nuper vero classes ambæ apud *Lauretum* factæ obviam sunt, non tamen aliter quam tormentis militiæ certamen fuit, quia cum hostes plures essent, *Veneti* aliter illos aggredi noluere. Nihilominus parte alia per mare navigiis vicissim agebatur. Namque *Bonamicus Ferrariensis* pirata cum duabus uniremibus & cymbis viginti quinque, a *Clodia* usque *Ariminum* totum mare infestum reddebat, ut ne tabellarii quidem tuti sint, & mercatores pauci sunt, qui manus hostium possint subterfugere. Contra tamen stabat *Andreas Contarenus* præfectus classis *Padanæ*, & cum una biremi, duabus uniremibus, cymbis decem oblongis, & brevioribus quatuor, sæpe hostibus obviam ibatur, ut illi aliquando non impune prædati sint. Igitur frequenter vario eventu ad *Padi* ostia pugnabatur, dum hostium mens est mercatorias cymbas & majora navigia intercipere, & contra *Veneti* sociis auxilio ubique sunt. Parte quoque alia sæpe identidem ad Turrim novam in *Athesi* flumine cum *Ferrariensibus* res erat. Et quia ille locus antemurale *Venetis* est, intercisa itinera sunt, obducti aggeres, & posita præsidia, ut *Caput Aggeris* & *Bebiæ* tutæ sint. Sed hostes terra marique potentiores erant, & nuper usque in portu *Venetiarum* navigia & multas merces ceperunt, & amplius quia *Rhodigiana Pollesinus* frumenti & frugum dives esset, & parum custodiretur, *Julius Tasinus* cum manu prædatoria *Ferrariensium* & *Germanorum*, totam regionem prædatus est, & antequam præfecti *Veneti* qui aufugerant, & *Aloysius Bembus* præfectus levitum cum manu collectitia in eam expeditionem exirent, hostes inde impune redierunt unde abscesserant. Posteaquam vero ea, quæ in castris apud *Ravennam* gesta fuerant, *Romam* delata sunt, tanta omnium rerum Pontificem desperatio cepit, ut in pace cum Rege *Gallorum*, aut in sola fuga spem sitam haberet. Namque non minus domi quam foris hostes erant, quatenus de Duce *Urbinate* dubitabatur, & a *Prospero Columna*, *Ruberto Ursino*, *Petro Morgana*, *Rentio Mancino*, & conjurationis complicibus palam contra Pontificem ibatur. Accedebant tanta odia *Romanorum* procerum in Pontificem, ut ne amplis quidem conditionibus honorum, & frequentibus hortationibus flecti possent. Et quod plus est has partes *Hispani* fovere videbantur, & necesse erat Pontifici Regi *Hispaniæ* se credere, atque *Neapolim*, aut *Cajetam* abire, quia alioquin *Venetiæ* incommodiores essent. Igitur tandem Pontifex non ratione ductus & consilio, sed indignatione & timore cum Rege *Gallorum* pacis conditionibus subscripsit. Sed quia nullum violentum perpetuum esse solet, postea identidem ea omnia non valuisse visa sunt, simul ac Pontifex videt *Romæ* omnia cum *Ursinis* & *Columnensibus* esse composita atque *Urbinatem* Ducem cum *Venetis* & *Hispanis* sedis apostolicæ patrocinium suscipere, & si etiam opus esset *Germanorum* peditum decem millia subsidio fore. Aliter etsi confractæ gentes *Hispanæ Neapolim* abiissent, solæ Ducis *Urbinatis* copiæ quadringenti milites, & sex millia peditum, ad recuperandam *Flaminiam* sufficere videbantur. Namque ab exercitu *Gallorum* *Mediolanum* versus ibatur, quia *Helvetii* iterum in eam expeditionem exibant. Jam vero *Helvetii* ad viginti millia hominum per *Tridentum Veronam* venerant, ut facile *Venetis* jungi possent. Sed quia plusquam convenerant supra sex millia hominum erant, primo quoque tempore super dandis pecuniis difficultas orta est, & *Helvetii* opum vacui visi sunt velle ad *Gallos* desciscere, nisi sta-

tim *Veneti* quindecim millibus numum cum illis egiſſent, ne amplius in incerto res eſſet. Poſtea *Veneti* feſtinare, parare, facere, vaſtatores acceſſere, currus & commeatus colligere, levigare itinera, denique *Venetorum* omnis exercitus trajecto *Atheſi* flumine ad *Alboretum* confeſtim convenit *Helvetios* ad *Vallegium*, ubi primo cum hoſtibus geſta res eſt. Namque *Veneti* equites qui viſum ibant, quid hoſtes agant, forte illis obviam facti ſunt, & quia hoſtium quinquaginta equites vincebantur, ſtatim illis ducentorum equitum ſubſidium venit, redintegratumque prælium eſt, & *Helvetii* parabant confligere, niſi *Sedunenſis* legatus ægre tamen receptui ceciniſſet, quia *Venetæ* copiæ longe diſtant, & multo itinere feſſæ ſunt. Deinde contra *Vallegium* & caſtra hoſtium ibatur, qui octingenti milites, mille levites, & novem millia peditum erant, & deſtituto *Vallegio* ſub ordinibus militiæ ultra amnem *Mintium* ſtabant. Sed cum primum hoſtes vidiſſent *Venetos* omnes milites verſus amnem feſtinare, & tormentis militiæ frequenter concutere, protinus loco receſſum eſt ad duo millia paſſuum, & ſic retro continue paulatim ibatur, ut fruſtra *Helvetii* ad ſeptem millia hominum trajecto repente flumine pugnandi copiam facerent, & identidem amnem vadati levites *Veneti* ubique hoſtibus infeſti eſſent, quia confracto ponte *Venetorum* alioquin omnis exercitus nequibat amnem trajicere. Et tamen merito illa dies *Venetis* felix habita eſt, quia tunc primum *Galli* hoſtes viſi ſunt ſe in fugam convertere. Igitur hoſtes poſtridie uſque ad *Pontemvicum* per trigintaquinque millia paſſuum citato agmine perrexere, ut facile daretur intelligi *Helvetiis*, cum hoſte pugnandi copiam nuſquam amplius fore, quamvis illi & *Veneti* ad eam rem ſemper hoſtium veſtigia ſequerentur. Cæterum neque ad *Pontemvicum* hoſtes auſi ſunt conſiſtere, ſed diruto ponte & caſtello igne ſuppoſito repente verſus *Cremonam* urbem ibatur, & cum illa *Gallos* noluiſſet excipere, illi feſtinabant *Padum* trajicere, & ad *Picegatonium* oppidum ſitum juxta amnem *Abduam* venere. *Veneti* vero cum *Helvetiis* ad *Fanum Martini* prope *Cremonam* erant, & quia venerat in quæſtionem an fœderis, an *Venetorum* in fidem urbem recipiant, de ea re frequenter agebatur, & denique *Cremonenſes* quadraginta millia numum *Helvetiis* dederunt, atque olim Ducis *Ludovici* filii, & fœderis partes ſecuti ſunt. Deinde verſus hoſtes *Veneti* milites ibant ſine *Helvetiis*, quia *Sedunenſis* legatus ex *Cremona* in caſtra nondum redierat, & cum ad aquas nigras prope amnem *Abduam* haud longe ab hoſtibus ſtaretur, *Galli* ducenti milites *Venetos* levites confeſtim aggreſſi ſunt, ut magis terror quam pugna fuerit, ſicut illis ſolet accidere, quibus impræmeditata res evenit. Namque cum *Venetis* ſolis levitibus agebatur qui prælium conſeri nolebant. Itaque certando *Venetorum* decem equites, & hoſtium octo milites invicem capti ſunt, & clade ferme pari, ab utraque parte diſceſſum eſt. Secundum eam qualemcunque pugnam *Veneti* cum *Helvetiis* parabant amnem *Abduam* ponte jungere, & hoſtem invadere. *Galli* vero tantam vim non expectandum rati protinus abiere ad fanum *Jacobi Padum* trajicere. Poſtea *Gallorum* maxime declinare viſa res eſt, ceperuntque civitates & cuncta oppida res novas moliri, atque identidem domi foriſque contra *Gallos* hoſtes truculenter ibatur, ut multi ferro abſumpti ſint, & *Mediolani* præſertim de *Gallis* magna edita cædes eſt. Namque præter illos, qui in caſtellum aufugerant, omnes alii cæſi ſunt, & illorum omnia prædæ *Mediolanenſibus* fuere. Itaque propediem

A pro Pontifice habita eſt *Parma* & *Placentia*, & pro *Maximiliano* Duce *Sfortia Mediolanum*, *Cremona*, atque *Ciſalpinæ Galliæ* omnia recepta ſunt. Et amplius *Monferatenſis* Marchio in *Gallos* regionem conciverat, & paſſim ſuper montes etiam omnes infeſti ſurrexerant, atque ideo *Gallorum* omnis exercitus *Papiam* urbem divertit, & quia alioquin ſtatio ſatis fida non eſſet, eam ſumma ope conabantur munire, amplam foſſam ducere, propugnacula erigere, murum e terra congerere, & omnia quæ oportet facere. Jam vero *Veneti* & *Helvetii* ad *Ticinum* amnem venerant, & tormentis militiæ acriter agebatur. Namque noſtri
B parabant amnem trajicere, demoliri *Papiæ* pontem lapideum, & hoſtibus iter occludere. Contra hoſtes ex urbe *Papia* facti obviam conabantur tranſitum vetare. Sed tantum abſuit, ut ſtatim noſtri amnem trajecerint, & hoſtes redierint unde abſceſſerant. Deinde ad urbem belli vis major incubuit, & primo quidem *Baldaſar Scipionius* cum centum quinquaginta *Græcis* equitibus iterum iterumque repulſus eſt, denique vero ille cum *Helvetiis* urbem cepit, ſimul ac hoſtes in fugam converſi ſunt. Et quia in hoſtes utebatur victoria extra urbem etiam de illis magna cædes edebatur, & ſeptem majora tormenta mi-
C litiæ capta ſunt. Uſque adeo hoſtes feſtinabant ad *Baſſignanam Padum* trajicere, *Haſtam* urbem petere, atque ignominioſe in *Galliam* repedare cum tanta fuga, ut multi etiam *Padi* vorticibus abſumpti ſint, & qui palantes ſupererant occidebantur, quia agreſtes etiam inter eundum contra *Gallos* irruperant, & maxime extremis infeſti aderant. Poſtea paſſim oratores confluebant in noſtra caſtra deditionem facere, & *Sedunenſis* legatus ſuam civitatem fecit *Vigevium*. Nuper quoque domo profecti multi *Helvetii* ligæ griſſæ vallem *Tollinam* ceperunt, & parabant oppugnare *Chiavenæ* locum, ſimul ac alii *Helvetii* ad ſex
D millia hominum *Lucheræ* locum expugnaſſent, qui ambo e quatuor, duo loca ſunt, quibus itur in *Italiam*, & amplius *Helvetiorum* alia viginti millia moliebantur in *Burgundiam* irrumpere. Per idem quoque tempus *Joannes Maria Fregoſius* ex caſtris *Venetis* cum ala equitum, & acie peditum, *Genuam* venit, & cum ſuæ factionis quatuor millibus hominum urbem ingreſſus eſt. *Monferatenſis* etiam Marchio cum quinque millibus hominum in expeditionem exivit, & identidem civitatem *Novariam* in fidem accepit. Aliter inter *Venetos* & *Helvetios* ſemina diſcordiæ conjecta ſunt, ſimul ac centum ſexaginta milites *Florentiæ*
E ſub fide data *Sedunenſis* legati in caſtra *Venetorum* venere. Namque *Veneti* pedites confeſtim illos diripere auſi ſunt, quatenus & *Helvetii* illud idem volebant facere, quod ipſe *Sedunenſis* legatus aliis publicis literis fieri mandabat, quia nimium ſero illi milites *Florentiæ* a *Gallis* deſciverant, quandoquidem tum primum *Galli* Calendis Julii partim monte *Geneurio*, & partim monte *Seneſio* in *Galliam* ibant. Verum ea re multum mali *Venetis* acceſſum eſt. Namque præter illud quod *Veneti* ad villam *Adornam* prope *Papiam* deinduſtria igne ſuppoſito multum paſſi ſunt, nuper quoque *Helvetii* ignominia *Venetos* affecere. Siquidem
F cum ultra *Padum* ad *Caſtellacium* itum eſſet, & forte de pecuniis *Alexandriæ* duriter ageretur, ambo legati *Paulus Capellus*, & *Chriſtophorus Maurus* cum *Andrea Mocenico* protonotario ducti ſunt primo ad ducem *Jacobum Stapherium*, & deinde ad *Sedunenſem* legatum, apud quem ſtando dum cœnat, valde ridiculi habebantur, & denique coacti ſunt ſuper dandis ſex millibus numum in portionem prædæ *Florentinorum* militum, ſuam fidem *Helvetiis* adſtringere ſi vellent

bona venia ſe redimere. Atque amplius cum legati ex *Alexandria Paleæ* quinta hora noctis rediiſſent in caſtra ad *Caſtellacium*, & ingentem tumultum exercitus ſedaſſent, qui ex ſua captivitate ortus erat, *Vincentius Cavatius* nomine *Sedunenſis* legati ad illos venit poſtridie, & importune flagitabat promiſſa ſex millia numum, & ad ſupplementum menſis præteriti quatuordecim millia, atque inſuper menſis præſentis ſeptuaginta millia, & adhuc *Sedunenſis* legatus volebat ad montes uſque *Venetos* abducere, & mutare Marchionem *Saluciarum*, & Ducem *Sabaudiæ*, quia *Gallicæ* factionis viderentur. Contra *Venetis* ea valde moleſta res erat, quia illi potius parabant propediem in expeditionem exire adverſus urbem *Cremam* & *Brixiam*, quæ in *Gallorum* poteſtate adhuc erant. Et quidem datis ſex millibus numum *Rhenenſium*, & aliis duobus millibus in *Venetam* portionem, ſuper pecuniis aliquantiſper difficultas ceſſavit. Sed ſuper diſceſſu *Venetorum* cum *Sedunenſi* legato quæſtio fuit diutina, & tandem eo invito cum toto exercitu repente receſſum eſt, & noctis ſilentio verſus *Padum* amnem magnis itineribus ibatur. Cæterum cum primum *Veneti* prope urbem *Placentium* ſitam ad *Padum* amnem veniſſent, multæ difficultates ortæ ſunt, quia *Sedunenſis* legatus frequenter ajebat fore, ut illis abeuntibus omnia infeſta redderentur, ſicut ipſe per civitates cunctas fieri mandabat, quatenus *Veneti* præter opinionem ſuam abiiſſent. Igitur *Veneti* demum viribus uſi ſunt lembos omnes intercipere, pontem facere, & ad cavæ *Abbatiam Padum* amnem trajicere, unde poſtea contra *Cremam*, atque urbem *Brixiam* partitis copiis in expeditionem ibatur. Neque tamen interea apud *Cremam* & *Brixiam* pacatæ res erant. Namque contra *Cremam* ſtabant cives *Cremenſes* exitii cum quingentis peditibus, & *Andreas Ciuranus* præfectus cum ducentis levitibus, atque vario eventu frequenter pugnabatur. Et identidem apud *Brixiam* ſæpe cum hoſtibus res erat, dum illi trecenti ſupra quatuor millia hominum paſſim prædari volunt, & contra cives *Brixienſes* exitii cum ducentis militibus, & duobus millibus peditum, ſimul cum *Leonardo Hemo* præfecto, & quadringentis levitibus, ſemper conantur obſiſtere, & nunquam ceſſant hoſtibus obviam ire, atque ſociis auxilio ubique eſſe, denique collectæ copiæ ſunt, & pene civitas obſidebatur. Namque aquas omnes ſubſtulerant præter illas, quæ adimi non poſſunt, quia in civitate naſcuntur. Hoſtes tamen propterea non deſiſtebant frequenter exire, & prædas agere. Sed nuper apud *Padernum* villam illi non impune ſua ſævitia in pueros & mulieres uſi ſunt. Namque cum *Leonardus Hemus*, & Duces militum, illis obviam veniſſent, ſtatim conſertum atrox prælium eſt, quod aliquandiu anceps fuit, ſed denique apud *Venetos* ſtetit victoria, atque ducenti hoſtium cæſi ſunt, & centum quinquaginta in *Venetorum* poteſtatem venere, de quibus omnibus truculenter etiam agricolæ voluerunt ſupplicium ſumere, & illatam injuriam ulti ſunt. Dum ea militiæ geruntur *Romæ* ceptum eſt concilium fieri, ſupplicationes habitæ cum magna pompa & cærimoniis conſuetis, atque in ejus ſeſſione ſecunda publice proclamatum fuit, quemadmodum etiam Rex *Angliæ* initum fœdus ingreſſus eſt. Nuper quoque *Joannes Cola Germanus* orator *Venetias* venit, & nomine Cæſaris deſideratas inducias ſanxit. Dux vero *Urbinas Ravennam*, *Bononiam*, & totam *Flaminiam* iterum Pontificis in fidem receperat, & cum relatum eſſet Pontifici, quæ contra *Gallos* per *Venetos* & *Helvetios* geſta ſunt, ille Viceregem *Hiſpaniæ*, qui cum exercitu alio-

A quin ex *Neapoli* in expeditionem exibat, confeſtim certiorem fecit, ut longius non accedat, quia amplius ſua opera opus non eſſet. Namque Pontifex *Parmam* & *Placentiam* volebat in ſuam poteſtatem redigere, quod fore etiam facile videbatur, niſi *Hiſpani* obviam eant, quibus ea valde moleſta res erat. Et primo quidem de ea re verbis agebatur, denique *Hiſpani* viſi ſunt velle alioquin viribus agere. Igitur tandem Pontifex contentus fuit tranſitum dare, ſimul ac *Hiſpani* polliciti ſunt propterea pecunias amplius non exigere. *Helvetiis* autem quia *Gallos Italia* expulerant, Pontificia vexilla tradita ſunt, & illis no-

B men inditum, ut poſthac appellentur auxiliatores libertatis Eccleſiæ. Per idem tempus ſub fide Pontificis *Alphonſus* Dux *Ferrariæ Romam* venit, & venia dignus habebatur, donec ſua demerita fateretur, & polliceretur Pontificis juſſa omnia ſemper faceſcere. Sed tantum abfuit, ut ille poſtea rebus incompoſitis aufugerit, & tandem impune repedaverit in *Ferrariam*, quia fruſtra Pontificii & *Veneti* terra marique eum intercipere conati ſunt, ſimul ac *Fabricius Columna* comes eſt, & illi etiam *Hiſpani* clanculum auxilio parati ſunt. Namque illi trecenti milites, mille levites, & ſex millia peditum, uſque *Bononiam* ve-

C nerant, & quod pejus erat apud *Mantuam* cum *Gurgenſe* Epiſcopo contra Pontificem *Venetos* & *Helvetios* agebatur, ut ipſe *Gurgenſis* Epiſcopus ſummæ rei *Mediolanenſium* præſit, & civitates etiam obtineat, quæ ex fœdere *Venetis* debebantur. Hinc multæ difficultates ortæ ſunt, & pejus etiam quam bellum *Gallicum* inſtare videbatur. Adeo frequenter ex bello in bellum protrahimur, & quo ſe ingerat diſcordia aliquem aditum ſemper habet. Igitur *Hiſpani* & *Helvetii* meditabantur concurrere, & quidem ea Pontificis, quæ *Venetorum* & *Helvetiorum* mens erat, ut omnia pacata forent, *Maximilianus Sfortia Mediolani*

D Dux eſſet, Pontifex haberet *Haſtam*, *Parmam*, & *Placentiam*, *Veneti* ſuas urbes reciperent, & *Helvetiis* cederet *Vallis Tollina* & *Dondoſſola*, quæ e quatuor duo alia loca ſunt, quibus in *Italiam* itur. Aliter *Hiſpani* omnia in quæſtionem vertebant, ut facilius quibuſlibet conditionibus Regi *Romanorum* cum *Venetis* pax eſſet. Namque *Romæ* per Oratorem *Hiſpaniæ* & *Germaniæ* de pace iterum agebatur, & *Hiſpani* volebant, aut *Venetos* civitates ſuas in manu Pontificis ponere, aut deſiſtere oppugnare *Brixiam* tantiſper dum optata pax fieret. Sed utrunque incongruum habebatur, atque alioquin *Hiſpani* opum vacui ac-

E ceptis pecuniis ducti ſunt pauliſper *Florentiam* divertere. Et primo quidem apud *Pratum* oppidum *Florentini* hoſtes ad quinque millia hominum cæſi fuſique ſunt, vi captum oppidum eſt, & *Lucas Sabellus* cum centum quinquaginta equitibus in hoſtium poteſtatem venit, atque poſtremo ex *Florentia* cedente *Petro Sodorino Confalonerio* Magnificus *Julianus Medices* in ejus locum ſuffectus eſt, & cum ea peracta res eſſet *Hiſpani* verſus *Brixiam* in *Venetos* feſtinabant. Jam vero *Veneti* prope *Brixiam* ad Portam *Joannis* caſtrametati fuerant, & tormenta bellica ingentia in montem ſubduxerant, qui e regione caſtello ci-

F vitatis imminet. Deinde feſtinare, parare, facere, & tormentis militiæ ſemper agere. Contra hoſtes nihil veriti præ mœnibus ſtare, Caſtellum munire, aggerem ducere, & ſæpe etiam eruptione facta manum conſerere. Itaque frequenter marte ancipiti certabatur, ut ſemper fieri ſolet, quando in propinquo hoſtis eſt. Aliter *Veneti* apud *Cremam* potius quam armis obſidione & ſuaſione utebantur, ut *Benedictum Cribrarium* cuſtodem urbis datis muneribus ad deditionem compel-

pellant. Et quamvis idem tentaret contra fœdera *Sfortia Laudensis* Episcopus, ille tamen a *Venetis* & *Laurentio Cerinate* tandem muneribus victus est, & in eam sententiam etiam venit Dux *Gallus* Dominus *Durasius*, cui arcis fuerat demandata custodia, simul ac alioquin timet devenire in manus *Helvetiorum*, qui ad quatuor millia hominum in eam expeditionem exibant, nisi mutassent sententiam difficultate rei, & verbis accommodis, quibus *Laurentius* usus est, postquam cum levitibus haud longe a *Crema* illis obviam venit. Igitur *Veneti* arcem & *Cremam* urbem deditione ceperunt, & *Benedictus Cribrarius* cumulatus muneribus, & civitate donatus est. Dum ea foris & militiæ geruntur, multi Oratores ad *Helvetios* venerant, & agebant de concordia, tanta eorum apud omnes nationes autoritas creverat, ut inde pendere omnis victoria videretur. Et quidem Pontificis cum Rege *Hispaniæ* & *Venetis* mens erat initum fœdus reficere, *Veneti* vero soli tentabant nova fœdera, *Hispani* simul & *Germani* dando trecenta millia numum semel, & quotannis quinquaginta millia volebant rem *Mediolanensem* Duci *Burgundiæ* cedere. Sed quamvis *Mediolanensium* minores oblationes essent centum quinquaginta millium numum semel, & quotannis quadraginta millium, ut *Maximilianus Sfortia Mediolani* Dux fiat, & *Helvetiorum* auspiciis servetur, ad eos tamen maxime *Helvetii* declinabant, dummodo haberent *Loures*, *Trinium* & *Locarnium* propugnacula. Itaque *Helvetii* tandem repudiatis aliis, cum *Mediolanensibus* apud *Badam* & *Turregium* fœdus sanxere. Et quia domi erga *Venetos* bene animati erant, statim jubent, ut identidem foris fieret, & omnes pariter *Helvetii* ad *Venetos* declinare visi sunt, simul ac *Hispani* contra mandata Pontificis in *Mediolanenses* & *Venetos* movissent. *Veneti* vero summa ope nitebantur civitatem capere antequam *Hispani* hostes accedant. Et primo quidem tormentis militiæ acriter gesta res est, & cum magna pars muri procubuisset, *Veneti* confestim parabant in certamen descendere, distributique ordines sunt & parata cuncta utilia, atque in primis illud curabatur, ut nocte intempesta milites in urbem irent per portam pilarum, sicut convenerant cum custodibus. Sed cum ea hostibus relata res esset, protinus de complicibus sumptum supplicium est, & omnia *Venetis* imparata visa sunt. Igitur stabatur, & deinde ex una *Mediolanenses* & *Helvetii* usque ad amnem *Oleum* venere, & ad *Quinzanium* videbantur velle flumen trajicere, atque ex alia ad *Gaidum* oppidum prope *Brixiam* castra *Hispanorum* sita sunt. Postea pariter ab omnibus ceptum est, super deditione facienda cum *Gallis* agere, nunc *Hispani*, nunc *Mediolanenses* & *Helvetii*, nunc *Veneti* nuncii ad eam rem *Brixiam* ibant & redibant. Et diu quidem actum est & tandem repudiatis aliis urbs *Brixia Hispanorum* in potestatem venit, & *Galli* omnes cum suis rebus omnibus impune dimissi sunt. Sic *Hispani* cito voti compotes fuere, quod *Veneti* milites facere per longum tempus nequiverant, & spe sua diutina frustrati fuerant. Sicut frequenter illis solet accidere, qui in rebus agendis nimium desidiosi sunt, aut forte potius non ea vi & diligentia sed dolo malo acta res est, dum *Galli* deindustria eo stratagemate usi sunt civitatem potius *Hispanis* tradere, ut fœdus initum dissolvatur, & *Veneti* cum *Hispanis* propterea discordes essent. Adeo semper facile fomenta discordiæ suggeruntur, ubi de dominandi facultate res est. Interea vero apud urbem *Mantuam* inter *Petrum Landum* Oratorem *Venetum* & *Gurgensem* Episcopum frequenter agebatur de pace cum Rege *Romanorum*, ubi *Gurgensis* volebat convenire cum *Venetis*, antequam *Romam* iretur, quod & *Venetorum* maxime intererat, quando alioquin Pontifex parum rationem reipublicæ habiturus esset, dummodo concilium vetet, & obtineat *Parmam* & *Placentiam*. Aliter *Veneti* contra rem propriam simul cum Pontifice *Gurgensem* hortati sunt *Romam* pergere, & deinde *Romæ* de pace agebatur. Et quia *Veneti* inficias ibant *Vincentiam* & *Veronam* Cæsari relinquere *Gurgensis* & *Andreas Burgensis* mirati & conquesti sunt, *Petrum Landum Tridenti* & *Mantuæ* ubi commodius agebatur, de ea re ne verbum quidem fecisse, quasi ad rem factam iretur, & si ipse nescius non esse Pontificem Regi *Germaniæ* & *Hispaniæ* datis literis promittere, prolocutis conditionibus pacem fore, ut si aliter modo *Gurgensis* agat, illi valde periculosum foret. Adeo multum refert quando facto opus est semper facere, & nunquam redit, quæ præteriit semel occasio. Postquam autem desitum est de pace cum *Venetis* agere, Pontifex divertit ad *Hispanos* & *Anglos*, & cum *Gurgense* moliebatur novum fœdus in *Venetos* facere. Et diu quidem ea res in quæstionem venit, & tandem *Anglus Eboracensis* orator noluit fœderibus subscribere, quia res indigna videretur, & similiter *Hispani* fecere, quia super *Ferraria* difficultas erat, atque ideo inter Pontificem & Regem *Romanorum* solummodo contra *Venetos* novum fœdus initum est. *Veneti* vero legati in castris apud *Brixiam* cognitis iis, quæ *Romæ* singulatim fiebant, & quia illis *Hispani* semper infesti sunt, motis repente castris ad *Lacum Benacum*, & oppidum *Desantianium* festinabant, unde amnem *Mintium* trajecerunt ad *Vallegium*, atque ad *Tumbam* prope amnem *Athesim* venere. Et quamvis ibi in manu sua situm esset *Veronam* & *Lemniacum* capere, atque hostes *Hispanos* ducentos milites, & *Germanos* mille quingentos pedites obvios intercipere, illi tamen noluerunt aliquo pacto facere. Adeo semper pacis studiosi sunt, & nunquam volunt novo bello præbere originem, dum semper sperant hostiliter illos etiam non agere, qui hostes alioquin viderentur. Dum ea in *Italia* geruntur, in *Gallia* novum bellum ortum est. Namque ab *Hispano* valido exercitu in regnum *Vasconiæ* truculenter ibatur, & jam ceptum erat ab *Anglis* cum valida classe centum navium maritimum bellum gerere, & naves hostium intercipere, & illi nuper etiam applicuerunt in *Aquitaniam* corruere, agros vastare, prædas agere. Et quoniam per idem tempus toto orbe terrarum bellum vigebat, res ipsa postulare situm orbis videtur, & eas gentes, quæ invicem bella gesserunt, quam paucissimis attingere.

Qui recte de situ orbis loqui volunt in primis debent animadvertere, quomodo loca invicem distent, & ad plagas cœli sita sint, quatenus alioquin dicere non sufficit, in tres partes orbem dividi, quas disterminat Mare mediterraneum, *Nilus*, & *Tanais* magna flumina. Et quidem hujus rei *Ptolemæum* & *Plinium* præcipuos auctores habemus, & sicut nostri instituti par est, illi quoque totum orbem ad plagas cœli cum Astrolabio Meteoroscopio & Sciothere metiti sunt. Et quia ultra *Thulam* insulam tellus nescibatur, ille ultimus parallelus septemtrionis fuit. Unde tota latitudo constare dicebatur octoginta gradibus, & stadiis quadraginta millibus, ad *Agisymbam* & *Prassum* promontorium, quod versus austrum sub hyemali tropico situm est. Et identidem longitudo tota habebatur centum octoginta gradibus, & stadiis septuaginta duobus millibus, ab insulis Fortunatis ad *Cattigaram* & *Sinarum* metropolim, qui duo mundi meridiani extremi putabantur.

Dein-

Deinde terra marique quærebatur, quomodo singula sita sint. Ursa minor ad septentrionem in Ocellis comperta est, in *Arabia* ad meridiem stella *Canobus*, atque in *India Taurus* & *Pliades*, quæ stellæ circa æquinoctialem sunt. Et quidam profecti peregre totam latitudinem fecere quadragies bis centena millia passuum, a littore *Æthiopici* oceani ad *Meroem* quingenta sexaginta duo millia passuum, inde *Alexandriam* duodecies centena millia, *Rhodum* quingenta nonagintaquinque, *Gnidon* nonaginta sex millia quingenta, *Coum* duo de quadraginta, *Samum* centum duodecim, *Chion* nonaginta sex, *Mytilenem* septuaginta septem, *Tenedon* centum undecim millia, *Sigeum* promontorium viginti quatuor millia quingenta, Os ponti trecenta viginti quatuor millia quingenta, *Carambin* promontorium trecenta sexaginta duo, Os *Mæotidis* trecenta viginti quatuor millia quingenta, & ostium *Tanais* ducenta septuaginta septem millia. De longitudine quoque ita carptim loqui par est, & quidem tota a fortunatis insulis, usque ad seras protenditur, & duodecim horarum spaciis continetur. Namque ab insulis fortunatis, usque ad *Euphratem* fluvium gradus septuaginta duo numerantur, & gradus centum quinque cum quinta, ab *Euphrate* ad seras per turrim lapideam, & quasi tantundem longitudinis spacium est, siquidem omnia deducantur ad situm æquinoctialis paralleli & ad ventum subsolanum. Sic enim identidem ab Insulis fortunatis ad *Cory* promontorium centum vigintiquinque gradus habentur, a *Cory* promontorio ad Auream *Chersonesum* gradus triginta quatuor cum quatuor quintis, ab Aurea *Chersoneso* ad *Zabas* gradus viginti cum duabus tertiis, & totidem a *Zabis* ad *Cattigaram*, & deinde tota longitudo usque ad *Sinarum* metropolim complet gradus centum octoginta, & stadia per insulam *Rhodum* septuaginta duo millia. Porro quidam profecti peregre terra marique longitudinem quæsivere. Et quidem maritimo itinere eam fecerunt ab *India* ad *Columnas Herculis*, sicut placuit *Artemidoro*, quinquagies centena septuaginta quinque millia passuum, a *Gange* amne ostioque ejus, quo se effundit in *Eoum* oceanum per *Indiam Parthienem*que ad *Myriandrum* urbem *Syriæ*, sitam in sinu *Issico* decies quinquies quadraginta sex millia passuum. Inde proxima navigatione *Cyprum* insulam, *Pataram Lyciæ*, *Rhodum*, *Asty* paleam in mari *Carpacio*, in insulas *Laconiæ Tænarum*, *Lylibæum Siciliæ*. *Calarim Sardiniæ* decies septies quinquaginta quatuor millia passuum, deinde *Gades* decies octies septuaginta quinque millia passuum. Atque aliquanto *Terreno* itinere & certior & comprehensior est, a *Gange* ad *Euphratem* quinquagies centena viginti unum millia passuum. Inde *Capadociam* in *Mazaca* ducenta millia quadraginta quatuor. Inde per *Phrygiam*, *Cariam*, *Ephesum* quadringenta millia nonaginta octo, ab *Epheso* per *Ægæum* pelagus *Delum* ducenta millia, *Isthmum* ducenta duodecim, deinde terra & *Laconico* mari sinuque *Corinthiaco Patras Peloponnesi* ducenta duo millia quingenta, *Leucadem* octoginta sex millia quingenta, *Corcyram* totidem, *Acroceraunia* centum triginta duo millia quingenta, *Brundusium* octoginta sex millia quingenta, *Romam* trecenta millia sexaginta, ad alpes usque *Calcincomacum* vicum quingenta & duo de viginti millia, per *Galliam* ad *Pyreneos* montes *Iliberim* quingenta quinquaginta sex millia, ad oceanum & oram *Hispaniæ* trecenta triginta duo millia, & demum trajectu *Gadis* septem millia quingenta. Universum hunc quoque circuitum *Eratosthenes* ducentorum quinquaginta duorum millium stadiorum prodidit, quæ mensura *Roma-*

A *na* computatione efficit trecenties quindecies centena millia passuum. Et quidem paulo amplior ambitus terræ ferebatur ex epistola *Dionysiodori* ad superos ea ratione geometrica, qua colliguntur in circuitu ducenta quinquaginta quinque millia stadia, siquidem habentur a centro terræ, ad summum stadia quadraginta duo millia. Et nunc hactenus de mundo potest sufficere, quando carptim identidem relaturi sumus, quæ bella in partibus gesta sint. Namque multi alioquin locuti sunt, & satis est oculis subjicere totus orbis terrarum quantus est, qui nostrorum temporum Regibus non videtur sufficere. Nam- B que nuper ab *Hispanis* cum magna classe ultra *Columnas Herculis* versus occidens per plusculos menses ibatur. Et primo quidem in insulam venere cui de *Hispano* nomine nomen est, & denique novus orbis apparuit, ubi semiferæ gentes edomitæ, & multa bella gesta sunt. Pari modo versus Austrum Rex *Lusitaniæ* cum classe usque ad *Caput Bonæ spei* per viginti gradus supra *Prassum* promontorium terram cultam invenit, & quotannis mercatum aurum, argentum, aromata in *Indiam* itur, ubi hucusque continue bella geruntur, & adhuc in incerto res est, cujus tanta mercimonia futura sint. Nihilominus in tota C *Armenia* & *Persia* ad arma conclamatum est, simul ac Rex *Turcarum* magnus *Selim* patre expulso superstite se intrusit in regiam & fratribus infestus est. Namque primo quoque tempore fratrem alterum debellavit, qui *Sarmatis* auxiliatoribus utebatur. Deinde contra fratrem alterum & *Sophenum* Regem *Persiæ* conversus est, & cum prælium consertum esset apud *Thebrin* primariam civitatem *Persiæ Turcæ* vicerunt, & urbe etiam potiti sunt. Postea in Regulum *Montis Amani* cum parte copiarum ibatur, qui adeo insolens erat, ut diceret se duas gallinas habere, quæ duo ova quotidie parerent, aureum alterum, & al- D terum argenteum, quia modo in *Armeniam*, modo in *Assyriam* impune prædabatur. Et quidem magna difficultas fuit eum in certamen compellere, quatenus ejus in sola fuga sita spes erat. Ille tamen denique cum liberis & viginti quinque millibus hominum intra montium latebras inventus est, & quia pene omnes erant agricolæ, de illis magna cædes edebatur, & simul ac Rex eorum cum quatuor filiis in *Turcarum* hostium potestatem venit, omnes crudeliter enecti sunt, & amplius magnus *Selim* moliebatur totam *Assyriam* & *Ægyptum* subigere. Per idem tempus bellum vi- E gebat inter *Polonos* & *Moscovitas*, qui olim dicebantur *Daces* & *Sarmatæ*, & magnis exercitibus hinc inde vario eventu pugnabatur. Nuper vero *Sarmatæ* ad quatuordecim millia hominum magnam prædam egere, & apud *Moncastrum* oppidum situm ad mare majus in *Dacia* identidem parabant efficere, nisi protinus a *Dacis* quinto maximis copiis fieri posset illis obviam iretur. Et quidem apud amnem *Borystenem* acriter gesta res est. *Daces* ad viginti quinque millia hominum equites & pedites erant. Contra *Sarmatæ* ad octoginta millia hominum solum in equo pugnabant. Igitur atrox certamen fuit, dum nihil utrinque F prætermittitur quod usui foret, sed quamvis ambæ nationes valde fortes & bellicosæ sint, magis tamen *Dacis* fortuna favit, quia tandem illi victores fuere, atque de *Sarmatis* magna edita cædes est, & omnes alii ad triginta millia hominum in fugam conversi sunt. *Pannones* quoque nequaquam bello expertes erant, quia *Turcæ* illis etiam infesti sunt, & *Thininium* oppidum faucesque *Dalmatiæ* semper gestiunt surripere, quia inde facile in totam provinciam itur. Jam vero nova factio & seditio tota *Europa* inolevit, ut po-

populares contra cives insurgant, & passim per civitates singulas frequenter bella invicem gerantur. Ea vero labes primo in *Dalmatia* orta est, deinde per *Pannoniam* & *Germaniam* divertit in *Forumjulii*. Sed ejus belli vis major incubuit in *Pannonia*, quia Cruce signati contra legatum Cardinalem *Strigoniæ* & proceres *Hungariæ* in magnum exercitum sub novo Rege *Georgio Sechelio* in expeditionem venere. Et quidem illi animosi videbantur donec Regis exercitus obviam venit. Namque postea facile Rex illos vicit & edomuit, atque amplius sumpsit de seductoribus supplicium. Rex autem *Romanorum* cum *Venetis* apud amnem *Athesim* & apud *Rhenum* fluvium cum Duce *Geldriæ* bellum assuetum gerebat. Longum esset referre, quæ ab *Hispanis* bella in *Aphrica* gesta sunt, quot disjectæ classes invicem, quot urbes captæ & receptæ, quinam profligati exercitus, quoties invicem dimicatum sit, atque amplius dicere, quæ bella gesserit Rex *Sophenus* in *India*, & quemadmodum vicinos reges & nationes subegerit. Illud vero silentio involvendum non est, quod bellum solummodo defuerat, ut per idem tempus toto orbe terrarum bellum esset. Namque nuper *Hispani* bello etiam tentabant regnum *Vasconiæ* capere, quod ad *Pyreneos* montes, & ad oceanum *Cantabricum* situm est. Parte alia *Angli* dicti olim *Britanni* cum classe centum navium cui *Hovardes* præerat toto oceano *Britannico* vagabantur, & nuper etiam quinque millia hominum in ipsam continentem impune magnam prædam egere, simul ac hostes ad quindecim millia hominum noluerunt in certamen descendere, quia ut ajebant, Regi *Gallorum* inviti merebant. Parte quoque alia identidem ad urbem *Bononiam* & Comitatum *Boar* sub Marchionis imperio per totam *Aquitaniam* usque ad *Pyreneos* montes ibatur. Namque *Angli* ad duodecim millia hominum versus *Vasconiam* parabant *Gallis* iter obstruere, tantisper dum *Hispani* ad sex millia equitum, & quindecim millia peditum qui per medium regni ingressi sunt, *Pompejopoli* civitate metropoli & tota regione potirentur. Et amplius omnis *Hispanus* exercitus sub imperio Ducis *Albæ* trans montes venit ad Pedem portus & saltus *Roncisvallis* custodiam. Contra *Galli* mille milites, mille quingenti levites, & octo millia peditum, sub *Delphinis Gallorum* imperio festinare, parare, facere cuncta utilia. Et nuper quoque Dominus *Pallisæ* cum decem millibus peditum audacter aggressus est saltum *Ronchale* capere, qui e tribus unus est, quo ex *Gallia* in *Vasconiam* itur. Et quia *Valdes Hispanus* cum octingentis peditibus ex oppido supra montem quod est loco custodiæ protinus illis obviam venit consertum prælium est. Et illud quidem diu atrox & anceps fuit, sed tandem *Hispani* victi multitudine obtruncato Duce in fugam conversi sunt, & quia in oppido commeatus non erat illud etiam reliquerunt in potestatem *Gallorum* hostium. Nihilominus atrox bellum maritimum gestum est, quia classis *Anglorum*, classi *Gallorum* obviam venit. Et quidem aspera pugna fuit duarum navium quibus complicatis invicem manicis & repagulis truculenter acta res est, quia quantum fieri potuit utrinque viribus agebatur. Sed cum denique *Galli* vincerentur, maluerunt ignem sup-

A ponere, & ambæ naves cum hominibus combustæ sævum spectaculum præbuere. Postea vero *Angli* quia *Hispani* parum servato fœdere *Venetis* molesti erant, atque illis aeris intemperies erat noxia, & grave tempus instabat ad trajiciendum oceanum, conclamatis repente vasis non sine suspicione *Gallorum* acceptæ pecuniæ hyematum navigarunt in *Angliam*, & omnis *Hispanus* exercitus in *Vasconiam* rediit, simul ac eorum mens est, non amplius pugnare, sed hostibus obviam stare, ut deinde *Gallis*, qui aucti erant ad quadraginta millia hominum cum hyeme & asperitate locorum solummodo res esset. Dominus autem *Pallisæ* cum parte copiarum & cum *Joanne* B expulso Rege *Vasconiæ* ultra montes venit, & prope *Pompejopolim* ad quatuor millia passuum castrametatus est. Et quamvis solummodo secum haberet minora tormenta militiæ, voluit tamen urbem petere, & provocare *Hispanos* ad prælium. Sed tantum abfuit, ut frequenter solummodo levibus certaminibus dimicatum sit. Et amplius parte alia cum *Galliæ Delphinus* identidem cum copiis trans montes venisset, & duxisset ad saltum *Roncisvallis* majora tormenta militiæ non potuit nisi *Cantabros* vexare, agros vastare, & prædas agere. Quia contra alioquin *Hispani* ad triginta millia hominum stabant quamvis non simul, cum opus esset civi- C tates etiam & oppida custodire. Igitur *Galli* experti omnia & tandem victi hyeme & penuria commeatuum, dum nimium festinant recedere, relictis impedimentis tormentisque militiæ, non sine magna strage, ultra montes fugerunt, & Rex *Hispaniæ* tota *Vasconia* potitus est. Interea *Romæ* post novum fœdus initum contra *Venetos* quarta sessio fuit, in qua & *Gurgensis* sedit, atque imperatoris nomine consensit abolere omnia acta *Pisani* concilii. Namque propterea *Gurgensis* obtinuit monitorium in *Venetos*, & Regis *Romanorum Brixiam* fore, deinde abiit comitari *Maximilianum* Ducem *Sfortiam*, qui tandem Calendis Martii cum magna pompa urbem *Mediolanum* D ingressus est. Aliter jam tum Pontificem pœnitet novum fœdus iniisse, atque eo maxime quando factus certior est apud *Avinionem* Cardinales exiticios convenisse de eligendo novo Pontifice, qui videbatur futurus *Cluniacensis* Abbas ordinis *Benedicti* frater senior Cardinalis olim *Rothomagensis* vir doctus, sapiens, animosus, pecuniosus, annosus, simul ac Rex *Gallorum* convenisset aut cum *Venetis*, aut cum *Helvetiis*, cum quibus pariter de pace facienda frequenter agebatur. Contra Pontifex enixe curabat *Venetos* antecapere, & frustra iterum agebatur de illorum cum Rege *Romanorum* concordia, quia *Veneti* jam du- E dum de pace cum gallis egerant, & adeo ad illam inclinabant, ut Pontifex etiam si *Venetis* cedat *Vincentia*, non posset illos in suas partes diducere. Et quidem ille ad eam rem oratore *Staphileo* & suasione frequenter utebatur, & tandem quia nulla spes superest, ille maxime præ tristitia in gravem ægritudinem incidit, qua etiam demum interiit cum Ducem *Urbini* statuisset in Ducem *Pisauri*, & Cardinales de successore monuisset, ut si ille laudandus non est, quia belli quam pacis studiosior fuit, longa tamen rebus gestis ejus omnino memoria futura sit.

Epi-

Epitoma
EX LIBRO QUINTO.

LEO *decimus ut primum Pontifex sedit, summa ope conatus est* Venetos *a* Gallis *avertere, atque hortari cum tota* Italia *&* Helvetiis *in nova fœdera. Sed* Venetis *amplius non erat integrum Pontifici acquiescere, quia jam antea cum* Gallis *clandestinum fœdus pepigerant, & hortabantur Pontificem placare totam* Italiam, *&* Gallis *potius hærere, quia pacis studiosiores essent.* Livianus *vero cum primum venit e* Gallia, Gallis *identidem cum exercitu* Veneto *obviam ibat, quia illi jamdudum in* Italiam *festinabant. Hostes autem* Germani *qui* Veronæ *stabant, ut primum vident* Venetos *abiisse, usque* Vincentiam *prædati sunt, atque iccirco oportuit supplementum mittere, & deinde* Vincentiæ *majoribus præsidiis stabatur.* Livianus *vero* Cremonam *cepit & diripuit, simul ac* Palavicini *fusi fugatique sunt, qui ausi fuerant urbem antecapere. Et quia jam tum omnes civitates aliæ citra* Padum *ad* Gallos *desciverant,* Laurentius Cerinas *pro* Venetis *deditione etiam* Brixiam *cepit. Sed interea inter Pontificem & Reges* Germaniæ, Hispaniæ *&* Angliæ *contra* Gallos *novum fœdus initum ferebatur, & Dux* Genuæ *quia cum* Gallis *non satis convenerat ad* Hispanos *declinare visus est, & nuper eos auxiliatores petebat contra* Fliscos, *qui seditione civili in* Montojum *secesserant. Aliter* Flisci *antequam præsidia venissent repente urbem ingressi sunt, expulerunt* Fregosios, *&* Antoniotus Adornus *in ducis locum suffectus est. Deinde inter* Gallos *&* Helvetios *apud* Novariam *urbem acriter agebatur, & denique* Galli *victi sunt, quia propter paludem mediam equites peditibus non potuerunt suppetere.* Veneti *vero postquam vidissent* Gallos *in* Galliam *aufugere, reliquerunt incustoditam* Brixiam, *& ibant versus* Patavium *magnis itineribus. Sed postquam ventum est trans amnem* Athesim *ad* Lemniacum, *ausi sunt* Veronensium *segetes asportare,* Lemniacum *vi capere, &* Veronam *acriter oppugnare cum suo magno malo, quia propterea* Hispani *& milites ecclesiæ lacessiti injuria videbantur, & passim contra* Venetos *ibatur, simul ac* Hispanorum *opera* Flisci *iterum expulsi sunt, & Dux* Octavianus Fregosius *in sede locatus est. Et primo quidem apud* Pischeriam *contra* Venetos *acriter agebatur, & denique cæsis* Venetis *arx etiam in hostium potestatem venit. Deinde quia multi hostes etiam coibant ex* Germania, *& fuga passim fiebat,* Veneti *reliquerunt incustoditum* Lemniacum, Peninsulam*que* Rhodigii, *& cum toto exercitu intra urbes iterum itum est servare* Patavium *&* Tarvisium, *atque amplius* Veneti *moliebantur cum classe in* Apuliam *irrumpere. Sed postea cum parata classis esset supersederunt id facere, & quæ collegerant multa navigia dimissa sunt. Hostes autem obsederunt* Patavium, *& sæpe videbantur velle urbem invadere. Sed tantum abfuit, ut non nisi levibus certaminibus ageretur, & quia hostes sæpe vincebantur, atque illis ubique* Veneti *levites infesti essent, obsidione soluta recessum est. Interea parte alia apud* Pontemvicum *oppidum, & urbem* Bergomum *cum hostibus frequenter res erat, denique oppidum in hostium potestatem venit inopia commeatuum, quod alioquin vi capi non potuit, urbs* Bergomum *sæpe capta & recepta est, dum vicissim cæsis custodibus potissimum de pecuniis ageretur. Pontifex autem* Leo *quantum in se erat curabat in hostes* Gallos *totam* Italiam *armare, & præsertim* Venetos *volebat in fœdera quia sic fieri posse putabat, ut vicissim pax omnium sequeretur. Sed nihil fiebat, quia* Veneti *stabant cum Rege* Gallorum *initis fœderibus, quamvis etiam in incerto* Gallorum *res esset, simul ac* Angli *in* Aquitaniam, *&* Helvetii *in* Burgundiam *irruperant. Igitur soluta obsidione* Patavii *omnis exercitus hostium sæviendo ibat usque ad* Veneta *æstuaria, & quia* Venetiæ *hostibus videbantur, visum est operæ pretium eas etiam legentum oculis subjicere, & idcirco quantum par erat, digressi sumus per partes totam civitatem describere, portus, flumina, canales, proximam continentem, piscium vivaria, & maris latam planiciem. Sed vastatis passim agris cum hostes versus* Vincentiam *redirent, passim cum exercitu & manu collectitia illis obviam ibatur. Et quidem* Livianus *ad duplicem* Meduacum *prope* Civitatulam *&* Vincentiam *transitum vetare incassum conatus est, atque amplius cum hostes stando solummodo, vinci possent, &* Livianus *temere ausus esset illos invadere ad* Creatium, Veneti *cum magna strage fusi fugatique sunt. Hostes tamen deinde nescerunt uti victoria, quia passi sunt* Venetos *vires iterum reparare, & armis virisque bene munire* Patavium *&* Tarvisium, *dum hostes* Vincentiæ *morarentur, & agerent non nisi levioribus certaminibus. Namque* Veneti *satisfacere videbantur, si servent* Patavium *&* Tarvisium *tantisper dum Rex* Gallorum *iterum in* Italiam *venit, qui nuper alioquin valde erat bello implicitus, quia Rex* Angliæ *&* Germaniæ *bellum gerebant in* Aquitania, *&* Helvetii *irruperant in* Burgundiam. *Et quidem* Galli *fusi fugatique sunt ab* Anglis *ad* Morinum *urbem, quæ deinde deditione capta & solo æquata est, atque amplius* Angli Nervim *urbem ceperunt & munierunt præsidiis, quia multum intererat. Cum* Helvetiis *autem Dominus* Termuliæ *pacem fecit quibuslibet conditionibus, sed Regi non placuit & malebat filiam nubere* Ferdinando *fratri Ducis* Burgundiæ, *& convenire cum Rege* Germaniæ *&* Hispaniæ, *qui cum etiam intercedebant induciæ. Sed tantum abfuit, ut Pontifex nuptias disturbaret, & potius cum Rege* Angliæ *&* Helvetiis *de pace iterum ageretur. Denique Rex* Angliæ *cum* Gallis *inducias fecit & repedavit in* Angliam, *si posset in regiam* Scotiæ *se intrudere, simul ac Rex* Scotiæ *in bello perisset quod nuper in* Anglia *gestum est. Postea narrantur ea quæ apud* Cremam *fiebant, & quemadmodum* Hispani *cum* Mediolanensibus *eam urbem obsederant, & tamen* Laurentius Cerinas *sæpe illos vicit stratagemate, quousque obsidio solveretur. Parte alia* Romæ Veneti *difficultates suas cum Rege* Romanorum *confisi sunt in manu Pontificis ponere, quia propterea putant bello desistere. Sed tantum abfuit, ut ea occasione hostes ceperint incustoditum* Maranium, *& passim omnia prædati sint, atque amplius* Christophorus Frangipanes *agricolas villæ* Muzanæ *fallaciis seduxit, illisque eruit oculos & pollices abscidit, atque amplius cum magna ignominia* Venetos *repulit, cum illi terra marique contra* Maranium *venissent, cepitque oppidum* Monfalconium, *quando* Venetis *totus* Rivaltus *igne absumptus est. Parte alia cum toto exercitu hostes irruerunt in* Forumjulii, *& obtinuerunt totam provinciam, præter oppidum* Osopium, *& cum in eam expeditionem exissent, parum tamen illis cessit ex sententia, quia acriter gesta res est, & hostes nequiverunt* Osopium *capere, quinimmo* Livianus *cum exercitu in* Forumjulii *repente venit, hostes fudit, & recepit totam provinciam. Pontifex vero pacem inter Regem* Romanorum *&* Venetos *invitis*

tis Venetis *promulgavit, contra illud quod promiserat. Et propterea nihil valuit, quia* Veneti *nunquam ratifacere passi sunt. Vix autem* Livianus *abierat versus* Tarvisium *&* Patavium, *&* Germani *hostes iterum irruperunt in* Forumjulii, *ceperuntque* Cromonium *&* Monfalconium, *ut necesse fuerit in* Forumjulii *subsidium mittere, & deinde contra hostes acriter stabatur. Atque amplius* Veneti *frustra iterum experti sunt, si possent* Maranium *capere, sed pro* Maranio *ceperunt Comitem* Christophorum, *quia ille temere præcipitavit in insidiis & captus est. Postea accessit hostibus ingens subsidium ex* Germania, *& legatus* Joannes Victorius *in hostium potestatem venit, dum sæpe levibus certaminibus ageretur, quousque inducias pacti sunt. Parte alia hostes* Hispani *vastatis passim agris prædas egerunt usque* Patavium, *atque amplius vi ceperunt & diripuerunt* Civitatulam. *Sed non identidem potuerunt* Caputaggeris *capere, quousque venerant prædas agere. Et quia* Germani *maxime sævierant,* Veneti *quoque ausi sunt terra marique in* Germaniam *prorumpere, & identidem agere, quandoquidem videbatur licitum esse par pari reddere.* Livianus *autem cum hostibus insidiis agebat, & sæpe vincebat stratagemate. Namque* Antonius Castellius *nocte media* Ateste *oppidum furatus est, hostes occidit, magnam prædam egit, & combussit multa navigia, atque identidem parte alia* Livianus *propugnaculum ad* Bibaquiam *cepit,* Moriglionum*que Ducem* Hispanorum *peditum, & usque* Montagnanam *venit Viceregem* Hispaniæ *in certamen poposcere, atque amplius* Malatesta Balionius *&* Mercurius Bua *cum levitibus ultra* Athesim *ad villam* Zeveum *contra ducentos levites hostium feliciter egerunt, & postea cum Vicerex parsque magna exercitus* Veronam *venisset, quia tumultuatum erat,* Livianus *repente* Rhodigium *cepit, & diripuit trecentos milites, atque eo successu volebat* Veronam *capere. Sed tantum abfuit, ut cum hostes vi* Bergomum *cepissent, & in* Venetos *festinarent, vix* Livianus *cum exercitu impune potuit in urbem* Patavium *aufugere.*

LIBER QUINTUS.

Annus belli quintus agebatur, quando in demortui *Julii secundi* Pontificis locum *Leo decimus* suffectus est, cum nuper ex *Gallorum* captivitate *Romam* venisset, ut omnes identidem in spem pacis futuræ ducti sint, nisi ille alioquin propter habitum favorem *Romæ* & *Florentiæ Hispanis* nimium obnoxius foret. Sed paulopost aliquantum ea opinio resedit, simul ac *Hispani* cum Duce *Mediolani* Pontifici obviam venerunt *Parmam* & *Placentiam* capere, & amplius cum *Gallis* agebatur de induciis, & nuptiis Ducis *Burgundiæ* cum filia Regis *Gallorum Rayneria*, unde ingens periculum *Italiæ* imminere videbatur. Quare Pontifex frequenter *Venetos* hortatus est, secum *Florentinis*, *Helvetiis*, & *Mediolanensibus* secretum fœdus inire, atque interea dum res omnes omnium salvæ sint in fœdus cum Rege *Gallorum* non nimium festinare, ut bene cedat Sedi apostolicæ & ipsis *Venetis*, quorum similiter rationem semper habiturus esset. Verum ea omnia frustra fiebant, quia jam antea nono Calendas Apriles a *Venetis* cum Rege *Gallorum* apud *Blesium* per *Andream Grittum* Oratorem clandestinum fœdus sancitum erat, quamvis postea undecimo Calendas Junias supplicationes indictæ sint, & fœdus publice proclamatum est, quod *Gallis* & *Venetis* melius etiam foret, si similiter cum *Helvetiis* pax esset. Namque alioquin nobilissimi oratores *Gallorum* Dominus *Tremuliæ* admiratus *Britanniæ*, Episcopus *Marsiliæ*, & *Joannes Jacobus Triultius* eam rem cum *Helvetiis* amplis largitionibus agebant. Sed *Gallis Helvetii* nimium erant injurii, quia cum multi pecunias accepissent, & declinarent ad *Gallos*, ceptum est semicuplum exigere, & exautorare qui prius senatores erant, & adhuc cum villicis difficultas orta est, quia illi lamentabantur se ferre onus diei & æstus, & de tantis opibus nihil habere. Unde turbati *Helvetii* propterea volebant etiam *Cremonæ* & *Mediolani* Castella, ut perdita opera & impensa *Galli* oratores denique compulsi sint re infecta in *Galliam* redire. Atque ejus rei nimirum causa fuit potissima fœdus initum cum *Venetis* quia *Helvetiis* ea valde molesta res erat, quod & Pontifex ægre tulit, simul ac etiam *Romæ* innotuit, ut excusatione opus fuerit, qua *Franciscus Foscarus* orator agens apud ipsum frequenter utebatur, & ajebat ad eam rem *Venetos* olim cum

A *Julio* Pontifice fœdus inisse, ut *Italia Italorum* esset, & sicut antea unicuique redderetur quod suum est, nec unquam defuisse rem ipsam juvare pecuniis, armis virisque, classe maritima & fluviatili, tormentis militiæ, commeatu & omnibus utilibus, quousque *Galli* expulsi sunt, & *Maximilianus Sfortia Mediolani* Dux est. Verum erga *Venetos* socii ingratitudine usi sunt, & contra formam fœderum subtraxerunt *Cremonam* & *Brixiam*. Quæ quidem *Venetis* non poterant molesta non esse, expectabatur tamen *Romam Gurgensem* ire, cui *Petrus Landus* orator comes ibat, simul ac Pontificis magnis pollicitis fides haberetur. Sed tantum abfuit, ut Pontifex ductus timore
B *Pisani* concilii posthabitis *Venetis* partes Cæsaris sequeretur, quia *Veneti* contenti non essent Regi *Maximiliano* urbes suas relinquere, montem auri tradere, & propriam libertatem subigere. Quæ cum ita gesta sint omni divina & humana ratione posthabita *Veneti* ut par erat rebus suis consuluere, & quia antea Regis *Gallorum* amplæ conditiones pacis proponebantur, quod solummodo *Venetis* relinquebatur inde suffragium quæsitum est. Sic proculdubio *Veneti* necessitate compulsi sunt cum Rege *Gallorum* de fœderibus agere, & demum sublato quod alioquin reipublicæ periculum imminebat inducias
C antevenire, quas *Galli* cum *Hispanis* nuper in annum pacti sunt. Quod si Pontifex potius quam *Germanis* & *Hispanis* qui belli studiosi sunt, cum Rege *Gallorum* initis fœderibus accedat, nihil prorsus deficere quin tota cito pacata *Italia* redderetur. Interea vero *Livianus* cum *Theodoro Triultio* e captivitate *Gallorum Venetias* venit, & Patres illum elegerunt Imperatorem exercitus. Namque cum Rege *Romanorum* induciæ finierant, & oportebat *Gallis* obviam ire, qui jam dudum in *Italiam* festinabant. Igitur *Livianus* primo quoque tempore contra *Veronam* movit. Sed quia detecta conjuratio fuerat, deinde relicta *Verona* versus *Cremonam* ibat contra opinionem
D eorum, quibus curæ magis reipublicæ quam Regis *Gallorum* aliena res erat. Ille tamen sic fieri voluit & dum cupit quanto maxime potest *Gallos* obnoxios reddere, statim jubet omnem exercitum sub gubernatoris imperio paulatim sequi, quia ipse cum parte copiarum semper anteibat, & inter eundum deditione recepit *Vallegium* & *Pischeriam*. Vix autem cum exercitu *Livianus* abierat, & ecce hostes *Germani* ad duo millia peditum

ditum & quingenti equites ex *Verona* moverunt in *Venetos*, qui ſub Duce *Sigiſmundo Caballo* & *Joanne Forti* apud *Bonifacium* morabantur. Et quia *Veneti* pauci erant, facile uſque *Coloniam* fuſi fugatique ſunt & cum hoſtes etiam *Coloniam* deditione cepiſſent, *Joannes Fortis* cum *Sigiſmundo Caballo* in hoſtium poteſtatem venit. Et amplius *Vincentiæ* valde tumultuatum eſt, quia præſidio ſtabant non niſi duo de triginta milites, trecenti levites, & ſexcenti pedites, ſub Duce *Joanne Paulo Manfrono*. Sed cum multi agricolæ ſubſidio poſtea veniſſent vis hoſtium repreſſa eſt, & contra illos acriter ſtabatur. Poſteaquam vero *Livianus* ad *Gambaram* oppidum venit, *Cremonenſes* res novas moliti ſunt & *Venetos* accerſebant. Sed dum in eam expeditionem protinus itur, *Palavicini* quadraginta milites, & duo millia peditum pro Rege *Gallorum* auſi ſunt urbem antecapere cum ſuo magno malo. Namque *Livianus* ſtatim illis obviam venit. *Palavicinos* fudit, atque urbem iterum cepit, & diripuit. Deinde quia *Lauda* civitas, urbs *Mediolanum*, & omnia alia citra *Padum* ad *Gallos* deſciverant, datum negotium eſt *Laurentio Cerinati* cum parte copiarum urbem *Brixiam Venetorum* in fidem recipere, quæ & facile pridie Calendas Junias deditione recepta eſt. Sed ſuper arce ſola vis belli & magna difficultas incubuit. Vires enim rei gerendæ impares erant, quia alioquin pars magna exercitus ad locum cavæ prope *Padum* fluvium ſtabat, unde ponte facto poſſent trajicere & venientibus *Gallis* auxilio ſemper eſſe. Dum ea vero in *Italia* geruntur, in *Anglia* & *Germania* fœdus proclamatum eſt contra *Gallos*, inter Pontificem & Reges, *Romanorum*, *Hiſpanorum*, *Anglorum*, quamvis Pontifex ejus rei neſcius haberetur, & Regis *Hiſpaniæ* cum Rege *Gallorum* induciæ intercederent. Sed alioquin Orator *Hiſpanus*, multi Cardinales, & *Joannes Maria Fregoſius* Dux *Genuæ* viciſſim conabantur facere, ut Pontifex *Leo* neuter non eſſet, qui adverſus tantos impulſus in ſua æqualitate velut cautes *Caucaſea* adhuc immobilis ſtabat, quamvis illi etiam *Parma* & *Placentia* redderentur. Ideo vero Dux *Genuæ Gallis* averſus erat, quia Regi *Gallorum* non placuit ut ante conventum erat cum *Liviano* & *Triultio*, ſimul ac *Adorni* pauciora petunt quam *Fregoſii*, & ſuper redimenda arce *Lanterna Genuæ* non amplius in incerto res eſt. Sed dum ſuper his difficultas eſſet, amplius quoque orta eſt civilis ſeditio, quia ſpiculatores Ducis interfecerunt Comitem *Fieſcum*, unde a fratribus *Fieſcis* cum ſua factione pro *Francia* in *Montojum* ſeceſſum eſt, quos veritus Dux *Genuæ* ab *Hiſpanis* auxilium implorabat. & illarum partium factus eſt. Cæterum antequam tale præſidium venit *Fliſci* poſtridie octavo Calendas Junias cum quatuor millibus hominum ex una porta, & ex alia *Adorni* cum totidem hominibus civitatem ingreſſi ſunt & repulerunt mille *Fregoſios*, qui in foro illis facti obviam erant. Unde Dux ipſe cum *Ludovico* & *Fregoſino* fratribus vix potuit claſſem conſcendere & in pacatum abire. Itaque *Fliſci* & *Adorni* pro *Francia* civitate potiti ſunt, claſſis *Gallorum* etiam in arce *Lanterna* ſubſidium poſuit, & *Antoniotus Adornus* in ducis expulſi locum ſuffectus eſt. Jam vero *Galli* mille quadringenti milites & quatuordecim millia peditum cum muralibus & campeſtribus tormentis militiæ ſub imperio Domini *Tremuliæ* & Ducis *Albaniæ* pergebant obſidere civitatem *Novariam*, ubi cum quatuor millibus *Helvetiorum* *Mediolani* Dux erat. Hoſtes autem *Hiſpani* qui apud *Placentiam* morabantur mille octingenti milites, & ſeptem millia peditum feſtinare, parare, facere, & jungere

A ponte amnem *Padum* ad *Trebiam*, ut *Helvetios* conveniant, qui dicebantur ad quatuordecim millia hominum *Gallis* obviam ex lacu *Larium* feſtinare. Sed dum *Hiſpani* ſæpe videntur velle *Padum* trajicere, atque ſuper ea re cum *Venetis* frequenter res eſſet, *Helvetii* alii ad ſeptem millia hominum ſociis qui erant *Novariæ* ſubſidio venere, & ſtatim ducti ſunt in ſpem futuræ victoriæ, quia *Galli* nimium incauti ſtabant, & inter equitatum & peditatum limoſam paludem habebant. Igitur *Helvetii* ea occaſione rerum bene gerendarum acriter uſi ſunt, & ſummo mane octavo idus Junii compoſitis rebus cunctis ex ſen- B tentia cum acie numeroſa moverunt contra tormenta militiæ, & ſimul cæteri omnes *Helvetii* cuneo facto a lateribus *Gallos* hoſtes adorti ſunt. Et quidem atrox & diutinum prælium fuit, quia utrinque pro viribus agebatur, & nihil prætermittebatur, quod utrinque uſui fore videretur. Multi utrinque cadebant, multi ſauciabantur, truculentus clamor & ſanguinolentus armorum ſtrepitus ad cœlum ferebatur. Et primo quidem multi *Helvetii* tormentis militiæ abſumpti ſunt & cedere videbantur. Sed poſtremo illi magis magiſque obnixi victores fuere, *Galli* cæſi fuſique ſunt, *Helvetii* vero cum manubiis hoſtium vi- C ctricia ſigna reportarunt in urbem *Novariam*, atque impedimenta *Gallorum* & tormenta militiæ. In eo bello *Helvetiorum* prima acies & omne præſidium interiit. Apud *Gallos* autem ventum erat ad triarios quando illi in fugam converſi ſunt. Secundum eam pugnam *Veneti* conſternati animi ſtatim verſus amnem *Atheſim* ductabant exercitum, & quia ad retinendum *Brixiam* vires non ſuppetunt, datum negotium eſt *Laurentio Cerinati* inde *Cremam* urbem abire, & ibi quantum in ſe eſſet rem *Venetam* protegere & defenſare. Namque bello confractis *Gallis* civitates & cuncta oppida illico *Mediolani* Ducis in fidem rece- D pta ſunt atque inde *Hiſpanus* exercitus qui ſpectatum eventus rerum ad amnem *Trebiam* illuc uſque conſederat, ſtatim ingreſſus *Cremonam* urbem diripuit, & frequenter minabatur *Venetis* bellum inferre. *Helvetii* vero parta victoria bene uſi ſunt, & hoſtem inſecuti quouſque ille in *Galliam* rediit. *Veneti* autem cum in pacatum ad *Tombam* prope amnem *Atheſim* veniſſent, duo facere aggreſſi ſunt, alterum omnes ſegetes ex agro *Veronenſi* transferre *Patavium* & *Tauriſium*, alterum ſi poſſint inter eundum *Lemniacum* oppidum capere. Et quidem facile ſegetes aſportarunt, ſed ſuper *Lemniaco* vis belli incubuit. *Joannes Pau-* E *lus Balionius* cum ſeptuaginta militibus, & mille ducentis peditibus in eam expeditionem exivit, & cum ventum eſſet prope oppidum, quia illud captu facile erat, ſtatim deditione facta in *Venetorum* poteſtatem venit. Sed ſuper arce alioquin difficultas fuit quia opere munita erat, atque amplius *Hiſpani* & *Germani* centum quinquaginta pedites ad omnia agenda & obeunda ſemper intenti paratique ſtabant. Igitur primo tormentis militiæ utrinque acriter agebatur, & qua parte oppidi forum eſt ictu alio ſuper alium mœnia quaſſabantur, & cum magna pars muri procubuiſſet cominus ad arma ventum eſt. *Veneti* F milites per ruinas muri conabantur in arcem ire, & ubique hoſtibus infeſti erant. Contra hoſtes miſſilibus telis *Venetos* ſemovere, & nihil ſatis tutum munimentis pati, ſulphure, tedis & elaboratis ignibus præſertim agebatur. Deinde atrox certamen fuit, & *Veneti* pulſis hoſtibus arcem ingreſſi ſunt, atque ea repente capta magnam cædem de hoſtibus edidere. Capto *Lemniaco* cum toto exercitu contra *Veronam* iterum ibatur, tum quia *Veneti* ducti ſunt in ſpem urbis potiundæ

nunciis *Veronensium*, qui rebus *Venetis* studebant, tum quia urbis præsidio non erant nisi *Germani* trecenti equites, & duo millia peditum. Jam vero ceptum erat urbem tormentis acriter concutere ea parte qua vergit ad amnem *Athesim*, quia in monasterio *Luciæ Veneti* castrametati sunt, & in suburbiis ad portam civitatis quæ versus *Pischeriam* est, atque *Livianus* semper primus inter ea opera cum magno periculo intentus erat. Sed præter spem evenit quæ in deditione *Veronensium* sita erat, quia illi res novas moliri non poterant. Namque *Germani* milites animati urbem & semetipsos defendere præ mœnibus fortiter stare, tormentis militiæ frequenter agere, festinare, parare, facere cuncta quæ facto opus est, dum in propinquo hostis est. *Veneti* vero tormentis militiæ portæ prostrata turri & magna parte mœnium agmine facto repente civitatem aggressi sunt acriter oppugnare, scalas admovere, murum ascendere. Et quidem diu ancipiti marte pugnatum est, dum hostes maxime elaboratis ignibus fortiter obviam ibant, & contra *Veneti* milites conabantur in civitatem vadere, plures tamen *Venetorum* cadebant, inter quos absumptus est & *Thomasius Faber* centurio vir fortis quantum quisquam alius. Namque in urbem nimium altus descensus erat & infeliciter agebatur, quod cum *Liviano* relatum esset, protinus receptui cecinit, & deinde ad *Joannem Campestrem* recessum est agros vastare, & prædas agere. Denique omnis exercitus iterum venit unde abscesserat, simul ac *Hispanus* exercitus *Bergomum* deditione cepit & versus *Veronam* exercitumque *Venetum* iter facere aggressus est. Namque dum *Helvetii Gallos* ultra montes expellunt, *Hispani* ducti triginta duobus millibus numûm pulsis *Fliscis* & *Adornis* restituerunt *Fregosios* in patriam, atque in Ducem *Genuæ Octavianum Fregosium*. Et amplius cum illis relatum esset *Venetos Veronensium* agros vastare, quia lacessiti injuria visi sunt *Bergomum* urbem ceperunt, & protinus moverunt in *Venetos* simul cum trecentis militibus Pontificis, quia Pontifex veritus ne alioquin Rex *Romanorum* cum Rege *Gallorum* fœdus iniret, ipse prius ad *Germanos* desciverat, & cum *Hispanis* parabat *Venetis* obviam ire. Adeo semper stultum est ex re parva magnam invidiam comparare, frustra niti, & nihil aliud quam odium quærere. Jamque hostes *Hispani* capto oppido *Pischeriæ* arcem acriter oppugnabant, & quia tormentis militiæ satis parietes dejecerant, protinus sarmentis repleta fovea qua oppidum spectat, atrox prælium consertum est, quia utrinque nihil prætermittebatur quod usui foret. *Veneti* ducenti pedites fortiter obsistebant & hostibus obviam ibant. Hostes vero freti multitudine semper recentes subibant scalas admovere, murum ascendere. Illi tamen quater repulsi sunt, ut *Veneti* intrepidi starent, nisi hostes rursum suffodiant parietem. Inde trepidatio & tumultus ortus est, *Veneti* pedites alia parte arcis superatis mœnibus in pacatum abibant, quia vident de deditione cum hostibus Ductores separatim agere, sed hostes potius vi ceperunt arcem *Pischeriæ*, & omnia prædæ militibus fuere, atque illis audacia, & timor *Venetis* additus est, & ideo statim trajecto *Athesi* flumine ad *Alboretum*, omnes *Venetæ* copiæ *Montagnanam* venere, & desperatione ducti *Veneti* super retinendo *Lemniaco* illud immunitum hostibus reliquere sicut & *Pollesinum Rhodigii*, quia passim fugiendo in pacatum ibatur. Usque adeo illi qui nuper *Veronam* tantis animis aggressi fuerant, servare *Lemniacum* non ausi sunt, quin immo facturi operæ pretium videbantur si servent *Patavium* & *Taurisium*, quas in

A urbes ex *Venetiis* etiam ingens præsidium accessit & multi nobiles, qui præsint foribus & ad omnia obeunda semper intenti paratique sint. Denique omnis exercitus iterum *Patavium* ingressus est, & Gubernator *Balionius* cum Comite *Malatesta* & *Vulpensi* equite ducentis militibus, trecentis levitibus, & duobus millibus peditum *Taurisium* petiit, simul ac hostes *Hispani Montagnanam* venere, & *Germanus* exercitus hominum octo millium parte alia *Vincentiam* urbem profectus est, atque ubique hostes omnia parabant ex sententia, ut primo quoque tempore *Patavium* aut *Taurisium* obsideant. Igitur *Veneti* maxime curabant B urbem *Patavium* munire, quæ & dudum operibus loco campestri omnium munitissima reddebatur ampla & aquosa fossa, lato muro & promurali, atque anteportariis propugnaculis, quæ cum imperfecta adhuc essent enixe operi studebatur, & omnia utilia atque abunde commeatus in urbem asportabantur. Et amplius quia *Venetorum* terrestres copiæ contra hostes non sufficiunt, visum est e republica fore, si *Veneta* classis statim irrumpat in *Apuliam*. Et iccirco datum negotium est præfecto *Vincentio Capello* ultra novem triremes quas apud *Corcyram* habebat, passim omnia navigia colligere. Itaque intra pau- C cos dies quadraginta quinque uniremes quæ possunt dici etiam *Liburnicæ* apud *Corcyram* collectæ sunt, & multa alia navigia atque omnia parata ex sententia. Sed postea nimium non lacessendi injuria suspiciosum studium movit, & qui læti ad prædam *Apuliæ* convenerant tristes omnes redire ad propria dimissi sunt. Jam vero venerat ad locum *Bataleæ* hostium omnis exercitus, *Hispani* mille milites, quadringenti levites, & septem millia peditum, *Germani* trecenti equites, & quinque millia peditum cum multis campestribus muralibusque tormentis militiæ, & parabant ob- D sidere *Patavium* ut Regi *Romanorum* rem gratam faciant, & si possint *Venetos* cogant desideratum fœdus inire, quia alioquin illam urbem tam bene munitam capere talis exercitus aptus non erat. Hostes tamen denique prope urbem ad *Bassanellum* castrametati sunt simul ac *Gurgensis* Episcopus cum quinquaginta equitibus, & sexcentis peditibus in castra venit, & amplius centum milites Pontificis affuere subsidio. Igitur missilibus telis & tormentis militiæ frequenter res erat, & sæpe committebantur levia certamina. Namque in urbe omnes unanimes erant vigilias & excubias agere, loco stare, & in officio semper esse. Nu- E per vero cum hostes foveam ducerent prope urbem ad levigata itinera, *Veneti* sexaginta levites, & centum pedites loci custodibus & operariis repente obviam venerunt, & quia hostes nihil tale verebantur facile in fugam conversi sunt relictis armis & impedimentis aliis, quæ omnia prædæ militibus fuere. Et amplius cum hostes venissent ad civitatis planiciem, ex urbe tormentis militiæ acriter agebatur, & hostes protinus compulsi sunt in pacatum recedere. Illud vero præsertim *Veneti* enixe curabant, ut omnibus modis vetent commeatus afferri in castra hostium, atque ad eam rem equitatus levitum ubique & semper ho- F stibus infestus erat. Et similiter armatis lembis per amnem *Athesim* ibatur cuncta intercipere, quæ multa esculenta & poculenta in castra subvehebantur ex *Ferraria*. Et amplius *Veneti* pedites & equites usque ad stationes hostium frequenter ibant, & illos lacessebant ad prælium quo conserto sæpe etiam feliciter agebatur, atque ideo hostes tandem re intentata in locum tutum abiere intra divortia *Bachilionis* fluminis, & deinde post paucos dies versus *Vincentiam* ibatur quadrato agmine, quia inter eundum *Veneti* equites

tes levis armaturæ a tergo ſemper illos vexabant. Nihilominus parte alia apud *Bergomum* cum hoſtibus frequenter res erat, quia *Laurentius Cerinas* cum quingentis equitibus, & duobus millibus peditum *Cremæ* præſidio ſtabat, atque inde ſæpe hoſtibus obviam ibat. Et nuper amplius *Mapheus Catulus* cum quingentis equitibus *Bergomum* repente venit, & quia non niſi centum *Hiſpanis* ſervabatur, facile civitatem recepit & ſubſtulit decem millia numum, quæ *Hiſpanorum* in manus venerant, atque inde cum pecuniis in *Cremam* rediit. Hoſtes vero cum trecentis *Germanis* iterum incuſtoditam urbem *Bergomum* cepere & colligendis pecuniis ſtudebatur. Et amplius Comes *Antonius Latronius* cum duobus millibus *Germanorum* peditum & centum *Hiſpanis* militibus, ducentis levitibus, & mille peditibus perrexit obſidere *Pontemvicum* oppidum ſitum ad flumen *Oleum*, & quia armis viriſque bene munitum videretur, primo tormentis militiæ acriter agebatur, poſtea atrox prælium conſertum eſt & conabantur hoſtes alii per ruinas muri in caſtellum vadere alii ſcalas admovere & murum aſcendere. Contra *Franciſcus Lipomanus*, *Ludovicus Quirinus*, & *Hieronymus Fatinantius* cum ducentis peditibus fortiter præ mœnibus ſtare, ſemovere hoſtem miſſilibus telis, & elaboratis ignibus nihil tutum munimentis pati. Igitur ſanguinolentum certamen fuit & diu marte ancipiti pugnabatur, multi utrinque cadebant, multi ſauciabantur, & denique hoſtes repulſi ſunt. Illi vero poſtea parabant cuniculos facere, & volebant muros ſuffodere. Contra oppidani citi obturare aditus & demoliri opera. Sed quia menſtrua & diutina obſidio fuit, *Veneti* milites inopia commeatuum tandem compulſi deditionem facere & omnes impune abire dimiſſi ſunt. Quoniam vero *Veneti* milites apud *Cremam* ſemper intenti paratique ſtabant *Bergomenſium* paratas pecunias ſubripere, nuper quoque ad eam rem trecenti equites, & quingenti pedites *Bergomum* venere, & cum *Hiſpani* cum pecuniis in arcem fugiſſent, arcem oppugnare aggreſſi ſunt, & quia ſeptuaginta & pauci hoſtes eſſent & non niſi lapidibus agerent, facile arce vi capta hoſtes omnes etiam capti ſunt. Deinde viſum eſt e republica fore *Bergomum* poſitis cuſtodibus ſervare. Sed ſicut venit immatura victoria, ſic non diuturna fuit lætitia, quia ut primum *Mediolanum* relatum eſt, *Silvius Fabellus* cum trecentis equitibus, quingentis peditibus & duobus millibus agreſtium *Briancenſium*, nec non cum *Cæſaris Feramuſcæ* ſexaginta *Hiſpanis* equitibus, & centum quinquaginta peditibus contra *Bergomum* in expeditionem venit, & ſimul ac obviam factus eſt *Venetis* quingentis equitibus, & trecentis peditibus, qui ex *Crema Bergomum* ſubſidio feſtinabant, ſtatim atrox certamen fuit, & denique *Veneti* ſua paucitate victi & civitate expulſi ſunt. Et quia *Bartholomæus Muſtius* inde cum præſidio ſe receperat in arcem *Capellam* ſitam ſupra montem juxta *Bergomum*, vetabatque pecunias exigere, hoſtes *Hiſpani* mille quingenti locum pro viribus obſederunt, & nunc quidem tormentis militiæ geſta res eſt, nunc cominus certamen fuit. Sed quia armis viriſque bene munitus locus eſſet, fruſtra obſidebatur, & omnis hoſtium vis irrita frequenter fiebat. Interea *Leo* Pontifex, ſicut maxime decet ſummum Antiſtitem, diſcruciabatur animi propter bella, & enixe operam dabat *Italiam Italorum* eſſe. Et quoniam pax *Venetorum* cum Rege *Romanorum* factu difficilis videbatur, ille in eam ſententiam ductus eſt, ut ſecum jungat *Hiſpanos*, *Venetos*, *Florentinos*, *Mediolanenſes* & *Helvetios*. Atque inde ſuper ea re cum *Veneto* oratore

A *Franciſco Foſcaro* frequenter agebat, neque enim æquo animo ferre poterat Regem *Gallorum* venire iterum in *Italiam*, non quia ab eo injuria affectus eſſet, ſed quia ejus potentia formidoloſa nimium videbatur, ut eo ſtante in *Italia* ſedes Pontificis & tota *Italia* tuta eſſe non poſſet. Quod ſi in dictum fœdus omnes coeant facile Regis *Gallorum* potentia comprimatur, & Rex *Romanorum* prece aut pretio vincatur, qui alioquin duriuſculus videretur, & denique omnes Reges declinent ad pacem omnium, & tota pacata reddatur Chriſtiana ſocietas. Verum *Venetis* fœdus *Italiæ* nimium factu difficile videbatur,
B atque illis itidem erant cum Rege *Romanorum* ſuſpectæ induciæ, quia inde cum Rege *Gallorum* ſequebatur certa diſcordia, & cum aliis incerta concordia. Pax autem ſummopere placebat, ſed diſplicebant pacis conditiones, quia nolebant *Veronam* relinquere, & plus ſatis videbantur facere, ſi ſexcentis millibus numum ſuas urbes omnes emant, quas juſto titulo per tot annos poſſederant, & præſertim repugnabant cum Rege *Gallorum* inita fœdera. Adeo ſemper inconcuſſa fide Regis *Gallorum* fœderibus ſtabatur, quamvis de ſumma rerum illorum ageretur, & valde in incerto *Gallorum* res eſſet, quia illis atrox bellum
C illatum eſt ſimul ab *Anglis* in *Aquitaniam*, & ab *Helvetiis* in *Burgundiam* conterminam ipſis *Helvetiis* ad occidentem ſolem & ad *Sequanam* fluvium, cui regioni a *Germaniis* nomen eſt, ſicut & Dux *Burgundiæ* appellatur, & ſi ille eam non habet, ſed alteram altam *Burgundiam*, quæ modo appellatur *Britannia* ſita ad oceanum *Britannicum*. Et amplius hoſtes pontificii *Germani* & *Hiſpani Venetis* infeſti erant agros vaſtare, prædas agere, obſidere *Patavium* & *Tauriſium*, & uſque *Meſtrum* oppidum *Veneta*que æſtuaria acriter prorumpere. Namque hoſtes ſoluta obſidione *Patavii*, quia vires ſuæ operi non ſufficerent,
D inde in omne malum & ſcelus converſi ſunt igni ferroque crudeliter ſævire, perdere, rapere, interficere, captivos facere, qui aliquid ſolvendo eſſent, & præſertim adoleſcentes abducere, ut diſciplinam militarem addiſcant, niſi pretio redimantur. Et pluſquam alibi hoſtes apud *Baſſianum* ſua crudelitate uſi ſunt nulli ſexui parcere, omnia diripere, & templa Deorum etiam ſpoliare. *Vincentiæ* per aliquot dies ſtatum eſt, deinde itum ad *Alboretum* oppidum, unde impedimenta & tormenta majora militiæ *Veronam* tranſmiſſa ſunt & ſimiliter frumenta omnia, quæ Coloniæ prædati fuerant. Denique cum paraſſent
E omnia ex ſententia commeatus abunde biſcoctos panes, currus, lembos, vegetes, ferramenta lignamina, *Montagnanam* venerunt, & deinde *Ateſte* oppidum, villam noſtram *Gurgenſem* & *Bobulentam Plebemſacci*, *Meſtrum* oppidum & totam regionem inferius uſque ad *Veneta* æſtuaria prædati ſunt. Si præda ea appellari poteſt, in qua igni ferroque & omni impietate crudeliter uterentur, ſimul ac omnia prædæ hoſtium militibus relinquebantur. Namque paſſim ex agris & civitatibus *Venetias* migratum eſt, & ad *Venetas* paludes abducta cuncta animalia, atque illis cum trecentis armatis navigiis ſubſidio ſtaba-
F tur, donec ſimul cum agricolis multa etiam animalia *Venetias* delata ſunt. Et quia hoſtes diruto & igne conſumpto *Meſtro* oppido adeo prope aquas ſalſas Calendis Octobris venerunt, ut eorum tormenta militiæ ſacris etiam mulieribus fani ſecundi jactis lapidibus infeſta forent, res poſtulare viſa eſt *Venetias* ipſas legentum pariter oculis ſubjicere, quænam æſtuaria ſint & vicina continens, piſcationes, vivaria, portus & declivia flumina.

Vene-

Venetiæ ita in mediis aquis sitæ sunt, ut undique a continenti per duo millia passuum & amplius distent. Namque mare per duo castella ad ortum solis ingreditur, & magno canali per mediam civitatem vadit. Et idemtidem duo alii magni canales sunt, alter ad septemtrionem versus *Murianum*, alter ad meridiem versus *Judaicam*. Et quidem supra omnia mira res est, quod urbis fundamenta sunt super aquosa tellure, quæ amplius duodecim pedibus alta non est, quia ulterius aquarum abyssus involvitur, & tamen illa pretiosis templis, altis palatiis, spatiosis plateis, quantum alia decora & pulchra civitas est, & supra urbes omnes alias quacunque habet itinera canalicia, quia simul ac æquor in totam civitatem difluit, frequentia facit aquarum divortia, unde pariter terra marique per totam civitatem itur. Namque ad terrestria itinera ponte lapideo ubique jungitur. Et quia alioquin Canalis major tantum unum pontem ad *Rivaltum* habet, frequentibus locis ad commoditatem multæ cymbæ portoriæ suppetunt, ut si cymbarum omnium axacta computatio fiat *Venetiis* plures sint, quam equi & muli qui *Romæ* innumeri videntur. Et amplius multæ insulæ ingredientibus pelagus *Cycladum* faciem præferunt. Namque a dextris apparent tria oppidula *Burianum*, *Torcellum*, & *Majorbium*, & a sinistris *Medoacum*, nunc corrupto nomine vulgo apellatum *Metamaucum*, & *Fossaclodia*, atque passim in aquis circum circa *Venetias*, multa templa sublimia sita sunt. Facies vero civitatis quæ merito per canalem majorem sumi debet, ea flexuosa est, quia ille primo ad ortum solis ingreditur atque per meridiem & occidentem vadit, & ad septemtrionem definit. Longum esset in singulas urbis partes primarias descendere, forum amplissimum, Ducis palatium marmoreum, *Marci* aureum Templum augustissimum, divitem *Rivaltum* mercatorium, atque spatiosum & bene refertum Navale describere, & profecto alienum a nostro proposito, quia oporteret plura quam par esset in singulis dicere. Illud vero scire operæ pretium est, quemadmodum retroactis temporibus aliter se habebant ista civitatis æstuaria. Namque ab *Aquileja* ad *Ravennam* usque continebantur, & alibi triginta, alibi vigintiquinque, alibi viginti, & alibi quindecim millibus passuum ad continentem ibatur. Siquidem *Ravenna*, *Aquileja*, *Concordia*, *Opitergium*, *Altinum*, *Patavium*, maritimæ civitates erant, quæ omnes modo intra continentem sunt magis aliæ & minus aliæ, sicut sitæ sunt apud majora & minora flumina. Namque *Aquileja* solum a mari novem millibus passuum abest, quia prope habet minorem amnem *Lisuntium*, & longe distat *Concordia* per vigintiquinque millia passuum, quia juxta eam difluunt duo ramenta *Tiliaventi* majoris fluminis *Harenigeri*, & adhuc magis distat *Opitergium* per triginta duo millia passuum, quia prope vadunt *Plavis* & *Liquentia* magna flumina. *Altinum* vero non nisi per decem millia passuum, quia *Silius* magnus amnis per septem ostia currit in æstuaria. Aliter ab æstuariis ad *Patavium* vigintiduo millia passuum habentur, quia hinc inde magnus amnis *Medoacus* involvitur. Igitur cum tot & talia flumina sint quæ exeunt & multam terram congerunt in *Veneta* æstuaria, ex *Plavi* flumine *Heracliana* & *Gessulana* civitas in continentem venit, & ex *Tiliavento* pars illa quæ ad *Aquilejam* & *Maranium* vergit, & ex liquentia pars alia quæ continet *Cavorlem* & *Concordiam*. *Brenta* vero fluvius prius ibat per villam *Noventam*, & divertebat per *Plebemsiochi* ad *Bebias* & ad portum cui *Brentulus* de nomine nomen est. Postea *Patavini* ejus amnis novam scissuram fe-

A cerunt ad locum *Brusonii*, unde *Venetias* & ad locum *Hilarii* novus alveus quærebatur, & venerunt in continentem quæ prius erant *Valles Gambarariæ* & vivaria piscium. Et quia in pejus etiam ibatur statim compactis aggeribus versus canalem majorem iterum oportuit amnem seducere. Sed ille qui prius exibat ad meridiem cum declinasset ad oriens usque *Uriachum* & *Ciafusinam* terram congessit, & quod antea circuibat mare ducentis quinquaginta millibus passuum, vix constat modo quadraginta millibus passuum a majori littore ad portum *Brentulum* quem *Livius Meduacum* appellat, atque alioquin refert ab eo *Patavium* abfuisse

B quatuordecim millibus passuum quando *Cleonymus* Dux *Lacedemonius* cum classe *Græcorum* applicuit, & quia prædas ageret, cum magna strage, a *Venetis* & *Patavinis* expulsus est. Ista tamen æstuaria adhuc ampla sunt & viginti fluminum receptacula, quæ subvehendis mercibus in mediterranea magnam commoditatem afferunt. Accedunt multa piscium ampla vivaria, in quibus statis temporibus variæ piscationes fiunt, & avium aucupia, atque insuper in continentem itur, ubi aves terrestres & animalia capiuntur, & passim habentur omnia terræ marisque solatia. Namque undique colles amœnissimi sunt,

C deinde agri fertilissimi & prata viridia, denique subeunt piscatoria æstuaria & maris lata planicies, in cujus meditullio ipsæ *Venetiæ* sitæ sunt, ut facile visum iri possit ista pars *Italiæ* non minus amœnissima quam tutissima, & ipsa civitas ad pacis otia, & ad belli usum commodissime sita est. Sed revertamur unde abscessimus quando hostes cum miseris agricolis quantum dici potest crudeliter agebant nulli rei, nulli sexui parcere, sævire, rapere, comburere & prolabi in omne scelus & facinus, ut talia inulta nunquam sint (si dii scelerum ultores sunt) & idemtidem homines agant quod sua interest. Itaque *Livia-*

D *nus* ad omnia obeunda semper intentus paratusque stare, arma expedire, supplementum ex totis *Venetiis* accersere, novos milites adscribere, concire agricolas, festinare, parare, facere cuncta utilia, & simul ac venit *Patavium* subsidio *Christophorus Maurus* & *Hieronymus Contarenus* cum multis nobilibus & peditibus, atque idemtidem cum nobilibus & peditibus *Andreas Grittus Taurisium*, *Livianus* cum toto exercitu & manu collectitia confestim exivit obviam hostibus ex *Patavio*, & similiter ex *Taurisio Joannes Paulus Balionius* cum copiis in hostes ibat. Namque hostes noningenti milites & septem millia peditum revertebantur ex æstuariis & ad *Civitatulam Bren-*

E *tam* amnem velle trajicere visi sunt. Igitur quia *Venetis* expedit *Civitatulam* armis virisque bene munitam habere, statim illuc ex *Bassiano* ingens præsidium accessit. Ablati omnes lembi ex flumine & pontes passim abrupti, ut hostibus transitus difficilior redderetur. Et amplius *Venetus* equitatus levitum semper hostium vestigia sequebatur, & ubique illis infestus erat. Postquam vero ventum est ad *Brentam* amnem e regione *Villæ Fonticulæ* ubi flumen vadari poterat, super ripas ejus ordines distributi sunt & posita tormenta militiæ. Namque hostes jam venerant ad

F *Civitatulam* & velle flumen vadare videbantur. Et *Livianus* omnino animatus erat cum hoste manum conserere, si ille pertentet in alteram ripam trajicere, & quia non unum iter patebat, *Livianus* solicitus huc atque illuc frequenter ire, cuncta scrutari & prospicere, ut commode ubique rerum bene gerendarum oblata occasione uteretur. Sed dum *Veneti* putant hostes ituros inferius, illi trajecerunt superius ad tria millia passuum ad locum *Novæ Crucis* impune noctis silentio,

lentio, & versus *Vincentiam* magnis itineribus festinabant, si possint locum antecapere, & in pacatum recedere, quod cum *Livianus* animadverteret cum exercitu protinus locum antevenit, ut quod ad *Brentam* nequivit facere, ad *Bachilionem* fluvium saltem vetet hostes trajicere. Hostes vero prope montes iter tenebant, & incedebant quadrato agmine dum *Veneti* levites semper illos vexarent. Et quoniam commode versus *Veronam* castrametari quærebant frustra *Vincentiæ* & *Montechii* sedes tentarunt. Namque apud *Vincentiam Venetorum* omnis exercitus erat, & amplius Gubernator *Balionius* cum *Andrea Gritto* ducentis quinquaginta militibus, quingentis levitibus, & duobus millibus peditum per *Vicum Aggeris* & oppidum *Liminium* in castra venerat. *Joannes Paulus Manfronus* autem cum manu collectitia ad quatuor millia hominum præsidio stabat apud *Montechium* situm loco clivoso prope *Reronem* fluvium, ut iter solummodo ad fugam relinqueretur in quam hostes conversi videbantur, aut juxta amnem *Ligoram*, qua ad *Scledium* itur, quod valde asper & clivosum est & non pervium tormentis militiæ, aut recta versus *Montechium*, aut transvorsum versus *Patavium*, quæ ambo itinera hostibus infesta reddebantur, quia *Veneti* locum antevenire semper poterant. Usque adeo *Livianus* in certam spem potiundæ victoriæ ductus est, & confidenter hostibus obviam ibat. Et quia paulopost hostes viderentur versus *Bassianum* iter facere, de ea re omnes *Monticolas* certiores fecit, ut *Cismonis* fluminis pontem destruant, & ad saltus semper intenti paratique sint abeuntem hostem invadere. Adeo frequenter in nos ipsos agimus dum nescii sumus quid nostra intereft. Hostes vero sub ordinibus militiæ versus *Scledium* digressi sunt, quos *Livianus* imprudenter nimium cum toto equitatu levitum sequebatur, & identidem versus hostes omnis exercitus paulatim ibat. Igitur cum omnia itinera fugiendi intercisa essent, & super omnes montes collesque passim in officio staretur, hostes desperatione ducti, velle confligere visi sunt, & reverti versus *Vincentiam*, quæ cum *Venetis* nunciarentur statim loco statum est apud *Creatium*. *Creatium* vero locus est prope civitatem *Vincentiam* ad duo millia passuum, ubi exiguus collis est aptus valde tormentis militiæ, & subjecta convallis ubi commode sub ordinibus stabatur, & quod melius erat illuc per iter solum angustum prope colles ibatur, quia cætera alta palude tenerentur. In principio vallis præsidium & medium robur exercitus, in fine vallis subsidium erat, & amplius in procinctu stabat ad *Vincentiæ* suburbia Gubernator *Balionius* cum *Taurisano* subsidio. Hostes tamen ausi sunt in certamen descendere, & primo quidem dissimulabant aggredi præsidium, deinde vallem transgressi ad *Vincentiæ* suburbia in *Venetos* confestim ibant. Huic hostium turmæ militum cum plusculis tormentis militiæ, *Venetus* equitatus levitum statim obviam venit, præliumque atrox consertum est, & hostes primo cedere videbantur. Sed postremo *Veneti* impares erant, nisi alioquin victorem hostem repulissent e castris tormentis militiæ, sicut etiam iterum hostes repulsi sunt tormentis militiæ cum exinde ivissent cum præsidio certare, & inter levites acriter ageretur. Secundum eam pugnam *Alexander Bigolinus*, qui captivus hostium erat nomine *Prosperi Columnæ* in castra *Veneta* nunciatum venit *Liviano* & *Venetis* periculosum fore cum hoste confligere, quando cum *Prospero Columna* res esset, qui ter *Livianum* antevicerat, & hostes omnes invicem jurati sint, aut mori, aut vincere. Quod si *Livianus* potius

A velit contando rem *Venetam* restituere, ea via proculdubio tutior esset ex hostium inopia commeatuum, quæ tanta erat, ut illi fame & inedia pereant, & si per diem stetur, illis necesse sit, aut semet perditum ire, aut deditionem facere. Sed *Livianus* ea omnia quæ dicebantur parvifacere visus est, & quæ inceperat non desistebat facere, quia parum illi fides habebatur. Sicut semper solet accidere, ut adversus fatorum seriem, nulla prosint humana auxilia. Hostes vero iterum versus *Scledium* dissimulabant aufugere, & in fidem rei reliquerunt prædæ partem aliquam, quod *Livianus* nimium ratus est, &
B iterum cum levitibus hostem sequebatur atque inde omnis exercitus in eam expeditionem subibat. Hostes autem ut primum loco iniquo ad paludem *Creatiam Venetos* protraxere posthabita præda & distributis ordinibus repente in *Venetos* conversi sunt. Et quia a *Venetis* nimium temere in hostes ibatur sine tormentis militiæ, sine ordine, sine imperio, & amplius insperata res erat. Illi primo congressu ceperunt aufugere, & plerique non satis sibi constare videbantur. Multi tamen ductores alioquin maluerunt mori quam ignominiam pati, & simul cum ala equitum & acie peditum irruperunt in hostes confertissimos.
C Et quidem *Franciscus Calsonus*, *Antonius Pius* cum filio *Constantio*, *Meleager Forliviensis*, & *Alonsus Parmensis* in decoris armis mortem oppetere visi sunt. *Paulus* autem *Santangelus* plenus vulneribus e manibus hostium dilapsus est, & *Julius Manfronus* non inultus in hostium potestatem venit sicut & Gubernator *Balionius*. *Andreas* autem *Lauretanus* legatus vulneribus confossus occubuit simul ac in quæstionem venisset cujusnam captivus haberetur. Postremo quia multo potentiores hostes erant, & fuga passim fiebat, de *Venetis* magna edita cædes est, dum fugientibus impedimento etiam palus esset, & qui multi se pro-
D jiciebant in flumen proximum ejus vorticibus absumebantur, quia alioquin temere fores *Vincentiæ* occlusæ fuerant. Multi tamen pedites & equites cum *Liviano* & *Andrea Gritto* incolumes abiere *Patavium* & *Tarvisium*, si possint collabantem rem *Venetam* armis protegere. Itaque unde *Venetis* merito debebatur incruenta victoria, illis sanguinolenta strages, & ingens ignominia parta est, quia inconsulto & temere nimium agebatur. In eo prælio amissa *Venetorum* impedimenta omnia & tormenta militiæ, quatuor millia peditum & trecenti quinquaginta milites aut cæsi aut capti sunt. Posteaquam vero *Venetiis* nunciatum
E est, quæ in castris gesta fuerant, consternati animi omnium sunt, & res *Veneta* visa est in pejus corruere. Sed quanto magis adversa res erat tanto a patribus contra audentius ibatur *Patavium* & *Taurisium* munire, supplementum exercitui mittere, atque etiam nobiles cum delectis peditibus, & demum omnia facere sicut expedit, quando in propinquo hostis est. Namque hostes elati insperata victoria præ se ferebant velle iterum obsidere *Patavium*. Sed ea res in quæstionem venerat *Veronæ* apud *Gurgensem* Episcopum, Viceregem *Hispaniæ*, & *Prosperum Columnam*. Et quidem *Prosperus* quantum in se fuit rem *Venetam*
F fovit & fecit, ne repente hostes in expeditionem exirent, quoniam bello confractis *Venetis* periculosum foret, & tandem ejus sententia melior visa est, dum semper hostes hortaretur potius hyematum abire, simul ac satis superque nuper actum esse videretur. Igitur ipse cum trecentis militibus Ducis *Sfortiæ* Imperator exercitus *Mediolanum* abiit, ut *Venetis* & *Laurentio Cerinati* obviam iretur, & forte *Crema* oppugnaretur, nisi tempus hyemis impediat, quia loco aquoso sita

est. *Hispani* & *Germani* hostes alioquin arma expedire, bellum parare, milites accersere & sæpe videbantur velle exire in expeditionem contra *Patavium* & *Tarvisium*. Sed postquam armis virisque ambas urbes bene munitas vident, quia cum nobilibus etiam Ducis duo filii *Aloysius Patavium* & *Bernardus Taurisium* venit, hostes *Vincentiæ* morabantur, & non nisi levioribus certaminibus agebant, dum ipsi passim volunt agros vastare, & prædas agere, & contra *Veneti* milites conabantur commeatus intercipere, & semper esse terrori hostibus, & sociis ubique auxilio. Atque idemtidem intra urbes ambas ordines distributi sunt ad portas & forum nobiles *Veneti*, positæ passim vigiliæ & excubiæ locata præsidia ad muros & ad stata civitatis loca, & prope hostes, levites ubique exploratores erant, qui semper referant, ubi locorum sint, & quid hostes agant. Dum ea vero in *Italia* geruntur, in *Gallia* & *Anglia* terra marique bellum ingens gestum est. Namque erat ex altera Rex *Angliæ* & Rex *Romanorum*, atque ex altera Rex *Gallorum*, *Scotiæ*, & *Daciæ* ut nunc dicitur pars illa, quæ olim *Cymbrica Chersonesus* appellabatur. Et primo quidem Rex *Angliæ* cum septem millibus equitum & octoginta millibus peditum trajecit in dictam modo *Britanniam*, quæ olim *Gallia Belgica* dicebatur. Deinde Rex *Romanorum* cum decem millibus hominum in castra venit, & apud *Morinum* urbem dictam modo *Terovanam* diu cum hostibus agebatur. Namque quadringentis militibus, & tribus millibus peditum bene munita civitas erat, tum quia illa parva est, tum quia prope castra *Gallorum* stabant ad tria millia militum, & quadraginta millia peditum. Et quidem Regis *Gallorum* bene consulta mens erat cum hoste non confligere, sed civitates munitas habere, ut ingruente hyeme & rerum difficultate, hostium vis omnis irrita redderetur. Sed tantum abfuit, ut *Galli* mille milites dum commeatum in laborantem civitatem afferunt cum hoste manum conserere compulsi sint. Namque ea protinus hostibus relata res est, & Rex *Angliæ* cum equitatu, & Rex *Romanorum* cum peditatu & tormentis militiæ statim obviam venit, deinde atrox & anceps certamen fuit dum inter equites ageretur. Sed postquam peditatus accessit & ceptum est tormentis militiæ acriter agere, *Galli* facile victi fusique sunt. Ductor *Bajardus*, *Franciscus Spinula*, multi nobiles, & quadraginta *Gallorum* milites cæsi sunt. Capti Ductor *Frodota*, & dominus *Longavillensis* præfectus centum nobilium, atque amplius, qui in urbe erant deditionem fecerunt inopia commeatuum & solo æquata civitas est. Parte quoque alia *Helvetii* ad sexdecim millia hominum cum quingentis *Germanis* equitibus & vigintiquinque tormentis militiæ contra Regem *Gallorum* Dominumque *Tremuliæ* & paratissimas copias irruperant in *Burgundiam*, & prope *Dijunium* regionis civitatem primariam castrametati sunt, ut de Rege *Gallorum* facile actum foret, nisi Rex *Hispaniæ* consulto inducias pepigisset, & cum *Helvetiis* apud urbem *Dijunium* res omnes compositæ sint quibuslibet conditionibus. Namque *Helvetiis Cremonæ* & *Mediolani* arces dabantur, & petita numum quadringenta millia, quæ quidem acta sunt per Dominum *Tremuliæ* & dati obsides. Sed postea Regi non placuit, & dilata res est in aliud tempus deindustria, donec exactius ageretur cum Pontifice & Rege *Hispaniæ*. Denique Rex *Gallorum* visus est potius velle filiam suam *Rayneriam* dare nuptui *Ferdinando* fratri Ducis *Burgundiæ* cum dote rerum *Mediolanensium*, ut ea via Rex *Hispaniæ* & *Germaniæ*, quorum ille nepos est, viderentur in regnum *Italiæ* semetipsos intrudere. Sed quia Pontifici ea suspecta & molesta res erat, ille pro Rege *Gallorum* intercessit cum Rege *Angliæ* & cum *Helvetiis*, atque obiter disturbavit nuptias & Regum consilia, qui volebant alioquin totam *Italiam* partiri, & præcipue civitates *Venetorum* Regi *Maximiliano* tradere. Cæterum cum inter agendum *Galli* de Rege *Hispaniæ* suspicarentur, quingenti milites, & decem millia peditum stabant ad *Narbonem* versus fontem *Rabiam* & regnum *Vasconiæ*, quod modo regnum *Navarræ* appellamus. Et similiter in *Burgundia Galli* quingenti milites, & decem millia peditum erant adversus *Helvetios*, quia super pacis conditionibus adhuc in incerto res esset. Atque amplius contra *Anglos* majoribus copiis agebatur militum trium millium, & triginta millium peditum. Et nuper sub ordinibus militiæ ad *Sequanam* amnem stabatur in procinctu confligere, si *Angli* velint flumen trajicere. Sed tantum abfuit, ut ab hoste potius itum sit *Tornaim* olim *Nervim* appellatam civitatem capere, quæ magna & populosa tot turres muratas habet quot dies annus, & tamen paulopost facta deditione in hostium potestatem venit, quia non immissum præsidium est, & frustra fides civibus habebatur. Namque alioquin *Nervios* populos feros & magnæ virtutis homines fuisse *Cæsar* testatus est, & eorum prælio *Romanum* exercitum ductum in majus discrimen, quam usquam fuerit in tota *Gallia*, *Germania*, & *Britannia*. Per idem tempus in *Anglia* bello identidem agebatur, quia Rex *Scotiæ* cum quadraginta millibus hominum repente *Angliam* ingressus est adversus *Anglorum* triginta millia. Unde cum primum invicem obviam facti sunt ante ipsum insulæ vestibulum prælium consertum est, & illud quidem atrox & diutinum fuit, quia utrinque paribus animis & viribus agebatur, & nihil prætermittebatur quod usui foret. Multi utrinque cadebant, multi sauciabantur, adhuc tamen in incerto res erat, dum neutri cedere viderentur. Denique vero victoria *Anglis* parta est, non quia pauciores eorum cæsi sint, sed quia Rex *Scocensium* inter primos dum ageret, ictu bellici tormenti interiit. In eo bello fama est *Anglorum* sexdecim millia, & *Scocensium* novem millia periisse. Verum dum hinc inde res *Gallorum* infœliciter ageretur, forte inter Reges *Angliæ* & *Germaniæ* discordia orta est, quia uterque *Nervim* urbem volebat. Sed Rex *Romanorum* acceptis pecuniis facile victus est, quamvis inde indignatus abierit in *Germaniam*, simul ac etiam Rex *Angliæ* cum *Gallis* pactis induciis & urbe *Tornai* munita præsidiis sex millium peditum, & mille equitum cum exercitu in *Angliam* rediit, si posset mortuo Rege *Scotiæ* semet in regiam illam intrudere, quia regina soror ejus esset. Namque alioquin Dux *Albaniæ* Germanus sobrinus Regis mortui habenas imperii susceperat, quia non nisi Regis infans filius supererat. Sed revertamur ad res *Italiæ*, & incipiamus ab iis quæ apud *Cremam* gesta sunt. Namque *Hispani* & *Mediolanenses* hostes eam urbem obsederant, & tamen *Laurentii Cerinatis* tanta erat solertia, ut frequenter eruptione facta illos vinceret stratagemate, qui alioquin vinci non poterant, nisi propterea quia copiæ eorum partitæ erant, & ubique temere stabatur. Igitur ille ante lucem *Calcina* oppidum repente ingressus est, & quia hostes incautos offendit *Hispanos* quadraginta milites, & ducentos levites cepit. Et identidem parte alia ad *Quinzanium* nocte intempesta *Mediolanenses* aggressus est, & quia hostes nihil tale verebantur, facile cepit & diripuit quinquaginta milites. Adeo frequenter spe lucri ingeniosi sumus, sicut & modo *Vene-*

Veneti milites videbantur, dum ſimul cum obſidione diutina ſævam etiam luem & inopiam commeatuum paterentur, & præſertim ex opum penuria maximum periculum imminebat. Namque alioquin foſſa, muro & promurali, armis viriſque adeo bene munita civitas erat, ut vi capi non poſſet. Igitur cum ex *Venetiis* convehendis pecuniis nimia difficultas eſſet, in conſultatione poſita res eſt, & tandem ultro ex civibus *Cremenſibus* pecuniæ exactæ ſunt, tantiſper dum præfectus *Bartholomeus Contarenus* ſolvendo eſſet, quando ex *Venetiis* redderentur. Nihilominus ſæpe cum hoſtibus res erat, quia illi etiam frequenter *Venetos* injuria laceſſebant. Et nuper quidem cum hoſtes prope urbem veniſſent, *Veneti* ſexaginta pedites ſtatim illis obviam facti ſunt, & atrox certamen fuit. Sed quia intempeſta nox erat, illa denique anceps prælium diremit, & pari ferme clade receſſum eſt. Aliter apud *Umbrianum* contra hoſtes fœliciter agebatur. Namque *Veneti* equites & pedites *Silvium Sabellum* cum quadraginta militibus, & centum levitibus repente aggreſſi ſunt, & quia *Veneti* multo plures erant, *Marcus Antonius Philippinus* Dux hoſtium cum duobus de quadraginta militibus, & decem levitibus in *Venetorum* poteſtatem venit, atque omnes alii fuſi fugatique ſunt. Et identidem paulopoſt *Venetis* ceſſit ex ſententia, quia ad *Pandinum* oppidum conſerto prælio ſexaginta hoſtium cecidere, & in *Caſtionio* caſtello ultra flumen *Abduam* intercepti & ſpoliati ſunt quinquaginta milites hoſtium. Poſtea vero *Proſperus Columna* parte altera cum ducentis militibus, ducentis quinquaginta levitibus, & duobus millibus peditum ad *Ephenengum* venit, & identidem parte altera ad *Umbrianum Silvius Sabellus* cum duobus millibus peditum atque hinc inde contra *Cremam* ad duo millia paſſuum ſtabatur, & frequenter cum oppidanis res erat. Namque hoſtes parabant agros vaſtare, ut oppidani rerum omnium inopia compellerentur deditionem facere. Aliter tamen *Veneti* ſocii & milites ſemper manere in officio & omnia facere quæ uſui ſunt, quamvis non magis armis & obſidione foris, quam intus ſæva lue premerentur. Et amplius *Veneti* milites uſque urbem *Laudam* impune prædati ſunt ubique hoſtibus infeſti erant, & levia certamina frequenter fiebant, ut ſemper ſolet accidere, quando in propinquo hoſtis eſt. Nuper vero *Veneti* milites quia amplius præ inopia rerum omnium tam longam obſidionem pati non poterant, auſi etiam ſunt in hoſtes confertiſſimos irrumpere. Et quia caſtra eorum verſus *Laudam* munita non erant & temere ſtabatur, *Veneti* mille pedites nocte intempeſta ea occaſione acriter uſi ſunt, & tanquam amici uſque ad *Vallum* venere, deinde fortiter geſta res eſt, & maxime terrificis ignibus agebatur, ut quamvis hoſtes cum Duce *Silvio Sabello* plures eſſent, quia tamen plerique ſemiſopiti erant, de peditibus magna cædes edebatur. Namque alioquin cum duce equites confeſtim in fugam converſi ſunt, & omnia prædæ *Venetis* fuere. Adeo ſemper multum refert incautos hoſtes invadere, & talis maturata audacia ſemper fœlix ſolet accidere. Et amplius *Veneti* contra *Proſperum Columnam* identidem facere parabant, niſi ille veritus protinus obſidionem ſolviſſet. Interea vero *Hiſpani* hoſtes *Vincentiæ* morabantur inſoleſcebantque in dies amplius, & *Gurgenſis* Epiſcopus *Mantuæ*, *Ferrariæ*, *Mediolano*, *Genuæ*, *Florentiæ*, & reliquis omnibus urbibus *Italiæ* contributiones opum indixerat, ut contra *Venetos* multi milites adſcribi poſſent. Sed Pontifici ea valde moleſta res erat, atque *Petrum Landum* oratorem *Venetum* frequenter hortabatur,

A ut ſuper pace & induciis cum Rege *Romanorum* ſibi tandem fides haberetur, quod ſi in ſua manu omnia ſita ſint præter opinionem *Venetorum* nihil fiet, & ceſſabunt arma quouſque de pace & de induciis ageretur. Sed expectabatur *Gurgenſis* Epiſcopus qui poſtea *Romam* venit, & deinde ceptum eſt de pace & de induciis exactius agere. Et quidem *Germani* pacis prolocutas conditiones poſcebant. Sed *Veneti* ne *Veronam* quidem volebant relinquere. Igitur ſuper ea re diutina quæſtio fuit, & demum utrique difficultates omnes in manu Pontificis poſuere, ut ipſe eſſet liber arbiter, & tamen non ageret, niſi ex alie-

B no arbitrio, quia utriſque ſeparatim antea per Chirographum pollicitus eſt, nihil amplius facere quam quod utriſque collibeat, atque identidem utriſque Pontificis literæ datæ ſunt, ut quiſque bello deſiſteret tantiſper dum de concordia ageretur. Quoniam vero Pontifex inter agendum ignarus non eſt Regem *Germaniæ* & *Hiſpaniæ* novum regnum in *Italia* nepoti ſuo fratri Ducis *Burgundiæ* velle aſciſcere, in dies magis magiſque ad *Venetos* declinabat, & videbatur velle *Gallos* potius, quam *Germanos* & *Hiſpanos* in *Italia* regnare, atque ipſe identidem feſtinare, parare, facere, ne unquam reperiretur incautus. Adeo

C ſemper & ſi opus non eſſet, cavere ſatius eſt, quam poſtea dolere non caviſſe, quando oportuit. Aliter *Veneti* ſub fide vacationis armorum *Maranium* oppidum ſitum ad mare prope urbem *Aquilejam* incuſtoditum tenebant, & iccirco facile hoſtes illud nuper furati ſunt. Namque ut convenerant cum *Borthولo* loci præsbytero, ille ſummo mane egreſſus eſt oppidum & intromiſſi ſunt *Polloni* trecenti equites. Itaque dolo malo oppidum captum eſt, quod alioquin captu difficile erat, quia ſitum eſt loco paludoſo & circundato aquarum divortiis. Et amplius *Chriſtophorus Frangipanes* perpetravit horrendum facinus. Namque

D cum agricolæ villæ *Muzanæ* commeatus afferri in *Maranium* vetarent, & viribus capi non poſſent, illos ſeduxit pollicitis & fallaciis, atque dum illi temere fides haberetur, ducentis villicis eruti oculi ſunt abſciſſi pollices, & villæ ignis ſuppoſitus. Quod ſi crudeliter, *Æginenſium* juventuti pollices abſciſſi ſunt, ne contra *Athenienſes* bello maritimo acriter iretur, quanto crudelius iſte fecit, qui veritus nihil tale, oculos eruit, & pollices abſcidit. *Veneti* vero indignitate rei valde moti ſunt & deinde feſtinare, parare, facere, ut primo quoque tempore terra marique in eam expeditionem iretur. Igitur *Baldaſar Scipionius* cum

E exercitu, & *Hieronymus Savorgnanus* cum manu collectitia terreſtri itinere, & maritimo itinere *Franciſcus Muſtius* cum claſſe triremium uniremium & lemborum contra *Maranium* ſtatim venit, deinde terra marique ſimul oppugnare oppidum ceptum eſt. Et quidem primo tormentis militiæ acriter agebatur, deinde anceps certamen fuit. *Veneti* freti multitudine omnibus modis tentabant in oppidum vadere. Contra hoſtes ſemper intenti paratique ſtare, *Venetis* acriter obviam ire, ſemovere hoſtem telis miſſilibus, & nihil tutum munimentis pati. Denique cum magna ignominia hoſtes repulerunt terreſtres copias

F *Venetorum*, & omnes protinus verſus urbem *Utinum* fugerunt, quia *Germani* quingenti equites, & duo millia peditum ſubſidio feſtinare viderentur. Parte vero alia verſus mare *Clodienſes* primo acriter oppidum aggreſſi ſunt ſcalas admovere, murum aſcendere, & jam in oppidum ibatur, ſi ut par erat, ſubſidium veniſſet. Aliter quia multi tormentarii hoſtes erant, & fortiter agebatur, poſtremo de *Clodienſibus* magna edita cædes eſt, atque pariter omnes nautæ repulſi ſunt. Et amplius

plius cum hostium subsidium venisset, illi eruptione facta ad locum *Viti* venerunt, ubi erant tormenta militiæ, & parum profuit primum impetum hostium sustinere, quia postremo amiserunt tormenta militiæ, multi enecti & saucii, omnes fusi fugatique sunt, & dum passim per altam paludem iretur, multi periere etiam fluminum vorticibus. Itaque hostes unde nunquam putarant, reportarunt victoriam, unam triremem ceperunt & multa alia navigia. Atque amplius ausi sunt *Monfalconium* invadere, & quia oppidani noluerunt deditionem facere, viribus acriter agebatur, & simul ac oppidum vi captum est, omnia prædæ militibus fuere. Per idem tempus *Venetiis* ut fieri solet malo additum malum est. Namque noctu sævissimus ignis in *Rivaltum* irrepsit, & quia incuriose nimium agebatur, dum ventus impetuosus esset, ille totus dives auri & mercium combustus est cum maxima jactura reipublicæ & multorum civium quorum intererat, qui quanto dici potest consternati animi sunt & magis quam bello dolere videbantur. Adeo semper respublicæ tantundem affligunt, quantum ad res privatas videntur pertinere. Sed jam dicamus de hostibus *Hispanis* & *Germanis* qui super *Rhodigiana* peninsula atque *Ateste* oppidum hyematum venerant. Namque illi etiam commode suspensione armorum usi sunt, quia dum *Veneti* propterea cavent illis obviam ire, illi impune venerunt totam provinciam expilare, rapere, desolare, & gravari contributionibus. Denique præfectus *Rizanus* cum quadringentis *Germanis* equitibus & mille ducentis Peditibus *Vincentiam* venit, atque irrupit in *Forumjulii*, quo venerant etiam ex *Germania* mille equites, & quinque millia peditum. Igitur Gubernator *Malatesta Sojanius* cum sexcentis equitibus, & ducentis peditibus, & *Hieronymus Savorgnanus* cum manu collectitia ad duo millia hominum qui apud *Utinum* erant, postquam vident non posse hostibus obsistere, protinus abiere ultra amnem *Liquentiam*, unde possent terrori hostibus, & sociis auxilio esse. Et quia hostes locis pluribus simul ibant ad *Cadubrium*, *Feltrum*, & Civitatem *Austriæ*, ubique præsidio stabatur, & cum primum per *Scalanum* castellum *Germani* mille quingenti pedites ingrederentur, illis obviam audacter ibatur. Sed paulopost ingruente multitudine a *Venetis* loco cessum est, & hostes *Feltro* oppido potiti sunt, atque ibant totam provinciam invadere, agros vastare, prædas agere, & cuncta igni ferroque miserabiliter complere. Sed dum hostes male agendo per totam regionem vadunt, *Veneti* qui passim saltus occuparant tandem ad *Bassianum* partem illorum adorti sunt, & quia hostes incauti & pauciores erant, de illis magna edita cædes est, & multi duces & milites capti sunt. In eo prælio maxime virtus emicuit comitis *Bernardini Antignolæ*, & *Bononiensis Hannibalis*, qui Duces expeditionis erant, & creditum est ex quingentis trecentos pedites hostium perisse. Secundum eam pugnam hostes omnes convenerunt in *Forumjulii*, & quia *Veneti* milites abierant, & hostes tenebant omnia præter *Osopium*, denique in eam expeditionem ibatur. Est autem oppidum *Osopium* situm in monte prærupto & valde etiam armis virisque munitum erat. Namque *Hieronymus Savorgnanus* & *Theodorus Burgensis* cum octoginta levitibus, & centum peditibus mercenariis arma expedire, festinare, parare, facere quæ oportet, dum in propinquo hostis est. Et ecce hostes appropinquabant oppido & inter eundum tenebant plus quam duo millia passuum. Namque equites anteibant, subsequebantur pedites, & subvehebantur tormenta militiæ. Posteaquam

A vero castra hostium prope castellum ad villam sita sunt primo quoque tempore ceptum est tormentis militiæ undique in arcem agere. Est autem arx sita ad angulum montis, qui trigonus est, ubi lapis unus erigitur versus meridiem sex latus, & longus duo de viginti passibus, duas cuspides tutissimas habet, altera ad orientem, altera ad occidentem vergit, mons vero tertiam faciem arcis protegit quæ ad septentrionem spectat, ubi ostiolum est accipiendi subsidii, quarta facies australis fores habet, unde cavata scala in marmore per sexaginta gradus itur in tripassuum anteportarium, ex quo deinde per alteram scalam deorsum iter est in planiciem ubi
B præsepia sunt, & ager per vigintiquinque passus porrigitur, & in capite lapis erigitur cui *Corvinus* nomen est. Unde demum ad imam planiciem sexaginta passus ad perpendiculum colliguntur. Hostes vero maxime portam arcis tormentis militiæ feribant, & cum magna pars muri procubuisset, quia dubitari ceptum est, *Hieronymus* cum filiis suis *Theupolis* statim subsidio venit. Sed forte ex ruina muri facta maceries erat, & iccirco hostes potius conabantur per cavatam scalam in arcem vadere, & plusquam semel repulsi sunt. Namque propter iniquitatem
C loci non poterant subsistere, & cum primum advesperasceret agebant suppositis ignibus, & quia sic etiam parum proficerent, denique totis castris simul e cunctis partibus in arcem & in montem superius ibatur. Sed nulla satis vis hostium erat, quia oppidani in officio manebant & oppidum servare passim intenti paratique stabant. Igitur pugna diu atrox & anceps fuit, & cum plures hostium perirent tandem ab hoste recessum est. Illi tamen postridie iterum & acrius agebant tormentis militiæ, & deditionem fieri tentabant. Sed tantum abfuit, ut oppidani potius, quia sua paucitate non possent aliter in hostes irrumpere,
D statim usi sint igne supposito in villam, quam hostes colebant, & quia ventus impetuosus flabat, simul cum domibus equi, ephippia & impedimenta hostium igne absumpta sunt, ut denique hostes viderentur non nisi longa obsidione posse *Osopium* capere, atque eo maxime quia oppidanis aquæ defecerant, & propterea moriebantur carissimi equi militibus, unde dissensiones oriebantur, & aliquando de deditione cum hostibus agebatur. Et quidem in incerto res erat, nisi illis opportune e senatu consulto hortatoriæ literæ in eam sententiam redderentur. *Viri Osopii nunc operæ pretium est viros fortissimos vos præ-*
E *stare. Namque modo certamen vobis propositum est de vita, de solo patrio, de ædibus, de uxoribus, de liberis, & de bonis vestris omnibus, quia si viceritis omnia ista ut antea possidebitis, sin autem victi fueritis harum omnium rerum hostes domini futuri sunt. Neque enim illis fides habenda est, si oppidum etiam dederitis, quia gestiunt ne nomen quidem Osopii superesse. Quare si vobis vultis consulere manete, pugnate, & putate quæso sicut res se habet, stultum esse salutem sperare, & res alias aufugio, quia victi semper seipsos & sua omnia solent amittere, atque alioquin soli victores possunt res suas omnes salvas facere, & bona etiam succumbentium capere.*
F Istis literis in fide permansum est, & omnes visi sunt malle mori, quam deditionem facere & non vincere. Adeo semper dum animus est in dubio, huc & illuc facile impellitur. Donec vero satis aquæ non erat, vinum equis dabatur, & tandem vis aquarum e cœlo subsidium venit. Hostes autem quia deditionis sublata spes esset frustra testudine usi sunt. Namque saxis ingentibus facile moles lignea corrumpebatur, deinde frustra identidem hostes conabantur lapidem suffodere, quia illius

illius nimia durities erat, denique tormentis militiæ per triduum gesta res est, & simul ac turris etiam collapsi fornices essent, ubi lassi prius milites solebant vicissim quiescere ad certamen iterum ventum est. Hostes fortissimi quique in montem anteire, scalas admovere, murum ascendere. Contra oppidani ruinas muri pro munimentis habere, fortiter stare, semovere hostem missilibus telis, & nihil tutum munimentis pati. Hostes tandem elaboratis ignibus usi sunt, simul ac alia parum prosunt suffragia. Et quidem istud novum genus ignis quod frequenter projiciebatur in turrim massæ & pilæ erant intus compactis e ferro fistulis, unde vi sulphurea cum fragore & strepitu pilulæ exibant, quæ secum afferebant ignis & fumi fœtidissimi ingentem copiam. Contra oppidani paratas aquas habebant, & statim summovebant incendia. Neque tamen plures erant quam viginti quatuor viri strenui, atque etiam bipartiti hostibus obviam ibant. Namque virium reparatione frequenter opus erat, dum prælium atrox & diutinum gereretur, atque hostes denique repulsi sunt, & nunquam potuerunt *Osopium* capere, quamvis duo millia peditum, & quingenti equites essent. Itaque *Hieronymus Savorgnanus* ex ea re egregiam laudem quæsivit virtute & rei militaris exacta peritia, omniaque aspera & difficilia superasse videbatur, atque ideo cunctis suffragiis receptus in senatum, & muneribus cumulatus est. Interea *Romæ* de pace iterum agebatur & cum *Veneti* contenti essent *Veronam* Cæsari relinquere, germani *Veronam* & *Vincentiam* volebant, & iccirco de pace desitum est & ceptum agere de induciis, ut illæ annales essent, si intra quadraginta dies ita velit pars utraque & Rex *Romanorum* propterea retineat *Bergomum*, *Brixiam* & *Forumjulii*. *Veneti* vero habeant *Patavium* & *Taurisium*, atque in manu Pontificis *Crema* & *Vincentia* collocentur, tantisper dum de pacis conditionibus dicatur. Sed *Venetis* ea valde molesta res erat, quia descitum iri a Pontifice videbatur & hostibus possessionis legitimæ aliqua facies futura, atque ideo *Petrus Landus* orator quantum in se erat cum Pontifice agebat ne fieret. Pontifex vero quia jam Cæsar magnificum *Julianum Senarum* urbis & *Lucæ* Dominum instituerat, atque alioquin arma hostium verebatur, potius volebat Regibus rem gratam facere, & tandem invitis *Venetis* cum Rege *Romanorum* pacem ejusmodi promulgavit, ut ea foret perpetua conditionibus servatis per annum in pectore Pontificis, & interea cedat Cæsari *Brixia*, *Bergomum* & *Verona*, *Veneti* possideant *Patavium* & *Taurisium*, *Crema* & *Vincentia* in manu Pontificis ponantur, & de reliquis quisque retineat quod in præsens habet. Illud vero temporis utrique parti statutum est in mensem proximum ratifacere, quod nisi fiat, nulla promulgatio haberetur, & si fiat *Veneti* solverent vigintiquinque millia numum post mensem Cæsari, atque inde totidem post tres menses alios. Namque Pontifex hanc solam viam reperit, qua visum iri posset se non nihil egisse, & non confectæ pacis omnis causa in *Germanos* converti sicut acta res est, dum *Veneti* nunquam compulsi sunt ratifacere, & *Germani* antevenire indignum putant, ut denique illi tergiversari visi sint, simul ac infecta re male contentus Cardinalis *Gurgensis* repedavit in *Germaniam*. Et quidem Pontificis ea mens erat, *Gallica* & *Hispana* connubia disturbare, & cum *Germanis* & *Hispanis* in sancitum fœdus persistere, donec desideratas urbes *Urbinum*, *Ferrariam*, *Lucam* & *Pisas Juliano* fratri subjiceret. Sed postquam Regis *Hispaniæ* cum Rege *Gallorum* annales induciæ factæ sunt, & Regi *Germaniæ* & *Angliæ* locus servabatur, unde futuræ nuptiæ putarentur, Pontifex declinare ad *Venetos* videbatur, & operam dare, ut suarum partium *Helvetii* & *Gallorum* Rex esset. Dum vero ea omnia in quæstionem venissent *Veneti* parabant *Forumjulii* recipere, & quia in *Liviano* sita omnis spes erat, ille cum ducentis militibus, quadringentis levitibus, & septingentis peditibus in eam expeditionem magnis itineribus confestim ibat. Et quia copiæ hostium partitæ stabant ad portum *Naonis* & *Osopium* primo quoque tempore ad portum *Naonis* præmissi equites cum forte ante oppidum offendissent præfectum *Rizanum* cum ducentis militibus, & trecentis levitibus illos audacter aggressi sunt. Et primo quidem *Veneti* levites vincebantur, sed postea cum milites subsidio venissent redintegratum prælium est, & illud stetit ambiguum, quousque *Rizanus* saucius in facie, *Malatestæ Balioni* in potestatem venit. Quia deinde hostes omnes alii in oppidum fusi fugatique sunt, & cum *Veneti* oppidum obsedissent, & acriter agerent, hostibus tandem necesse fuit aufugere, atque oppido capto de oppidanis magna cædes edebatur & omnia prædæ militibus concessa sunt. Cum primum vero ea quæ gesta fuerant nunciarentur *Christophoro* & hostibus qui apud *Osopium* adhuc erant, statim obsidione soluta versus *Sclusam* ibatur. Et quia *Veneti* levites semper hostium vestigia sequebantur, illi denique impedimenta & tormenta militiæ reliquerunt, & fugerunt expeditius in *Germaniam* diruptis post se pontibus, & passim intercisis itineribus, ut *Veneti* ad *Venzonium* & *Sclusam* repulsi sint, quia nusquam potuerunt saltus antecapere. *Livianus* autem cum exercitu venit *Guritiam* oppugnare. Sed quia armis virisque eam urbem bene munitam videt, & copias tempusque tanto operi non sufficere, tandem putavit satis actum in *Forojulii*, quando mille equites *Germanorum* hostium aut cæsi, aut capti sunt, & omnes alii pedites ad quatuor millia hominum protinus in *Germaniam* fugerunt, atque inde versus *Taurisium* & *Patavium* ibat quid hostes agant revisere. Vix *Livianus* abierat, & *Germani* hostes iterum oppido *Cromonio* & *Monfalconio* potiti sunt *Venetorum* militum incuria. Namque quadraginta equites, & ducenti pedites hostium illa duo oppida ceperunt, quamvis *Joannes victorius* legatus *Forijulii* subsidio staret cum quingentis levitibus, & sexcentis peditibus, & adhuc omnes milites qui nuper ex *Forojulii* discesserant juxta *Plavim* essent & amnem *Liquentiam*. Et quod pejus erat *Germani* hostes in dies magis magisque dicebantur confluere in provinciam *Forijulii*, & majus periculum imminere videbatur. Igitur citi *Veneti* arma expedire, bellum parare, exercitui supplementum mittere, denique contra hostes acriter stabatur, & amplius quia visi sunt posse *Maranium* recipere protinus in eam expeditionem ibatur. Et primo quidem *Hieronymus Savorgnanus* cum quingentis peditibus in centum pedites hostium magnam impressionem fecit. Namque *Veneti* inter eundum ad *Maranium* forte illis obviam venere, & interjecto certamine hostes fusi fugatique sunt. Et quia fœlicia initia *Savorgnani* fuere, illi rei agendæ demandatum negotium est. Namque in eo præcipue sita spes erat, quamvis & parte altera ingens classis esset, & terra marique contra oppidum ageretur. Ea vero res gerebatur maxime operibus, quia paulatim versus oppidum humus congerebatur, & altis aggeribus semper ulterius ibatur, quemadmodum & Cæsar olim fecit ad *Avaricum*. Postquam autem ad fossam oppidi ventum est frequenter agebatur tormentis militiæ, & vicissim multa levia certamina

fiebant. Nuper vero hoſtes auſi ſunt eruptionem repente facere, & ſuperare munimenta, quæ noctu & interdiu fiebant. Et quia noctu geſta res eſt, magis aſpera pugna fuit, & multi utrinque cadebant, denique *Veneti* cedere videbantur, niſi *Hieronymus Savorgnanus* parte alia cum delectis peditibus ſtatim obviam hoſtibus prorupiſſet. Itaque redintegratum prælium eſt, & tandem hoſtes repulſi ſunt, munimentaque *Veneta*, & locus ſpirituum ſervabatur. Verum *Venetis* ſociis in dies major difficultas apparebat quamvis eſſent centum triginta milites, quingenti levites, & ſeptingenti pedites cum manu collectitia ad duo millia hominum, & contra hoſtes in *Maranio* non niſi ducenti oppidani & *Polloni* trecenti pedites erant, quia hoſtes amplius apud *Gradiſcam* ſubſidio ſtabant, & ſæpe pugnabant cum noſtris, qui contra ad caſtrum Propeti morabantur. Sed nuper cum *Chriſtophorus Frangipanes Joannem Victorium* & *Venetos* temere ſequeretur præcipitavit in inſidiis, & captivus *Venetias* abductus eſt, atque identidem parte alia hoſtes ad *Maranium* repulſi ſunt, cum noctu veniſſent munimenta igne & ſulphure deſtruere. Aliter *Venetis* parum ceſſit ex ſententia quando poſtea terra marique *Maranium* capere aggreſſi ſunt, quia non omnes manſerunt in officio. Namque alioquin tormentis militiæ propugnaculum *Joannis* prociderat, & iter in oppidum patebat. Sed cum primi acriter in hoſtes agerent, poſteriores ut par erat, noluerunt ſuccedere, & tandem *Veneti* repulſi ſunt, qui alioquin vincere merito debebant. Et amplius hoſtes ex *Germania* octingenti equites, & quingenti ſupra duo millia peditum feſtinabant *Maranio* ſuppetere, quæ cum primum *Venetis* nunciarentur, illi ſtatim obſidione ſoluta pene in fugam converſi ſunt, & dum neſciunt quo vadant, quia & diſcordiæ inter Duces ortæ erant, denique partim urbem *Utinum*, & partim Civitatem *Forijulii* ingreſſi ſunt, dum putant urbes illas ut ſervent id ſolum poſſe e republica facere. Igitur hoſtes in *Maranio* poſito præſidio ſua ſævitia paſſim utebantur agros vaſtare, prædas agere, comburere, ſubvertere, & victis nihil reliqui facere. Et iccirco *Venetorum* omnis exercitus ad *Vicum Prædomanum* venit, ubi impedimento hoſtibus, & ſociis auxilio ſtaretur. Quod cum hoſtes viderent propterea non poſſe impune prædas agere, adeo multi abierunt in *Germaniam*, ut iterum veniret in mentem *Venetis Maranium* recipere, niſi nuper apud urbem *Utinum* parum ex ſententia ceſſiſſet, non quia hoſtes plures eſſent, ſed quia exploratores ſedulo non habebantur. Namque legatus *Victorius* dum putat cum quadringentis levitibus venientibus hoſtibus poſſe obſiſtere, temere miſſos fecit pedites & milites verſus *Utinum*. Igitur cum primum plures hoſtium veniſſent quam putarat *Veneti* levites fuſi fugatique ſunt, & ipſe cum centum equitibus in hoſtium poteſtatem venit. Atque amplius hoſtes impetum fecerunt in abeuntes pedites & milites, quorum etiam multi cæſi aut capti ſunt, & pauci integri in urbem *Utinum* fugerunt. Atque iccirco neceſſe fuit ſtatim ingens ſupplementum exercitui mittere ſimul cum Duce *Vulpenſi* equite & *Petro Marcello*, qui legatus in caſtris *Forijulii* ſuffectus eſt. Namque alioquin *Polloni* hoſtes etiam terra marique prædatum frequenter ibant, & nuper illi totum quoque *Latiſanium* prædati ſunt, & videbantur paſſim facturi identidem, niſi ubique diſtribuerentur cuſtodiæ, ſicut & factum eſt, atque hoſtes apud Civitatem *Forijulii* fuſi fugatique ſunt. Et identidem illis parum ceſſit ex ſententia, dum locum Aries pertentant capere, quia fortiter illis obviam ibatur,

A & tandem hoſtes repulſi ſunt. Itaque frequenter res erat, & levia certamina fiebant, donec tandem induciæ factæ ſunt, quia ſua utriuſque intererat vindemiam facere, quamvis cum induciis etiam hoſtes ſæpe dilaberentur ad prædam ſolitam. Namque *Germani* alioquin ſtipendium parum habent, & gentilicium mos eſt ſemper agros vaſtare, & prædas agere. Interea hoſtes *Hiſpani* apud *Ateſte* oppidum *Montagnanam* & *Coloniam* erant quingenti milites, trecenti quinquaginta levites, & tria millia peditum & cum de iis, quæ fiebant apud *Forumjulii* certiores fierent, ut *Venetos* a propoſito diverterent, illi primo
B quoque tempore arma expedire, bellum parare, feſtinare, facere, & in novam expeditionem exire, deinde ducenti quinquaginta equites, & mille pedites vaſtatis paſſim agris, uſque *Patavium* ad duo millia paſſuum magnam prædam animalium egerunt. Et amplius præfectus *Archon* ex *Montagnana Bibaquiam*, & *Coloniam* venit centum octoginta milites, centum levites, & quingentos pedites colligere, atque ire *Vincentiam*, & auxilio pergere in *Forumjulii*. Quod cum *Veneti* viderent, ſtatim jubent levites ad *Vincentiam*, *Civitatulam*, & *Maroſticam*, ſaltus omnes antecapere, & hoſtibus inceptum iter præcludere.
C Sed hoſtes alioquin quia *Forijulii* confectum negotium intelligunt Viceregem expectabant, qui cum toto exercitu poſtquam *Vincentiam* venit frequenter conſultabatur, quomodo ipſi poſſent *Livianum* cum victore exercitu intercipere, & tandem decreverunt verſus *Civitatulam* iter arripere, atque inter montem *Bellunum* & *Tarviſium* ad *Plavim* amnem locum antecapere. Sed poſteaquam vident non poſſe fieri ex ſententia, ad *Montagnanam* & priores ſtationes partitis copiis ut prius temere ſtabatur. Igitur *Livianus* qui nuper *Patavium* redierat, ea rerum bene gerendarum occaſione uti ſedulo parabat contra hoſtes
D ducentos equites, & duo millia peditum, qui apud *Ateſte* oppidum morabantur, ſi modo poſſit inter *Ateſte* & *Montagnanam* ſuper *Ateſtenſes* hoſtes pluviis altas aquas intercidere. Sed poſtea facere ſuperſedit, quia hoſtes reſciverant, dum palam nimium ageretur. Et amplius hoſtes propterea arma expedire, cuncta utilia parare, impedimenta & ſcorta *Veronam* dimittere, & ſtatim in expeditionem exire, agros vaſtare, prædas agere, & totam regionem igni ferroque ſubvertere. Itaque primo ad turres prope *Vincentiam* caſtra hoſtium ſita ſunt, ubi & ſtatum eſt, donec paſſim meſſis pararetur, deinde quia vident tre-
E centos levites *Venetorum* cum duce *Bernardino Antignolio* & *Hannibale Lentio* apud *Civitatulam* temere perſiſtere, protinus ea occaſione uſi ſunt, & ſummo mane perrexerunt oppugnare *Civitatulam*. Sed primum certamen hoſtibus ſanguinolentum fuit, & illi repulſi ſunt, quia nondum muri ſatis prociderant. Namque alioquin cum hoſtes acrius egiſſent tormentis militiæ per ruinas muri facile oppidum ingreſſi ſunt fuſis fugatiſque *Venetis*, quorum multi etiam cæſi ſunt, & plures venerunt in poteſtatem hoſtium. Nihilominus cum victore exercitu hoſtes ad turres ſtabant, & quamvis *Venetorum* omnis exercitus ad
F *Brentellas* foris eſſet, frequenter ibant prædas agere, nulli ſexui parcere, & in omne ſcelus truculenter corruere. Atque ideo iterum fuga paſſim fiebat, & cum paupere ſupellectili ad montes & civitates ibatur. Poſtquam autem ea parte deſolata eſſet omnis provincia, quia pabulandi locus aberat, hoſtes caſtra inde poſuerunt inter *Montegaldam* villam & *Bachilionem* amnem verſus villam *Celvareſiam* ſtatione tuta exercitui propter apricos colles & amnem irriguum. Contra *Li-*

Livianus castra huc & illuc versus hostes movebat, & semper stabat intra fida divortia *Medoaci* fluminis, loco tuto & munito vallo & aggeribus, quia sua interest non pugnare, sed sine ense nudo cum ligone & scalpro superbum hostem subigere, tantisper dum utitur ista disciplina *Sertorii*, & conatur caudam potentis equi vicissim vellere. Usque adeo *Veneti* levites sociis auxilio semper in hostes ibant, leviaque certamina committebant, & nuper *Mercurius Bua* cum trecentis *Græcis* equitibus ad *Camisanam* villam hostem fudit fugavitque cum multorum pernicie, quia nimium temere & confidenter ibatur. Sed *Venetis* patribus castrorum adhuc locus suspectus erat, & iccirco *Dominicus Trivisanus* & *Leonardus Mocenicus* pater meus *Patavium* venerunt locum scrutari & prospicere, ne inde respublica detrimentum aliquod pateretur. Et tamen ubi antea stabatur, quia locus munitus erat undique alto flumine, distributis ordinibus, & tormentis militiæ, & ultra flumen super iter, quod duobus pontibus jungebatur duorum millium peditum præsidium erat, & a fronte versus hostes diducta alta & lata fovea, congestus agger, & disposita tormenta militiæ, ut hostes non possint nisi cum suo magno malo in certamen descendere. Quod identidem esse simul ac hostes etiam conspiciunt, statim inde recessum est, & itum castrametari *Coloniam Montagnanam* & *Ateste* oppidum iterum, quia ea loca opulenta sunt, & prope habent peninsulam *Rhodigii* frumentariam. Et amplius hostes centum quinquaginta milites, ducenti levites, & quingenti pedites prædatum usque *Caputaggeris* digressi sunt, ubi miseri agricolæ cogerant animalia, neque solum terrestri, sed & fluviatili itinere ibatur. Namque hostes omnes lembos & navigia collegerant, atque ibant etiam per amnem *Athesim*. Et quidem apud *Caputaggeris* acriter gesta res est, sed hostes tandem repulsi sunt, quia intus fortiter præsidio stabatur, & hostes nimium fessi erant propter iter longum & incommodum. Quare potius conversi sunt in Monasterium *Candianæ* villæ, ubi posthabita religione omnia prædæ militibus fuere. Et quia *Germani* præcipue prædas agunt & truculenter sæviunt, *Nicolaus Vendraminus* & *Mercurius Bua* cum quingentis levitibus per vallem *Suganam* usque *Tridentum* in *Germaniam* venerunt identidem facere agros vastare, prædas agere, villas capere & comburere. Atque amplius cum classe ex *Curita* insula in *Frangipanorum* loca *Buchari* & *Bucharige* audacter itum est, cæsisque hostibus & vi captis oppidis, omnia prædæ nautis fuere. Sed ea non impune fiebant, quia præcipue in *Istria Frangipanes* hostes erant, simul ac injuriam ulcisci volunt, quam sibi ex *Curita* insula parata classis intulerat. Et quidem per totam provinciam multum prædati sunt, donec pepigerunt inducias, quæ tamen postea parum servabantur, dum hostes etiam volunt prædas agere, & si quando *Veneti* conquerebantur & admonebant inducias intercedere, præsides hostium vicissim ajebant earum rationem habendam esse, atque id fieri non ex eorum sententia, & propterea *Veneti* omnino volebant inducias servare, quamvis facta hostium verbis consentanea non essent. Parte alia alioquin apud *Patavium* bellum vigebat, & quia palam nihil fœliciter attentari poterat, *Livianus* cum hostibus insidiis agebat, & sæpe vincebat stratagemate. Atque nuper identidem quia videt multos hostium cum multis navigiis onustis commeatu & mercibus temere apud *Ateste* oppidum stare, statim jubet uti ea occasione *Antonium Castellium* cum sexcentis peditibus, & ducentis equitibus. Igitur ille cum

A illuc venisset nocte media confestim admotis scalis oppidum ingressus est, & quia hostes tale nihil expectabant, & semisopiti erant, de illis magna edita cædes est. Namque omnes sibi constare non poterant, alii stare, alii arma capere, alii subterfugere. Contra *Veneti* cæsis hostibus igni ferroque omnia complere, vastare, diripere, plusque ducentæ vegetes vini profusæ sunt, abacta animalia, combusta navigia cum divite supellectili, & denique cum multis captivis, & magna præda impune recessum est. Postea quoque contra hostes ibatur partitis copiis & distributis ordinibus, ad *Fraxinum*, ad *Bovolonum* villam,
B ad *Ateste* oppidum, ad *Saletum*, & ad *Bibaquiam*. Et quidem magna victoria parta esset, si statuto loco & tempore noctis egissent. Sed quia mali & inscii viatores erant, qui ad montes & ad *Ateste* oppidum ibant obstrepere tympanistæ & tubicines capti sunt, & stratagema innotuit. *Livianus* tamen propugnaculum vi cepit ad *Bibaquiam* in quo cum *Moriglionus* esset cum centum quinquaginta peditibus, ille cum multis aliis in hostium potestatem venit, & cæteri omnes cæsi sunt. Atque amplius cum parte copiarum itum est usque ad portas *Montagnanæ*, Viceregem cum exercitu ad prælium provocare, & ille nunquam
C ausus est in certamen descendere. Adeo semper adversus imparatos hostes, quæcunque vires magnæ esse videri solent. Hostes autem propterea venerunt ultra amnem *Athesim* ad peninsulam *Rhodigii*, quia fida satis prior statio non habebatur. Sed frequenter etiam multum nocuit nimia confidentia. Namque dum temere statur ultra *Athesim* ad villam *Zeveum* cum ducentis levitibus, facile fuit *Malatestæ Balionio* & *Mercurio Bua* cum levitibus *Venetis* incautum hostem opprimere. Et quidem noctis silentio ea gesta res est, atque in trajiciendo *Athesi* difficultas fuit, quia oportuit abscindere compacta repagula & ferrea lamina.
D Sed postea quia in sola fuga spes hostium sita erat, de illis magna cædes edebatur, & nonnulli combusti sunt, qui in domo quadam se tueri volebant. Et quia propterea *Veronæ* tumultuatum est, trecenti milites, ducenti levites, & octingenti pedites sub *Archone* præfecto in urbem recepti sunt, & paulopost Vicerex etiam *Veronam* venit, & manserant super *Rhodigiana Pollesino* nonnisi trecenti milites, & mille pedites, qui *Veronam* etiam propediem ituri erant. Igitur *Livianus* non expectandum ratus in tanta occasione rerum bene gerendarum, adeo taciturnitate & celeritate usus
E est, ut *Athesim* trajecerit, & *Rhodigium* ingressus sit, antequam hostibus nunciaretur. Illi tamen trecenti milites ad forum acriter obsistere ausi sunt, & primo anceps certamen fuit. Adeo semper homines potentiores apparent, quando nulla spes salutis superesse videatur. Denique vero ingruente multitudine hostes oppressi & cæsi sunt, atque ingens præda militum fuit. In eo bello optime se gessit *Baldasar Scipionius*, qui Dux itineris & expeditionis erat, & primus urbem ingressus est. Atque amplius actum foret de cæteris equitibus & peditibus hostium, qui omnes in oppidum *Abbatiam* confugerant, nisi milites
F *Veneti* defessi essent ambulando die noctuque sub dio pluvioso per lutosa itinera. Aliter dum statur hostes relicto etiam *Lemniaco* confestim *Veronam* in pacatum fugerunt, & quia inibi propter insolentiam *Hispanorum* militum multæ discordiæ ortæ erant, *Livianus* in spem urbis potiundæ iterum ductus est, & quantum in se erat ea occasione utebatur. Namque ad *Oppianum* prope *Lemniacum* statim venit simul cum classe lemborum, & deinde *Veronam* propius ad villam *Ceream* stabatur, donec oportuit locum antecapere,

re, simul ac hostes trecenti milites, quingenti levites, & sex millia peditum *Lemniacum* festinare visi sunt. Namque hostes alioquin commeatus *Venetis* facile possent intercipere & illos cogere aut confligere, aut recedere, & quia nihilominus omnis exercitus hostium versus *Venetos* festinabat ad *Athesim* & *Lemniacum*, *Livianus* statim jubet levites ut prius vestigia hostium sequi, & nusquam manum conserere, sed cuncta scrutari, & se in momenta certiorem facere. Ipse vero omnia impedimenta dimittere, & cum equitatu & peditatu semper in procinctu stare, locare tormenta militiæ, ordines distribuere, festinare, parare, facere, ac si statim cum hostibus confligendum esset. Sed tantum abfuit, ut hostes potius ad *Roverchiaram* villam juxta *Athesim* castrametati sint, qui locus abest a *Lemniaco* quinque millibus passuum, atque inde paulopost ad *Tombam* venerunt & trajecerunt *Athesim* ad *Alboretum*, ubi magnam inopiam commeatuum passi sunt, quia classis fluviatilis & *Veneti* levites nunquam cessant vetare, intercipere, corrumpere. Hostes tamen expectabant, donec perageretur res *Bergomi*. Namque cum *Laurentius Cerinas* eam urbem deditione cepisset, & custodiret valido præsidio, Vicerex *Hispaniæ* cum *Prospero Columna* & quinque millibus hominum statim *Bergomum* venit, & ad portam *Catherinæ* civitatem obsedit. Et primo quidem tormentis militiæ acriter gesta res est, postea atrox certamen fuit, & quia muri nondum satis prociderant ho-

A stes nequiverunt in urbem vadere. Sed cum iterum tormentis militiæ ageretur, & prosternarentur mœnia, hostes parabant iterum in certamen descendere, quod cum videret *Laurentius*, quia non posset obsistere, protinus deditionem fecit, & omnes qui ad duo millia hominum erant, abire impune dimissi sunt & propterea res ipsa suspicione non caruit. Itaque capta urbe *Bergomo Livianus* non expectandum ratus Viceregem cum copiis, statim jubet *Dominicum Contarenum* legatum cum omni equitatu gravis armaturæ ad *Anguilariam* terrestre iter tenere, levites omnes ad *Monsilicem* obviam hostibus stare, qui *Ateste* oppidum jam antea venerant. Ipse vero cum
B omni peditatu impedimentis & tormentis militiæ, super lembos & majora navigia, secundo *Athesi* flumine noctis silentio vectus est, propter ingentem pluviam & valde lutosa itinera. Et quia equitatus trajecto flumine ad *Anguilariam Patavium* per biduum pedites antevenit, rerum bene gerendarum hostibus oblata occasio videbatur. Illi tamen ea usi non sunt, quia aquæ nimium altæ passim erant. Igitur *Livianus* usus celeritate consueta tandem cum exercitu impune *Patavium* venit. Et quia hyemis tempus erat exauthoravit milites inutiles, & deinde partitis copiis ad *Patavium* & *Taurisium* stabatur, atque ad *Caput Aggeris* aquæ super hostes abscissæ sunt,
C quia illi super peninsulam *Rhodigii* hyematum venerant.

Epitoma

EX LIBRO SEXTO.

A*NNALIBUS prorogatis induciis Regis* Gallorum *cum Rege* Hispaniæ, *adeo Regi* Angliæ *displicuit, ut statim ageret cum Rege* Gallorum *de pace & de nuptiis, atque tandem Rex* Gallorum *sororem Regis* Angliæ *uxorem duxit, & pacem fecit conditionibus illis, quas Rex* Angliæ *poposcerat, ut posset iterum in Italiam venire sicut & maxime studebatur. Sed inter talia opera Rex* Ludovicus *interiit, &* Franciscus *primus ejus nominis suffectus est, qui cum* Veneti *maluerunt innovare vetera fœdera, quam sine* Verona *cum Rege* Romanorum *pacem facere, quemadmodum Pontifex iterum iterumque hortatus est. Namque & Rex* Franciscus *velle in* Italiam *venire videbatur, si modo posset convenire cum Pontifice. Sed tantum abfuit, ut Pontifex iniret alienum fœdus cum regibus &* Helvetiis, *qui vicissim parabant in* Vasconiam *& in* Burgundiam *irrumpere. Parte alia hostes contra* Venetos *e stationibus exierant, & videbantur velle diripere flocos sericeos, qui* Vincentiæ *fiebant, nisi* Livianus *cum exercitu protinus locum antecapiat. Et quidem confidenter stabatur, donec cum hostibus levioribus certaminibus ageretur. Sed postquam hostes festinabant locum capere aut confligere,* Livianus *maluit versus* Patavium *in pacatum recedere. Deinde apud* Patavium *stabatur, studebaturque augendis copiis & exercendis levitibus in hostes proximos, ne sicut vellent impune possent messem asportare & prædas agere. Sed paulopost alioquin versus* Gallos *ibatur, quia hostes abibant versus* Helvetios. *Namque* Franciscus *Rex* Gallorum *cum magno exercitu in* Italiam *festinabat, & contra* Helvetii *conabantur saltus antecapere. Sed dum* Helvetii *starent ad* Monchalerium *&* Pinarolium, Galli *omnes per viam* Argentariam *trajecerunt impune in* Italiam, *atque in primo vestibulo ad* Villamfrancham *incautum offenderunt ceperuntque* Prosperum Columnam *cum trecentis militibus. Postea agebatur de pace cum* Helvetiis *qui recesserant ad* Varesium. Galli *vero venerant ad* Marignanum, Hispani *ad* Placentiam *stabant, &* Veneti *e regione ad* Laudam, *atque sæpe inter* Venetos *&* Hispanos *levia certamina fiebant, quia* Hispani *volebant se cum* Helvetiis *jungere. Sed dum ea res agitur* Helvetii *repente* Gallos *aggressi sunt, & pugna atrox fuit quantum alia. Namque* Galli *stabant injuriam repellere, &* Helvetii *iterum iterumque conati sunt ordines disturbare. Denique* Galli *vincebantur, nisi* Livianus *statim subsidio venisset, & apportasset victoriam. Namque propterea redintegratum prælium est, atque* Helvetii *tandem cum magna strage fusi fugatique sunt, & urbs* Mediolanum *deditionem statim fecit. Sed super arce* Mediolani *&* Cremonæ *aliquandiu difficultas fuit, denique cum viribus acriter ageretur, Dux* Maximilianus Sfortia *se & utramque arcem dedit, ut Cardinalis promoveretur, & vigintimillia numum in* Gallia *annuatim haberet. Igitur Rex* Gallorum Mediolanum *venit, & res omnes composuit cum Pontifice. Pariter exercitus Pontificis & Regis* Hispaniæ *abscessit, atque* Livianus *cum exercitu veneto contra* Brixiam *statim movit. Ubi dum differtur aliquid agere, ipse incidit in gravem ægritudinem, & morte præventus est, atque oportuit sufficere* Joannem Jacobum Triultium, *& deinde tormentis militiæ contra* Brixiam *acriter agebatur. Sed parum cessit ex sententia, quia hostes eruptione facta* Venetos *fuderunt fugaruntque combusserunt pulverem igniferum, & asportarunt tormenta militiæ. Postea Magnus nothus* Allobrogum *cum magnis præsidiis in castra venit, & contra* Brixiam *acrius stabatur, denuoque agebatur tormentis militiæ, & cuniculis*

culis subterraneis. Sed cum mœnia excavassent & posuissent super ligneis pessulis, hostes pacti sunt deditionem facere, nisi post viginti dies subsidium venisset, sicut & postea venit, atque Veneti *frustrati sunt, & ad* Gaidum *hyematum recessum est. Quoniam vero gratulari oportebat cum Rege* Gallorum *propter partam victoriam de* Helvetiis, *quatuor oratores* Veneti *viri primarii apud* Mediolanum *eo officio functi sunt, & comitati Regem usque* Bononiam *ad Pontificem, ubi per quatriduum actum est de bello & pace, & de aliis omnibus, quæ spectare ad Regem & Pontificem viderentur. Et cum vicissim composuissent omnia ex sententia, Rex* Gallorum Mediolanum *rediit, & in* Galliam *repedavit. Postea venit in castra* Veneta *Dominus* Lutrech *cum magno subsidio &* Theodorus Triultius *gubernator* Veneti *exercitus cum* Andrea Gritti, *qui legatus in castris* Dominico Contareno *suffectus est, atque iterum* Brixiam *obsederunt, & frequenter agebatur levibus certaminibus, ut semper fieri solet, quando in propinquo hostis est. Et quidem galli &* Veneti *in spem urbis potiundæ facile ducti sunt, quia majoribus viribus agebatur. Sed parum profuit, cum postea Rex* Angliæ *datis pecuniis Regem* Romanorum & Helvetios *movisset. Namque primo quoque tempore Rex* Romanorum *cum magno exercitu in* Italiam *venit, &* Gallos *tantus timor incessit, ut non auderent hostem conspicere, & volebant in* Galliam *abire, nisi* Veneti *vetassent hortando & comprimendo vim hostium apud* Castellum Asulam, *ubi viribus agebatur, & hostes nunquam potuerunt oppidum capere. Sed eo relicto nihilominus contra* Gallos & Venetos *ibatur, quousque* Mediolanum *ventum, & contra hostes acriter statum est, simul ac* Helvetii *subsidio venerunt adversus* Helvetios. *Itaque cum acriter obviam hostibus iretur, & staretur cum* Helvetiis, *qui nolebant pugnare contra* Helvetios, *quia* Mediolanenses *res novas moliri non possent, & Rex* Romanorum *solvendo amplius non esset, ipse statim abiit, & ab hoste paulatim recessum est. Sed non impune fiebat, quia omnibus locis obviam hostibus ibatur, & multi cæsi aut capti sunt, quousque iterum in* Germaniam *iretur. Cum vero Rex* Romanorum & Helvetii *abiissent, omnis exercitus* Venetorum & Gallorum *iterum contra* Brixiam *venit. Sed hostes cum viderent in magno discrimine rem sitam esse, magis ad concordiam declinabant, & tandem æquis conditionibus urbem & castellum tradere passi sunt, atque impune cum divite supellectili per Tridentum in* Germaniam *abire. Capta* Brixia *contra* Veronam *itum est, sed parum cessit ex sententia, quia paulopost rumor cepit increbrescere venire iterum* Helvetios, *& protinus ad* Pischeriam *recessum est, commeatum vetare, & tantum levibus certaminibus semper agere. Sed hostes alioquin usque* Patavium *totam messem, & magnam copiam commeatuum prædati sunt, & aliquando venerunt* Vincentiam *etiam impune diripere quia exercitus nimium distaret, & præsidia apud* Patavium & Vincentiam *non sufficerent. Quare cum expectatæ pecuniæ e* Gallia *venissent Dominus* Lutrech *contentus fuit contra* Veronam *iterum in expeditionem exire. Sed inter eundum ex collisione curruum in pulverem igniferum magnum incendium venit cum magna jactura reipublicæ, quia cum grandi impensa oportuit iterum munimenta reparare, & tamen contra* Veronam *nihil fiebat. Namque* Galli *identidem volebant dissimulare, & non urbem capere, sicut apud* Bursellem *civitatem in pace perpetua cum Rege* Hispaniæ *conventum est. Non tamen propterea desistebatur bello assiduo, & vicissim contra* Veronam *tormentis militiæ acriter agebatur, atque amplius cum magna pars muri procubuisset, parabatur in certamen descendere. Sed dum ea res agitur nuncius e* Burgundia & Germania *ad Dominum* Lutrech *confestim in castra venit, & amplius ferebatur obsessis iterum ingens præsidium festinare, quibus rationibus* Galli *iterum ducti sunt omnia imperfecta relinquere, & conclamatis repente vasis ad* Villamfrancam *recessum est, atque inde frequenter levia certamina fiebant, quia* Galli & Veneti *maxime volebant commeatum vetare, atque hostem ad deditionem cogere præ inopia earum rerum, quæ esculenta & poculenta sunt. Itaque* Crovaria *castellum unde commeatus in urbem ferebantur, frequenter captum & receptum est, quia modo nostrorum, modo hostium vires ampliores erant. Sed magis intererat quod iterum ferebatur, venire subsidium e* Germania, *atque auctore Cardinale* Sedunensi *Regum oratores novum fœdus in* Gallos & Venetos *jurasse. Namque propterea Dominus* Lutrech *volebat* Mediolanum *abire, & inopiam militum causabatur, ut non nisi magnis impensis commeatuum in eum locum retenti sunt, donec apud* Bursellem *per oratores ageretur de pace inter Regem* Gallorum & Romanorum, *& de induciis inter Cæsarem &* Venetos. *Et quidem* Helvetii *festinarunt pacem cum Rege* Gallorum *antefacere, quia paulopost Cæsar cum Rege* Gallorum *pacem perpetuam fecit, & cum* Venetis *inducias pactus est. Itaque urbs* Verona *in* Venetorum *potestatem venit, & milites ad stationes dimissi sunt, quia induciæ vigebant, & difficultates aliæ inter Regem* Romanorum & Venetos *sitæ erant in manu Regis* Gallorum *& Regis* Hispaniæ. *Denique* Andreas Grittus *Dominum* Lutrech *usque urbem* Laudam *comitatus est, &* Venetias *rediit, quo venit, & paulopost Gubernator* Triultius, *atque in navi* Bucentoria *cum omnibus signis lætitiæ exceptus est.*

LIBER SEXTUS.



Posteaquam inter *Gallos* & *Hispanos* annales induciæ prorogatæ sunt, in dies magis magisque agebatur de nuptiis filiæ Regis *Gallorum Rayneriæ* cum *Ferdinando* fratre Ducis *Burgundiæ*, atque identidem *Julianus Medices* operam dabat sororem Ducis *Allobrogum* uxorem ducere, & quia per eos dies uxor Regis *Gallorum* perierat, videbatur pacis præsentaneum remedium fore, si soror Regis *Angliæ* pulchra adolescentula Regi *Gallorum* nuberet. Et quidem Rex *Angliæ* velle id facere videbatur, simul ac æquo animo ferre non poterat, se invito Regem *Hispaniæ* inducias fecisse. Sed volebat *Nervim* urbem tenere, & habere annuum vectigal numum quinquaginta millium, atque in bis decennium decies centena millia, & tandem Rex *Gallorum*

A sororem Regis *Angliæ* uxorem duxit, atque istis conditionibus pacem facere passus est, ut posset *Helvetiorum* audaciam comprimere, & venire iterum in *Italiam*. Igitur Rex *Gallorum* festinare, parare, facere quæcunque utilia viderentur & quia super ea re mens Pontificis in incerto erat, rogabatur identidem sententiam dicere, & quantum auxilii Regi *Gallorum* laturus esset. Ille vero semper ajebat, se nolle quicquam palam facere, donec oppositum videretur, quia Rex missos fecisset mille ducentos milites, & decem millia peditum. Namque Pontifex alioquin dissimulabat cum Rege *Gallorum*, & opem pollicitus hortabatur eum in *Italiam* festinare, quousque
B ejus adventus incertus esset. Sed postquam innotuit Regem per annum non accessurum in *Italiam*, Pontifex stabat cum Rege *Germaniæ* & *Hispaniæ*, *Florentinis*, *Genuensibus*, *Mediolanensibus*

ſibus & *Helvetiis*, atque enixius curabat *Venetos* cum Rege *Romanorum* componere. Sic enim putabat facile fore ut Rex *Gallorum* ab incepto deſiſteret, quia ſine *Venetis* ſociis illi veniendi in *Italiam* nimia difficultas eſſet. Sed *Veneti* ſemper voluerunt fidem inviolatam ſervare, quam ſemel Regi *Gallorum* præſtiterant. Et cum ad eam rem nomine Pontificis *Petrus Bembus* ex *Roma Venetias* veniſſet, illi nunquam paſſi ſunt *Veronam* Cæſari relinquere & pacem facere. Itaque Pontifex poſtquam videt *Venetos* ut putarat ſuarum partium non fore, & Regem *Gallorum* cum exercitu in *Italiam* feſtinare, non ſatis ſciebat quid faceret. Et quia hinc *Hiſpani*, inde *Galli* ſæpe Pontificem petebant, ſe ſuarum partium oſtendere. Ille ſemper differebat in tempus aliud, dum mallet pacem omnium curare, quemadmodum fieri ſtudebatur, ut ſe poſitis armis *Mediolanum* Regi *Gallorum* cederet, & unicuique redderetur quod ſuum eſt. Interea vero *Ludovicus* Rex *Gallorum* morte præventus occubuit, & in ejus locum *Franciſcus* gener ejus ſuffectus eſt, atque illico *Veneti* cum eo innovarunt vetera fœdera, dum ille qui munificentiſſimus eſt meritiſſimos quoſque donis ampliſſimis accumulat & vacat haſtiludiis, quemadmodum & *Livianus* in honorem ejus apud *Patavium* fecit & magnifica haſtiludia geſta ſunt. Namque in eo ſolo *Venetorum* ſita ſpes erat, & frequenter rogabant in *Italiam* feſtinare. Sed ille nolebat in expeditionem exire, niſi domi prius omnia pacaſſet. Igitur primo quoque tempore pactis nuptiis ſibi conſanguineum fecit Ducem *Geldriæ*, Ducem *Cleves*, & Ducem *Legiæ*, ut illi ſi opus eſſet obviam irent Regi *Romanorum* & *Helvetiis*. Namque *Helvetii* æquo animo ferre non poterant Regem *Gallorum* ſibi rem *Mediolani* & *Genuæ* audacter aſciſcere. Aliter cum Rege *Angliæ* fœdus ſancitum eſt, & Dux *Burgundiæ* Regi *Gallorum* ſponte debitum homagium detulit, atque volebat ejus conſanguineum fieri, & *Rayneriam* in conjugem ducere. *Franciſcus* autem Rex *Gallorum* cum Pontifice *Leone decimo* quantum in ſe fuit ſemper egit, ut unum velle & nolle viciſſim eſſet, ſed tantum abfuit, ut paulopoſt inter Pontificem Regemque *Germaniæ* & *Hiſpaniæ*, Ducem *Mediolani* & *Genuæ*, *Florentinos* & *Helvetios*, contra *Gallos* & *Venetos* clandeſtinum fœdus initum ſit, quo tenerentur *Helvetii* ad duodecim millia hominum in *Burgundiam* irrumpere, dummodo darentur in menſe quolibet triginta millia numum, & alia totidem ſi eorum aliis duodecim millibus in *Italia* opus eſſet. Atque amplius Rex *Hiſpaniæ* jam completis induciis res novas moliri videbatur ad confinia *Vaſconiæ*. Igitur Dominus *Lutrech* cum mille militibus contra *Hiſpanos* venit, & ſimiliter adverſus *Helvetios* Dominus *Tremuliæ* cum copiis in *Burgundiam*, & *Joannes Jacobus Triultius* cum octingentis militibus in *Provinciam* profectus eſt. Interea vero Rex *Romanorum* fruſtra tentavit in *Fraimburgenſi* conventu nepotem ſuum Ducem *Burgundiæ* in Regem *Romanorum* ſubrogare, quia forte inter agendum *Maguntinus* Archiepiſcopus morte præventus eſt, & ſimiliter fruſtra iterum iterumque hortatus eſt Viceregem *Hiſpaniæ* in *Forumjulii* cum copiis ire, quia nimium illi factu periculoſum videbatur. Itaque iratus Rex *Romanorum* divertit ad Regem *Pannoniæ* & *Poloniæ* contra *Venetos* auxilium implorare, & ad eam rem ſimul & contrectandis Regum nuptiis Cardinalis *Gurgenſis* in *Hungariam* venit, & egit de conventu regum apud urbem *Poſſonium*. Namque alioquin dum Rex *Romanorum Moſcovitis* faveret, illi Rex *Poloniæ* amicus non erat, adeo frequenter pactis connubiis

A multæ inimicitiæ regum ſedari ſolent. Nihilominus *Romæ*, oratores *Germaniæ* & *Hiſpaniæ* ex altera, & ex altera *Galli* & *Veneti* ſuper habendo Pontifice enixe contendebant, & maxime *Petrus Landus* orator *Venetus*, & poſtea *Marinus Georgius* ea opera frequenter uſus eſt, atque ajebat ſi Pontifex animadvertat Regis *Gallorum* fidem, vires, potentiam, & opes cumulatiſſimas, nunquam divertat ad Regem *Germaniæ* & *Hiſpaniæ*, quorum alter velit *Italiam* ſubigere, alter aſpiret in dominium temporarium Eccleſiæ, quaſi aliter Cæſar ſemper auguſtus eſſe non poſſit. Sed Pontifex pati non poterat Regem *Gallorum*
B cum exercitu in *Italiam* venire, quamvis alioquin verba daret & videretur ſuarum partium fore, tantiſper dum apud ipſum in incerto res eſſet. Namque alioquin Dux *Mediolani* verebatur, ne *Galli* per urbem *Genuam* progrederentur in *Italiam*, quia frequenter inter eos de concordia agebatur, & ſæpe ibant & redibant viciſſim nuncii, atque ideo ut ipſi locum antecapiant primo quoque tempore ab *Helvetiis* in eam expeditionem ibatur. Sed *Helvetii* ad quatuor millia peditum erant, & contra *Octavianus Fregoſius* habebat circiter quinque millia peditum, atque amplius Pontifex cum exercitu volebat ſuppetere, niſi oporteret
C potius rem ſuam agere, quando *Helvetii* etiam *Parmam* & *Placentiam* parabant ſubigere. Namque *Helvetii* confluebant in dies amplius ad triginta millia hominum, ſed plerique contra *Gallos* ad ſaltus montium antevenerant, atque octo millia peditum cum Duce *Mediolani* in expeditionem ibant, & contenti erant recedere ad juſſa Pontificis, ſi modo *Genuenſes* contra *Gallos* vellent perſiſtere, atque *Helvetiis* dare numum octoginta millia. Rex autem *Gallorum* propterea laceſſitus injuria contra *Helvetios* ingentes copias parabat, & cito trajecturus in *Italiam* videbatur. Et quia hucuſque diſſimulaverat cum Pontifice,
D ille maxime verebatur, & parabat mille milites & numum ducentis quinquaginta millibus, quæ comparaverat ex inſtitutis & venditis novis officiis, quatenus alioquin maxime pecuniis egeret. Namque opes etiam ſubminiſtrabat *Hiſpanis* & *Helvetiis*, & tandem *Hiſpanis* dedit bullam initi fœderis cum Duce *Mediolani* & *Helvetiis*, atque ultra ſuos milites volebat *Urbinatem* Ducem contra *Gallos* in expeditionem exire non contentus cum *Gallis Parmam* & *Placentiam* habere, & pro *Juliano* fratre annales proventus ad numum quinquaginta millia. Interea ver ſacrum venerat, &
E hoſtes milites ſeptingenti, quingenti levites, & tria millia peditum cum muralibus & campeſtribus tormentis militiæ, e ſtationibus parabant diſcedere, atque eo maxime quia *Veneti* levites ubique illis infeſti erant. Et nuper *Mercurius Bua* uſque ad portas *Veronæ* accurrerat, & cum comitem *Chariati* incautum offendiſſet munimenta urbis forte proſpicere illum intercipere tentavit. Sed ille ocyſſime arrepta fuga ſe projecit in urbis foveam, & ſic e manibus hoſtium dilapſus eſt. Parte quoque alia *Joannes Naldius* cum centum quinquaginta peditibus repente trajecto *Atheſi* ad *Anguilariam* ante lucem adortus eſt levites præ-
F fecti *Peticii*, qui ſuper *Rhodigianam Polleſinum* ad concas æneas ſtabant. Et quia illi nihil tale verebantur multi cæſi & ſaucii, atque triginta eorum capti ſunt. Igitur hoſtes omnes cum tormentis & inſtrumentis militiæ conſtitutis ordinibus videbantur velle *Vincentiam* prædatum ire, niſi *Livianus* cum parte copiarum protinus locum antecapiat, ubi tandem & duo millia peditum ex *Patavio* & milites ex oppidis e ſtationibus collecti ſunt, & juſſus eſt *Laurentius* præfectus peditum, qui nuper *Tauriſium* venerat ſtatim cum mille

mille peditibus versus *Vincentiam* festinare, ut sociis auxilio iretur, agros servare, & vermium operariorum sericeos flocos, quorum pretium ad triginta millia numum summatim ferebatur. Deinde prope hostes levitibus *Venetis* stationes datæ sunt, ut semper referant, quid hostes agant, & ubique illis infesti sint. Hostes autem passim ex *Verona*, *Brixia*, & *Bergomo* copias in castra colligere, & præsertim ex *Germania* exercitui supplementum adcersire, & postquam trecenti equites Pontificis, & supra quatuor millia hominum in castra hostium venere. Illi primo quoque tempore scorta & impedimenta *Veronam* dimittere, arma expedire, & bellum enixe parare. Denique paratis omnibus ex sententia omnis exercitus hostium *Coloniam* venit, atque inde videbatur magnis itineribus repente *Livianum* incautum aggredi velle, quia ille adhuc cum parte copiarum *Vincentiæ* stabat, quamvis Patres nullo pacto vellent rem *Venetam* belli discrimen aliquod subire, dum Rex *Gallorum* cum expeditissimis copiis in *Italiam* festinaret. Sed *Livianus* nullis rationibus adduci poterat, ut loco abscederet, namque proculdubio putabat, hostes nunquam facturos copiam pugnandi, quia pauciores essent, & sæpe levioribus certaminibus vincerentur. Sed alioquin contra spem evenit, quia hostes ausi sunt usque ad *Barbaranam* villam cum toto exercitu *Venetis* obviam ire, & amplius ituri videbantur, quasi velint propediem confligere. Quæ cum primum *Liviano* nunciarentur, quia ille constituerat manum cum hoste nequaquam conserere, sublatis repente signis noctis silentio versus *Patavium* recessit, & impune ad *Brentellas* castrametatus est. Et deinde curabat novos milites adscribere, ut mille ducentos milites & decem millia peditum haberet, quemadmodum Patres venienti Regi polliciti sunt. Sed quia inter agendum imperatoris exercitus & præfecti peditum simultas occulta patuerat, *Dominicus Trivisanus*, & *Georgius Cornelius Patavium* venerunt eam discordiam compescere, & tandem nihil magis expediens apparuit, quam primo quoque tempore præfectum peditum versus *Cremam* abire, & venientibus *Gallis* fortiter agendo suppetere. Hostes autem incustoditam *Vincentiam* venerant vastare, & diripere, & victis nihil reliqui facere, atque amplius cum omnis regio desolata esset, *Leonicum* venerunt & deinde colligendis frugibus vacabant, quæ præsertim super *Rhodigianam Pollesinum* nimia incuria prædæ hostibus relictæ fuerant. Et quia *Livianus* tantam rerum jacturam æquo animo ferre non poterat, cum toto exercitu protinus *Ateste* oppidum venit, & contra hostes acriter stabat, ut *Rhodigianam Pollesinum*, intactasque fruges servaret & disturbaret consilia hostium, qui ad duo millia equitum, & tria millia peditum semper intenti stabant commeatus abunde *Veronam* abducere. Itaque vicissim stabatur, & quamvis hostes sæpe pararent *Venetis* obviam ire, & illuc versum itinera levigare, non tamen nisi levioribus certaminibus agebatur, dum hostes passim prædari volunt, & *Veneti* levites sociis auxilio ubique sunt. Jam vero *Franciscus* Rex *Gallorum* convenerat cum Rege *Angliæ* & Duce *Genuæ*, nihilque habebat antiquius quam dare operam, ut primo quoque tempore in *Italiam* iretur. Deinde festinare, parare, facere omnia utilia, & passim equites peditesque adscribere. Denique cum omnia ex sententia parasset statim jubet *Petrum Navarium* cum decem millibus peditum saltus montium antecapere, & probe prospicere, quæ via esset facilior. Deinde omnis exercitus duorum millium militum, & triginta millium peditum *Grannopolim* venit, & cum auxiliaribus copiis pecuniisque, Duci *Genuæ* literæ datæ sunt, ut cum quingentis militibus, & decem millibus peditum *Laurentio Cerinati* se jungat, & quantum in se est citra montes agat pro Rege Christianissimo, atque Dux *Ferrariæ* & Marchio *Mantuæ* commoniti sunt identidem facere. *Petrus* autem *Navarius* cum scrutaretur saltus montium elegit locum insolitum, quia explanato quodam cacumine inde apparebat via commodior tormentis militiæ. Namque alioquin tres saltus montium habentur, quibus in *Italiam* itur, quorum duo Collis agni ad castellum *Delphinum*, & *Perosa* difficiles & invii sunt tormentis militiæ. Tertius autem *Susa* facilis est, nisi custodes *Susanam* civitatem petant, quæ claudit iter & ad pedem *Mongenеurii* sita est. Sed quia intra montes persistere difficile admodum erat, nisi commeatus abunde suppeterent, ordines *Helvetiorum* citra saltus distributi sunt, ad *Susam* decem millia peditum, ad *Pinarolium* sex millia, & ad *Salucium* octo millia ubi stabat & *Prosperus Columna* cum trecentis militibus. Interea vero venienti Regi *Gallorum* viæ parabantur. Namque parte alia ultra *Padum* ex *Genua* Dux *Octavianus Fregosius* cum quinquaginta militibus, & duobus millibus peditum ubique hostibus infestus erat, & parte alia citra *Padum* identidem faciebat ex *Crema Laurentius* cum ducentis militibus, quingentis levitibus, & duobus millibus peditum agros vastare, prædas agere, atque ipsa oppida in fidem Regis recipere. Namque *Helvetii* ad viginti millia hominum ad *Moncalerium* & *Pinarolium* convenerant, simul ac *Galli* ea parte trajecturi viderentur. Et quidem illud stratagema illorum fuit, quia interea sine aliquo impedimento per viam *Argentariam* ad confinia *Genuæ Gallorum* omnis exercitus magnis itineribus in *Italiam* venit, & in primo vestibulo ad *Villamfrancam* Dominus *Palliseus* qui cum septingentis militibus & sex millibus peditum semper exercitum anteibat, *Prosperum Columnam* cum trecentis militibus incautum offendit, & quia nihil tale verebatur facile locus vi captus est, & *Prosperus* cum militibus in hostium potestatem venit. Et quidem ea jactura maxima *Helvetiorum* fuit, quia non habebant alios equites, qui possent commeatui suppetere. Posteaquam vero Regis omnes copiæ collectæ sunt, versus *Novariam* contra *Helvetios* audacter ibatur, & illi nolle amplius confligere, sed ad pacem declinare videbantur de qua frequenter etiam agebatur. Non tamen *Galli* desistebant procedere, & maxime studebatur, ne *Hispani* jungi possent cum *Helvetiis*. Namque *Hispani* ad eam rem versus *Placentiam* ibant, ubi erat omnis exercitus Pontificis præter *Marcum Antonium Columnam*, qui cum centum militibus, sexaginta levitibus, & duobus millibus *Germanorum* peditum præsidio *Veronam* concesserat. *Livianus* autem cum toto *Veneto* exercitu identidem *Gallis* obviam movit, & sequebatur *Hispanos*, ut nusquam jungi possent *Helvetiis*. *Helvetii* vero retrocesserant ad *Varesium* oppidum situm prope lacum *Larium*, atque ideo *Gallorum* omnis exercitus usque ad *Buffaloriam* venit, & *Joannes Jacobus Triultius* cum trecentis militibus, & septem millibus peditum longius ivit ad *Fanum Christophori* prope *Mediolanum* ad duo millia passuum. Atque inde urbem petere quatuor regii Caduceatores frustra præmissi sunt, quia superbe responsum est, & potius viribus agendum esse videbatur. Atque ideo *Joanni Jacobo Triultio* cum copiis, & *Petro Navario* cum decem millibus peditum demandatum negotium est. Parte vero alia Dominus *Cletensis* cum sexcentis militibus, & parte alia *Livianus* cum toto

exercitu *Venetorum* viciſſim moliebantur copias Pontificis Cardinalem *Sedunenſem* & *Helvetios* incautos offendere, cum illi nuper *Laudam* civitatem prædatum veniſſent. Sed tantum abfuit, ut Pontificii iterum *Placentiam*, & *Helvetii Vareſium* cum magna præda antevenerint, atque exercitus *Venetorum Laudam* vacuam intravit, & Rex *Gallorum* cum toto exercitu *Marignanum* oppidum venit, quod *Mediolanum* & *Laudam* interjacet, ut viciſſim ſemper auxilio ubique ſint & vetent *Hiſpanos* pontificioſque uſquam *Helvetios* convenire. Quamvis enim cum *Helvetiis* de pace diu actum eſſet, & tandem viginti duo obſides *Helvetiorum* haberentur, & darentur illis numum centum ſexaginta millia, ex octingentis millibus quibus convenerant. *Helvetii* tamen iterum parabant in expeditionem exire, & videbantur velle *Gallos* hoſtes decipere. Namque Cardinalis *Sedunenſis* ſtatim ex *Placentia Mediolanum* venit, & fœdus initum ſumma ope dehortatus eſt. Atque amplius eo authore imitante *Spartanum Leonida* rumor ceperat increbreſcere *Hiſpanos* cum *Gallis* certare, quibus auxilio ſtatim eundum eſſe videretur. Igitur *Helvetii Mediolanum* venerunt ad viginti quatuor millia hominum, atque inde conſtitutis ordinibus cum ingenti multitudine *Mediolanenſium* idibus Septembris hora diei vigeſima ſecunda *Gallos* hoſtes ad *Marignanum* aggreſſi ſunt. Et quidem primo levibus certaminibus agebatur, denique collatis ſignis certatum eſt per totam noctem uſque ad diei ſequentis horas quindecim, dum pugna quantum alia unquam fuit valde ſanguinolenta & atrox eſſet. *Galli* in caſtris ſtabant ſub ordinibus militiæ. *Helvetii* non deſiſtebant iterum iterumque invadere, & conabantur ordines diſturbare, modo per medias acies *Gallorum* ire, modo præſidium, modo ſubſidium impetere, multi utrinque cadebant, plurimi ſauciabantur, horriſonus clamor & ſtrepitus armorum ad cœlum ferebatur. *Galli* tormentis militiæ & cataphractis militibus præſtabant. *Helvetii* ſuis ordinibus, & valido peditatu magis pollebant. Denique parte alia in præſidium, & parte alia in ſubſidium *Gallorum* acriter agebatur, & utrinque *Galli* cedere viſi ſunt, ut ſola ſtaret media acies & robur exercitus, tueretur que tormenta militiæ, quo & Rex ipſe ſubſidio venerat, & inter primos fortiter agebat. Namque inibi belli vis major incubuit, & multi prope Regem cadebant, quorum aliquando contritum cerebrum in oculos Regis proſiluiſſe dicitur, & Rex ter haſta percuſſus eſt. Sed ſemper vulnus in thoracem deſivit, ut ipſe videretur rem ſuam collabantem ſuſtinere. Semper hortando & pollicendo omnia prædæ militibus fore. Sed utrinque *Gallorum* deterior fortuna videbatur, quod cum videret *Joannes Jacobus Triultius* qui cum præſidio & peditatu *Vaſconio* adverſus *Helvetios* pugnabat, ſtatim decrevit equitatum gravis armaturæ hoſtibus objicere tanquam munimentum peditibus, & ſtatim jubet nunciari Regi tale conſilium, qui erat cum ſubſidio & peditibus *Germanis*, quos vocant *Lancenech*, ut parte alia acrius etiam ageretur. *Helvetiorum* autem ſubſidium hucuſque ſteterat, & deinde retrorſum divertit invadere Regem cum ſubſidio a lateribus, & forte venerant per convallem in locum aſcendere, ubi pugnabatur. Et ecce *Livianus* cum nobilibus & equitatu levitum repente improviſus affuit, & clamor ingens exortus eſt. Quo fit ut re inſperata, & quia *Helvetii* putarunt *Venetorum* omnem exercitum eſſe, ſtatim conterriti compulſi ſint aufugere, atque identidem cæteris *Helvetiis*, qui cum *Gallis* pugnabant, timor additus, & *Gallis* audacia. Itaque acceſſum & multum eſt, quando *Livianus* cum quinquaginta nobilibus ſtatim ſubſidio venit. Namque *Gallos* a fuga effuſa & *Helvetios* a feroci pugna continuit, redintegratumque prælium eſt, & amplius cum primum cæteræ etiam *Venetæ* omnes copiæ veniſſent de *Helvetiis* tanta edita cædes eſt, ut vix eorum pars quarta ſupererit. *Gallorum* quoque multi deſiderati ſunt, nepos Domini *Barbonii*, filius Domini *Tremuliæ*, & alii quatuor magni Duces, & quatuor millia hominum. *Venetorum* vero maxime deplorata mors eſt *Clapini Pitiglianii* qui adoleſcens animoſus pluſquam apta ætas eſſet fortiter in hoſtes agendo celebri morte perierat. Itaque a *Gallis* & *Venetis* de *Helvetiis* parta eſt victoria tantum celebris quantum legitur a *Julio Cæſare*, capta *Helvetiorum* cum pilato majori cuncta vexilla, atque omnia impedimenta, & tormenta militiæ, cæſaque hoſtium decem millia, atque amplius ſex millia hoſtium qui in nemore proximo aufugerant, & qui *Mediolanum* ibant, quia recepti non ſunt protinus in patriam fugerunt. *Hiſpani* autem & *Romani* duo millia militum, mille levites, & quindecim millia peditum, qui nuper *Padum* trajecerant, ut *Helvetiis* ſociis ſe jungant, audita tanta clade ſtatim redierunt *Placentiam*, & protinus abierunt in pacatum dum illis integrum eſſet. Secundum eam pugnam *Mediolanenſes* quoque veniam & pacem implorarunt & impetrarunt etiam facile, atque amplius authore Duce *Allobrogum* cum *Helvetiis* de concordia agebatur, & deinde duo de viginti oratores *Mediolanenſium* in caſtra Regis venerunt urbem tradere. Sed ſuper arce *Mediolani* & *Cremonæ* difficultas erat & viribus agebatur, namque *Magnus Nothus Allobrogum* cum parte copiarum oppugnabat arcem *Cremonæ*, & *Petrus Navarius* cum decem millibus peditum contra *Mediolani* caſtellum acriter ſtabat, atque agebat maxime tormentis militiæ ſubterraneiſque cuniculis. Et quia tandem Dux *Sfortia* videt rem ſitam in magno diſcrimine *Cremonæ* & *Mediolani* arcem deditione tradidit, ut Cardinalis promoveretur, & viginti millia numum in *Gallia* annuatim haberet. Poſtea Rex *Gallorum* cum magna pompa in urbem *Mediolanum* ingens triumphum egit, & quia multum refert quarum partium Pontifex eſſet, res omnes cum ipſo compoſuit. Itaque omnis exercitus Regis *Hiſpaniæ* & Pontificis ſtatim abſcedit & Regi ceſſit *Parma* & *Placentia*, ſimul ac ipſe contentus fuit rerum Eccleſiæ patrocinium ſumere. *Livianus* autem cum toto *Veneto* exercitu contra *Brixiam* ibat, & inſuper e *Gallis* ad eam rem deſtinatus erat *Magnus Nothus Allobrogum* & *Theodorus Triultius* cum ſeptingentis militibus, & ſeptem millibus *Germanorum* peditum. Sed longa mora auxiliatorum *Gallorum* rei gerendæ magnum impedimentum attulit, quia dum differtur, mille pedites hoſtium ſubſidio *Brixiam* venerunt, & præfectus *Hiſpanus Brixienſes* cives *Venetæ* factionis expulit, cum quibus antea familiariter de deditione *Veneti* loquebantur. Quare *Livianus* deinde malebat *Veronam* oppugnare, quia ea convehendis utilibus commodior & minus munita videretur, atque amplius capta *Verona* ſuper *Brixia* parva difficultas ſupererat. Sed tamen nihil fiebat, tum quia pontificiæ & *Hiſpanæ* copiæ *Veronæ* ſubſidio *Padum* ad *Hoſtiliam* præferebant trajicere, quibus obviam ire ambo exercitus aliquando moliti ſunt, quouſque *Hiſpani* iterum *Neapolim*, & pontificii verſus *Bononiam* inceptum iter aggreſſi ſunt, tum quia *Gallicæ* copiæ quæ *Venetis* auxilio debebantur apud habendam *Cremonam* longas moras traxere, non denique quia *Livianus* apud *Gaidum* oppidum incidit in

in malam contusi ventris ægritudinem, qua & tandem nonis Octobris immatura morte præventus est. Et ea quidem fuit maxima gloria quod tunc periisset, quando posset optime vivere, & tanto desiderio omnium teneretur, ut diu in castris Cadaver etiam delatum sit. Non tamen propterea desistebatur bello, sed *Veneti* milites vi ceperunt *Pischeriam* cæsis trecentis *Hispanis* peditibus, atque habitis nunciis Regis *Gallorum* *Asula*, *Lonatum*, & *Sermenium* desciverunt ad *Venetos*. Atque amplius cum omnibus copiis contra *Brixiam* ibatur, quia Rex *Gallorum* *Mediolani* & *Cremonæ* castella deditione obtinuerat, & *Magnus Nothus* cum gallicis *Auxiliis* in castra *Veneta* festinabat. Sed *Joannes Jacobus Triultius* Imperator in castris *Venetis* antevenit, & cum ventum esset prope *Brixiam* ordines distributi sunt, & primo quoque tempore ceptum est tormentis militiæ acriter in urbem agere. Contra nihil segnius hostes vicissim agebant, & identidem vexabant *Venetos* tormentis militiæ, sæpe etiam eruptione facta usque ad stationes *Venetorum* ibatur, & levia certamina fiebant. Atque nuper amplius sexcenti pedites hostium repente fecerunt impetum in tormenta militiæ, & quia temere stabatur, quamvis centum milites, & sex millia peditum essent, omnes re insperata in fugam conversi sunt præter *Joannem Paulum Manfronum*, qui cum triginta militibus vim hostium aliquantum repressit. Illi tamen disturbarunt omnia, combusserunt pulverem igniferum, & asportarunt in urbem decem tormenta militiæ cum tanta *Venetorum* ignominia, ut illi consternarentur animi, & *Gallorum* auxilia non profutura viderentur, quandoquidem semper multum refert adversa initia rerum gerendarum habere, & supra omnes alios *Joannes Jacobus Triultius* ægre tulit, & deinde hortabatur paulisper recedere, quia tempus pluviosum esset, & hyems instaret rebus agendis semper incongrua. Regis autem *Gallorum* longe aliena mens erat, namque ille omnino volebat reparare rempublicam, atque ideo statim jubet Dominum *Telagni* visum ire, quæ usui forent, simul ac & *Magnus Nothus* cum sexcentis *Gallis* militibus, & septem millibus peditum venit in castra *Veneta*. Igitur consultabatur quid facto opus esset, & maxime studebatur habendo pulverem igniferum instrumentaque alia & tormenta militiæ, & cum jam omnia parata essent, iterum & acrius *Brixiam* obsederunt. Et quia *Germani* pedites contra Cæsarem nolebant opera militiæ facere, illi tandem dimissi sunt & subrogati *Vascones* pedites ad quatuor millia hominum, deinde duobus simul locis cœptum est agere tormentis militiæ. Namque parte altera stabant *Galli* quingenti milites, & quatuor millia peditum, atque parte altera *Veneti* noningenti milites, mille quadringenti levites, & novem millia peditum. Jam vero acriter actum erat tormentis militiæ, & projecerant muri quantum poterant. Namque alioquin hostes murum e terra congesserant, & duxerant altum aggerem, atque ideo ulterius cuniculis agebatur. Et quidem *Galli* ex altera, & ex altera *Veneti* continuis operibus vias subterraneas excavabant, & operabantur sub tutissimis munimentis. Namque intereundum semper terram fulcibant ligneis pessulis, & ibatur per foveam ad urbis mœnia, atque amplius conabantur scalpris murum incidere, & frequenter suffodiebant parietem. Deinde ne pars illa procumberet supponebant lignea repagula, & procedebant ulterius, quousque totam urbem fulcirent ligneis pessulis, & quia opus erat insolitum atque inexhaustum *Joannes Jacobus Triultius* & *Petrus Navarius* semper instabant, & primi erant

A inter talia opera. *Petrus* etiam *Navarius* novum opus incepit ad portam pilarum, ubi cum mille quingentis peditibus castrametatus est. Sed hostes vetabant quantum poterant cuniculos contra suffodere, & disturbare ignibus omnia quæcunque fiebant. Atque amplius multi hostium ex *Verona* conabantur *Venetos* ab oppugnatione divertere, & nuper agmine facto sexcenti equites, & quinque millia peditum repente *Venetos* quadringentos milites, & totidem levites aggressi sunt, qui sub duce *Joanne Paulo Manfrono* & *Mercurio Bua* præsidio apud *Vallegium* erant. Sed quia temere stabatur pauci *Venetorum* voluerunt

B vim hostium expectare, & retrorsum ibant, quod cum vidisset *Julius Manfronus* non potuit pati tantam ignominiam, & cum paucis ausus est in hostes confertissimos impetum facere. Sed parum cessit ex sententia, quia tandem equus ejus vulneribus confossus est, & cum ipse pedes diu pugnasset, denique multitudine hostium victus est, & in potestatem illorum venit. Atque amplius ex *Germania* parabatur majoribus copiis *Brixiæ* propediem suppetere. Igitur propterea *Galli* & *Veneti* ducti sunt convenire cum hostibus authore Domino *Bonæ Vallis* quibus vellent conditionibus, dummodo illi post viginti dies urbem tra-

C dere paterentur. Namque sic honestius visi sunt deferre ad *Gaidum* majora tormenta militiæ, & paulisper recedere, quia alioquin timebant, si qua vis ingruat ex *Germania*. Et quidem ejus rei authores erant cives *Gambarenses*, dum volunt ea via *Venetos* ab oppugnatione detinere & frustrari, sicut & factum est, quia dum statur tantum abfuit *Brixiam* tradere, ut potius *Germani* hostes ad sex millia peditum venerint *Amphum* castellum statim capere. Neque spes eos fefellit, quia oppidani postquam vident rem sitam esse in magno discrimine, maluerunt deditionem facere & impunitati consulere, sicut & tria millia peditum

D qui debebant subsidio festinare, ne ausi quidem sunt venientem hostem conspicere. Et amplius tantus timor in castris incessit, ut protinus obsidione soluta recessum sit, atque ad *Gaidum* hyematum ibatur, simul ac hostes in *Brixiam* commeatum & subsidium portassent. Dum ea in castris agerentur *Mediolanum* venerunt ad Regem *Gallorum* oratores *Veneti* *Antonius Grimanus*, *Dominicus Trivisanus*, *Georgius Cornelius*, & *Andreas Grittus* omnes procuratores & viri primarii. Et cum postera die ingressi essent ad Regem cum magna pompa *Dominicus Trivisanus* ejusmodi oratione usus est. *Jure quidem Rex invictissime ea*

E *habentur amicorum maxima officia, quæ in rebus lætis vicissim gratulando fieri solent. Namque ex eo maxime patet amicitia mutua, quando eisdem similiter afficimur. Atque nobis tanto magis lætandum est ob partam victoriam quanto magis conjunctissimi sumus & nihil superest, nisi invicem semper officiis certare. Et profecto simul ac vidimus te cum florentissimo exercitu in Italiam festinare, belli diuturni omnia aspera & dura æquo animo passi sumus, quia istam diem maxime sperabamus, ut tu communes hostes vinceres, & reparares collabantem nostram rempublicam. Venisti & vicisti tuis auspiciis tantum hostes Helvetios, quantum a Julio Cæsare non*

F *legitur. Namque cum illi pro virili acriter agerent, tibi etiam major victoria parta est. Et cum primum quæ ipse gesseras in senatu relata sunt, omnes lætabantur & magnificabant tua gesta semper memoranda quantum erga te noster amor expostulat. Et statim Patres nos elegerunt ut veniremus cum omnibus signis lætitiæ, & apud te isto officio omnibus viribus animi fungeremur. Nos vero lætamur non quantum volumus, sed quantum possumus, quia alioquin verba invenire non valemus, quæ nostros affectus pos-*

sent exprimere. Illud satis constat evenisse quod maxime sperabamus. Namque parta victoria cum Mediolanum receperis tibi & nostræ reipublicæ faustum fœlixque fore proculdubio putamus. Et nos quidem totius reipublicæ maximam lætitiam prætulimus, quia oratores venimus jam confecti senio & functi omnibus magistratibus. Ergo lætamur & gratulamur iterum iterumque omni affectu animi, & precamur te prosequi partam victoriam, & reparare nostram rempublicam. Ne alioquin spes ea nos fallat, quam in te solo jampridem reposuimus. Postquam *Dominicus Trivisanus* ea dixit, per Magnum Scribam paucis responsum est. *Regem libenter vidisse & amice oratores complecti, qui venerant & merito lætarentur, quia etiam res sua ageretur, sicut & actum erat auxiliaribus copiis reipublicæ, quæ cum multum pro rege passa esset, ipse quoque vicissim conaretur beneficiis pensare, ut cito omnibus daretur intelligi, Regem agere ea omnia, quæ plena officii essent erga rempublicam.* Postea cum *Helvetii* ad *Concordiam* declinare viderentur, Rex parabat convenire Pontificem apud *Bononiam*, atque eam rem maxime *Laurentius Medices* apud Regem agebat, & *Bonivetus Gallus* orator apud Pontificem. Et quamvis *Galli* Duces putabant periculosum fore se Pontifici credere. Rex tamen iter facere aggressus est cum nostris etiam oratoribus, atque eum venientem apud urbem *Regium* duo Cardinales *Fliscus* & *Medices* susceperunt, & comitati sunt usque *Bononiam*, ubi tandem præstita obedientia Rex cum Pontifice de pace & bello vicissim locutus est. Et quia multum intererat ceperunt agere de pace omnium & de induciis, atque ad eam rem statim jubent fratrem *Egidium* Eremitam in *Germaniam* ire & videre, si posset *Venetos* conciliare cum Rege *Romanorum*, & habere *Veronam* & *Brixiam* cum pecuniis. Namque Pontifex alioquin invenit Regem secundum cor suum, donavit Cruce gemmata, coram ipso rem divinam fecit; & in gratiam Regis fratrem Magni magistri Cardinalem instituit, simul ac Rex etiam cessit sanctioni pragmaticæ. Deinde cum simul stetissent per quatriduum, Pontifex peractis rebus omnibus versus *Florentiam* & *Romam* abiit, & Rex identidem cum viginti quinque millibus equitum quibus *Bononiam* venerat, iterum *Mediolanum* reversus est. Et quia videt rem *Venetam* contra *Brixiam* egere majori subsidio præsertim illud consultabatur quod Dominus *Satiglionius* retulerat, cum nuper e castris *Venetis* venisset. Namque ille ajebat exercitum recessisse ad stationes propter tempus hyemis, quia simul ac custodes temere saltus montium deseruerant, videbatur e republica fore, prope urbem ad stationes stare, saltus montium recipere, commeatum subsidiumque vetare. Sed cum Rex potius vellet exercitum contra *Brixiam* redire, statim jubet Dominum *Lutrech* & *Andream Grittum* ire & videre, si oportet supplementum exercitui mittere, qui cum redissent & retulissent quid facere opus esset, datum negotium est Domino *Barbonio*, quem Rex voluit suum locum in *Italia* tenere, & ipse magnis itineribus in *Galliam* abiit, quia oportebat *Helvetios*, Ducem *Burgundiæ*, & Regem *Angliæ* sedare. Igitur apud Dominos *Gallorum* posita in consultatione res est, & tandem putarunt operæ pretium esse Dominum *Lutrech* & *Theodorum Triultium* Gubernatorem in castra *Veneta* venire, & contra *Brixiam* in expeditionem redire. Namque alioquin passim ad saltus stabatur; & *Mercurius Bua* cum levitibus usque urbem frequenter ire, pabulatores intercipere, commeatum vetare, & omnia infesta reddere. Atque amplius nuper cum offendisset prope *Brixiam* pedites equitesque, qui

A pabulatum venerant, statim in illos impetum fecit, & hostes facile vincebantur. Sed ex urbe subsidium venit, & redintegratum prælium est, atque pugna fuit multum aspera, quia paribus animis & viribus agebatur. Sed postquam frater Gubernatoris *Brixiæ* cum duodecim militibus in *Venetorum* potestatem venit, omnes alii usque in urbem fusi fugatique sunt, atque eo maxime hostes consternati animi erant, quia duo strenui Duces peditum perierant, & præfectus militum captus est. Nihilominus parum hostibus cessit ex sententia cum vellent pecunias in *Brixiam* portare. Namque *Joannes Fregosius* cum *Joanne Corado Ursino* & parte copiarum repente ad *Amphum* castellum illos aggressus est, & ad mille hostium aut cæsi aut capti sunt. Atque amplius hostes e *Verona* qui venerant *Venetos* divertere, vix potuerunt in urbem impune recedere, quia apud *Pischeriam Venetorum* & *Gallorum* ingens præsidium erat, & contra hostes acriter ibatur. Itaque utrinque hostes repulsi sunt, & vetitum est pecunias in *Brixiam* portare. Non tamen pecuniæ in manus *Venetorum* venere, quia hostes illas per lacum asportarunt in *Germaniam* cum multis tamen lachrymis, quia multi Duces *Lotronienses* Domini, & magni viri *Germaniæ* in illo nocturno certamine cæsi sunt. Postea *Joannes Jacobus Triultius Mediolanum* abiit, & venit Dominus *Lutrech* cum trecentis militibus, & tribus millibus peditum, necnon *Theodorus Triultius* gubernator in castra *Veneta*, & *Andreas Grittus* legatus *Dominico Contareno* suffectus est, & vicissim agebatur de expeditione *Brixiæ*, quam iterum parabant suscipere. Namque alioquin stabant in *Vallesabia* quingenti supra duo millia peditum, & curabant *Amphum* castellum reficere, quia alia loca non ita patent magnis exercitibus & tormentis militiæ, atque amplius penetrarunt agros vastare, prædas agere, castellumque *Lotronium* & *Astorium* comburere. Pari modo partibus aliis frequenter levia certamina fiebant, namque levites ubique infesti erant omnibus, qui pabulatum ibant. Et nuper cum inter pedites certamen esset, *Petrus Navarius* statim subsidio venit, & hostes intra urbem repulsi sunt. Denique *Galli* omnes & *Veneti* festinare, parare, facere omnia utilia, ut primo quoque tempore contra *Brixiam* iterum in expeditionem iretur. Interea vero Regi *Angliæ* relatum est, Regem *Gallorum* vicisse *Helvetios* quod nunquam antea putarat. Et quia æquo animo ferre non poterat, semper egit cum Rege *Romanorum* & *Helvetiis*, donec illi pecuniis victi sunt, & statim transmisit centum viginti millia numum, ut darentur *Helvetiis*, qui cum rege *Romanorum* adversus Regem *Gallorum* in expeditionem exirent. Namque *Helvetii* declinabant ad *Anglos* quamvis octo Anguli eorum convenissent cum Rege *Gallorum*, & accepissent scutorum numum ducenta millia. Putabant enim magis rem suam agere, si possent ut solebant *Mediolanum* abrodere, quia alioquin fœdus inter Reges *Germaniæ*, *Hispaniæ* & *Angliæ* proclamatum est, & Rex *Hispaniæ* magnam classem parabat, & contra *Gallos Venetos*que Regi *Romanorum* subministrabat pecunias, ut videretur propediem magnum malum *Gallis* & *Venetis* imminere ex Rege *Hispaniæ*, qui etiam convenerat cum Duce *Burgundiæ* tantum *Hispanias* gubernare, quantum viveret. Et quidem tantillum fuit, quia ille paulopost morte præventus est, ut de componenda *Hispania* potius ageretur. Aliter rumor cepit increbrescere Regem *Romanorum* venire in *Italiam* cum viginti millibus hominum, & Viceregem *Hispaniæ* cum valido exercitu equitum & peditum. Igitur *Galli* & *Veneti* festinare,

para-

parare, facere omnia quæ uſui ſunt, paſſim pedites adſcribere, & ſupplementum exercitui mittere. Denique in conſultatione iterum iterumque poſita res eſt, quid agendum eſſet, ſi *Germani* prorumperent in *Italiam*, & decretum eſt ſtare ad *Pontemvicum*, & *Dominum Barbonium* cum altero exercitu *Cremonam* venire. *Veneti* vero maxime intenti erant *Amphum* caſtellum munire, & locare duo millia peditum ad ſaltus in *Vallem Sabiam*, & mille pedites ad anguſtias *Bagolini* in *Vallem Trumpiam*, ut alioquin omnis exercitus contra hoſtes ſtaret, ſi per *Veronam* aliqua vis ex *Germania* ingrueret. Atque amplius Rex *Gallorum* voluit partitis cum *Venetis* ſtipendiis octo millia *Helvetiorum* contra *Helvetios* adcerſere. Jam vero Rex *Romanorum Tridentum* venerat cum viginti millibus hominum ex inferiori & ſuperiori *Germania*, & acies peditum viciſſim *Veronam* ibant. Sed quia temere nimium ibatur ex altera ripa *Galli* quingenti milites & *Joannes Victorius* cum *Mercurio Bua*, & equitatu levitum, contra hoſtes occaſionem quærebant, & tentabant trajicere ad *Guſſolengum*, ad *Pontonum*, & ad *Scluſam*. Sed ubique contra acriter ſtabatur, & agebatur miſſilibus telis & tormentis militiæ. Quod cum vidiſſent *Galli* & *Veneti* diſſimularunt pauliſper recedere, & cum hoſtes abiiſſent ex ſtationibus ad *Scluſam* ubi vadari poterat, ſtatim *Veneti* levites per illam viam *Helvetios* aggreſſi ſunt. Et quia ſine ordine & ſine imperio ibatur, *Helvetii* centum & ſexaginta aut cæſi aut capti ſunt, & reliqui vix potuerunt per montes evadere. Poſtquam vero Rex *Romanorum Veronam* venit, inde cum quinque millibus equitum, & quindecim millibus peditum ex ſuperiori & inferiori *Germania* ſub imperio & ſub ordinibus militiæ in expeditionem ibatur. *Veneti* autem bene muniverant *Patavium* & *Vincentiam* & collegerant ad quatuor millia hominum, atque identidem parte alia omnem exercitum habebant ſimul cum *Gallis* ad *Piſcheriam* ubi hortabantur ſtare ultra *Mintium* & nuſquam recedere. Namque *Venetorum* & *Gallorum* omnis exercitus conſtabat tribus millibus militum, & viginti millibus peditum. Et tamen *Gallos* tantus timor inceſſerat, ut ne auderent quidem hoſtem conſpicere. Igitur cum hoſtes procederent, ultra *Mintium* & amnem *Oleum* receſſum eſt, atque omnis exercitus *Cremonam* venit, ubi cum in conſultatione ſita res eſſet, decreverunt ad flumen *Abduam* ſub munimentis ſtare. Namque alioquin vis hoſtium repreſſa eſt apud caſtellum *Aſulam*, ubi præſidio manſerant centum milites, & quadringenti pedites ſub ducibus *Antonio Martinengo*, *Petro Longeno*, & *Georgio Vaila*. Hoſtes enim volebant oppidum capere, egeruntque viribus & tormentis militiæ. Sed quia a *Franciſco Contareno* præſide cum oppidanis & militibus acriter hoſtibus obviam ibatur, illi tandem fruſtrati ſunt & receſſerunt cum ignominia. Non tamen propterea *Galli* & *Veneti* potuerunt loco perſiſtere, quia cum primum hoſtes trajeciſſent amnem *Oleum*, illi reliquerunt *Cremonæ* præſidium trecentorum militum, & trium millium peditum, atque ſtatim per viginti ſex millia paſſuum receſſerunt ad amnem *Abduam*, ne hoſtes locum antecaperent. Et amplius cum hoſtes poſtridie veniſſent ad ripas *Abduæ*, *Gallorum* & *Venetorum* omnis exercitus *Mediolanum* venit. Adeo Dominus *Barbonius* & Duces *Galli* ſummopere verebantur, ne alioquin res ſuæ aliquod detrimentum paterentur, & moliebantur etiam in *Galliam* aufugere, niſi *Andreas Grittus* & *Andreas Triviſanus* dehortati eſſent. Igitur *Mediolani* ſtabatur, & deinde feſtinare, parare, facere omnia utilia, ordines diſtribuere, excubias locare, ad ſex portas urbis præponere Dominum *Barbonium*, *Joannem Jacobum Triultium*, Dominum *Lutrech*, Dominum *Palliſæ*, *Theodorum Triultium*, & Magnum Scutiſerum, tres alias occludere, ſuburbia relinquere, & ſolam urbem cuſtodire, munire undique altis aggeribus, & paſſim ponere tormenta militiæ. Poſtremo conſultabatur quid agendum eſſet, quia multi etiam volebant diſcedere, niſi opportune diceretur *Helvetios* poſtridie venire, & propterea contra hoſtes acriter ſtabatur cum peditibus omnibus & octingentis militibus. Nam cæteri milites ſtabant per vicina oppida & levites ad *Aſulam*, ut hinc inde in hoſtes frequenter iretur commeatum vetare, ordines diſturbare, & ubique laceſſere. Jam vero hoſtes venerant ad Domum *Albam* prope *Mediolanum* ad ſeptem millia paſſuum, & quantum poterant conati ſunt ſeditionem movere. Et quia ſemper agebatur levibus certaminibus, hoſtes nuper venerunt uſque urbem verſus portam *Rentiam* ad mille paſſuum, quod cum *Galli* & *Veneti* vidiſſent, ſtatim combuſſerunt urbis ſuburbia, & hoſtes paululum receſſerunt, videbanturque urbem *Papiam* aut *Cremam* poſſe capere, niſi trecenti milites, & quatuor millia peditum ſtatim ſubſidio *Papiam* veniſſent, & *Cremam* octingenti pedites, & ducenti milites. Namque *Galli* reparaverant animos, ſimul ac *Helvetii* ad octo millia hominum veniſſent, & parabant hoſtibus obviam exire. Sed *Helvetii* nolebant confligere cum *Helvetiis*, & contenti erant apud *Mediolanum* ſtare, atque inibi omnia opera militiæ facere. Rex autem *Romanorum* cum ſolvendo non eſſet, ſtatim declinavit cum toto exercitu ad flumen *Abduam*, & retrorſum paulatim ibatur, ſimul ac non potuit urbem conſpiratione recipere, unde pecunias ſperabat. Et deinde ajebat ego recedo & revertar cito, vos ſtate & cavete a pileatis equitibus, qui ſicut deus, ubique ſunt, & cum hæc dixiſſet ſubterfugit impetus *Helvetiorum*. Namque in caſtris alioquin ſeditio orta erat, atque *Helvetii* ſtipendia emerita volebant, & parabant ad *Gallos* deſciſcere, dum hinc inde cum *Helvetiis* ageretur. Illi tamen *Helvetii* ad quindecim millia hominum qui cum Rege *Romanorum* merebant perrexerunt urbem *Laudam* capere & diripere, atque amplius volebant alibi identidem facere, quod cum *Gallis* & *Venetis* relatum eſſet, ipſi omnino volebant in expeditionem exire & ſolicitabant *Helvetios*, qui & tandem ducti ſunt dare literas *Helvetiis*, ut illi recederent, qui contra mentem dominorum venerant. Aliter ajebant propediem fore, ut cum *Gallis* contra ipſos etiam cum ſuæ gentis damno & ignominia bello acriter ageretur. Sed quia in incerto res erat *Galli* volebant bene munire præſidio peditum *Mediolanum Papiam Cremonam*que, & cum omni equitatu abeuntem hoſtem ſemper ſequi, & commeatum vetare. Sicut etiam frequenter fiebat, atque agebatur levibus certaminibus. Et nuper *Mercurius Bua* cum equitatu levitum fudit fugavitque ſexaginta equites hoſtium, qui paululum abſceſſerant, & cum aliqui fugiſſent in turrim Eccleſiæ proximæ, & nollent ſe dedere, igne ſtatim ſuppoſito Orator Ducis *Urbini* cum duobus Eccleſiæ fratribus combuſtus eſt, & *Cæſar Feramuſca*, duoque *Papienſes* per funes venire in manus hoſtium paſſi ſunt. Pari modo parte alia ultra flumen *Abduam* fœliciter geſta res eſt, namque ex *Crema Baldaſar Signorellus* cum parte copiarum impetum fecit in trecentos equites hoſtium, & parvo diſcrimine ſeptuaginta eorum interfecit, & cepit quadraginta cum divite ſupellectili, atque identidem a *Venetis* levitibus frequenter alibi fiebat.

bat. Namque ubique infesti erant prædas agere, commeatum vetare, pabulatores intercipere, ordines disturbare, & nusquam otium pati. Sed apud *Mediolanum* cum *Helvetiis* difficultas orta est, quia simul ac abunde acceperunt pecunias, multi repedarunt in patriam, & reliqui nolebant in expeditionem exire. Atque ideo valde dubitabatur, quamvis expectarentur ex *Gallia* duo millia militum, & viginti millia peditum, ne Rex *Romanorum* iterum in expeditionem exiret, quia ivisset *Bergomum* expilare. Sed tantum abfuit, ut potius Rex *Romanorum* abierit in *Germaniam* cum sexdecim millibus numum, & cum quinque millibus hominum, simul ac in ejus exercitu dissidium venit, & pedites *Germani* ceperunt ad *Gallos* desciscere. Igitur omnis exercitus dissolvebatur, & *Helvetii* ex *Lauda* abibant in patriam, alii turmatim in urbes ibant, alii in *Germaniam*, & ab omnibus non impune recessum est. Namque *Galli* & *Veneti* ea occasione usi sunt, dum partitæ hostium vires essent, ubique infesti erant invadere, occidere, intercipere, & de multis magna cædes edebatur, quousque omnes convenerunt iterum ad *Romanum* prope *Bergomum*. Namque illuc venit Marchio *Brandiburgensis* cum pecuniis, & compositis rebus ex sententia parabatur iterum in expeditionem redire, quamvis postea omnis exercitus hostium potius ad stationes *Bergomum* venit, quia pecuniæ ad stipendia non suffecerant, & expectabantur ex *Germania*. Sed dum nimium statur, *Germani* & *Hispani* pedites *Brixiæ* ad tria millia hominum desciverunt ad *Gallos* & *Venetos*, atque amplius cum Cardinalis *Sedunensis Bergomum* venisset, & non esset omnibus solvendo, octo millia *Helvetiorum* per vallem *Brembanam* & *Tollinam* abierunt in patriam, & alii omnes male contenti numo singulo *Brixiam* ibant subsidium & pecunias expectare. Sed non impune ibatur, quia *Galli* & *Veneti* gravis & levis armaturæ ad duo millia equitum semper vestigia hostium sequebantur commeatum vetare, ordines disturbare, atque intercipere, qui palantes ibant, semper vexare, & nunquam manum conserere. Namque alioquin hostes nuper ad *Montem Clarum* parabant confligere, & distributis ordinibus steterunt obviam venientibus, & tamen inter levites solummodo certamen fuit, quia *Galli* & *Veneti* paulisper recesserant, tantisper dum tormentis militiæ acriter ageretur. Itaque hostes semper paulatim recedebant agendo levius certaminibus, & hortando Cæsarem ut saltem vinci non pateretur, si non posset vincere & solvendo non esset. *Galli* vero & *Veneti* non desistebant ubique hostibus molestos esse, commeatum vetare, passim itinera intercidere, ut demum hostes compulsi sint magnis itineribus *Pischeriam* venire, & cogitare de abitione in *Germaniam* præ inopia commeatuum. Et tandem *Germani* pedites cum equitibus & *Marco Antonio Columna Veronam* iterum ingressi sunt, & omnes *Helvetii* per montes proximos abierunt in *Germaniam*. Quod si ut par erat *Gallorum* & *Venetorum* omnis exercitus statim contra abeuntes hostes movisset, proculdubio non amplius de civitatibus ageretur. Sed *Galli* voluerunt nova mandata Regis expectare, & *Venetos* vicissim solvere stipendia sex millium suorum peditum, & deinde festinare, parare, facere cuncta utilia. Denique cum omnibus copiis sub auspiciis Domini *Lutrech* contra *Brixiam* ibatur, quia putabant e republica fore, potius quam *Veronam* illam urbem oppugnare, ubi non essent nisi quingenti *Hispani* pedites subsidio. Atque ideo *Veneti* qui antevenerant pugna manuaria media nocte ausi sunt urbem repente invadere, scalas ad-

A movere, murum ascendere. Contra hostes modo stare, modo obviam ire, & non nisi moriendo locum deserere, multi utrinque peribant, plures sauciabantur, denique quia scalæ essent breviores quam possent sufficere, & contra acriter ageretur, *Veneti* non potuerunt in urbem vadere. Postea vero Dominus *Lutrech* cum omnibus copiis contra *Brixiam* venit vicissimque ad saltus positæ custodiæ, & ordines distributi sunt, ut simul quatuor partibus acriter ageretur tormentis militiæ, ne pauci hostium qui intus erant ubique possent suppetere. Igitur hostes desperatione ducti ceperunt potius agere de concordia, & tandem

B conventum est urbem & castellum tradere, nisi postridie subsidium venisset. Namque alioquin *Germani* & *Hispani* hostes ad septem millia hominum nocte intempesta per viam *Amphi* id facere conabantur. Sed tantum affuit, ut illi vetiti sint, quia passim ad saltus omnes acriter stabatur. Quod cum urbis custodes vidissent, contenti fuerunt urbem & castellum statim dare, & abire impune cum divite supellectili. Sicut & factum est, atque hostes omnes sexcenti pedites, & quadringenti equites cum quinquaginta quinque curribus onustis rerum omnium protinus abierunt per *Tridentum* in *Germaniam*, & Domi-

C nus *Lutrech* cum *Andrea Gritto* & valido præsidio cunctis applaudentibus urbem *Brixiam* ingressus est. Deinde studebatur pecunias exigere a *Brixiensibus* quindecim millia, & a *Bergomensibus* quadraginta quatuor millia. Namque *Galli* petebant triginta quinque millia, antequam contra *Veronam* in expeditionem exirent. Sed postea cum venissent literæ Regis in eam sententiam, ut primo quoque tempore in eam expeditionem iretur, Dominus *Lutrech* cum omnibus copiis contra *Veronam* ibat, & usque *Pischeriam* venit. Deinde amnem *Mintium* ponte jungere & trajicere, agros vastare, & prædas agere. Postremo

D parabant identidem amnem *Athesim* ad *Gussolengum* trajicere, & *Veronam* propediem obsidere, ubi ad novem millia hominum erant. Sed postea rumor cepit increbrescere Regem *Angliæ* in *Gallos* iterum movisse *Helvetios*, & cum dicerentur adventare, *Galli* volebant omnino discedere, & quamvis *Veneti* ægre ferrent, tandem ad *Pischeriam* recessum est, distributique ordines sunt citra & ultra *Mintium*, quasi ad stationes staretur, & pons erat ad villam *Monzambaniam* meandi & commeandi ut usui foret, simul ac semper cum hostibus ageretur messem asportare, commeatum vetare, levites ubique esse & invadere, usque ad

E urbem frequenter ire, & nusquam otium pati. Namque alioquin ferebatur *Helvetios* ad quinque millia hominum subsidio *Veronam* venire, & alios ad quindecim millia hominum velle in agrum *Mediolanensem* irrumpere. Atque amplius *Prosperus Columna* nuper manumissus e *Gallia* cum Cardinali *Bibiena* & *Mutio Columna Mutinam* venit, & videbatur in *Gallos* res novas moliri, factiosos movere, festinare, parare, facere omnia utilia, ut primo quoque tempore venientibus *Helvetiis* subsidio foret. *Laurentius* quoque *Medices* per idem tempus cum exercitu Pontificis Duce expulso *Urbinum* & *Pisaurum* cepit, &

F *Joannes Franciscus* cum altero exercitu contra urbem *Mirandulam* ibat. Quod cum vidisset Dominus *Lutrech* veritus ne pejus etiam fieret, statim jubet *Petrum Navarium* cum ducentis militibus, & duobus millibus peditum in eam expeditionem exire. Et quidem parvo momento hostes ad *Mirandulam* fusi fugatique sunt, & ultra *Padum* pacata omnia. Namque parte alia apud *Veronam Germani* pecunias non habebant & solvendo non erant militibus, atque iccirco ex *Helvetiis*

vetiis subsidium non venit, & in urbe diffidere ceptum est, atque *Hispani* & *Germani* ad duo millia hominum desciverunt ad *Venetos*, & gratanter in castra excepti sunt, quia identidem conditionibus habituri *Veronam* videbantur, sicut *Brixia* potiti sunt, simul ac ad *Venetos Germani* pedites desciverant. Aliter parte alia subsidium venit e *Germania* ad duo millia hominum, & hostes frequenter ibant versus *Vincentiam* & *Patavium* agros vastare & prædas agere, quia contra non multis copiis stabatur, & *Veneti* impares erant quingenti milites, sexcenti levites, & quatuor millia peditum, nisi levioribus certaminibus ageretur. Namque alioquin hostes impune apud *Suavium* stabant, & in urbem *Veronam* portabant omnem messem & magnam copiam commeatuum. Postremo magnis itineribus venerunt usque *Vincentiam* diripere, atque inde *Veronam* impune cum magna præda regressi sunt. Et tamen Dominus *Lutrech* nolebat cum exercitu ad *Athesim* procedere, & vetare quæ fiebant prædationes & vastationes agrorum. Nanque causabatur non esse solvendo suos milites, & velle a *Venetis* tertia stipendia pro sex millibus *Germanorum* peditum atque amplius in promptu pecunias esse propter illos, qui *Veronam* exibant & veniebant merere *Veneta* stipendia. Itaque per mensem apud *Pischeriam* stabatur, donec pecuniæ venerunt e *Gallia* & ex *Venetiis*, & deinde parabatur iterum contra *Veronam* in expeditionem exire, atque eo maxime in spem urbis potiundæ ducti sunt, quia *Veronæ* tumultuatum erat, & populares gravati novis contributionibus, & milites opum vacui ad deditionem spectabant, multique pedites continue discedebant & veniebant in castra *Veneta*, ut opes non sufficerent ad tot & tanta, quæ exigebantur antequam castra uspiam moverentur. Nanque Dominus *Lutrech* volebat omnia utilia in promptu habere antequam in expeditionem iretur. Igitur tandem pecuniæ delatæ sunt, atque instrumenta & tormenta militiæ, quæ possent operi sufficere, & deinde cum omnibus copiis ad villam *Gussolengum* ibatur. Et quidem *Galli* steterunt citra *Athesim*, & *Veneti* trajecerunt ultra *Athesim*, & *Sclusa* castello deditione potiti sunt, ut tutius in valle *Pollisella* staretur commeatum vetare, & semper hostem vexare atque identidem omnia agrestium prædati sunt. Et nuper amplius *Mercurius Bua* cum equitatu levitum usque *Veronam* venit, & cum offendisset aciem peditum quæ foris erat, de illis magnam cædem edidit, & pauci integri potuerunt in urbem evadere. Sed postea cum omnis exercitus contra *Veronam* iret citra & ultra *Athesim*, quia *Germani* pedites non festinabant contra Cæsarem, tantus repente timor incessit, ut nocte sequenti sub ordinibus militiæ cum magna trepidatione staretur. Et deinde putarunt magis e republica fore præsidium in valle *Pollisella* relinquere sexcentos levites, & ducentos milites, simulque junctis copiis citra *Athesim* contra *Veronam* ire ad portam *Sutoriam* & tormentis militiæ acriter agere. Sed dum ea res agitur ignis repente inter eundum e pulvere ignifero prosiliit & octingenta vasa pulveris combussit simul cum bubulcis curribus munimentis instrumentisque militiæ. Et quidem ea res suspicione non caruit quod ignis dolo malo ad tempus fuisset suppositus. Sed re vera per planiciem *Veronæ* Bubulci nimium festinabant, & quisque volebat præcedere, unde ex collisione rotarum invicem incendium venit. Interea vero apud *Nojonum* urbem idibus Augusti sancita est pax perpetua inter Regem *Gallorum* & novum Regem *Hispaniæ* amici amicorum & inimici inimicorum, præsertimque Cæsaris & Regis *Angliæ*, nisi coeant in amicitiam. Atque amplius Rex *Gallorum* Regi *Hispaniæ* promisit filiam *Aloysiam* cum regno *Neapolis*, & vicissim Rex *Hispaniæ* promisit dare Regi *Gallorum* quotannis centum millia numum antequam uxorem duceret, & cum duxisset quinquaginta millia, quousque filius hæres nasceretur. Et amplius olim Reginæ *Catherinæ* regnum *Vasconiæ* reddere, & se componere cum Duce *Geldriæ*, qui cum bellum asperum in *Frisia* gerebatur. De *Verona* quoque & *Venetis* actum est, ut si *Galli* & *Veneti* per duos menses eam urbem non caperent, Rex *Romanorum* ultro daret, & acciperet a Rege *Gallorum* centum millia numum, & a *Venetis* alia centum millia. Igitur *Veneti* volebant urbem antecapere, atque ideo primo quoque tempore festinare, parare, facere omnia quæ in rem sunt, magnam copiam pulveris igniferi passim colligere, munimentaque alia & instrumenta militiæ. Denique reparatis omnibus ex sententia citra & ultra *Athesim* contra *Veronam* iterum ibatur tormentis militiæ acriter agere ad portam sutorum & ad portam Episcopi, ut dividerentur qui intus erant ad quinque millia hominum. Sed postea nimium differebant locare tormenta militiæ, & in singulis difficultas erat. Namque cum de locandis tormentis ageretur, videbantur pedites non sufficere, & oportere ad quatuor millia peditum supplementum mittere. Et tandem Patres contenti fuerunt impensæ non parcere, quamvis illud etiam dolo malo fieri videretur. Contra hostes oppidani pariter & omnes milites in officio esse, urbem munire, festinare, parare, facere omnia utilia, ut omnino nihil vereri viderentur. Et quia multum intererat pulverem *Venetorum* iterum comburere, ad eam rem unus & alter *Romanorum* hostium clanculum in castra venit id facere. Sed tantum abfuit, ut illi deprehensi vivi igne absumpti sint. Posteaquam vero venerunt in castra *Veneta* duo millia peditum ex *Vincentia*, & cum *Federico Bozulensi* alia totidem atque amplius vastatores munimenta instrumentaque militiæ, *Veneti* ultra *Athesim* ad portam Episcopi, & *Galli* citra *Athesim* ad portam sutorum castrametati sunt, & deinde ceptum est acrius agere tormentis militiæ. Sed inter agendum quia *Galli* ignem temere portabant, ille irrepsit in socculis pulveris, & super parata simul omnia tormenta militiæ. Unde cum maximo fragore multi vastatores qui circumsederant combusti sunt, aut contriti manibus aut pedibus, & Dominus *Lutrech* cum aliis *Gallis* Dominis vix semiusti potuerunt evadere. Non tamen propterea passi sunt hostes impune præ se ferre lætitiam, quia deinde multo etiam frequentius agebatur, & passim mœnia prosternebantur. Namque & ad portam Episcopi & ad portam *Sutoriam* muri passim procubuerant, & aperti aditus erant, & tamen contra hostes acriter stabant, & munibant urbem lata fossa, & altis aggeribus, dum semper sperant subsidium ex *Germania* venire. Atque amplius contra *Gallos* & *Venetos* quantum poterant agebant missilibus telis & tormentis militiæ, & sæpe levia certamina fiebant. Non tamen hostes multum poterant nocere, quia *Galli* & *Veneti* sub cratibus & munimentis ministrabant, & agebant tormentis militiæ. Atque amplius nuper *Germani* pedites repente venerunt ad portam *Sutorum*, & per ruinas muri tentabant in urbem vadere. Sed tantum abfuit, ut multi artificiosis ignibus contriti sint, & statim a reliquis in castra recessum est. Postea stabatur & consultabatur urbem oppugnare, & quia ex parte *Gallorum* nondum muri satis prociderant, visum est e republica fore, ea par-

te in procinctu stare, & parte *Venetorum* cum quinque etiam millibus *Gallorum* peditum summo mane civitatem invadere. Sed antequam fieret, nuncius Regis *Hispaniæ* & *Germaniæ* in castra venit, & Dominum *Lutrech* allocutus est, atque amplius rumor cepit increbrescere hostibus subsidium venire. Et quamvis diceretur non esse nisi ad quinque millia hominum, tantus tamen timor *Gallos* Dominos incessit, aut potius propter Regum concordiam decompacto fiebat, ut signa sublata sint, atque inde repente ad *Villamfrancam* recessum est. Et quidem res ipsa suspicione non caruit, quia proculdubio cum possent alioquin urbem capere, vanum timorem dissimularunt. Igitur Dominus *Lutrech* cum exercitu & *Theodorus Triultius* cum *Andrea Gritto* & parte *Veneti* exercitus ad *Villamfrancam* castrametati sunt. Namque *Joannes Paulus Gradonicus* alter legatus cum *Joanne Paulo Manfrono* trecentis militibus sexcentis levitibus & duobus millibus peditum ad *Alboretum* citra *Athesim* stabat cum ponte parato, ut semper ultro citroque commeandi facultas esset. Dominus enim *Lutrech* noluit propius urbem ire, sed ajebat sufficere ibi stare, commeatum vetare, & semper intercipere qui pabulatum palantes ibant, atque adhuc nolebat *Venetos* impensæ parcere, & alioquin minabatur statim *Mediolanum* abire. Postremo tamen in mentem venit contra urbem periculum facere, & statim jubet alam levitum & aciem peditum nocte intempesta usque in urbem *Veronam* per muri ruinas ire, & clamare cum tubis & tympanis, si eo modo forte possent civitatem repente capere. Sed periclitari parum profuit & *Galli* spe sua frustrati sunt, cum nequivissent ut sperabant hostes incautos offendere. Deinde *Venetorum* maxime sita spes erat super inopia militum *Veronæ*, quia *Germani* solvendo non erant, & milites parabant sibi ipsis propediem consulere. Non tamen propterea desistebatur bello, namque alioquin frequenter levia certamina fiebant, & hostes potiti sunt castello *Sclusa* & *Crovaria*. Sed super *Crovaria* frequenter certamen erat, quia supra montem ibatur & saxis etiam custodes cogebantur recedere. Itaque nunc hostium, nunc *Venetorum* fiebat, dum quisque vellet eum saltum habere, ex quo facile in *Veronam* cum commeatibus ibatur. Nanque *Crovaria* castellum est ad montem prope *Athesim* supra *Veronam* versus *Tridentum*, ubi & pedites tormentarii ad ripas fluminis stabant, & vetabant rates cum commeatu in *Veronam* per amnem ire. Atque amplius *Mercurius Bua* cum equitatu levitum prope erat in ipsa valle *Caurinea*, & cum hostes e *Verona* venissent, & diripuissent animalia, ille hostem secutus fudit & prædam omnem recepit. *Babonus* quoque *Naldius* cum peditibus, & *Theodorus Manase* cum pileatis equitibus repente ausi sunt amnem trajicere & invadere quadringentos pedites hostium, qui stabant e regione *Crovariæ*. Et quidem primo atrox certamen fuit, donec paribus animis & viribus ageretur. Sed tandem cum ducenti hostium periissent, reliqui per montes fusi fugatique sunt, & *Crovaria* vi capta est. Aliter postea hostes aucti viribus venerunt & receperunt *Crovariam*, quia putabant posse ita facile rates onustas commeatuum in *Veronam* convehere. Sed tantum affuit ut *Mercurius Bua* cum equitatu levitum repente amnem vadatus ex altera ripa sexcentos pedites hostium fuderit, rates disjecerit, & dissipaverit ingentem copiam commeatuum. Atque parte alia *Babonus Naldius* cum peditatu *Crovariam* iterum cepit, quo postea oportuit magna præsidia equitum & peditum mittere, quia ferebatur magnam

A copiam commeatuum cum majoribus præsidiis ex *Tridento Veronam* venire. Et quidem octo vexilla hostium cum commeatu terrestre iter tenebant, quia tutius per montes ibatur. *Veneti* tamen levites, amnem vadati illos ad *Perim* locum aggressi sunt, ordines disturbarunt, & ceperunt quadraginta equos onustos commeatuum, atque iterum identidem fecerunt ad *Valliseram* & multi hostium cæsi sunt, atque alii vix potuerunt per montes cum parte commeatuum in *Veronam* evadere. Sed magis etiam ex montibus *Vincentiæ* commeatus in urbem clanculum portabantur. Adeo semper ubi magna lucri spes est, nulla e-
B dicta aut custodiæ possunt adversum sufficere. Et quod peius erat rumor cepit increbrescere militibus *Veronæ* ex *Tridento* duplum stipendium venire. Namque ex eo dabatur intelligi nihil fore de pace *Gallorum* & *Venetorum* cum Cæsare, de qua jamdudum agebatur, atque eo maxime quia Cardinalis *Sedunensis* nuper in *Angliam* venit omnia disturbare, & seducere *Helvetios* simulque Regem *Hispaniæ* & *Germaniæ* cum Rege *Angliæ* & Pontifice. Et quidem Calendis Novembris in *Anglia* juratum fœdus est, & *Sedunensis* cumulatus muneribus *Romam* & in *Burgundiam* ibat. Sed postquam ad Regem *Hispa-*
C *niæ* relatum est, ipse renuit quæ suus orator pepigerat, & amplius pollicitus est reddere quadraginta millia numum, quæ Rex *Angliæ* Regi *Romanorum* tradiderat, ut sancitis fœderibus staretur. Aliter tamen Dominus *Lutrech* dubitabat, & volebat tempestive *Mediolanum* recedere, deinde causabatur non posse amplius contra *Veronam* stare præ inopia militum, nisi cum parte *Gallorum* in agro *Brixiensi* staretur, & haberentur quæcunque victui necessaria sunt, atque id mali *Venetis* paulopost accessum est, quod cum ageretur de conclusione pacis *Venetorum* cum Rege *Romanorum Germani* oratores qui prius
D assentiri videbantur, palam ajebant Regem *Romanorum* nolle pacem cum *Venetis*, sed velle dare *Veronam* Regi *Gallorum*, dummodo fædus *Cameracense* servaretur. Quod cum videret Rex *Gallorum* tam cito contra spem & rationem evenisse, statim jubet suos oratores Dominum *Dorvalensem Rochafortensem* & præsidem *Oliverium* nullum verbum amplius facere, atque ex *Bursellis* in patriam redire, quandoquidem aliter ageretur cum *Helvetiis*, quorum Anguli tresdecim contenti erant pro *Gallis* stare, si darentur quingenta millia numum, & pro *Luganio* & *Locarnio* triginta millia. *Veneti* vero consternati animi tan-
E dem passi sunt omnia facere, quæ Dominus *Lutrech* ante petierat & contenti fuerunt *Brixienses* administrare *Gallis* militibus omnem copiam commeatuum, vinum, panem, carnes, pisces, fœnum, paleam, & cuncta esculenta & poculenta ad summam mille numum quotidie. Namque omnino volebant *Gallos* contra *Veronam* stare, simul ac apud *Venetos* pacis cum Rege *Romanorum* nulla amplius spes esset, quamvis alioquin Rex *Gallorum* semper juberet eos bene sperare, quia Rex *Hispaniæ* pacem de more jurasset, & suscepisset suum ordinem *Michaelis*, atque amplius Dominus *Chieurensis* vir primarius *Burgun-*
F *diæ* in munus accepisset vasa argentea ad decem millia numum, & Magnus Scriba identidem ad quinque millia numum. Neque spes concepta Regem *Gallorum* fefellit, namque Idibus Novembris cum *Galli* oratores pararent ex *Bursellis* discedere, oratores *Germani* maluerunt propositas conditiones accipere, ut pax Regis *Romanorum* cum Rege *Gallorum* intercederet, & cum *Venetis* induciæ duo de viginti mensium, *Verona* tradenda *Venetis* cum *Veronensi* territorio Regi *Gallorum*

lorum post sex hebdomadas daretur, Rex *Gallorum* vicissim daret Regi *Romanorum* ducenta millia numum, & relinqueret, quæ debebantur trecenta viginti quinque millia, atque identidem cederet Regi *Romanorum Ripam* oppidum & *Roveretum* cum iis, quæ tenet in *Forojulii*, & *Veneti* haberent quæ tenent Regis *Romanorum* municipia, donec Rex *Gallorum* & Rex *Hispaniæ* judices arbitri super omnibus difficultatibus judicarent, quando etiam Reges *Romanorum*, *Gallorum* & *Hispaniæ* volebant convenire, & invicem loqui in oppido *Cameraco* ad *Candelorium*. Neque tamen oratores *Germani* alioquin adstipulati sunt, quia petierunt tempus dierum duodecim, donec Rex *Romanorum* sanciret quæ ipsi fecerant, sicut promittebant fore, & vicissim *Galli* oratores pro Rege suo polliciti sunt, ut reges de more jurarent, & sancirent omnia, quæ alioquin valida esse non poterant. Sed dum differtur *Helvetii*, quia vident Regem *Romanorum* propter Regem *Hispaniæ* potius quam ad *Anglos* ad *Gallos* & *Venetos* declinare, atque velle pacem & inducias, ipsi festinarunt melioribus conditionibus antecapere. Nanque & quinque anguli qui prius duriusculi fuerant consenserunt, atque omnes simul pacem fecerunt cum Rege *Gallorum*, & primo quoque tempore acceperunt delatas pecunias ad quingenta millia numum. Atque amplius postea Regi *Hispaniæ* a Cæsare redditæ sunt litteræ, quibus continebatur se pacem & inducias velle, & quod Rex *Hispaniæ* adstipularetur suo nomine. Igitur pridie nonas Decembris per Regem *Hispaniæ* sancita pax est & induciæ, conditionesque munitæ sunt sigillis Regis *Gallorum* & Regis *Hispaniæ*, atque *Galli* oratores recesserunt cumulati muneribus, & optato officio functi sunt. Quæ cum primum *Gallis* & *Venetis* nunciarentur eam diem fœlicissimam putarunt, & optimarum rerum principium fore. Et idcirco supplicationes indictæ sunt, atque induciæ cum *Venetis*, & cum Rege *Gallorum* proclamata pax est, cum tubis & omnibus signis lætitiæ. Deinde quia utrique egebant pecuniis, *Galli* exegerunt ex *Mediolano* ducenta millia numum, & *Veneti* mutuo acceperunt ex suis urbibus sexaginta millia. Namque & ipsi ut primum *Verona* daretur, tenebantur dare quinquaginta millia, & post sex menses alia quinquaginta millia, atque amplius quatuordecim millia pro iis, qui pacis & induciarum intermedii fuerant, atque etiam Domino *Lutrech* pro sex millibus peditum triginta sex millia debebantur. Posteaquam vero hostes, etiam qui *Veronæ* erant, ex literis Cæsaris certiores facti sunt de pace & de induciis, ceperunt agere de suspensione armorum cum *Gallis* & *Venetis*, atque ultro citroque tubicines mittebantur. Et quia Dominus *Lutrech* differebat, donec in eam sententiam literæ e *Gallia* redderentur. Postea per literas agebatur, & denique sub fide publica *Gallorum* & *Venetorum Bernardus* Episcopus *Tridentinus Veronam* venit eam urbem nomine Regis *Hispaniæ* accipere & dare Regi *Gallorum* ut *Venetis* traderetur. Namque dum Dominus *Curtavillensis* nimium differt, cui demandatum negotium erat, Rex *Romanorum* ad eam rem Episcopum *Tridentinum* instituit, ut citius expediretur & haberentur optatæ pecuniæ. Deinde Episcopus *Tridentinus* cum *Castelalto Helvetio*, *Germano* milite, & *Tridentino* doctore ad *Dossobonum* villam venit loqui & convenire Dominum *Lutrech* cum *Theodoro Triultio* & *Andrea Gritto*. Sed quia difficultas erat super tempore sex hebdomadum tradendæ *Veronæ*, an inciperent a tertio Nonas Decembris, qua die apud *Bursellem* pax & induciæ factæ sunt, an quarto idus Janua-

A rii, quando Episcopus *Tridentinus* eam accepit nomine Regis *Hispaniæ*, rebus incompositis recessum est. Aliter cum *Veronam* redissent, milites importune pecunias volebant, & minabantur alioqui omnia prædæ propediem fore. Atque iccirco vix *Tridentinus* Episcopus cum sociis ex tumultu in arcem potuit evadere, & deinde quærebatur quomodo cito urbem traderent, & pecunias acciperent, ut possent seditionem supprimere. Itaque Episcopus *Tridentinus* iterum convenit Dominum *Lutrech* & diu locutus est solus cum solo, atque maxime suadere conabatur, ne *Galli Venetis Veronam* darent. Sed cum

B Dominus *Lutrech* omnino renueret id facere, postridie ad *Dossobonum* villam iterum venit, & denique convenit die Jovis urbem tradere, & interim datis obsidibus habere quindecim millia numum, quia alioquin peditibus *Veronæ* non posset satisfacere atque illos dimittere, & tamen postea Domini *Germani* cum pransum venissent cum Domino *Lutrech* nullum verbum fecerunt de pecuniis, & potius de captivis locuti sunt, de quibus actum erat apud *Bursellem* post pacem & inducias. Et benigne responsum est colloquium fore inter reges apud oppidum *Cameracum*, ubi de captivis & aliis omnibus ageretur. Postea *Nicolaus*

C *Caballus* & *Leonardus Lischa* ex *Verona* oratores venerunt ad Dominum *Lutrech* & *Andream Grittum* gratulari, atque totius urbis conceptam lætitiam ostendere, & deinde postridie Dominus *Lutrech* armatus cum quadringentis militibus, & duobus millibus peditum simul cum *Theodoro Triultio*, *Andrea Gritto* & *Joanne Paulo Gradonico* cum magna pompa & omnibus signis lætitiæ urbem *Veronam* ingressus est per portam novam, qua in *Hispaniam* itur & cum ad palatium ventum esset Episcopus *Tridentinus* urbem dedit Domino *Lutrech* nomine Regis *Gallorum*, quam ipse juxta conditiones pacis pauloante acceperat nomine

D Regis *Hispaniæ*, atque postridie Episcopus *Tridentinus* accepit ex *Venetis* triginta millia numum & *Tridentum* abiit cum impedimentis & militibus, atque *Aluisio Gritto* obside pro tormentis militiæ, quæ postea *Tridentum* delata sunt. Post biduum vero Dominus *Lutrech* omnes pecunias accepit quæ debebantur, & deinde *Veronæ* cum magna pompa induciæ proclamatæ sunt, & quemadmodum omnibus ignoscebatur, qui res novas antea moliti fuerant, atque identidem *Veronæ Venetiis*, & in omnibus civitatibus per triduum omnia signa lætitiæ fiebant cum lampadibus & nocturnis ignibus, atque amplius quotannis *Veronæ* septimo decimo calendas Februarii in memoriam ejus

E quod factum est, de more supplicationes indictæ sunt, quæ omnia cum per preconem dicerentur in æde majori excepta sunt cum maxima lætitia plausu & clamore, atque aliqui statim detulerunt auratos leones cum Chirographis, VERITAS E TERRA ORTA EST, ET JUSTITIA DE COELO PROSPEXIT. Tantus autem fuit concursus populi, ut Duces & legati vix e templo egredi possent & domum ire, atque identidem per triduum tota civitas lætata est cum campanis, tubis & omnibus signis lætitiæ, ut & *Galli* stuperent tantos affectus popularium erga rempublicam. Denique Dominus

F *Lutrech* dedit claves urbis legatis *Venetis*, quibus cum oratores *Veronensium* gratulati & polliciti sunt fidem inviolatam servare. Deinde abeuntibus *Gallis* intrarunt urbem equites & pedites *Veneti*, & per civitatem custodiæ passimque præsidia & ordines distributi sunt. Namque alioquin pedites & levites missos fecerunt præter quingentos levites & duo millia peditum, & milites ad stationes missi sunt, ac si pax esset, quia vigebant induciæ & difficultates aliæ inter *Venetos* & Regem *Roma-*



norum in manu Regis *Gallorum* & Regis *Hispaniæ* sitæ sunt, quibus vicissim legitima facultas collata est, res omnes componere, ut semper eorum judicio staretur. Hic finis belli quod suscepimus scribere. In quo expensa feruntur ad quinque millia millium numum. Et quidem tantæ pecuniæ variis modis quærebantur, quos annumerare nimium longum esset. Sed illud nequaquam oportet silentio involvere quod mirum fuit & nunquam auditum in alia republica. Namque cum maxime opibus egeremus, forte ceptum est mutuare in comitiis & certare studio juvandæ reipublicæ. Itaque illi in magistratibus legebantur, qui pecunias darent, atque ea via per octo menses quingenta millia numum relata in ærarium feruntur, & suffecit angustiæ temporis, quia interea induciæ factæ sunt, & e senatu consulto cautum est non licere amplius identidem facere, sicut alioquin non decebat pecunia honores emere, qui solis virtutibus debentur. Dominus autem *Lutrech* laudatus & donatus simul cum aliquibus ducibus cum toto exercitu militum, quia pedites omnes missos fecerat, versus *Mediolanum* discessit, & *Andreas Grittus* eum comita-

A tus est usque urbem *Laudam*, ubi Dominus *Lutrech Michaelis* suscepit sacrum ordinem ex *Joanne Jacobo Triultio*, qui illuc obviam venerat, & cum *Andrea Gritto* usus est bonis verbis atque amplexibus, sicut in discessu fieri solet. Et pariter ambo polliciti sunt pro mutua pace & amicitia semper agere, ut sua vicissim opera inter Regem *Gallorum* & *Venetorum* senatum diu indissolubile fœdus initum servaretur quod utrique perpetuo faustum felixque sit. Atque in hæc verba Dominus *Lutrech Mediolanum* abiit, & *Andreas Grittus* revisit *Cremam*, *Bergomum*, *Brixiam*, *Patavium* & *Taurisium*, atque cum ma-
B gno applausu omnium plenus laudum *Venetis* venit, & post eum Gubernator *Triultius*, ubi exceptus est cum magna pompa & cum omnibus signis lætitiæ in navi Bucentoria. Atque ista qualiacunque sunt, quæ volui dicere incipiens ab anno millesimo quingentesimo quinto decimo Calendis Martii, usque in hunc annum millesimum quingentesimum decimum septimum Idibus Augusti. Alii posthac alia viderint, qui possunt melius & luculentius.

FINIS.



INDEX NOMINUM, RERUM AC SENTENTIARUM.

Cre-

Fœ-

G.

H.

Ho-

Leo-

M.

Mon-

F I N I S.





BERNARDINI ARLUNI,

Jureconsulti, Patricii Mediolanensis,

DE

BELLO VENETO LIBRI SEX,

Ubi

Quæ, Seculo XVI. novo, a Germanis, Gallis, Hispanis, variisque Italiæ Principibus, adversus Venetos gesta, ab his vero infirmata sunt, usque ad Pacem inter hos omnes initam, aliaque huc pertinentia, dilucidissime & solidissime enarrantur.

Nunc primum e MS. editi.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

VIRO
EXCELLENTISSIMO, PRUDENTISSIMO, ERUDITISSIMO,
AC CELEBERRIMO,
DOMINO,
D. JOANNI BURCHARDO MENKENIO,
JURIS UTRIUSQUE DOCTORI,
SACR. REG. MAJEST. POLON.
ET ELECT. SAXON.
CONSILIARIO AC HISTORIOGRAPHO,
HISTORIARUM
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
PROFESSORI PUBLICO,
ET
SOCIETATIS REGIÆ BRITANNICÆ
SOCIO,
INSIGNI
LITERARUM, SCIENTIÆ, AC DOCTRINÆ INGENUÆ
FAUTORI ET PROMOTORI,

HANC
BERNARDINI ARLUNI,
JURECONSULTI, PATRICII MEDIOLANENSIS,
DE
BELLO VENETO
LIBROS SEX,

IN GRATI ANIMI TESSERAM
PRO
CONSILIIS SALUBERRIMIS,
VARIISQUE RARISSIMORUM AUCTORUM OPERIBUS
IN
MAGNUM REI LITERARIÆ EMOLUMENTUM
BENEVOLE COMMUNICATIS,

SUMMA OBSERVANTIA
DEDICAT AC DICAT
PETRUS VANDER Aa.

PRÆFATIO
TYPOGRAPHI.

Sæpius audivimus, *Benevole Lector*, latitare alicubi Opus quoddam egregium, quod *Bernardinus Arlunus*, Patricius Mediolanensis conscripserat *de Bello Veneto*. Desiderarunt avidissime, Viri in Orbe Literario summi Nominis monumentum illud, tanti Auctoris dicendi ac scribendi genere plane singulari. Omnem pro eo, quo in Eruditos sumus, inserviendi studio, in hoc detegendo Opere movimus lapidem; sed diu laboravimus frustra: donec conatus nostros adjuvit Vir Gravissimus, *Franciscus Stryker*, Nationis *Hollandicæ* apud *Venetos* Consulem agens. Hic enim precibus nostris locum concedens præsentis Operis Codicem MS. qui inter rarissima præstantissimæ ejus Bibliothecæ servabatur Cimelia, nobis transmisit. Actutum Opus prelo dedimus; & omnem adhibuimus industriam, ut illud luci publicæ exponeretur nitidissimum. Ad hæc curavimus, quantum in nobis fuit, lectionem reddere facillimam: ideo Nomina propria, ex quibus in historicis legendis omnia pendent, Epistolas, & Orationes, quarum variæ stylo, ut vocant, recitativo hic exhibentur, quæ Auctoris est dexteritas, elegantissime. Cujus lucubrationes jam diu ante nos Eruditis fuisse desideratissimas, ea, quæ ex *Conrado Gesnero*, *Joanne Gerardo Vossio*, & *Ludovico Moreri* hic addidimus, docebunt: qui cum *Historiæ Mediolanensis* quidem a Nostro conscriptæ, non vero præsentis *de Bello Veneto* Historiæ faciant mentionem, non obscure in commendationem præsentis Operis innuunt, quam rarum illud semper fuerit, quippe quod tantis Viris ipsis fuisse videtur incognitum. Ornari etiam voluimus Opus Effigie Augustissimi quondam Vene-

ne-

netiarum Ducis, *Andreæ Gritti*, cui, ut & Sanctissimo Senatui *Veneto*, hos labores dicatos Auctor voluit. In quibus quot & quanta comprehenderit, ut uno pateat intuitu, Indicem rerum & verborum notatu digniorum optimo dispositum ordine Alphabetico Operi subjunximus. His, *Benevole Lector*, feliciter fruere. Vale, nobisque fave.

DE HISTORIA URBIS MEDIOLANENSIS AB AUCTORE CONSCRIPTA.

Ex CONRADI GESNERI *Bibliotheca.*

Bernardini Arluni, *J. C. Patricii Mediolanensis*, Historiarum *ab origine urbis Mediolanensis, ad nostra usque tempora* Sectiones tres, *cum* M. Antonii Majoragii *Præfatione*, Oporinus *brevi dabit in publicum.*

Ex GERARDO JOANNE VOSSIO, *de Historicis Latinis, Lib. III.*

Arlunus Bernardinus, qui aliis *Bernardinus Arlunus*, reliquit *Historiarum Sectiones tres*, ab origine Urbis *Mediolanensis*, ad sua usque tempora. Hoc opus habuit, cumque Præfatione *Antonii Majoragii* se editurum promiserat *Oporinus*. Sed necdum prodiisse arbitror. Meminit Gesnerus *in Biblioth.* & ex eo, cum Rob. Constantinus *in* suo *Scriptorum Nomenclatore*, tum Zuingerus *in Theatro* suo.

Du Dictionaire Historique de LOUIS MORERI.

Arlun, (Bernardin) *de* Milan. *On ne sçait pas en quel tems il a vêçu, les uns disent dans le XII*[e]*. siecle, & les autres dans le XIV.* *il écrivit* l'Histoire de Milan, *depuis sa fondation jusques à son tems.*

AUCTORIS EPISTOLA DEDICATORIA.

BERNARDINUS ARLUNUS,
Jureconsultus, Patricius Mediolanensis,
AUGUSTISSIMO VENETIARUM PRINCIPI
ANDREÆ GRITTO,
SANCTISSIMOQUE SENATUI VENETO,
S.

Existimo equidem, esseque verum arbitror, *Andrea Gritte*, Principum Princeps Invictissime, vosque cæteri omnes auspicatissimæ Reipublicæ *Venetæ* Moderatores Moderatissimi, summæque rerum Appensissimi Gubernatores, eam divinitus vim infusam insitamque mortalibus cunctis, qui ratione præditi luce fruuntur, sive virtutibus addictam, sive vitiis emancipatam vitam agant, ut perpetuo esse velint, æternitatemque sui modis omnibus enixissime concupiscant: quoniam sapientes juxtaque dissipientes, omnes quacunque voluptate trahantur, imparesque suos affectus quocunque dirigant, nunquam plane mortem optaverunt; nisi fructus uberiores ex interitu, magis quam inani

inani vitæ præsentis umbra sese collecturos arbitrentur: sicuti cælestis orator *Paulus* & divinorum interpres *Hieronymus*, cæterique sic hominum commercio sequestrati, ut viventes pæne mortui sint, ac tanto cælestium ardore succensi, ut melioris vitæ desiderio humana non sentiant. Quo (sic reor) tendit divi *Stridonensis* eleganter dictum: *Omnem sapientium vitam cogitationem esse mortis:* non quidem ut extinguantur, sed ut redivivæ phœnicis exemplo renascantur extincti. Quod & ansanctus heros ille divinis literis respexisse videtur, cum superciliosus expostulat, exitumque festina morte præcelerem comprecatur: ut sit quasi non fuerit, de utero translatus ad tumulum. Etenim quod, auctoribus *Græcis Latinis*que tradentibus, adagio receptum increbuit: *Optimum non nasci, huic proximum cito mori*, non ad æternam perennis animæ nostræ felicitatem, sed ad prægravatam ærumnis omnibus ac miseriis mortalium vitam relatum esse, credendum est, quibus homines affecti, sæpiusque crudeliter discruciati doloris impatientia vitam utramque miserabiliter deprecantur. Quarum alteram egregie sapientes, & cælestibus initiati sic unice complexati sunt, nostræque huic vulgari vitæ sic prælatam esse voluerunt, ut mors illis vita foret, vitaque præsens supplicium. Verum quoniam id pauci, quos æquus amavit *Juppiter*, aut ardens evexit ad æthera virtus, consecuti sunt, procul dubio liquet, sic jure naturæ genioque suo procreatos esse mortales, ut semper esse velint: mortemque velut adversariam, & hostem infensissimam perhorrescant. Exinde sacris non absurde literis legimus, summussitantes commotosque fratres, quod discipulus ille non moritur: prærogativam nullam majorem, nullumque majus beneficium præstari posse crediderunt Apostoli, quanquam divinis incalescentes, Numinisque spiritu propioris afflati, quam sic manere, quam non mori, quam æternum esse. Sed qui scribendo Præceptoris sui verbum exceperat, erroneam cassamque refellit eorum sententiam, maleque conjectatos, dictaque perperam interpretantes corripuit: quoniam omnes una manet mors, & calcanda semel via lethi. Ergo cum mortalibus indictam omnibus legem omnes æqua censura patiantur, subireque jugum oporteat, nec rebelli cervice reluctari, laborant, enituntur, studentque plerique mortalium, non reproba, sui latius extendendi cupiditate nominis inflammati: ut, quod evitare non possunt, antidoto lenimenti blandioris emuniti, cautius subeant; & cum omnino fatis concedendum sit, sui tamen memoriam diuturnioris ævi curriculo quam longissime prorogent. Proinde filios hic generat, ut sobole propagata ab oblivionis injuria vindicetur; suam aliter ille lineam ducit; excudunt alii spirantia mollius æra; nonnulli causas luculentissime perorant; plures *Hippocraticis* fomentis relaxantur; ac ut cum re famam quærant, *Babylonios* alii tentant numeros; cælique meatus describunt radio, & surgentia sidera dicunt. Verum cum nihil sit opere aut manu factum, quod, ut Orator ait, aliquando non conficiat & consumat ætas, firmiori diuturnitatis privilegio communita mihi ea esse videntur, quæ præstantissimorum ingeniorum facibus elucubrata, stiloque conficta acriori sua luce splendescunt, obviaque legentium animos oblectantur. Hinc illa *Plinii*, *Nepotis* ad *C. Rufum* salubris exhortatio: ut cum sua omnia successores possessuri sint, ipse aliquid excudat, quod sit perpetuo suum. Hinc illa *Ciceronis* non reprehendenda cupiditas, qua se non mediocriter inflammatum scribit, ut nomen suum *L. Lucei* scriptoris illustratum & celebratum memoriæ hominum commendetur. Hinc illa vatum emendata præsumptio; certiorque vitæ suæ diuturnioris futuræ conjectura: qua se perennes, omneque per ævum victuros augurati sunt. Ille *Jovis* iram ignemque, alius Aquilonis & exedentis imbris impotentiam, nonnulli *Messalæ*, *Licini*que marmora, suis operibus exactis superasse excessisseque professi sunt. *Cordubensis* eo elato spiritu processit, ut cum sese divino contulisset *Homero*, suam sibi *Pharsaliam* nullis unquam futuri ævi tenebris damnandam polliceretur. At eximius, omniumque præstantissimus vates, quanto cæteris arte, ingenioque præcellit, tanto modestior omnibus ac temperatior, sempiternæ sibi vitæ spatium, nec eximendam futura ulla tempestate memoriam conniventer insinuat: cum post exarata dictataque Musis & *Apolline* suo volumina, virtutis suæ conscius, attemperanter verecundeque cecinit:

Fortunati ambo, si quod mea carmina possunt:
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo:

Sed & hos ipsos sua frequenter elusit & fefellit opinio; præclarissimaque felicium ingeniorum monumenta suis auctoribus commoriuntur. Nam jucundi poëtæ, prudentes historici, facundi oratores, cæterique diverso scribendi genere versati, quanquam omnes emuncti, delimati, perpolitique micantibus eloquentiæ flammis coruscarent, obscuratis tamen facibus, illicoque suborta caligine tenebrarum obhorruerunt; interlitaque letheis fluminibus opera eorum, ac invida bonorum oblivione omnium intercepta sunt, ac penitus abrogata: adeo quidem, ut amplior copia longeque major sit numerus eorum, qui miseranda illa & lachrymabili præcellentium ingeniorum jactura desiderantur, quique tempestuoso pelago jactati pretiosissimæ mercis suæ naufragium fecerunt, quam qui molliter aspirante fato turgentibus velis in portum celebritatis perducti frequentiore manu nostra tractantur. Ego igitur, qui desudatos Jure Civili tot annos, retritamque forensibus subselliis bonam ætatem meam exegi, mox omnium tanta calamitate mortalium sævissimi Martis interstridente procella, cum *Hispanis* gladiis inquieta omnia domi forisque constreperent, inde distractus in alia me ipsum studia contuli, ut quod gravioris disciplinæ patrocinio consecuturum desperaveram, suffragio doctrinæ mansuetioris assequerer, nominisque memoria, si quo stilo mea præstare quicquam potuisset infirmitas, posteritati consecraretur, animadverti ædepol, etiam si domestica familiarisque literariæ rei meæ facultas beneficio Deorum adflueret ac redundaret, quæ quam exilis & perangusta sit sentio, aliunde mihi tamen quærendam opem, implorandaque esse peregrina suffragia, ac potentissimorum populorum & Principum opes, ad perpetuam literariæ supellectilis meæ defensionem adsciscendas esse

pro-

prospexi: ut quod imbecillioris ingenii mei gracilitate, novercantisque naturæ malitia perfecturum diffidebam, id adminiculo potentioris valentior exsequerer. Quocirca cum proximis diebus Historiæ meæ partem, quæ gravissimum atrocissimumque bellum complexa, quod Optimus Princeps Consultissimusque Senatus *Venetus* contra potentissimos *Europæ* Reges, pæneque totius orbis terrarum dominos strenuissime fortissimeque gessit, absolverim, quam *de Bello Veneto* congruis, ni fallor, titulis inscribendam duxi, quod pæne totius Operis summa hujus Belli magnitudine constat, operosaque moles fere tota machinis *Venetis* contorquetur, quanquam intersertis aliquibus, ne divulsa membris suis, suaque compage dissoluta, videretur informis esse materia, Felicissimo Principi, Felicissimoque Senatui *Veneto* nuncupandam existimavi: ut Excellentissimæ Reipublicæ præsidio securus, omnia facile, quæ scriptorem incommoda sequuntur, evincerem. Et hanc quidem ne critici velut sine capite fabulam exploderent, cum attexendæ filo veritatis historiæ expeditus accingerer, ne magna dignaque memoratu facinora, quæ gravida ferroque nocente prægnans tempestas nostra continenti fœtura parturit ac parit, funditus interirent, eaque potissimum, quæ superioribus annis infando intolerabilique dispendio nostra Civitas passa est, nonnulla luce veritatis illustrarentur, ab ipsa *Mediolani* enascentis infantia conditæque urbis origine quam longissime retro respiciens, exorsus sum: perpetuoque laboris improbi decursu, lectitando, scriptitandoque fatigatus, dum exoleta omnia & vetustate prorsus antiquata repeto, bullam patriæ prætextamque coalescentis exui. Mox sumpta virili toga, qua succulentior atque vigentior civitas nostra pertinacissimo bello multosque per annos assidue populum *Romanum* divexavit, semperque lictorii fascis impatiens Quiritiumque jugum perosa commotis Civibus concitatisque vicinis populis & ipsa jugiter ad rebellionem spectans, fatalem invictamque gentem utrinque multo perfuso sanguine delassavit, ad malam ætatem seniumque, id est ad nostri temporis fecem, perduxi: qua civilibus discordiis, intestinisque seditionibus ea discerpta proscissaque, ad solidam contextamque per totum, id est ad *Venetam* togam, translatus sum. Quippe cum arctissimis schedis ingentia complexatus, totque retro labentes annos tenuissima stili mei linea, magni totius explicandi fascis solicitus perstrinxissem, *Mauritana* vincula, sic trahentibus & humana convolventibus fatis, volumina mea clauserunt. Has laborum nostrorum primitias, fluxosque peragrati magni tractus sudores, Illustrissimo *Francisco Sfortiæ II.* Duci *Mediolanensium* obtulimus: ut urbis suæ bonis nescio malisve dixerim avibus conditæ primordia recognosceret, præclaraque populi sui facinora, quibus domi militiæque semper exercitus magnam sibi posterisque suis laudem & gloriam peperit, non aversatus perlegeret; ut veteres & antiquas dissidentium civium factiones, quibus invicem allisi sese mutuis vulneribus confecerunt, detestaretur: ut *Othonianos*, ut *Turrianos*, quanquam admiraretur, non laudaret; tum ut gentis suæ conditores eximios auctoresque suspiceret, ac *Matthæi* magni virtutem amplecteretur; mox *Azonis*, exinde *Luchini*, dehinc *Joannis*, protinus *Galeacii Bernabovis*que, viri præferocis atque fortissimi, crudelem exitum ediseeret; avi sui deinceps, aviæque suæ vitam, quorum emendatissimi mores exemplo rariore præluxerunt, diligenter emetiretur; evolveretque magni herois *Ludovici* patris sui singulos actus, quo neque sapientior quisquam, neque prudentior ætate sua Princeps celebratus est, qui quanquam universos lateque patentes *Mediolanæ* ditionis fines (sic dicam) digito temperaret, haud tamen longe dissimili morte *Bernabovis* elatus est. His incidunt, serieque sua protinus alligantur, quæ ab anno millesimo quingentesimo subsecuta, *Cisalpinum Transalpinum*que *Gallum* inamabilem, perpetuoque livore disjunctum fragili nexu conjunxerunt: imparibusque consociatos vinculis insociales populos copulavere. Siquidem post *Maurum Ascanium*que captivos, exactosque sede sua *Parthenopeos* Reges, cum a basi ad culmen, ab ipsisque *Rhetis* ad *Siculum Ionium*que mare peragrantibus *Gallis* excursus late paterent, æmulatione imperii, vicinis invidere suas opes *Transalpini* cœperunt; subitoque conflato bello, præstantissimorum fama ductorum, pugnatorum strenuitate fortissimorum, ipsiusque *Ludovici* Regis in acie diversantis præsentia memorando, *Lilina Leoninæ* commissa multitudo, incredibili rerum apparatu omnium, conflixit: tanta indiscreti bellatoris strage, commilitiique promiscua confusione cadentis, ut pæne totus orbis in funestos illos & lugubres campos contulisse pedem crederetur. *Transalpinæ Galliæ* diffusa potentia, totaque *Cisalpinæ* coacta vis, conglobati præterea *Germanorum* numeri, prædurataque bello diuturniore *Helvetiorum* vasta corpora, præter cæteram innumerabilem turbam in ea castra confluxerant; tum præsignes eximiique ductores *Italia Gallia*que delecti, militari scientia multoque usu rerum præditi, honorificentissimos ordines, *Ludovici* Regis auspicio præpotentis, ductabant: summaque tunc omnes ope nitebantur, ne gloriam tanto præterito sudore, bellicoque pulvere comparatam, ac tot exhaustis bellis, tot illatis cladibus, hostibusque totiens profligatis illustrem, unius infeliciter gesti belli labe respergerent. Obluctabantur vehementer totaque vi corporis, & animi contentione dimicabant, ne præclaram tot accensis facibus erectisque titulis facinorum suorum laudem, uno temporis articulo, unaque conferendæ manus alea, subortis tenebris obscurarent ac prorsus extinguerent. Tunc ergo *Venetæ* Reipublicæ vires hostibus antea suis incompertæ, parumque prudenter evestigatæ, sparsis undique, fallentibus incautos exploratores indiciis, cum acie consistendum Patres Conscripti, barbaricasque deterendas opes cunctando, sustentando, prorogandoque non absurde decrevissent, magno exagitati orbis motu, ac suorum undique contracto robore nervorum, excussæ sunt: ac omni modulo mensuraque barbaris exultantibus adæquatæ. Extemplo quippe *Venetorum* acies florentissimæ, obarmatæque legiones, habito finibus suis omnibus delectu conscriptæ, peditum, velitum, cataphrattorum, facto citius quam dicto, stupore omnium, magnaque tam subito coacti exercitus admiratione, præscriptis limitibus emicuerunt: contraque *Transalpinam Cisalpinam*que *Gal-*

Galliam, contraque cumulis ingentibus conduplicatas præpotentium Regum vires, ipſi prudentia conſilioque *Veneti* potiores, militum Ductorumque numero certe pares, directis intentas telis, rutiloque præfulgentes ære ſuas acies explicabant. His ſane tunc campis collucentium armorum ardore conflagrantibus, his, phalerati equitatus, accinctique peditatus horrore, prærigentibus arvis, potentiſſimæ Reipublicæ *Venetæ* robur ſpectare vacavit: quo, non dixerim *Ligures*, *Inſubres*, *Bojos*, *Ciſalpinam*que *Tranſalpinæ Galliæ* conjunctam oppoſita ſuſtinuit, ſed univerſam fere conjurantem *Italiam* non aſpernata, nec abjectis haſtis averſata refugit. Adeo *Mincius*, *Abdua*, *Padus*, undarum fragore bellicarum, *Tranſpadani*que receſſus *Hetruria*, *Flaminia*, *Campania*, *Apulia*, *Calabria*que Venetorum in perniciem, ſtridente nimbo telorum intonuerunt: quas contra non ſingulas ſed acervatim conglomeratas inſiſtere, remque ſuam intrepide protutari, ſpectata virium ſuarum potentia, ingentique mentis non anguſtæ ſpiritu præſumpſerunt. Olim quidem cum ex ulteriore *Gallia* numeroſus, magniſque copiis ingens adventare nuntiaretur exercitus, viri illi fatales, & qui vinci non poterant, trepidavere pavore magno *Romani:* permotique eo terrore Conſules ad conſervandæ Reipublicæ præſidium, ſuique amplioris Imperii magnitudinem defendendam ex omni natione populoque vires, quæ barbaricos impetus reprimerent, contraxerunt. Trecenta armatorum millia, ſicuti quidam literis prodidere, quanquam longe plura *Fabius*, qui huic bello interfuiſſe traditur, ſcripſerit, ſociorum *Latini*que nominis habuiſſe tunc Conſules, fama eſt. Rogo, quid, ſi adventitia ope deſtituti fuiſſent? ſi externo populus exarmatus præſidio ſuis tantum viribus reſtitiſſet? Quæ formido, quæ fuga, quæ fuiſſet illa rerum deſperatio? Quid, ſi *Campani*, ſi *Latini*, cæterique omnes ſocii tela ſua retorſiſſent? Quid, ſi *Galliæ* acceſſiſſent? Ac rurſus Galliis *Germaniæ*, & utriſque ſocias manus *Hiſpaniæ* conjunxiſſent? Magna ſunt mehercule, ac Deorum hominumque teſtimonio omnium admiranda, quæ tempeſtate noſtra, noſtriſque ſub oculis unam in Rempublicam commoti pæne totius orbis turbine bellorum exarſerunt incendia: *Hiſpaniæ* criſtas erexerant; *Germania* ſupercilium attollebat; *Galliæ* pleno ſinu furoris extumuerant; *Mediolanum* latiſſima cum ditione ſua fremebat; *Ferrariæ* Moderator, *Mantuæ* Princeps, ſuas in *Venetos* acies inſtruxerant; unus omnium præturbidus & ferox *Julius* Pontifex Summus, moræque laxioris impatiens, accenſas irarum faces violentiſſime contorquebat. Stato tempore, dieque dicto, uno agmine, unoque omnes impetu ſinguli ſingulis regionibus ſuis inſtructas copias educentes, in *Venetorum* agros, laxatis veluti carceribus exultantes, irrupere. Stabat ſuis finibus incubans, generoſus, infractiſque viribus ſuis *Leo*; totaque ſecum concitus ira fremebat: *Pœnorum* qualis in arvis ſaucius ille gravi venantium vulnere pectus, arma movet, ſævitque ferox, gaudetque comantes excutiens cervice toros, fixuſque latronis impavidus frangit telum & fremit ore cruento: atque cum hoſtibus tunc univerſis animi corporiſque robore par eſſet, ſingulos deſpicabiles & contemptiſſimos habebat. Quid, ſi tot immites feritate ſua nationes *Romanum* impetiviſſent & compulſaſſent imperium? *Romæ*, puto, *Roma* quæreretur? Soli ſolam *Senones* oppreſſerunt; unus Urbem attonitam & trepidantem *Annibal* pæne delevit; *Ticinus*, *Trebia*, *Traſimenus*, *Cannæ*que teſtantur: muris obequitat, mœnibus imminet, clauſis inſultat; unuſque diffuſam *Romani* nominis majeſtatem in anguſtum cogit. Sed & quid indignius, quid vilius, quid tantæ, tot præclaris rebus geſtis, amplitudini turpius? Urbem dominam ſervilia agmina terruerunt; ſolutaque, jure ſuo ſuaque manu ergaſtula, terrarum in Principem populum cervices liberas excuſſere. Quin & *Romanæ* Reipublicæ præpotentis auxerunt calamitoſa ludibria *Spartacus*, *Cryſus*, *Ænomaus:* qui repentinis facibus arreptis, *Veſuino*que præſultantes incendio, cum inde vitiginis nexibus elapſi forent, contracta ſervili manu *Romana* caſtra diripuerunt: mox vicorum atque villarum populatione infanda, ſplendidiſſimas urbes, indelebili nota dedecoreque perpetuo *Romanorum*, depopulati ſunt. Atqui *Teutones* olim, *Cimbri Ambronæ*, *Tigurini*, una *Romani* nominis extinguendi conjuratione concordes, unaque pernicioſa ad evertendum ſtirpitus imperium voluntate, conſpiraverunt: ſed poſt octuaginta *Romanorum* ſociorumque ſuorum trucidata millia, poſtque calonum atque lixarum abſumptam multitudinem infinitam, cum ex innumerabili tantoque exercitu vix decem homines ſuperfuiſſent, qui miſeriore nuntio miſerias augerent, bene quidem Dii immortales *Romanis* conſultum eſſe voluerunt, quod ſanguine noſtro cruentati milites, ac præda hoſtium multa præditati, *Romani* nominis dignitatem famamque penitus expreverunt. Flaccida mihi ſane frigidaque ea eſſe videntur, niſi vivido ſucculentorum inflata ſpiritu ſcriptorum, ſtilique flagrantis igne concaleſcentia rebullirent, quæ priſcorum Annales ad exaugendam tollendamque *Romanæ* Reipublicæ potentiam memorant: *Hetruſcorum* ſiquidem populi duodecim, contra *Romanos* olim incitati, tela tenuerunt. Terror erat inceſſeratque formido non levis, tot populos, tot agmina, tot in unum coiviſſe duces: infeſta quatuor ſigna late per *Hetruriam* omnem effuſa volitabant. Bone *Juppiter*, quid, ſi non ſolum *Hetruria*, ſed univerſa *Italia*, omneſque limitibus ſuis diſtinctæ regiones armis inſurrexiſſent? Diſſoluta repente res omnis *Romana* magno dedecore magnaque cum infamia jacuiſſet: ſi ſola Romam *Hetruria* tanto pavore conſternavit, ut ſui capitis devotione periculum *Decius* redimeret. Sed & belli quidem ſocialis magna pericula, magnique terrores olim fuerunt; nec *Annibale Pyrrho*que ſæviente perſqualluit tanta vaſtatio: quoniam *Latium* atque *Picenum*, *Hetruria*, *Campania*que contra matrem, ſuamque parentem, *Romam*, arma contulerant. At noſtra tempeſtate, cum *Ferrarienſibus*, injuria laceſſiti juſtiſſimum *Veneti* bellum intuliſſent, commota omnis a ſummo ad imum confremuit *Italia*; manifeſtoque Reipublicæ *Venetorum* excidio, *Brixianos* in agros commigraverunt innumeræ acies armatorum: reſtitit immota invictaque more ſuo *Veneta* Reſpublica, cumque injuriæ auctorem male mulctaſſet, vincula coëuntis *Italiæ* validiſſimo nexu perligata, uno ictu, unaque ſemel adacti enſis acie diſſolvit

&

& sustulit; at certe *Gallorum*, *Hispanorum*, *Germanorum*, *Italorum*que, tametsi pro virili sua ni-
teretur, dilaxare non potuit; sed pulso fugatoque exercitu suo conterrita est; magnoque rerum dis-
crimine laboravit. Existimo equidem, Patres Conscripti, atrocissimo illo & ferali bello, quod fu-
rentium tot flammis animorum exarsit, tantoque restagnante humano sanguine compressum est, plus
laudis & gloriæ *Venetis* accessisse, quod victi fuerint, quam si vicissent: & consultius sane maturius-
que cogitanti vix liquere potest, an inauspicata fatisque damnata dies illa funestior enormi clade
fuerit & atrior, an magnæ firmiorisque potentiæ, constantiæque rarioris & virtutis argumento, pul-
chrior & speciosior illuxerit. *Romanos* olim evexere magis inflictæ calamitates, tractæque per asper-
rima bella ruinæ, quam felices & præprosperi rerum successus, invectæque tot per victorias, totque
per insignes triumphos deliciæ: siquidem infracti miseriis indomitique constiterunt; secundiore ve-
ro fortuna fatique plaudentis hilaritate superati victique penitus extabuere. Quocirca non temere
nec proludente fato, sed decreto cælesti jussuque Deorum effectum arbitror, ut tunc *Veneti* Prin-
cipes ceciderint: non quidem ut procidentes exculcarentur, sed ut cadentes validius atque poten-
tius *Antæi* more consurgerent; discerentque nationes & populi eos esse *Venetos*, qui jure domi-
narentur; qui sibi sua felicitate solertius & cautius obtemperarent; adversantibus vero fatis enixius
& impotentius obluctarentur; unoque præciso capite subnascentibus aliis, ac viribus *Lerneo* more
conscatentibus & adauctis propullularent semper & vincerent. His ergo bellorum procellis incusso-
que Martis turbine, præfocatam extinctamque rem *Venetam* hostes ruinæ collabentis magnitudine
putaverunt: at illa confestim rediviva, totisque repente viribus contractis vigens & succidosa prosi-
luit; sicuti sublimes & spumantes equi, qui sponte sua pernices & fervidi, si concussa fræna sentiant,
adactisque calcaribus fodiculentur, indignatione promoti ruunt, longeque provolant, ac divagantur.
Quippe vix integro vertente trimestri, cum alii sacramento soluti milites otiarentur, suos alii com-
meatu Impetrato revisissent, suisque ruinis adobruti Principes *Veneti* putarentur, antiquissimam no-
bilissimamque urbem *Patavium* discincto præcinctam barbaro receperunt. Quo facto interni exter-
nique Principes accensi exacerbatique vehementer, quod hostium restitutæ vires, eam ex integro
operam navavissent, ipsorumque in faciem tam insigne facinus & admirabile compatravissent, am-
plius quam centum armatorum millibus ex omni gente coactis, in asserendæ urbis expeditionem con-
fluxerunt; putantibus cunctis, idque certo certius animo suo versantibus, supremo eam exitio sub-
versum iri: at contra Princeps, Senatus, Patriciique omnes *Veneti*, qui eam urbem suo ære, suis
pignoribus, suo sanguine protegendam defendendamque susceperant, cum jam fata vertissent, in-
structas *Venetæ* Nobilitatis acies, justumque florentissimi Patriciatus exercitum illo destinaverunt,
tanta alacritate, tantoque conservandæ Reipublicæ suæ studio, ut *Mutios*, *Coclites*, *Curios*, *Fabios*,
*Manlios*que, uno æstu laudis & gloriæ cunctorum præferventibus animis fuisse merito credas. Cum
in urbem coivissent, eamque tormento, milite, commeatu præmunivissent, durissimo pectorum suo-
rum propugnaculo, perpetuisque vigilum suorum excubiis, oppidanos suamque rem valentissime tu-
tati sunt; irritosque circumfrementis barbari furores, inanesque reliso minas impetu prorsus effece-
runt: donec omnibus in cassum attentatis, cum hostes frustra moram tererent, frequentique mu-
nicipum eruptione plecterentur, soluto demum obsidio, *Venetus* in majora bellorum discrimina vo-
catus est, totque per annos, qui ab ea clade ad *Brixiam Veronam*que receptas, tanto miseriarum
fragore omnium interfluxere, continuis adversus immanissimas gentes & asperas, *Helvetiorum*, *Ger-*
manorum, *Gallorum*, *Hispanorum*que præliis, non minus ipsi fatigati divexatique, quam alios con-
fatigantes ac divexantes, redintegrati sunt; omnibusque compactis dissitæ Reipublicæ membris per-
solidati. Hæc nostris igitur liciis adnexuisse, unoque pendulæ telæ contextu, posteriora prioribus
conjunxisse, ne quid intervulsum historico meo stamini fraudem fecisse videretur, æquum esse di-
judicavi: sed & his ea dicavisse Viris ac consecravisse, longe quidem æquius congruentiusque puta-
vi, quorum præstantes eximiæque virtutes, toto bellorum decursu, perpetuisque continentium tot
præliorum incendiis inclarescentes, lumine suo luceque sua meam deficientem lucernam inflamma-
verunt; tantaque repleverunt lampade claritatis, ut insequentes omnes spatiosas noctes multarum ca-
ligine tenebrarum opacas evincere congrua suppetentis auxilii præsumptione confidam. Sic etenim
natura comparatum est, ut quod vi sua suaque virtute stare non potest, adminiculo propinquiore sub-
sistat: effoetus senex graduque succiduo titubans, si bacillo suo prænitatur, aut tremulum porrectæ
manus sustentent, firmiore prænixus vestigio consistet; vitis partu suo pretiosissima, si villicantis in-
curia non alligetur, si vallo concopulata non fulciatur, magno domini sui dispendio, magnaque ja-
ctura perit. Animadverti ego sæpe prægravatos uberiore proventu ramos, si rusticantis negli-
gentia contempsisset, nec junco vel pertica lassitantes sustinuisset, magno vulnere trunco revul-
sos arborem informiter deglabrasse: quamque fœtura numerosior præhonestaverat, exornaverant-
que rutilantium pomorum nativi decores, congenita cicatrice matrem turpiter dehonestasse. Sic
igitur suffragantis ope, sæpius ea nobis asserimus & vendicamus, quæ gracilioris imbecillitas præsta-
re non potest. Accedit quod opitulantis æternitas æternitate sua votum exoptantis replet: ipsius-
que desiderio comprecantis uberius ac largius morem gerit. Delirant ædepol cæcutiuntque morta-
les, qui, cum opis egent, illam ab his expetunt, qui, rerum cum sint omnium inopes, imploran-
tium vota frustrantur, & anxias supplicum mentes eludunt. Non ego quidem, si sitiam, meaque
peræstuent interno ardore præcordia feculentiores lacunas gurgitemque lutulentum ebibam; sed il-
limi perspicuoque fonte perarentia labra siccumque guttur meum irrigabo: nec ad pergulæ rarioris
umbracula confugiam, qua, Sirii, Cleoneique leonis ardores interlucente, fundantur; sed annoso
genialique platano, aut densis frondentibusque corclis, molestiorem solis æstum avertam & decli-

nabo. Sic operi meo vitam ab his & perpetuitatem adſciſcam, qui eam perpetuitate ſua ſuarumque virtutum æternitate poſſint impartiri. Dii boni, quam arduum & magnum eſt, ſanctam inviolatamque Rempublicam ſuoque genitali juſtitiæ ſucco ſemper evirentem areſcere: validoque prænixam integritatis ſuæ robore, reſciſſis pedamentis elabi. Si illa olim judicio nutuque Deorum excitata convalidataque *Romana* Reſpublica, quo cœperat auſpicio, quibuſve coaluerat inſtitutis, & bonis informata moribus excreverat, proceſſiſſet, parique virtutum tenore toto properantis imperii decurſu poſteriores natique natorum conſenuiſſent, magno plane totius orbis terrarum ſpectaculo, omniumque gentium & populorum admiratione viveret, lætaretur, triumpharet, neque nos elegantiſſimorum ſcriptorum querelas omnium farragine vitiorum concumulatas, & indignatione ſtomachantium erumpentes capacibus tabulis legeremus; nunquam ille torrente facundia redundans *Romanorum* admirator, ac virtutum eorum prædicator & vitiorum, conqueſtus eſſet, divitias avaritiam, & abundantes voluptates per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexiſſe; non *Aſiaticos* luxus peregrinaſque delicias deteſtatus eſſet; neque cum moribus immutatam in ſemet ipſos ſæviviſſe fortunam *Saluſtiani* gemitus ſingultirent. Quamdiu peculatus, repetundarum, majeſtatis ignotæ leges ſiluerunt, quamdiu bonorum candor animorum, puræque mentis ſimplicitas nullum *Corneliæ* Legis caput commenta eſt, quamdiu de ſicariis, de ſacrilegiis, de ambitu ſcita ac pœnas innocentia neſcivit, tamdiu *Romana* ſtetit floruitque Reſpublica domi foriſque ſemper accincta: virtutis parens, exemplorum magiſtra, publicæ diſciplinæ, publicæque libertatis adeo tenax & ſtudioſa, ut nullo diſcrimine cenſuram exereret; ut admiſſa graviter ulciſceretur; ut ſanguine ſuo faſces ſecurimque reſpergeret; ut trucem *Brutum*, truciorem que *Torquatum* exemplis illuſtribus ſemperque victuris memoriæ commendaret. At poſtquam ſcelera leges fixere, gravioraque refixere, cunctiſque pro mercalibus argento auroque divenditata ſunt omnia, tunc demum relanguere bonorum morum rigores; domi foriſque leges legumque miniſtri contabuerunt. Quid illis igitur una ruina labentibus, collabentem quoque *Romanam* Rempublicam ſuſpiciamus? Rurſus, quid apud *Venetos* incorrupta legum diſciplina pervigente, omnibuſque bonis moribus in ea urbe velut proprio domicilio regnantibus, *Venetam* conſiſtentem perdurantemque Rempublicam admiremur? amplius annos centum ac mille transgreſſa eſt; eodem publico virtutis cultu, eadem illibatæ juſtitiæ reverentia, ſemperque pari religionis majeſtate; una publica privataque fides intemerata, una conditæ condendæque legis inviolata ſanctio, unus inflexilis & immotus ad omne præſcriptum rigor. Principem quidem ſuum habent *Veneti*, non qui legem condat atque recondat; non qui decreta ſignet atque reſignet; non qui edicat & interdicat: ſed qui legibus obtemperet, obſequatur, adſiſtat; & cum omnium Princeps ſit, ipſe primus omnium legem exſequatur. *Domitius Ulpianus* ex *Syria Phœnice*, ſplendidiſſima Colonia *Tyriorum*, oriundus, *Alexandri*que *Severi* tutor, Præfectuſque Prætorio, Principem legibus quidem ſolutum *Primo Digeſtorum* notat; & quanquam Auguſta legi ſubjecta ſit, eadem tamen prærogativa Cæſaris beneficio gaudentem refert. Quid igitur mirum, ſi legibus ſoluti Principes, ſuæ voluntatis arbitrio reguntur; ſi anulo, ut ille dixit, deſcribi poſſunt; ſi ægre digito monſtrantur? at ille corpus ſuum caſtigat & in ſervitutem redigit, ne, quam aliis indixerit, ipſe legem offendat. *Chriſtus* ſeſe legibus alligatum profitetur, ut quemadmodum ipſe fecit, ſic & nos faciamus. Legi Deus Optimus Maximus aſtringitur: ipſeque neceſſitas ſua eſt. Cæli legibus parent; ſidera legibus obnoxia ſunt; ſol & luna lege ſua tenentur; elementa præſcriptos ſibi lege fines obſervant: cur ergo Princeps lege ſolutus eſt? quoniam ſcilicet, quieſcentibus aliis, excubat ſolus; potantibus aliis, ſolus ſitit; luxuriantibus cæteris, ipſe frugalis eſt; hæſitantibus aliis, periculum primus ipſe capeſſit; & cum omnes elanguidi jacenteſque demoriantur, Principes oportet rerumque præpoſitos ſtantes mori. Hac quidem interpretatione Principes lege ſoluti ſunt: ſi invertas, aliterque commenteris, Princeps *Venetiarum* nunquam lege ſolutus eſt; ſed ſummo cum legislatore pronuntiabit: Digna vox eſt majeſtate regnantis ſe legibus alligatum Principem profiteri. Quam Senatus patitur, quam Patricius legem ſubit, eadem *Venetiarum* Princeps ipſe tenetur: in quam ſi committat, reus erit; in eumque ſuo de more Patres animadvertent. Honore, titulis, dignitate præminet omnibus: ſi ad legem reſpicias, omnibus exæquatur. Beata felixque Reſpublica, quam nulla dignitas expugnat; quam nullus ordo prævertit; quam nullus magiſtratus conturbat. Etenim ſi Principes ſui legibus parent, quomodo Magiſtratus non obtemperabunt? Si perligati nexique lege ſua magiſtratus obtemperant, quomodo cæteri non obſequentur? Rurſus, ſi ipſa potens ac domina Civitas ſic imperat & dominatur, ut ſuis legibus acquieſcat, quomodo provinciales ſubditique ejus delirabunt? Quo tramite civis ſervuſque declinabit, ſi nunquam Princeps nec Dominus exorbitat? Si Civitas ipſa ſecum convenit, ſi membris ſuis omnibus concordat, quomodo diſcordes alios patietur? Mirum quidem eſt, oblitos æternæ pacis glutino Patricios plebemque conſueſcere: incredibile dictu, ſive fato ſive Principis Senatuſque prudentia, ſapientiaque majorum ſic eam inſtitutam, imbutamque bonis moribus Rempublicam, ut nullæ Patricios inter ac plebem intercedant diſcordiæ; eo Principem Senatumque temperamento cuncta gubernare ac moderari, ut civiles motus, ut plebejæ ſeditiones, ut vulgares rixæ, non excitentur, non erumpant, non accendantur. Magnæ urbes magnæque Reſpublicæ, ſi foris hoſtem non habent, domi ſemper inveniunt: *Veneti*, foris hoſtes habeant, non habeant, lares certe ſui, ſuique penates ſemper hoſte vacabunt. Parcam infelicis exauguratæque urbis *Mediolani*, coalitas perpetuo diverſarum factionum nutrimento, peſtilentique alimonia ſeditiones referre; livoreſque diſcrepantium animorum neſcio quo modo nobis inſufflatos oratione ſaluginoſa non perſequar. Involvam ſilentii tenebris aſſidua *Ligurum* diſſidia, cæterarumque ſplendidiſſimarum urbium inteſtinos motus ſtilo meo ſupprimam & abrogabo.

Ipſa

Ipsa certe infans *Roma*, necdum ætate provectiori firmata, cum adhuc ex ipsa pastorali feritate, & inconditæ gentis asylo quid atrox truculentumque spiraret, sævientibus in terga creditoribus commota est; & in sacrum montem armata secessit: rursus allatis ex *Græcia* legibus, omnique duodecim in Tabulas digesto Jure, cum illius interpretationem *Appius Claudius* ad pudicitiæ contumeliam stuprumque virginis traheret, infremuit; nobilitatemque telis hostilibus ingrassata est. Ad hæc matrimoniorum indignitas, ut plebeji Patriciis jungerentur, tumultuantem vulgum ad arma provocavit; sed & dignitatum exæquata collatio Magistratuumque consortia Patribus invitis ac repugnantibus extorta, magnos in urbe *Roma* motus olim concitavere; ut *Gracchos*, ut *Catilinas*, ut *Marios* ac *Syllas* Reipublicæ perniciosos, longeque perniciosiores *Pompejos* ac *Cæsares* prætercam. Nullæ tales sane *Venetiis* seditiones; nulli tales unquam urbici tumultus; civicarumque discordiarum furentes proscriptionibus gladiisque procellæ; hic pacata placidaque omnia, hic suo ordine, suo gradu, sua lege disposita cuncta procedunt; non infimis supremi conturbantur; rursus extremos medii non agitant; solio suo celsiore Princeps, sua Senatus in orchestra sedet; pulvino suo Patricii, cuneis suis plebeji, distinctis veluti stationibus agunt; quo tramite calleque vocati sunt, quieti silentes modestique omnes ambulant; quam sibi suæ sortes legem indiderunt, æquis omnes animis patiuntur; non indomiti ferocientesque spumosa fræna mordent atque præmandunt, sed mansueti, dociles, atque disciplinati lambitant & illingunt; non centuriæ centurias ingrassantur; non tribus tribum irrumpit; non classi classis insultat; non diversa diversis ovilibus septa confunduntur: una omnes infallibilis orbita dirigit; uno deducto omnes filo reguntur; una perpetui ductus, perpetuæque figuræ linea circumscribit omnes, omnes amplectitur & astringit. Hæc sunt medius fidius, Patres Conscripti, quæ Sanctissimæ Invictissimæque Reipublicæ *Venetæ* sempiternum vobis Imperium pollicentur; quæ nullo bellorum turbine subrutum, nec ullo unquam futuro ævo subruendum firmaverunt, firmant, firmabunt; quæ bonis perfaustisque positam originibus Urbem, propagatamque feliciter ac felicius in dies propagandam, tanta rerum omnium ubertate, tam admirabili præcellentium ingeniorum copia, ac tanta publici cultus majestate decoraverunt, decorant, futuraque per sæcula decorabunt: ut hic, cæterarum pace gentium dixerim ac populorum omnium, merito templum pacis, quietis atrium, concordiæ domicilium prædicemus; ut hic urbis æternæ sedes, æternique principatus augustale sacrarium, ut hic unus Regum sua cum ardente purpura Senatus, tot sese contorquentibus sæculis æternus esse credatur. Fabulata est antiquitas, idque mox liberiore poëtarum licentia posteris usurpatum, *Saturnum* cum *Themidis* oraculo comperisset, filio patrem armis desequente perurgenteque, se Regno depulsum iri, natos ex *Rhea* uxore devorasse: quod iccirco confictum accipimus, quoniam *Saturnum* æternitatis Deum, sæculorumque parentem prisci vates commenti sunt; sæcula autem annos ex se natos, suaque in sese per vestigia recurrentes æterno orbe convolvunt. Hunc ergo, si ut poëtis nobis quoque liceret ingenio ludere, suspendereque legentium animos rerum admiratione novarum, urbis conditorem, urbis præsidem, Deumque tutelarem prædicaremus: sed hæc quoniam insanis poëticisque recantata furoribus nostræ religionis aula prorsus excesserunt, æternitatem imperio *Veneto* ex justitiæ legumque cultu, ac prælecti inculpatique regiminis temperatura libentius ac melius adauguremur. Aliæ sibi Deos conditores usurpent liberius nationes, urbiumque primordia suarum, ad Deos auctores referant, ut, quod perversi mores distortæque civium voluntates eorum, extincto publicæ disciplinæ vigore præstare non possunt, id fabulamentis inanibus & emissis eburnea porta somniis falso sibi collatum opinentur: quoniam de scena pulpitoque madente, frustra poëticas nugas imploramus cum fide veritatis solidoque rei persistentis fundamento destituti deliramentis anilibus oblectamur. Gaudeat Marte suo *Roma*; *Pergama* Neptunum & Apollinem admirentur; atque suum memorent Amphiona *Thebæ*, si quod improbi mores, obscenique convenarum recessus, omnium perscatente subolenteque sentinario vitiorum subruerint, disjecerint, contriverint, id mercenarios, symphoniacos, constupratoresque Deos, sibi reposituros opinentur: non æternitatem corrupta donant, sed incorruptissima Deoque similia, qualia Deorum cultus, examinati mores, ansancta pietas, incorrupta fides, impollutum tribunal, indeclinabilis exsecutio juris, &, ut semel dicam, justitia semper adamussim suosque per omnes numeros observata, largiuntur. Quæ suo velut in Regno quoniam *Venetiis* collocata persistunt, suoque velut robore consita, ipsius ab conditæ urbis origine viguerunt, vigent, vigebunt, æternitatem Imperii propagandorum amplitudine finium in dies cumulandam, ipsis Reipublicæ moderatoribus sempiternis dispondent, conferunt, atque perennant: ipsorumque cultoribus non simulatis, & incolumitatis eorum studiosissimis observatoribus, perpetuæ celebritatis memoriam propitio Numine consecrandam pollicentur. Eja igitur, sapientissimorum Sapientissime Principum Princeps, *Andrea Gritte*, quique consiliis & gubernaculo tantæ Reipublicæ cum eo pondera sustinetis, Amplissimi Proceres, dictatam suisque digestam voluminibus historiam meam, immo vestram, aut potius, si libeat, communem excipite, atque perlegite; sæculorumque præcupidam omnium, vestræque pariter æternitatis appetentem, futurum in omne ævum extendite, porrigite, dilaxate: cor & vitam a vobis, a vobis spiritum & lucem expectat; vivificetur, vegetetur, roboretur ab his, qui suarum horreo divitiarum, suarumque thesauro virtutum insufflare animam, vigoremque perpetuum infundere possunt; qui enutrire, commovere, summoque collocare rerum omnium fastigio, mortalium mentibus omnium oculisque suspiciendam possunt. Non est omnium sane Principum operi victuro vitam perennem dare: sed qui suo perennes imperio futuri sunt; quique exactissimo acerrimoque judicio suo perpendunt & trutinant

tinant, quid distent æra lupinis, quid aurum ab ære, quid a vitro gemma discrepet; quibus in judicandis si prorsus homines hallucinentur, nec ullam subjectæ rei vim calleant, opera tunc certe cum impensa perit: unaque prægnantis spongiæ litura Musis aversantibus dictata delebuntur. Quid enim unguentum in lente, quid in luto margaritam, quid aurum in nare suis? *Caligula* quoniam judicio delirabat, nec amaracina quid olerent unguenta, retusis poterat sensibus obodorari, ab omnibus pæne Bibliothecis historiæ parentem, *Platonem*que poëtarum, id est, *Virgilium* ac *Livium*, summovit; pari depravatæ mentis insania Jureconsultis interminatus excidium: contra vero *Alexander* ille *Macedo*, quanquam insolescente superbia, multoque judicium interturbante mero, felicem colit & admiratur *Achillem*, quod virtutis illi suæ præco contigisset *Homerus*; & *Augustus*, cum ab ipso mandatum supremis tabulis auctore didicisset, ut speciosissimam, & quo nullum *Latio* clarius extat opus, *Æneida* concremarent, vultuosus indignantique similis pronuntiat:

Ergone supremis potuit vox improba verbis,
Tam dirum mandare nefas?

Multa quidem in obscuro jacent, obsitaque multa nocte tenebrescunt, quæ, si lumen admoveris, exsplendescent. Quid ære despectius, quid ferro vilius, quid vitro contemptius? quibus si claritudo solis affulgeat, immenso splendore rutilabunt; in cælo luna nihil opacius, qua soli diebus suis opposita nihil fulgentius emicabit. Ergo, Patres Conscripti, quanquam illimati impolitique stili mei rubigo nonnullis forsitan inscabrescat; oblimataque volumina mea crassiori lentaque uligine consordescant; si a vobis, æterni luminis vestri claritas infusa subluxerit, extersa repurgataque pernitescent; omniaque quocunque stilo exarata, contractis sole vestro radiis, prælucentia coruscantiaque conflagrabunt: omnes, qui Augustissimæ Illustrissimæque Reipublicæ *Venetæ* dicatum opus evolvent ac perlegent, quæcunque (licet) desideraturi sint, benigni animi mei candorem, propensissimæque mentis meæ, ipsam in Sanctissimam Rempublicam voluntatem, nunquam certe desiderabunt.



BER-



BERNARDINI ARLUNI, *Jureconsulti, Patricii Mediolanensis,* DE BELLO VENETO LIBER PRIMUS.

ANnum a partu virginis millesimum ac quingentesimum, *Ascanii Sfortiæ* Pontificis, *Mauri*que fratris ejus in urbem reditus insignem fecere; priscoque de more candenti nota numerandum inscribendumque fastis aureo stilo diem Februarii secundum & quintum publicæ lætitiæ conduplicati plausus, ingeminataque redundantium gaudiorum hilaritas ediderunt: contra vero, devovendum execrandumque diris omnibus diem Aprilis octavum, insecuta calamitas, publicoque luctu lachrymæ promanantes incestaverunt. Adeo florida paulo ante gestientium ac tripudiantium prata, tortuosæ atque furentes angustiarum procellæ, perpetuique lachrymarum imbres proluere. Sic etenim lectissima quæque, magnoque felicitatis succo præpinguia, repentino odio invidiaque fatorum emaciantur: & quæ paulo ante jucunditate sua floruerant, subito mœrore planctuque liventia decussis frondibus exarescunt. Nostra sane, majorumque nostrorum tempestate adversa plurima plurimoque singultu lugubria consqualluere. Inter omnes animi molestias incredibiles *Roma Germanici* sui mortem, *Mediolanum* vero *Joannis Galeacii Sfortiæ* obitum acerbissime pertulerunt, deluxeruntque fletu gravissimo. Intercepti utriusque desiderium intendebant, illic patris invisa, hic in funere nepotis intempestive suborta dominatio. Sed ille animi languor, illaque exasperati doloris sævitia, in sinu pectoreque mœrentium populorum resederunt: illic quippe viventis *Tiberii* Majestas, hic moderatoris patrui reverentia compressos singultus gemitusque coërcebant. At nunc aperto promiscuoque collugentium & deplorantium dolore permixta confusio communibus cœlum terramque lamentis replebat; inauditi novique sceleris magnitudo, tum ardua tanti perpetrandi flagitii difficultas incredibilem sane rem omnibus faciebant. Itaque varios inter famæ fluctuantis æstus ancipites animi pectoraque diversis rumoribus exagitata pendebant. Hora erat diei quinta, cum rari levesque per hominum aures irrepsere susurri; coactaque mussitantium conventicula rem ambiguam in incertum trahebant; atque ita divagatæ sermocinantium voces obscuris auctoribus fideque dubia pererravere: donec adulto die, moxque præcipiti, corroborata frequentiore nuntio fama convaluit. Quam & protinus ad plenum confirmavit

A *Ascanius* pro rostris ad populum concionabundus. Hic siquidem cum in curiam convenissent amentes attonitique cives, ut dissipatæ per urbem atrocioris famæ certo auctore verum certius colligerent, processit in medium: ex editoque præ dolore non admodum multa præloqutus, quanquam orationis vir esset facundissimæ, captivum Ducem *Maurum* declaravit. Tum vero tanta omnium trepidatio, fuga, desperatio, tantusque repente fragor & ejulatus erupit, ut non majori certe captam per urbem terrore, districtus hostilis gladius perbaccharetur. Mihi quidem exacte omnia memoriter repetenti, perturbatæ Reipublicæ facies ea

B videbatur, cum lacertosi prædurique agricolæ præceps agmen aquarum multo obice, perductisque circum septis obstipatum cohibent, ac limo, stramine, ruderibus, omnique rustico munimine comportato, profluentes aquas reprimunt. Illæ quidem tenuioribus rimis, maleque consertis foraminibus circum exploratis, primo leviter, angustisque nunc his nunc illis labiis exprimuntur; mox paulo latius diducta prolaxant, crassiusculosque sensim humores exspuunt: contra vero alacres rustici, suis agrestibus armis omnibus accincti fatiscentes rimas compingunt, constrictaque modico primum hiatu foramina coarctant, ac sabu-

C lo, sarmentisque omnibus cumulatim ingestis, obstruere pressius, obturareque compactius certatim præni tuntur: donec undique magnis fluctibus exturgentes undæ improvisoque torrentis impetu restagnantes emicant, disjiciunt, pervastant, supergressæque duros obices, diffractaque rebulliente æstu repagula, longe lateque ruina omnium dispatiantur, mersitant, provolvunt. Sic intrepidi securique primo cives nunc has nunc illas voces dissimulare, præterlabi, rejicere; sinistra omnia parvis exilibusque primordiis rumigerantium collidere atque reterere, argumento, testimonio, fide: donec certioribus undique nuntiis

D fama perscatente concrebescenteque diffusa res, ad liquidumque perducta, conclaruit. Tunc vero talis tantæque molis procidente ruina, consternati omnes oppressique animo profugitare, tumultuari, errare; nulla, conceptacula, nullæ latebræ, nulla diversoria pavitantes & stupidos receptare; properare, cunctari; prodire, redire; insilire, resilire; hæc & illa prosequi, hæc & illa rursus intermittere: Quoniam exagitata foris intusque deformiter omnia, nullum maturandi deliberandique plenius consilium admittebant; eva-

ginatus hostilis mucro foris nullo cohibente furebat; intus populatio, cruciatus, vincula, civem terrebant; ad hæc conjugum & liberorum lamentatitiæ preces, familiæque sub cultro linquendæ miseratio, tum & propinqui sanguinis affectus, attentandi itineris, capessendæque fugæ consilium interturbat. Itaque velut alieni dissipientesque nihil inquieto animo præfirmare, nihil incomposita mente destinatum exsequi: sed inurentibus curarum flagellis contorqueri penitus & infervescere. Molestias animique dolorem exacuebat dissipati exercitus nostri non minus certe perniciosior fama quam verior; multorumque Nobilium importuna captivitas, & his inflicta miseris tormenta cives juxtaque plebejos omnes consternabant. Quos inter inique perindigneque tractatus *Gaspar Ambrosius Vicecomes*, splendidissimis natalibus, & amplissimo patrimonio natus, inter præsepes jumentaque miserabiliter ac fœde convolutus interiit; cui sane non absimiles alii, cum mediæ tum summæ Nobilitatis viri, qui suo vel collatitio ære merebant, quique altiore gradu militiæ provecti, castris ordines honorificentius ductabant, pari exitu vel graviore consumpti sunt: adeo quidem ut hinc & inde conflictati omnes, non minus ædepol privatam quam publicam jacturam ingemerent. Etenim vel hoc vel illo casu nulla non lugubris & funesta domus: nullæque non lachrymabiles familiæ trucidato, capto, aut profugo cive squallebant: ejulatus præterea fœminarum, matronarumque singultus, feralibus omnia lachrymis incestabat: hæc fratrem, illa maritum, alia patruelem, nonnullæ generum, plures affinem, impatienter intemperatoque fletu delugebant: aliæ cæsum demortuumque patrem, aut extorrem vel graviter affectum, sævioribusque tormentis discruciatum, miserabiliore suspirio lamentabantur. Obscura tenebris omnia, lateque pallentibus cunctis, omnes silentio, & pavore tremebant. Ergo jubente nullo justitium indici: rostra, forum, curia, nullo mandante præcludi: mutæ leges, muta jura, muti judices: uno omnia mœroris planctusque sepulchro præcondita conticescere. Nonnulli barbam prolixius enutritam inexpleto luctu promiserunt, hirsutamque ac rigentiore mento propendentem tam pertinaci mœroris indicio demisere, ut edicto publico de cute leviganda, deque pilis tradendis cautum sit; & ne paupertatem aut æris inopiam excusarent, fisci detrimento præstaturos impendia præcones admonebant: tanto risu ludibrioque omnium, ut vix ægreque pauci admodum edicto paruerint. Exinde barbam alere, renascentemque pilum enutrire, tempestas nostra ploratu jugi subtristior induxit: quod deinceps veluti per manus traditum, utentiumque moribus receptum sic invaluit, ut juvenes juxtaque senes, nullo discrimine ferociter intonsi, fortes sint, & hanc in diem sua tenus barba sapientes. Nonnulli etiam vestem mutaverunt: plures saga sumpserunt: divinorum obliti alii neque vota concipere, neque concepta solvere, aut templa revisere, nimia sui doloris impatientia sustinuerunt. Quin & abjurati Dii immortales, intermissaque religione sacra: profanatæ impiis execrationibus ædes, appetiti etiam impudentissime conviciis sacerdotes, quod eorum temeritate commissa piacula capite suo alii luerent. Adeo cæcis hominum mentibus exasperata vulnera doloris incruduerant, quem omnibus in urbe atque extra urbem deformatis, præcipitis ruinæ desperatio concitabat. Nec enim captivi Ducis redimendi, aut supplendi exercitus, reparandarumque copiarum ulla spes erat: cum aut ferro absumpti ductores, aut certe vinculis irretiti præpedirentur; sed & equitatus peditatusque noster omnis alio alioque casu perculsus conci-

A derat; Cæsariani pedites quos *Maximilianus* auxilio miserat, hostilibus intercepti gladiis, ad igniferam mortem obierant; *Burgundiones* in tanta rerum confusione, nec vigore animi, nec ulla militari peritia, nobis prodesse potuerunt; *Helvetius* improba rebellione defecerat; auxilia vero nostra, quæ *Mediolano* protinus emissa, si coire potuissent, barbaricas fraudes oppressura fuerant, disjunctissima, subsidio longius absuere: quippe *Mauritani* turbinis audito fragore, cognitaque trepidantium legionum nostrarum fuga, cum intempestivas suppetias allatura viderentur, relectis actutum vestigiis, ad urbem conversa repedavere.
B Quæ cum lachrymabilis vulgus, suoque deformes pallore cives conspexissent, incolumitatem Reipublicæ salutemque suam prorsus abjecerunt: nec urgenti fortunæ resistendum rati, aut in acuminatos exacta acie aculeos calcitrandum, cum in urbe præsertim bellico præsidio destituta *Trivultiacæ Gallicæ*que factiones prævalerent, fugam conticinio noctis, dubiaque luce, vel solis ortu, ut sua quemque fata trahebant, emoliuntur: atque alii alio iter capessentes emigrantesque procul in diversa, vertere solum: multi *Venetorum* fines ingressi, quoniam nobis hostes non erant, nec civibus infensi nostris putabantur, velut securo
C salubrioreque domicilio diversati sunt: nonnulli prærupta montium superantes, opacaque convallium perniciore cursu transgressi, *Germanici* recessus abdita penetravere: *Mantuam* alii, *Ferrariam*que plures, oras etiam nonnulli maritimas, præcipueque *Ligustici* maris tractus peragrantes, in alia omnia abiere. Domi etiam mansitantes plerique, cum insidias circumquaque dispositas verentur, aut quos variis morbis implicitos languor oppresserat, diverso cultu religionem ementiti delituerunt: sicuti *Lactuanus* præsul, qui lectica translatus cum podagra dissecaretur, præacutique dolores ipsum dispungerent, in *Angelina* sese
D cœnobia receperat. Verum cum severissimis edictis inquisitiones acerrime, truculenta perbacchante victoria, passim exercerentur, delatus est: suisque turbulenter latebris extractus, tutissima *Jovis* in arce custodia repositus. Sed & *Joannes Andreas Cagnola* defectæ vir ætatis, ac Senatus olim utriusque Præses, qui fortunæ totiens alternantis vicem perosus, emigrante remigranteque *Ludovico Sfortia* nullum secutus, domestica mansione sua desederat, importuniore satellitio circumdatus, nulla dignitatis, innocentiæ, senectutisque reverentia tumultuanter in carcerem conjectus est. Objectatum est illi, quod absentem
E *Ludovicum Sfortiam*, & in *Germania* degentem, per internuntium, non quidem destinato, sed, ut plerumque fit, perfunctorie, mutuique sermonis occasione, salutavisset. Qua de re cum quæstioni subjiceretur, legitimeque factum defenderet, intercedente *Jafredo* Caroli veniam meruit; sed nec multo post, cum & prægravante senio, & animi molestia perurgente conficeretur, elatus est. *Aluysius* vero *Galleratus* emendatæ vitæ, suaque præsignis innocentia, cum objecta omnia testato purgaret, nulloque proinde libertatem auro redimeret, plurima patriciatus fidejussione relaxatus est: sed ut creditur veneno jam ante petitus,
F paucos post dies vixit. Horum excessus gravissime tuli, & quia mihi jure sanguinis jungebantur, & quia nullis obnoxii delictis alieni reatus pœnas luerunt. *Ambrosius* vero *Mainus* nonnulla Principis cognatione munitus, cum ægritudine correptus langueret, sumptoque ad purgandam largius alvum antidoto distineretur, *Mauritani* præcipitii strepitante ruina, quanquam torminibus utero conduplicatis, morboque sævius ingravescente, excursionibus tamen incitatissimis ablatus effugit. Hunc *Patavii* degentem, cum ad capiendum

dum ingenii cultum, ediscendumque Jus Civile adolescentulus ego illuc perrexissem, quoniam funere publico pullatæ *Ticinenses Athenæ*, communique luctu lugubres insqualluerant, &, jure vetustioris amicitiæ, & celeberrimi Jureconsulti *Jasonis* fratris sui commercio salutavi atque appellavi: cumque invicem sæculi nostri miserias, summæque Nobilitatis interitum, ac miserandam nostræ totius Reipublicæ cladem lamentaremur, hanc cæteris omnibus unam flebiliorem, magisque detestandam prædicabat, quæ Ducem sustulisset, quæ Summatem extinxisset, quæ plebem adflixisset, quæque secum totius *Italiæ* ruinam attraheret. Nec plane suo vir prudens judicio deceptus est: nam quantas ab utroque mari procellas, Martisque furentes æstus, perpetua bellorum tempestas exciverit, universamque prorsus *Italiam* contriverit, omnes quidem vidimus & sensimus. Ipsa quoque præclara, magnoque semper & ubique splendore coruscantia *Hadriæ* lumina, quam his bellicis nubibus obscurata fuerint & obumbrata, nemo nescit: sed & multos in annos tot per adversorum gradus extracta calamitas nostra, cæteris omnibus longe funestior, id abunde flebiliterque declarat. Quo circa nulli mirum fuerit, si tanta strage prostrata civitas nostra, totque fluctibus oppressa malorum, inexpleto singultu lamentata est, exulcerataque sanioso vulnere prorsus extabuit. Desævientis infixique doloris amaritudinem exacuebat ejussæ nuper indictionis aciditas: trecentaque *Gallicano* taxata imperio aureorum millia, nostro ære persolvenda, Nobilitatem ac Plebem magnis adversæ fortunæ fascibus oneratam, omniumque difficultate laborantem ad extremum premebant. Quippe post Ducem captum, nostrasque deletas ac profligatas omnes copias, cum insolentia temeritateque sua victor exercitus tumultuaretur, ac primo *Novariam* assultu petivisset, indiscretoque populatu civitatem oppressam ingrassabundus diripuisset, in nos statim impetu verso, revolutoque feri Martis cardine, populationis avidus & rapinæ, ruebat. Nec cohiberi poterant latrunculi prædonesque catervatim in nos agminatimque prorupturi; quique nullis addicti signis, nec ducibus obnoxii, suo jure suoque arbitrio conglobati divagabantur: itaque vi minisque majoribus ac suspendio coërcendi, ablegandique *Gallicanis* castris, terroribus ac pœnis erant; tum legitimi conscriptique milites vice sua castigandi, intraque castrensis disciplinæ rigorem cohibendi fuerunt. Ergo post interdicta, promulgatasque pœnas, sumptaque de nonnullis patibulo calenti supplicia, delecti sunt, & destinati ordines, eorumque Duces amandati, qui dispalatum & pervadentem compescerent, suaque militem ad signa revocarent. Tum subruti pontes, rescissisque funibus divulsi confestim sunt ac dissiti, ne quos nostræ rei populandæ citra *Ticinum* amnem cupiditas adveheret: sed & Primipili, Centuriones, Vexillariique largioribus donativis affecti sunt, quo facilius inconditam multitudinem suosque ordines in officio continerent. Etenim cum antesignanos principiaque demulseris, cæteram facile turbam conciliabis, tuæque voluntatis ad arbitrium rediges: quod *Gallicani* prudens Imperator exercitus, hostiliumque castrorum Magistri, prorogato ære, duplicatisque stipendiis, ut insontibus nobis, innoxiæque multitudini parceretur, factitaverunt. Hos igitur in usus, reliquosque subnascentes in diem sumptus bellicos, quos adventitii propriique milites pactis stipendiis exigebant, impendenda numismata marsupiis nostris emungebantur: mulctatitiamque pecuniam extorquebant *Gallicani* Quæstores folliculis omnium excussis, quos paucorum sollicitudo infensior & acrior exagitabat. Sed ea qui-

A dem omnis ægra fuit & perdifficilis exactio, multorum conflata suspiriis, & querimoniis conflictatorum oppleta. Nam & proximis diebus indeclinabili perscatente bellorum impendio, *Mauritana*que pressura tot tractim emergentibus damnis, non levem summam, compilatis civium facultatibus, retonsisque multorum patrimoniis, ærarii præfectura contraxerat: & jam plurimi sarcinas tributorum abjecerant; permixtaque multorum querelis contumacia, numulariorum jussa contempserat. Itaque superindicto recens oppressi vehementius angebantur; adglutinataque præsens no-
B væ solutionis massa grandioribus omnes cumulis prægravabat; præterea captivi, extorres, relegati, qui vertente fato *Sfortiaco*que lapsu ciderant, hujusce collationis linea discludebantur. Tum *Gallicanæ* factionis studiosi, quique victorem secuti fuerant, retractare frænum, cervicemque jugo subducere non injuria videbantur. In plebem itaque, mediastinosque cives rejectati fasces tributorum, ut plerumque fit, gravioribus ingestis ponderibus suffocabant. Verum intercalaris solutio dispartitis terminis prorogata, moxque nulla non ex parte remissa, cum afflicto pro cive nonnullis intercedentibus, benigni Regis
C clementia flecteretur, plurimos sublevavit. Quos etiam relaxatis districto animo molestiis ingentibus, recreavere Legati: qui bellicis ex sententia confectis rebus sese victorem ad *Trivultium* contulerant: gratulatum, quod votis suis omnibus fortuna lenior aspiravisset. A quo quamquam severe minusque familiariter objurgati correptique fuerint, quod ad *Maurum* inepte parumque consulto defecissent, jussi sunt tamen plebem, quodque reliquum Nobilitatis erat, blandiloquio solari, mollioreque verborum lenitatu reficere. Quorum *Jo. Stephanus Castellioneus* & priscæ gentis Nobilitate, & prærogativa dignitatis princeps, cum ad *Ticinensem* portam effusus omnis populus occur-
D risset ex castris redeunti, tremebundaque plebes, quid in tanta facinoris novitate victoris animo sederet, sciscitaretur, solatus est; ac ut viverent, bonisque suis fruerentur, hortatus: quoniam boni Regis mansuetudo, *Gallicani*que Moderatoris prudentia, præter paucos rebelles *Gallicano*que imperio infensiores, cæteris omnibus veniam erat irrogatura: darent modo ipsi operam, ne quieta pacataque conturbarentur, neve populares discordiæ, vulgariaque arma novos motus concitarent; procuraret sua quisque negotia, suisque ministeriis opifices ac sellularii, suisque de more tabernis
E institores versarentur; gubernacula Reipublicæ *Ludovico* Regi fato jubente concredita, moderatioreque ipsius arbitrio contractanda, relinquerent. Edictum est interea ab omnibus in publicum arma conferri; indictæque pœnæ; ac statuta delatoribus præmia. Quod quanquam omnibus permolestum foret, graviora veris, augurantibus, utiliter tamen beneque cessit. Falso quippe populus existimabat, inermem nudamque plebem exercitu victore depopulandam, cum summi rerum provisores, *Gallicanorum*que castrorum Præfecti nihil intentius agerent, nec solicitius procurarent, quam popularium quietem tueri, civicamque sospitatem defendere. Etenim ne qua
F per tumultum in urbe suborta seditio, tot maxime per clades ruinasque mœrentibus animis, barbarico degente procul exercitu, *Gallicanis* Magistratibus *Gallicarum*que partium studiosis aut mortem, aut mortis periculum afferret, soli citissime providebant. Semper enim *Transalpini* quamquam foris victores, in urbe vero, potentissima factione subnixi, tum etiam adversa Nobilitate alio alioque casu perculsa, ab infesta tamen plebe, reliquoque Patriciatu, quem sibi modis omnibus infensum præsentiebant, timuerunt. Itaque domi, cum ex suis copiis, tum

tum ex ipsa arce præsidium quærere; comparatoque circum auxilio propriam incolumitatem tueri: hinc pauci milites in urbe conscripti sunt, qui præter arcis custodiam, urbicæque præfecturæ subsidium, ad subitarios motus comprimendos præsto forent. Hi civium domos turbulenter ingressi, cum ingentibus minis fragoreque verborum cuncta terrerent, præter hospitium ejusdamque supellectilem nihil domesticum attrectabant. Cumque reluctantibus nullis nec obsistentibus, eorum iræ terribiles deferbuissent, injectaque post convitia, despumato furoris æstu resedissent, tranquillissime commitescebant. Sed inexpertis futurarumque miseriarum ignaris civibus, ea quidem aspera & atrocia videbantur, ac modis omnibus intolerabilia; mox perpetuo bellorum decursu graviora perpessis cicurire, suaque retusa bestiariis feritate, mansuescere visa sunt: ad quæ detracti retritique deinceps, tot in nos perculsis malorum plaustris, quanquam frustra, sæpius tamen animi nostri suspiravere. Sic etenim natura comparatur, ut carendo quisque melius judicet quam fruendo: & cum præsentibus miseriis quis angitur in cassum præterita respiciat. Verum & hac militaris hospitaturæ molestia præservati plures: exemptique bonarum in primis artium Professores, ac liberalium studiorum Magistri: quibus quanquam horrida suisque moribus inculta barbaries, plurimum tamen semper arrogare, tribuereque plurimum visa est; sive Regis imperio, qui nobiscum sæpe versatus nostris moribus assueverat; sive nativa insitaque huic genti erga disciplinatos præstantesque ingenio viros reverentia. Qui deinceps extractis in hanc diem bellis despecti contemptique sic eviluerunt, ut togatos processisse dispuduerit: penulatique plures ac chlamydati, nonnulli etiam pugionibus stilisque succincti, pro tribunali, pro rostris, in foro, in curia senatuque versati sint. Tanta est omnium vicissitudo rerum, & invertentis cuncta lubricum fortunæ. Mox placide modesteque, nulla controversia nulloque fremitu competitorum, judices, qui remigrante in urbem *Ascanio*, in diversa metu profugerant, subsellia suumque tribunal, adversum in orbem recurrente rota, repetiverunt: sua Senatus in orchestra sedit: Magistri census, annonæ, salinarum, cæterique omnes suo de more jura dixerunt. Tunc in rebellem læsæque Majestatis reum conversa cognitio; acriusque perduellionis quæstiones exercitæ sunt, quas plurimi sontes agitavere; omnisque fere Nobilitas effusiore numero constipata laxavit. Nam *Vicecomites*, *Landriani*, *Marliani*, *Brippii*, *Cribelli*, *Stampæ*, *Castellionei*, *Cagnolæ*, *Gallerati*, *Ferrarii*, *Lactuani*, aliique plures in vincula conjecti, aut certe quod edictis evocati non paruissent, proscripti sunt. Impacti criminis atrocitatem levabant, inita communicataque invicem de *Trivultio* Gubernatore depellendo cum Præside *Gallicano* consilia. Ad hunc siquidem offensus omnis aliter & aliter adversæ factionis primatus confluebat: cum eum sibi præferri civem indignaretur, quem plus æquo collatæ dignitatis insolentia, gladiique potestas ambitiosior efferebat. Itaque de eo exigendo detrudendoque Reipublicæ gubernaculis, secreta cives cum Præside consilia participant; quibus ille ingenito adversus *Trivultium* odio, & ut adversam illi, factionem conciliaret, haud difficulter assentiebat: eorum tamen ignarus, quæ seorsum Optimates Patriciique secretis invicem consiliis, de revocando *Sfortia*, deque *Mauro* in urbem regnumque restituendo, conferrent. Quæ cum illis postmodum in vincula conjectis, a Quæstoribus capitalium rerum Præfectis objicerentur, expurgare sese & ignorantiam causari, omniaque gubernali recentis asperitate factitata constantius asserebant.

A Itaque primum omnium suo Præses solio dejectus est, & Senatu motus: actionumque suarum omnium examinatissima facta est & diligens, *Scaramutia* judicante, cognitio: auctore *Jo. Jacobo Trivultio*, vel ut aliis placet impulsore: quoniam *Trivultiacæ* dignationis factionisque ejus nullam vir ille rationem habuisse liquebat. Igitur edicto promulgatum est, & per præcones enuntiatum, ut si quos injuria Præses affecisset, sordidam aut gratiosam sententiam ferendo, libellos porrigerent, moreque judiciorum experirentur: quoniam Regis animo sederat, improbe facta corripere, emendareque judicii protervientis malitiam. Id admodum populo gratum, omnibusque adeo perjucundum fuit, ut exinde meliora concipere, sperareque deinceps prosperiora suis adflictis rebus B præsumerent. Sed lætitia majore plebem, majoreque civem gaudio, urbisque Primores universos affecit, quod paucos post dies, dum privata publicaque digeruntur, studentque civitatis tranquillitati otioque regii Procuratores, *Ludovicus Aureliensis* omnibus cunctanter pensiculateque libratis, executus est: de quo, quanquam in obscuro res sit, nec ad liquidum perductam multi noscitaverint, quam verissime tamen potero paucis edisseram.

C *Georgius Ambasianus*, Rothomagensis Præsul, Romani Apostolicique Senatus particeps, & Laticlavius, acri vir ingenio, *Trivultiacæ* factionis parum studiosus, *Jo. Jacobum* domi forisque regias vices agentem infensius oderat: gravabaturque *Gallicanos* fastus nationisque ventosæ contumaciam gubernaculis nostris, nostrisque fascibus subjici; ejusque præsertim, quem insito odio perhorret: idque eo molestius impatientiusque ferebat, quod *Carolum Ambasianum* nepotem, vel, ut opinati sunt plures, filium, attollere provehereque legitimis lictoribus ipsaque præsertim *Italica* procuratione, cogitabat: nec poterat, res nostras mode-D rante *Trivultio*, Regisque vicariam potestatem obeunte. Ergo clandestinas in illum insidias texere, comminisci dolos, omnia studio diligentiaque versare, quibus amorem benevolentiamque Regis a *Trivultio* procul averteret. Hunc, contra, virtus sua defendebat, magnaque castrorum bellorumque cognitio, nostræque totius contractandæ rei non levis experientia tuebatur. Itaque *Rothomagensis* sustentare, opperiri, differre, donec obvia suisque præripienda capillamentis emicuit occasio: quam ex multiplici Majestatis quæstione vinculisque reorum elicitam sublabi nec intercidere passus est. Siquidem cum omnis fere crimino-E sa Nobilitas argueretur, attentatique gravioris in Regem delicti manifestioribus indiciis Optimates convincerentur, nihil in Rempublicam *Gallicanæ*que Majestatis imperium emolitos pertinaciter adstruebant: sed factiosi insolentisque vicarii potestatem arrogantiamque perosos, semper abhorruisse; illiusque deturbandi consilia non ferreto nec introrsum, sed propalam, *Gallicorum*que sub ora magistratuum, ipsisque cum Præsidibus agitavisse profitebantur. Triumphalem præterea causam *Hieronymum Castellioneum* Reipublicæ nomine postulantem peroravisse ajebant; neque suæ facultatis fuisse, hoc rerum motu, tantoque conversi F cardinis fragore, *Sfortiacos* Principes attentos, pervigiles, excitosque sponte sua, patentis exarmatæque civitatis ingressu prohibere; vel ingressos possessionemque tenentes extrudere potuisse: cum præsertim regio ductore profugo, ac *Mauritanis* incumbentibus signis, omnia nutu dominique recentis auspicio regerentur; nec edicta jussaque ejus, cum armatorum examina circumstreperent, coruscarentque rebellium cervicibus evibrati enses, sine capitis periculo retractare potuisset. Quod si in Regem, ut insimulabantur, hostili-

ſtiliter animati fuiſſent, prætentaſſentque *Aureliano* imperio vim inferre, nullius erat diſcriminis Ducem ferro trucidare, Senatum tollere, parique manu Magiſtratum omnem interficere: cum tamen emigrandi facultas omnibus civiliter modeſteque permiſſa fuiſſet; quin & Primates urbis abſcedenti *Trivultio* comites dati, ne in regiam Majeſtatem ejuſque miniſtros, incondita præcepſque turba ferro quicquam emoliretur. Etenim cum *Jo. Jacobum* Gallicani exercitus Ductorem adverſa fata patriis laribus excedere, vertereque ſolum impellerent, ipſeque ſe mediam per plebem ex regia in arcem reciperet, ne quid adverſi pateretur, *Franciſcus Bernardus Vicecomes* ſui corporis objectu, ſuique nominis reverentia virum tutatus eſt, incolumemque ſervavit. Proinde non in ipſos Majeſtatis reatum ingererent, ſed, ſi quid levius peccatum foret, id in *Trivultium* regererent; ipſoſque ut ſoſpites patricios regiæ devotos Majeſtati præſervarent, deprecabantur. Quæ cum *Rothomagenſis* animo plauſibiliter arriſiſſent, ſuæque voluntati conſequentia viderentur, adreptis illico pugillaribus & codicillis literas in hanc fere ſententiam conſcriptas ad Regem miſit.

Si meæ erga te ſingularis benevolentiæ, meæque præcipuæ in te pietatis argumenta, tibi primum, mox cæteris omnibus non perliquerent, nunquam ad te ſcribere, nec oppreſſas tot curis aures interpellare meus incredibilis in te amor præſumpſiſſet: refugiſſetque ſtilum mea erga te charitas propioribus argumentis noſcitanda, quam hoc meo leviore epiſtolio, hiſque meis anguſtioribus ceris intimanda. Verum quoniam omnia mea erga te officia ſic tibi nota ſunt, ut locupletiore teſtimonio non indigeant, meaque omnis in te benigni animi mei voluntas in utraque fortuna tua, tuoque omni ſtatu ita perclaruit, ut nec illuſtrior ulla fides nec purior apud te cæteroſque omnes quam conſcientia tua reluceat, non dubitavi magna in re, totoque mentis examine trutinanda, accuratiſſimeque verſanda, ſtrictim & paucis ad te ſcribere: non ut mei erga te animi candidioris affectum his brevibus literis penſites, ſed ut magni ponderis magnique penſi rem decoquas, matures, digeras. Non te fugit Inclyte Regum, cum de conferenda Ciſalpinæ Galliæ *præfectura conferrem, invicemque mutuis plura ſermonibus hac de re commentaremur, ut hæc tanti moliminis operoſa crepido externæ fidei peregrinoque arbitrio concrederetur, nunquam aſſenſiſſe: quoniam adepti recens imperitatus anſulæ leves, noſtra melius quam peregrina manu tractarentur; ipſaque verſatilis rei moles ingens, proprio validius robore præfulta, quam adventitia ope ſubnixa, conſiſteret. Etenim præterquam quod periculorum omnia plena ſunt, inſtabiles variique populorum motus, fluxa leviſque ductorum inconſtantia, ardens & inextincta libido dominandi, animum tunc certe meum impenſius ſollicitabant ſuſpectiſſimæ vicinorum opes, ipſaque finium proferendorum extendendæque latius ditionis cupiditas inexhauſta diſtorquebat; ſed & inquietam mentem meam ipſi nuper expulſi regno* Sfortiæ *honeſtò repetendæ ſedis ſuæ deſiderio fatigabant. Quin & omnibus ingenita naturali ſtudio voluntas exorti novi principatus, adſcititiique Regis exigendi, rem periculi diſcriminiſque plenam, circumſpectantibus nobis omnia, præmonſtrabant: cum præſertim finitimi omnes facile gentis in externæ perniciem, advenamque tollendum Regem ſemper coierint. Quocirca* Mediolanæ *rei gubernacula non indigenæ, nec ulli contexendæ fraudis magiſtro, ſed* Gallicanæ *ſinceritate, noſtræque gentis viro committenda eſſe cenſebam: qui nobis impoſturam non faceret; qui civium concordiam tueretur; qui rei tuæ, ſalutique omnium conſultius & utilius provideret. Res meo ſane non ex voto ceſſit: quoniam promovendum illum tuiſque propenſius officiis promerendum exiſtimaſti, cujus opera laboreque comparata res* Mediolani *tibi cumulatius accreviſſet. Sic*

A *enim putabas, rem poſſe melius atque ſalubrius confoveri, ſi hic moderaretur & regeret in toga, qui imperaſſet & viciſſet in bello. Sed urbicæ caſtrenſiſque militiæ diſcriminata ſunt munera: nam qui ſæpe præclarus enituit in bello, deſpectiſſimus idem nonnunquam obſolevit in pace.* Trivultius *quidem tuus acer & fortis eſt, addo, ſi placet, etiam fidelis, armorum fremitu ſonoque tubarum terribilis, aſper, indomitus, ſed civicæ procurationis expers, & turbidus adminiſtrator, ne dicam inutilis, & forſitan nobis etiam perniicioſus. Non ignoras, Auſpicatiſſime Regum, qui fuerunt, futurique ſunt, omnium Invictiſſime, proximis diebus* Inſubrium *terrore magno, ſæviſque fragoribus arma nobis inſtrepuiſſe:* B *nutantemque rem univerſam lubrico fortunæ pavimento, volubilibuſque rotis exagitatam prope ad interitum concidiſſe: & niſi præpotentes* Gallicanæ *opes, noſtriſque magnis conjuncta copiis tua major felicitas prævaluiſſet, actum fuiſſe, & de* Ciſalpina Gallia *conclamatum. Adeo omnes excitæ nationes, averſique nobis* Gallorum *populi, totaque concordi ſpiritu in nos conjurata fremebat* Italia: *tanti hujus bellici tumultus, ruinæque nobis impendentis, auctor & impulſor fuit iniquus pacis arbiter, concordiæ popularis agitator, minuſque diligens & indiſciplinatus boni otii magiſter* Trivultius: *qui Martia virtute ſua clarus, caſtrenſique duritia ferox, tum factionis ſuæ plus æquo ſtudioſus,* C *fulmineo ardentique ingenio ſecum omnia violenter attraxit. Criminalia acta cuſtodiarum omnium, exactiſſimaſque Majeſtatis quæſtiones excuſſimus, percunctatique ſumus diligenter: & cur tot Patricii, tot Summates, alioquin tamen emendatæ vitæ, boniſque moribus integri, deſciverint a te, exploratiſſima diſquiſitione, cum examini noſtro ſubjicerentur, eveſtigavimus. Expurgaverunt, ac diluerunt objecta omnia liquidiſſime, omnemque reatum quo dicis grandibus arceſſebantur, conſtantiſſime diſſolverunt. Et ſi quo errore tenentur humano, culpaque deplecti poſſunt, hanc ex lutulento* Trivultii *moderatoris fonte derivant: quem ingenii propter acrioris amaritudinem,* D *acidoſæque mentis auſteros mores, ſuſtinere perferreque diu non potuiſſe, de plano profeſſi ſunt. Et mehercule penetrant altius vehementes aculei, acuminataque doloris acies ad vivum magis imprimitur, cum nobilitate ac genere, facultatibuſque parem ſibi civem præferri, juraque dominatus inſolentioris exercere, ſuppreſſi cæteri Primates ſuſpiciunt: illumque unum revereri coguntur, quem paulo ante dejectum & humilem iniquior fortuna tenebat. Tolerant æquius externa imperia, exterorumque juſſis patientius obſequntur, quam cum ejuſdem centuriæ claſſiſque civem altius erigi, ſceptraque concutere cum ſtomacho ac dolore proſpexerint. Itaque melius ac rectius agi* E *tecum putem, Humaniſſime Regum, ſi* Trivultio *ſucceſſorem dederis: omnique delectu præoptatum gentis noſtræ virum ſufficias, quem* Mediolanenſium *Optimates, cæterique cives obſervare benevolentia, non odiſſe metu cogantur: qui nullo diſcrimine hos inter & illos agat: qui uno æquitatis temperamento, unoque juris rigore cuncta moderetur. Neque vero te moveat, aut manum verteris, Bone Rex, quod* Inſubrium, Ligurum, Ciſalpinæ*que totius* Galliæ *præfecturam te illi traditurum pollicitus ſis. Abſolviſti ſupplicantis votum, anhelantiſque viri deſiderio plenius indulſiſti, cum in ipſo adeptæ rei auſpicio ſummam omnium impartitus es. Si lapſus eſt, non tibi, ſed ſibi negli-*F *gentiæ ſuæ caſum imputet: quodque parum conſultus intrivit, id ipſe totum exedat. Tu cum aliena inſcitia pæne naufragus evaſeris, tuam imperito nautæ carinam amplius ne credas. Etſi placata nunc omnia, ſudique ſerenum aëris invitet, non niſi tamen imprudenter & temere freti ſubito rebullientis æſtum prætentabis: omnibus invenies, quæ nunc jactantur in alto, navibus a portu lene fuiſſe fretum: demerſum & obrutum, afflante* Æolo *propitioque* Caſtore *ſemel emerſiſſe, ſatis eſt. Retorquet aciem fortuna turbidior, ſi cum naufraganti manum porrexe-*

rit, iterata præsumptione, audaciaque periclitantis irritetur. Camarinam, rogo, ne commoveris, sopitum, quæso, canem non excites: nescis, ædepol, nescis, quid vesper serus vehat. Favent, plaudunt, arrident nunc omnia, sed improviso conversi axis stridore constrepent omnia, sæviusque retorquebuntur. Incerti ventorum flatus, infida maris tranquillitas, ipsique retrogradi stellarum recursus suspecti sunt. Dum vacat licetque tibi, dum composita cuncta quiescunt, utere, precor fortunæ molliter aspirantis aura. Tutissima juxta littus navigatio, nec minus juxta mare navigatio secura. Si me tibi ex fide consulentem audieris, tuo, crede mihi, tutus in portu navigabis: & semel ictus sapies: nec atratus Phrygum *more resipies.*

Hæc cum *Ludovicus* legisset, perlegisset, ac relegisset, cogitatione multa suspensus est, & acriore cura districtus. Tangebant animum exploratæ comprobatæque periculis multis invicti Viri virtutes; militarisque rei scientia, quam ubique locorum, ubique temporum, omnique discrimine *Trivultius* præstabat; tum justa doloris indignatio, si post rem feliciter confectam exauctoraretur, merito Regis anxiam mentem angebat. Occurrebant animo districtumque graviter adurgebant, quæ *Mediolani* post exactos Sfortias *Ambrosius Mainus*, cum Regem salutabundus adivisset, insinuaverat. Hic siquidem pauca gratulationis officio præloquutus, cum non rigido nec intractabili magistratu cives exasperandos moneret, tum acriter, ut ab ipso interloquente accepi, *Trivultium* detestatus est, acerbeque invectus, cum non eum esse prædicaret, cui tanti moles imperii commendaretur. Quæ sagax prudensque barbarus, cum odio magis invidiaque, quam ex re dicta putaret, rejecit; nunc vero literis amicorum & ipsius eventu rei pariter edoctus, non ficta simulataque, sed certiore veritatis testimonio comprobata cuncta censebat: ergo virum non abrupto tramite, nec furore concito gubernaculis extrudendum, sed obliquis callibus & flexiore clivo traducendum existimavit. Duplex hinc fama est: nam literas humanitatis & benevolentiæ plenas ad eum, Regem scripsisse, quidam putant: quibus commotus in *Galliam* perrexit; alii evocatum in *Galliam* ab Rege mentis ejus ignarum contendisse verius tradunt. Atque illi tunc cum multa coram significasset, congruisque Viri laudes præconiis extulisset, quibus summo Ducem pretio semper habiturum pollicebatur, mox consilii sui rationem aperuisse: cumque se invitum ea dicere, sed impulsum adstrictumque necessitate quereretur, subinde hortatum, ut patienter & æquo animo ferret, *Cisalpinæ Galliæ* procurationem in gentis suæ virum transferri: quod non iniqua mente fieret, nec ut pristinæ dignitati suæ derogaretur, sed ut *Gallicanum* jugum infrænis & indomita civitas modestius civiliusque perferret: atque eum tunc Marescalcum constituisse, ut amissam collata dignitate compensaret, accipimus. Quod cum præsagax & astutus senex animadverteret, nec resisti posse conjectaretur, ægritudine dissimulata, convelatoque dolore cessit. Atque ita in *Carolum Ambasianum* translata dominatio, quietem deinceps semper inquietam *Trivultio* paravit: hic siquidem omnia quamquam caute diligenterque protegeret, exoneratumque se magno pondere lætaretur, in sinu tamen mœrebat, seque summo dignitatis apice dejectum gravabatur: quod a *Gallo* mentis avertendæ, dissolvendique vinculi tenacioris origo fuit. Quæ dum *Mediolani* nullo fremitu Martis aguntur, translatoque novum in successorem gladii jure, cives pannosique tribules garrulitate sua lætantur, rursus mœrore consternati sunt, omnesque novo doloris telo transfixi. *Ascanium* quippe *Sfortiam* dum captum nuntiatum esset, ac paulo

A post dum *Mediolanum* captivus perducitur, commissam pæne luctus cicatricem rescidit: ea recidiva mœroris plaga collugentium mentes exulceratæ, cum altius rediviva sanies insedisset, distabuerunt. Hic post captum fratrem, cum desperatis rebus abscedendum judicaret, adscitis Nobilibus multis, qui *Gallicanæ* factioni *Sfortiacam* prætulerant, præfixerantque animo cujuscunque sortis illo duce fortunam sequi, concito gradu *Placentiam* iter direxit: ut inde levibus transcensis collibus, ac *Bobianis*, *Pontremulanis*que cautibus superatis, *Spedicem* pergeret: indeque solvens, post *Ligusticas Thyrrenas*que sublectas oras, *Neapolim* proficisceretur. Omnes enim *Galliæ Germaniæ*que vias, *Helvetiorum*que præcipue propter recens admissum, suspectas habebat; nec quid in *Germania* moliri posset, cunctisque frigentibus præstare, satis illi compertum erat: e diverso *Parthenopeis* rebus quanquam adflictis attritisque diffideret, desperaretque reparaturum copias, aut legiones novas conscripturum, incolumitati tamen suæ suorumque saluti, cum jure sanguinis, tum communis jacturæ periculo satis consultum esse putabat. Adactis igitur sarcinalibus jumentis, omnique advocata cohorte prætoria, multoque præsulem comitante patriciatu, cum per agrum iter *Placentinum* faceret, *Soncinus Benzonus*, qui *divo* tunc sub *Marco* stipendia faciebat, cum properanti tuta cuncta polliceretur, fide per insidias dolosque refracta, captivum fecit: *Rivaltæ*que, ditionis *Landoinæ* oppido, commendatum, mox validiore circumdatum armatura, Senatui *Veneto*, velut opimis spoliis exultabundus, insignisque captivi triumpho gloriosus, obtulit. Sed eo facto graviter exacerbati sunt Principes *Veneti*: bileque succensa in sceleris ministrum vehementer exarserunt: etenim viri prudentes libratique consiliis omnibus, quanquam in re belli *Sfortiis* adversarentur, non tamen eos funditus extinctos volebant; præterea plus æquo rem *Gallicanam* excrescere, ac perire sensim accisas vicinorum opes, gravabantur. Et cum importunam *Mauri* captivitatem inique ferrent, *Ascanii* vincula longe gravius molestiusque tulerunt: *Mauro* quippe jam *Helveticis* fraudibus intercepto, cum maturandi majoris negotii spes omnis interfluxisset, in *Ascanio* tamen magna popularitate gratioso, novandarum rerum reliquiæ, si *Gallicana* temeritas impulisset, residebant: quas intempestiva captivitate sublatas extinctasque doluerunt. Ipsum ergo *Benzonum* Ducem, acriter corripere, quod viro manum injecisset, quod fidem fregisset, quodque nullo mandante rem tantam inconsultus peregisset: ille frigida quædam causari, expurgareque se, levius quam transacti negotii magnitudo pateretur. Et nisi multa circumspexissent accurati omnique negotio solertes viri, perdidisse reum, laqueoque strictius innodatum strangulasse, quod injussu Principis & Senatus id admisisset, animus erat: suum in tempus maturatam rem distulerunt: oblataque post annos occasione, cum in *Venetam* manum captivus recidisset, admissæ perfidiæ pœnas suspendio luit. Ergo quoniam *Ascanium* nisi manifestam Regis in fraudem dilaxasse manu sua non poterant, cum & fraterno commercio, & ope præstita, *Gallorum* hostis haberetur, observatus est: & quanquam liberiore custodia, nullisque vinculis præpeditus, Principis tamen & Senatus arbitrio custoditus inhæsit. Rex interea *Ludovicus* rerum certior omnium factus, *Ascanium* sibi dedi resignarique captivum, cum quod hostis suus, tum quod & territorio suo detentus esset, efflagitabat. Ergo tunc *Veneti* multa consiliis agitare, multaque prudenter cogitatione sua versare. Nam si non redderent, læsam fidem, violatumque jus gentium, nec injuria conflari bellum posse

posse verebantur; & jam paratas instructasque *Gallorum* copias facili trajectu suos in fines posse transire: contra vero, si mandatis obtemperassent, insolentioris barbarici spiritus reprimendi, *Gallicanæ*que temeritatis cohibendæ nullum obicem, nullamque præ manibus ansam habebant: quæ illis affatim *Sfortiaco* mancipio suppeterent. Quippe ictu oculi, unoque momento, si pro *Ascanio* in regnum substituendo motum facerent, parvaque manu niterentur, a *Gallo* ad *Sfortiam*, Insubres, Ligures, populosque omnes haud ægre descituros exploratum habebant: & amplificandæ ditionis suæ suique augendi imperii major & promptior erat occasio, si cum *Sfortia* transegissent, quam si post eum restitutum *Gallis* adblandirentur. Itaque longa consultatione, magnoque tractatu discussa res est: & cum plures non esse dedendum censerent, alii rursus emancipandum ajebant. Indictis ergo comitiis, elicitæ sunt per suffragia sententiæ: eaque fati vis fuit, ut, quanquam aliqui retinendum judicarent aut relaxandum, quoniam velut libertate sua spoliatus, ac injuria, contraque fidem detentus, legi non subjiceretur, nec de eo viro prærogativa religionis eminente inter *Venetum* Regemque percussa fœdera sentirent, contraria tamen sententia vicerit. Ac sicuti ego accepi cum pro rei difficultate vehementer laboraretur, tanti ponderis tantique pensi res erat, adeoque difficilis & nodosa quæstio vertebatur, ut cum numerosiore puncto transacta res esset, rursus tamen sententiæ rogarentur: iteratisque suffragiis causam redintegrarent. Sed cum pro *Gallo* fortuna staret, numerarenturque sententiæ, non ponderarentur, ut plerumque fit, pars major meliorem vicit. Ergo qui prius togæ captivus erat, sagulorum braccharumque servus factus est: & a Venetiis *Mediolanum*, mox trajectis *Alpibus* in ulteriorem *Galliam* devectus, inter barbaros, interque suæ gentis eversores diversatus est: libertatisque dulcedinem excellenti vir ingenio, amplissimisque sacerdotiis præditus, ac pæne totius Apostolici Senatus princeps aliquot annos inibi desideravit: donec *Alexandro* vita perfuncto, Episcopoque *Rothomagensi* Pontificatum maximum ambiente, vinculis exsolutus est: ac mox post re nomineque pium, praeferocemque *Julium*, ad summi culminis apicem promotus, incertum veneno an morte sua, extinctus est: de quibus pauca, ne rerum series intervulsa fathiscat, alligabo.

Post *Insubres*, *Ligusticas*que gentes subactas, cum uberes lætique *Cisalpinæ Galliæ* tractus paterent, latumque soli felicioris ambitum *Aureliensis* teneret, ab *Insubribus* & *Bojis* in ulteriora promovit, exercitum: quem *Telagninus* heros, ac *Saluciarum* Princeps, lenitate sua barbaris adamati, ductabant. Hos etenim suis ex proceribus, quanquam *Trivultius* virtute præcelleret, Rex consultissimus præoptavit: cum *Jo. Jacobum* ad provinciam hanc suscipiendam, urgendum non arbitraretur, quam ipse justissime meritoque retractabat: ne, pro quibus olim stetisset, nunc contra stare videretur. *Aureliensibus* signis acclinata omnia, suoque commeatu *Gallicanas* copias exceptura refecturaque patebant. Ab ipsis siquidem *Insubribus* ad impetitum hostile solum omnia vel amicitiæ fœderisque jure, vel gladii potestate, *Ludovicus* obibat: *Cispadana Transpadana*que præpinguia, *Regium* usque *Lepidi*, ac *Mutinam* atque *Bononiam*, recens parto, proprioque jure tenebantur; nec præstratum iter interrumpebat ullo hostico excursu, regii lateris custos defensorque *Ferrarianus*; & ipsi tenues restrictique *Bononiæ* reguli progredientis exercitus vestigia rimabantur, ac reverentius observabant; *Hetruria* vero quam fortis olim potensque fuit, ab ipso *Caroli* in *Italiam* adventu, nunquam *Gallicanis* insignibus

A adversata parebat. Tum *Picentes*, *Umbri*, & qui pontificio pulvere sordidati nuper insqualluerant, *Arimini*, *Pisauri*, *Camerini*, *Urbini*, *Plumbini*que Principes, aut propinquo metu terroreque bellorum plectebantur, aut pontificale distenta cervice jugum trahebant. Quippe post *Maurum* Ducem exactum, cum ex fœdere summus Pontifex *Alexander*, auxilia pactasque suppetias ob *Aureliensi* reposceret, ut prænotatæ conscriptis legibus suis urbes, pontificiæ ditioni subjicerentur, subsidiales propriis copias adjunxerat: omnibusque *Cæsarem* filium, cum jam a cælesti ad terrenam regressus militiam descivisset, præfecit. His

B instructus ergo legionibus *Cæsar* Imolam circumsidet, oppugnatque, ac magna vi totoque admoto mœnibus exercitu, cum inclyta *Sfortiacæ* gentis virago *Catharina* deficeret, fugæque præsidio levaretur, subegit: mox *Forolivium* adortus, quo sese ferox mulier ex *Imolensi* strage contulerat, firmaveratque validis cohortibus armatorum aggreditur. Cumque hostilis impetum pressuræ, quanquam strenuissime fortissimeque repugnans mulier non sustineret, eduliaque delicatiora commeatusque deficerent, victori cessit, exindeque *Romam* perducta est. His itaque præclaris continentibusque bellorum victoriis, cum omnia formidine &

C terrore quaterentur, *Cæsarem Borgiam* Apostolicumque Ductorem accolæ finitimique omnes reformidabant; cum & ipsimet *Alexander* & *Cæsar* Regis jussa capessentes, cum initi fœderis vinculo, tum militiæ prævalentis impotentia *Gallicani* vexillum Principis adorarent: his ergo suffragantibus, ac militari præsidio commeatuque faventibus, *Lilina* signa plus quam certo victoriæ plaudentis argumento, *Neapolitanis* finibus illata sunt, admoventibusque manum sociis, tum cæteris quiescentibus, *Campaniæ Parthenopeo*que regno protinus incubuere. Antiquæ gentis *Aragonum* stemmate *Federicus* insignis, ac pace belloque vir inclytus, summam rei versabat. Nam *Caroli* Re-

D gis adventum, stirpis *Ugonicæ*, sicuti quidam literis mandaverunt, extremi, quæ sex & quingentos, ut Annales memorant, annos in *Gallia* regnasse dicitur, *Alphonsus* cum sui prolabentis imperii ruinæ non sufficeret, quoniam avaritia, crudelitate, obscœnæque libidinis intemperantia, sese patriciis ac civibus humiliorique loco natis odiosum invisumque fecerat, *Ferdinando* filio, quem morum elegantia, bonæque artes amabilem, omnique popularitate gratiosum provexerant, plenam administrationem imperiique jura cessit: ut quod detraxerant paterna vitia, filii virtutes reponerent. Sed acerbis plerumque frugibus a patre

E præmansis, filiorum dentes obstupescunt: & aliorum acido tristique succo, frequenter aliorum ora contrahuntur. Igitur cum pretiosa supellectile collecta, suisque congestis thesauris, in *Siciliam* profugisset *Alphonsus*, paulo post desperatis rebus, cum omnia præcipiti ruina *Gallicana* manus invertisset, ne desævienti fortunæ ipse in cassum *Ferdinandus* reluctaretur, in *Prochytam* insulam trajecit. Mox cum fati rebullientis æstus resedissent, & ad gentilitiam sedem repetendam *Caroli* Regis abscessus invitaret, restitutus est: omnique barbarico magistratu abrogato, omnibusque

F eodem, quo sustulerant, impetu dejectis *Gallorum* vexillis, cum *Veneti* Senatus implorasset opem, eamque nonnullis resignatis portibus, ut pignoris loco cederent, impetravisset, universum constabilivit imperium. Protinus quoniam felicitatem potius quam virtutem fata bonis invident, semperque cum deteriores rejiciant, malos amplectuntur, ægritudine correptus dilaxatusque procaci ventris profluvio, nullam cum sobolem reliquisset, *Federico* patruo locum, quanquam haud diuturnam in rem, fecit: qui bellico *Gallicani* incen-

A cendii vapore procul afflatus, cum sese suaque omnia exustum iri propediem videret, cum *Ludovico* Rege fœdus percussit. Fuere qui *Parthenopeum* ignaviæ socordiæque notarent, qui fortunæ sæpius interludentis varietate non expectata subito cessisset: sed qui altius prospexerunt, laudavere. Etenim quassatam attritamque Reipublicæ exhaustasque cum fratre tum nepote civium opes, attenuataque circum omnia, cum ingruentibus & abscedentibus, dehinc etiam majori fragore repetentibus *Gallis* videbat: adeo quidem ut non nisi ægre summaque cum populorum jactura resisti posse conjiceret. Ad hæc spes omnis abla- B ta subsidiorum cum eversæ *Mediolani* stirpitus opes *Ascanio Mauro*que captis intercidissent: & nuper velut in triumphum ducta virago *Catharina*, quanquam modicis ad obeundam rem tantam facultatibus, jaceret. Accedebant omnia circum hostilia, & infensæ mari terraque finitimorum vires: aversæ *Ferrarianorum* copiæ; abdicata *Venetorum* potentia; *Turcarum* imperii suspecta magnitudo; tum aliorsum pæne totius acclinantis *Italiæ* trepidatio, ut transigeret, suadebant. Sed & causam urgebat Rex *Hispaniarum*, cui cum *Parthenopeus* parum fideret, quod seorsum cum *Aureliensi* convenerat, ut insidias dolosque caveret, sua diligentior cura præsumpserat. His er- C go *Federicus* argumentis promotus, cum præsertim adepturum se plura speraret, si tempestive, in ipsoque bellorum limine coiret, quam si consumptis utrinque viribus attraheretur, cum *Ludovico* Gallorum Rege fœdus icit: jus omne renuntiat, abdicatque rem, ut illi tunc optima fuit & maxima: sexaginta millia aureorum annua, liberumque terra ac mari commeatum, suoque pro arbitratu tutum ubique paciscitur incolatum. Cum utrinque legibus pactisque subscriptum foret, *Federicus* sua cum supellectile familiaque in *Galliam* proficiscitur: Regemque venerabundus salu- D tat: a quo perbenige quidem & civiliter exceptus, nec contra dignitatis decorum, meritumque fidei tractatus, *Aragonensi* imperio per *Alphonsos Ferdinandos*que novem ac sexaginta annos devoluto finem fecit: quod prius tenuisse *Normanos*, *Germanos*, *Gallos*que, serie quanquam regnantium intervulsa, postquam ab Apostolico jugo distractum est, *Anacleto* auctore, qui prius illud ablaqueasse creditur, scriptores tradunt. *Federicum* sane dum cuncta diligenter scrutamur, accipimus, filium liberaliter educatum, institutumque bonis moribus secum in *Galliam* advexisse: quem postea *Francorum* Rex *Franciscus* ac *Lu-* E *dovici* gener, cum in *Italiam* magno cum exercitu descenderet, revexit: eo sane consilio, ut sedatis bellorum nostrorum turbinibus, rebusque *Cisalpinæ Galliæ* pacatis, cum jam inter ipsum, *Leonem*que Pontificem Maximum de summa rerum convenisset, in *Campaniam* cum exercitu proficiscens, juvenem in regnum sedemque suam, detruso prorsus *Hispano*, reponeret. Verum in *Gallia* prius absumpto patre *Federico*, filius haud multo post, dum *Franciscus* Rex *Donatianis* arvis victor strenuissime pugnat, intempestive sublatus, omnia magno *Francisci* cum dolore consilia frustratus, interturbavit: ad quæ stilum, cum tempus admonuerit, promovebo. Et hæc sane scri- F psimus eorum opinionem secuti, qui nullo conflictu, nulloque repugnante *Aragonico* milite, *Neapolitanam* rem *Ludovico* Rege lenissime subactam memoriæ prodiderunt. Hi namque post oppressum *Helvetio* tradente *Maurum*, & in fuga captum fratrem *Ascanium*, Gallos *Neapolim* nullo retractante progressos, eam tota cum ditione *Ludovici* Regis in potestatem redegisse nullo Martio pulvere, literis mandaverunt: quibus nec dissentire videntur, qui fasciculo temporum conculcata omnia, totaque densitate congesta, velut arctissimis quibusdam nodis complicuerunt: quorum assuisse verba non piguit.

Ludovicus *Rex hujus nominis* duodecimus, Annam *Britanniæ Reginam*, *a* Carolo *relictam duxit uxorem: inde exercitum* Astam *movit: mox* Alexandria *omnium opinione celerius in potestatem redacta*, Ludovicum Sfortiam *cum thesauro in* Germaniam *properantem ad* Maximilianum *Cæsarem ocyus fugat.* Galli *Mediolanum capiunt, & inde sexto quam ingressi sunt mense depelluntur:* Ludovicus Sfortia, *dum hostem persequitur, in ejus manum incidit: omnique re sua penitus amissa, in* Galliam *perductus est: ibique tandem naturali fato concessit.* Ascanius Ludovici *frater in fuga capitur: Regique* Gallorum *a* Venetis *traditur.* Neapolis *iterum missis a Rege* Gallorum *copiis in ipsius recidit potestatem. Proinde* Federicus *eorum Rex in Galliam venit.* Hactenus ille: cujus admodum compendiosi brevis rei seriem ita perstringunt, ut ab operis inscriptione certe non discrepent, lectoremque disquisitius evestigantem, incertum relinquant. *Andreas Mocenicus* Patricius *Venetus*, vir omni genere disciplinarum eruditus, qui mihi non ultimum in historia locum obtinuisse, videtur, adeo gravibus suæ Reipublicæ bellis occupatus inhæsit, ut hæc de industria, ne dum externis impensius vacat, ab his, quæ domi gesta sunt, quæque scribenda breviter insumpserat, distraheretur, stilo suppresserit: proinde rem enucleatius displicuisse, solicitoque lectori morem plenius gessisse, ut his & illis auctoribus collecta veritas clarius enitescat, non absurdum putavimus.

Igitur post *Maurum Ascanium*que *Sfortias* in vincula conjectos, bellicoque tumultu conflictatas opes nostras, *Ludovicus Aureliensis*, qui *Neapolitano* regno jure successionis inhiabat, animo suo præconceptam expeditionem molitur; quod & prospiciens *Federicus*, cum inexpleta libidine dominandi vicina omnia suspecta sint, ne præpotenti adversario exarmatus objiceretur, *Hispaniarum* Regem convenit, fronteque tenus conciliatum, ut infirmam rem tueatur, contraque prævalidum hostem ut auxilium proministret, efflagitat. Quem ut ampliori largitione devinciret, illectaretque majoribus donativis *Appuliam Calabriam*que pollicetur. Addidere quidam principalium secretorum non ignari, *Federicum* hac eadem pactorum formula *Gallicani* Regis amicitiam adambisse, horumque parilitate promissorum societatis jura quanquam in cassum prætentavisse: quod ea ratione vir prudens effeceret, ut hinc vel inde comparato adversus alterum præsidio, tutus cum altero securusque contraheret: sed ipsos interea barbaros Reges, quoniam facile similes convenire, contraque dissimiles stare didicerunt, cum transmissis invicem signatis tabulis, quas jure fœderum *Parthenopeus* conscripserat, perlegissent, noscitassentque secreta omnia, pepegisse seorsum stipulatione clandestina, ut universum æquis divisum terminis regnum librati limites intersecarent: *Gallus* Parthenopei regni titulum sua omni cum re, *Appulam* vero *Calabram*que suis cum finibus ditionem *Hispanus* teneret: ipsum præterea Regem *Hispanicum* plura comminiscendo, dissimulando, tergiversando, militem armasse, classem instruxisse, commeatum parasse: ut præstituto die, hic *Calabros*, ille *Campanos* terra marique protinus invadentes, ac diversis urgentibus copiis opprimerent. Quod cum *Federicus* præsensisset, animadvertissetque procul insidias parari, conquestum graviter expostulantemque, oratori *Hispanico*, qui societatis specie lateri Regis assidebat, succensuisse ferunt: illum vero quam plurima causantem, ut angusto falsi verique confinio societas infida cavillatur, excursiones barbaricas,

ricas, diuque maturatam in *Aſiaticos* rebelles expeditionem, excuſaviſſe. Quæ cum ſolerti cautoque Regi *Parthenopeo* minus congrua parumque veriſimilia eſſe viderentur, rejectis ſpretiſque barbarorum ſuppetiis, cum *Hiſpanicos* dolos ſublatentiſque veneni livorem præſentiſceret, apertoque Marte *Gallis* ingruentibus peteretur, ſua pro virili, ſuiſque pro facultatibus defenſionem paravit: omnemque ſuum *Capuam*, quoniam *Gallicanæ* primum incurſionis impetum ea civitas exceptura erat, imperante *Columella* promovit exercitum. Igitur diviſa regionibus, militaribuſque præſcriptis ſtationibus, urbe, *Capuanus*, qui fide lubrica, ſui pro Regis incolumitate, ſuorumque pro ſalute penatum ſeſe falſo devoverat, adventanti *Gallo* e regione opponitur. Diverſa urbis parte, Rex ſuis cum cohortibus pone ſequens civilis armaturæ terga feriebat. Dextrum urbis latus *Germanicæ* phalanges, ſiniſtrum *Columella* tenebat. Proditionis anſa contorquebatur, & iniqua perdendi Regis ſui conſilia fluctuabant: nam & ſcelus maturare conſpiratores præfixerant animo; rurſus advelatæ pietatis umbraculo flagitium protegere nitebantur. Et jam collecta manus agreſtium præſentaneæ opis inferendæ ſimulacro, *Palena* ductante coiverat: ac invicem dolo fideque pugnantibus, civilis militia portam, quæ properantibus obvia *Gallis* ad perpendiculum dirigebatur, occuparat, hujus incerto barbaris tradendæ conſilio: ſiquidem initæ conjurationis ignari plures, pugnanteſque pro patria, pro Diis, ſuoque prege, conſtiterant; cum horum, contra, præſidio pauci Regem, patriam & lares everſuri, deproderent. Ejuſſam ergo centuriati milites ſtationem obequitant, quæcunque caſtrorum præſides imperaviſſent factitaturi: perduelles & qui patriæ cladem inſontibuſque ruinam invehebant, defenſionis ſpecie, & velut hoſtem incurſaturi, cum jam notis invicem colluſiſſent, refractis de compacto clauſtris erumpunt. *Gallus* ſive duplices ſibi dolos innecti, petique ſe fraudibus obliquis formidaret, ut ea gens eſt omnium ſuſpicioſiſſima, ſive ut facultate jam data licentius frueretur, inſtructa acie, velut de proximo manum conſerturus turbulenter invadit: factaque vi, cum duces de induſtria ceſſiſſent, portam obſidet, cæteriſque violenter irrumpentibus dat aditum. Ingreſſis urbem hoſtibus, cædes illico bonorumque direptio, nullo more per attonitos conſternatoſque milites confragoſi tumultus pervaſere: trepidantium concurſantiumque ſonores armatorum, terrore cuncta percellebant. Expedita telo, manuque prompta *Germanorum* cohors, cum planctu clamoreque omnium provocata prodiret, truculenter in hoſtem impetu facto provehitur: atrociſſimeque collato pede, jactiſque miſſilibus depugnat. Decertabatur ordinibus utrinque commiſſis acerbiſſime, parvoque momento crudeliter utrinque dimicatum eſt. Hi ſiquidem proprio ſuæ gentis inſtituto referre pedem turpe ducebant, cum jam victor hoſtis refugiſſe turpius duceret. Itaque toto agmine totaque vi conſtipatæ acies & hinc & inde pertinaciſſime confligentes cadunt: acervis cumulatim accreſcentibus proſtrati proſtratos inculcant: donec reparatus ſemperque recens hoſtilis globus ira percitum præfurentemque *Germanum* ac inutiliter pugnantem, abſumpſit. His dum & illis regionibus bellatores indomito Marte deſæviunt, deſperatæque ſalutis inſania debacchatur, promiſcui ſexus infirmitas, indiſcretaque religionis tonſura, pontificalem in baſilicam ædemque Deorum confugerat. Sacrorum Rex in tanta patriæ collugentis clade concuſſus, ejulantem populum novoque deformiter horrore pavitantem, ut æquo animo fata tolerarent, hortabatur, quæ delictis criminibuſque noſtris ira Deorum provocata, uno

A communique miſeriarum profluvio dilaxabat. Atque hic inter hortandum, dum edulii cœleſtis eſcam, myſticique potum liquoris propinat, diſſipatis ſacris, omnibuſque per aras & pulvinaria trucidatis, hoſtili gladio transfixus interiit. Quæ dum nefariis execrabilibuſque piaculis, ac miſerabili luctu patrantur, ablatus equo præcipitique fuga Rex, urbem egreſſus, *Neapolim* ſuis ſeſe cum copiis recepit. *Columella* dum ſedulo cunctaque diligenter procurat, omneque caſtrorum munus ardenter obit, militari turbine projactatus in ipſam manum hoſticam devolutus eſt: *Biſignano*que mox Principe, quem Rex *Federicus* in
B carcerem conjecerat, quod ipſum proditione laborantem ſentiret, redemptus eſt. *Capuanos* quippe poſt exitus infelices, cum exercitum inſtaurare, *Neapolitanam*que rem tutari Rex ſtatuiſſet, percinxiſſetque vallo propugnaculiſque firmioribus urbem, *Biſignanus* heros omnium explorator & particeps, *Gallo* cuncta ſignificabat, ut conſilia *Parthenopei* Regis anteverteret, ejuſque conatus omnino fruſtraretur. Quorum Princeps admonitus, cum iniqua mente virum, perverſioreque ingenio in ſe animatum gravaretur, *Neapoli*, vinculis aſtrictum in Arcem novam detruſit: quem *Gallus* deinceps, cum *Parthenopeæ* opes urgente
C fato laberentur, reſtituto *Columella*, recuperavit. *Federicus* enim cum ſeſe imparem adverſus tantam belli molem eſſe cognoſceret, omnique domeſtica fraude circumventum, quod infidi Proceres in ipſum dolos tractim intexerent, de pace cum *Ludovico* tractavit: propoſitiſque capitulatim conditionibus, cum quæſtio noxiorum inciſiſſet, & captivorum, *Biſignanus Columella* fœderum ex lege commutatus, evaſit. Interea *Federicus* regno cedens, in *Galliam* cum *Alphonſo* minore filio claſſe ſubvectus adnavigat: brevique, ut paulo ſupra memoravi, poſt elatum patrem in *Gallia*, & ipſe filius in *Italia*, dum *Helvetius*
D *Gallus*que *Donatianis* arvis confligunt, extinctus eſt. Quæ dum a *Gallis* feliciſſime *Parthenopeo* ſolo geruntur, *Hiſpanus* diverſa regione *Calabriam* inſtructa claſſe petit: omnique ſtatim occupato littore, *Regii* primum inſidet: mox quoniam fatali decreto barbaris *Italia* debebatur, *Hiſpanum* fortuna militem longius provehente, glorioſus victor, *Aquilario* ductante, quem geſtarum rerum claritate magnificentiaque *Magnum* dixerunt, quanta ſuo peragrare potuiſſet exercitu, pari victoria ſubigebat, donec *Tarentum*, *Ferdinandi*, *Calabrini*que Ducis ſedem inibique demorantis perventum eſt. Hunc natu majorem filium *Fede-*
E *ricus* cum ipſe regno pulſus *Gallo* ceſſiſſet, *Appuliæ Calabriæ*que Ducem, incerti volubiliſque fati rota circumagendum reliquerat: ut cum pater filiuſque minor *Gallicæ*, ipſe major *Hiſpanicæ* ſortis aleam experiretur. *Hiſpanis* ergo *Calabros* adurgentibus, cum proſtrata victori cuncta jacerent, nec ſpes opis ulla daretur, & ipſe juvenis parem cum patre fratreque ſuo fortunam ſubiit: intercedenteque *Potentiano* Comite gentilitia ſede depulſus eſt: magni quidem herois ſponſione deluſus. Nam cum *Hiſpanici* ductator exercitus adoleſcenti ætatis infirmæ, ſuppoſitæque captionibus multis, maria monteſque polliceretur, ſuique
F maxime Ducatus titulum, longa navi impoſitus velutque captivus in *Hiſpaniam* ad Regem perductus eſt. Hunc poſt ſibi deſponſatam *Nemorienſis* Ducis ſororem, auſpicatoque contractas cum ea nuptias, *Valentiæ* degentem accipimus. Et hæc ſane pernicioſa exitialiaque militum *Hiſpanorum*, Heſperiam in magnam tempeſtate noſtra ſubvectorum, viſcidis pedibus manibuſque picatis ſolo noſtro perhærentium, initia fuere; quæ ab ipſo orbe redempto, milleſimo quingenteſimoque primo, ad uſque tertium atque trigeſimum annum,

tot per bellicos fragores in pacem beneficio Deorum relapsos, extracta sunt: quæque laboriosa scriptorum ingenia tot operosis molibus onerata malorum fatigaverunt, hactenusque fatigant. Paucos quidem ante annos turbulenti præcipitesque *Galli* Italia totiens exacti, totiensque discordibus animis nostris revocati, superatis *Alpibus* in eam irruperunt, magnisque peragratam excursionibus illustratamque victoriis protriverunt. *Caroli* siquidem *Gallorum* Regis adventus, quem *Mauritana* consilia ab externo orbe ad nostrum exciverunt, alaudas gæsaque non minori exercitus sui periculo, quam insolentis victoriæ gloria, nobis ostendit: quem subinde *Ludovicus*, mox *Franciscus* gener ejus immigrando remigrandoque totiens subsecuti, sive nimia lascivientis militiæ suæ intemperantia, sive suorum plus æquo præturgentium ambitione ductorum, odiosa nobis imperia sua fecere: donec omni gens versuta sagacitate succedens, melliti oris blandiloquio res diu nostras ingrassata, *Gallicanam* simplicitatem, virgatorumque contumaciam sagulorum paulo ante nobis invisam, tum demum peramabilem, omnibusque votis expetendam, effecit. Quæ tametsi multis incredibilia fuerint, excesserintque magnitudine sua fidem, nobis certe, qui passi sumus, nimium credibilia fuere: quæ lucubratione nostra complecti, brevibusque ceris exarare in animo est: si tamen ea prius, quæ præruptis tantæ vastitatis anfractibus interjacent, quæque congestis tot miseriarum globis desudantibus nobis involvuntur, humentibus labiis tenuique prius saliva delinxero.

Dum hinc inde *Galli Hispani*que nostras oras penetrantes, alienæ possessionis terminos sua sibi lege dispartiuntur, & æque divisis terrarum spatiis finibus nostris incumbunt, *Cæsar Borgia* proferendi imperii suæque ditionis amplificandæ studio, quotidie alia atque alia copiis militibusque suis vincendo sibi adjicere: gentes, oppida, novasque urbes pugnando debellandoque felicius subigere. Cumque prius assertis *Imola Forolivio*que *Catharinam* sede sua dejecisset, tum *Faventiam* aggredi, ejusque fines invadere, ac toto nationis illius subverso statu, Regulum solio detrudere suo parat. *Faventini* tam ingenita suum erga Principem benevolentia, quam invisi novi Ducis odio, acriter consistere, proque patria dominoque pugnare: commeatu, alimonia, ac omni genere cibariorum oppidani civitatem refersérant; tum natura loci & convenarum industria, omnisque internæ militiæ solicitudo, perdifficilem obsessu, expugnatuque durissimam urbem effecerat. Itaque machinis bellicis tormentisque muralibus, omnique admoto exercitu quotidie *Cæsar* urbem impetere: frequenti assultu divexare: intus assidua perennique grandine pilularum impluere: circumcursare, obequitare, pugnare: tum infirmiora vallati orbis latera diligenter explorare: ibique potissimum adniti, totisque viribus insistere, ubi compago fragilior hostilem facilius ictum admisisset. Oppidani contra fistulis, organis, manuensibusque tormentis hostes longius summovere, missilia jaculari, telorum omne genus ejicere: ferventes aquas, calcem, faces, nullo non tempore, nullo non loco parare, jaculari, missitare. Magna vi, magnoque fluctuantis & varii Martis discrimine, sæpius utrinque decertatum est: nulloque non opprimentium oppressorumque detrimento vehementer ac diu sub ipsis mœnibus laboratum. Strenui milites militumque ductores egregii foris intusque desiderati: nulla non clade propugnatores, nec ipsi minus expugnatores jactura, dum hinc illinc pro salute gloriaque contenditur, affecti sunt, omniaque sævi per Martis pericula divexati. Jam diuturno labore conflictati, debilitatique perpetuis molestiis oppidani dum hostili cir-

A cum pressura diu noctuque distringuntur, elanguerant; inclinabatque duri Martis ancipitisque pugnæ pertinacissimum ad *Cæsarem* victoria: cum instauratis omnibus, omnique supplemento redintegratis Pontificialibus copiis, obstipa præfixi animi voluntate victor intractabilis, quanta potest ope civitatem exhaustam, extremaque rerum penuria omnium lapsitantem aggreditur oppugnatque fortissime; ac sive insita animi præferocis virtute, sive fati lenius aspirantis aura circumsessam diu expugnatamque tandem vi capit; captivumque mox Principem, cum illius ætatis flore captus pudicitiam delibavisset, impuberemque
B devirginasset muliebri obsequio, *Romam* misit. Quo protinus terrore *Flaminia* omnis *Umbria*que perculsæ, haud multo post in ejus potestatem fere redactæ sunt; *Piceni* quoque pars magna mox ad eum defecit; propulsi etiam fortunæ ejusdem impetu plurimi *Tuscorum*, Borgiano sceptro cessere; *Plumbinum* oppidum inexpugnabile *Appianensis* imperii sedes, quam *Alphonsus* olim *Aragonum* potentissimus, suo omni numeroso exercitu, magnisque legionibus suis debellare non potuit, parvo negotio parvoque sudore subactum est; *Senogalliam* multa cum occidione crudeliter expugnatam, militibus diripiendam dedit; *Peru-*
C *sium*, *Typhernum*, multæque præterea urbes aliæ oppidaque, citius quam peragrari potuerint, illius victoriis illustrata sunt: fortunæque potentis alumno faciliter cessere. Qui sensim infuso matris plus æquo blandientis veneno turgidus, sic extumuerat, ut omnibus pæne terrori esset; & firmiora provocare imperia, lacessereque finitimos omnes non formidaret temeritatis suæ præsumptio: sed & Proceres plurimos divexare, incessereque illustres heroas, ac in sanguinem debacchari Nobilium *Romanorum*, tum & nostræ religionis Antistites atque Triarios nefaria sacrilegaque manu perdere, insolentes elati juvenis spiritus non refugerunt. Nam
D & *Sabellos*, & *Columellas*, & *Ursicinos*, e medio sustulit: quorum alios indicta causa, rursus alios levibus indiculis, examine judicii sui pensitandis, condemnavit: tanta trepidatione omnium & pavore, ut unus *Italiæ* terror, & metus *Cæsar* haberetur; unumque omnes purpurati Patres reverentur atque timerent: sed o faciles dare summa Deos eademque tueri difficiles! Hæc dum tanto fati percellentis impetu consternantur, cunctaque sincerioris rotæ lenitatu *Borgio* decurrunt, retroversi fragor axis ingemuit: retrogradoque motu conversa sidera recurrerunt. Etenim jam satis superque Regi sacrorum *Alexandro*, severæ in-
E exorabilesque Parcæ, quæ semper hallucinantium fata mortalium interrumpunt, indulserant: adblanditæque diutius, inoffenso vitæ prosperioris decursu, salebrosos itineris inæquati tramites spatianti constraverant. Lectus in Apostolicum Senatum conscriptusque diu sedit; & *Romanæ* Ecclesiæ Archidiaconum cum ante egisset, idem mox arduum & perdifficile candidati Quæstoris munus quatuor atque viginti annos obiverat; dehinc cum dignitatum gradus omnes felicissime percurrisset, præfixissetque animo Piscatoris augusti solium tenere, procurante *Ascanio Sfortia*,
F multis quanquam repugnantibus & invitis, ac præcavendas ingenii distortioris latebras admonentibus, expetita pleno fatorum obsequio fastigia conscendit. Filium *Cæsarem* magnis adornatum insignibus, mirisque demulsum arridentis fortunæ plausibus, ac summo culmine collocatum, sublimemque conspicatus est. *Alphonso* Ferrariensi Regulo *Lucretiam* filiam matrimonio copulatam inspexit. Felicia omnia, fausta omnia, secunda omnia, vitam agenti præprosperam & Genialem applauserant. Instabat suprema dies: rationisque reddendæ, discutiendæque villicationis suæ, fatalis in-

interpellabat hora. Heu quam his aspera mors est & peracerba, qui per delicias & amœna transivere: suarumque tantummodo conscii voluptatum ad extremos irremeabilis vitæ fines pervenerunt! Ergo funestarum rescisso stamine Parcarum, interclusoque vitalis auræ spiritu, ad sacrosanctum *Christi* tribunal, cujus vicem gesserat in terris, constitutus, fluxa mundi imperia, caducos fasces, resculasque trabeati dominatus infulas, insana mortalium appetitas ambitione, reliquit. Inferiæ manibus datæ: justaque ceremoniis suis, suaque funebri pompa diebus statis soluta sunt: omniaque cum eo, quæ tam brevibus ævi curriculis præfloruerant arefacta, revulsa, parique conditorio taciturnitatis consepulta sunt: adgregatæ magnis cumulis, magnisque laboribus opes comparatæ, propagati tanto fragore Martis, tantoque terrore & ruina mortalium prolati fines, amplificataque diffuso circum ambitu, furenti *Cæsare* jurisdictio, tum elanguidi cognatorum affectus, infulæque longi examinis clientelæ, uno improvisæ mortis ictu percussæ conciderunt: unoque absorptæ terræ hiatu profundiore cunctis stupentibus evanuere. In Hispanias *Cæsar* cum jam fortuna vertisset, suoque destitutum præsidio fata reliquissent, enavigavit: nec multo post extinctus, execratusque detestatione omnium, prælucentem memoriam subsecuta caligine tenebrarum obscuravit. *Alexandri* Pontificis excessu exuendorum *Ascanio Sfortiæ* vinculorum spes illi jam pridem demortua, tunc primum rediviva surrexit: & ad magnas iterum res obeundas erecta est. *Georgius* siquidem *Ambasianus* Rothomagensis Præsul, collegio pileatorum allectus potiundi Pontificatus Maximi, Summique perfruendi sacrorum Principatus, umbram animo fumumque conceperat: fovebatque plurimorum adminiculo nutrimentorum. Asseclas quippe nonnullos suique nominis studiosos habebat: quoniam humani fastus obnoxio multorum favore prænituntur; excelsioremque fortunam frequentes ambiunt, sed fragiles amici. Præterea formidabilis & jure præferenda *Ludovici* Regis potentia, longæque manus anhelanti viro, distinctisque præconceptam in spem præcordiis anhelanti, multa perperam insinuabant. Ad hæc *Julianus* Ligur indomito præferocique vir ingenio, qui occultis *Borgianam* in factionem odiis intabescebat, ab urbe *Roma* procul extorris vagabatur: *Transalpini*que secessus domicilium incolebat: nihil a *Gallo* timens, suæque peregrinationis securus. Hic ergo junctusque cum eo *Ascanius*, ansancti Senatus *Romani* Proceres, pæneque *Rothomagensis* obsequio devoti, cum uterque ditionis ejus imperio subjiceretur, rem factam, certoque certiorem *Ambasio* dispondebant. Sed inter os & offam multum semper interest: igitur cum longo multa tractatu *Georgius Ambasianus* cum *Juliano* Ligure contulisset, impetrassetque summi viri suffragium, omnemque operam, quæ in deligendo ipso Pontifice perficiendaque re tanta desideraretur, extorsisset, *Ascanium Sfortiam* convenit; libertatem donat, & si Pontificatu per illum Maximo, ejusque diligentia frui licuerit, omnia restituturum redintegraturumque paciscitur. Quid captivus ille non promisisset? ac ut sese in libertatem assereret, quid, rogo, non polliceretur, ac dejeraret? stipulatione, testimonioque deorum atque dearum prænexa constrictaque sunt, unoque omnia fidei sacramento tenacissime perligata. Ergo confestim alacres expeditique omnes, hic libertatis adipiscendæ, ille consequendæ summæ dignitatis studio *Romam* præceleri festinatione contendunt. In ipso urbis ingressu tanta hilaritate acclamatum est *Ascanio*, tantoque faventium plausu sublatæ cœlo voces consonuerunt, ut unius ad viri votum omnia facile confici posse *Rothomagensis* speraret. Itaque protinus augurale sacrarium introgressi, confidentesque penitiore adyto flamines, de Summo Pontifice præoptando consultant. Barbaricum omnes jugum obhorruere: ejusque sub ditione futuram omnem *Italiam*, si *Gallicanæ* quoque potestatis imperio Pontificatus Maximus accessisset, non temere prætimebant. Proinde a *Gallo* omnes aversi frequentes in alia omnia transiere. *Ascanius*, ut suæ gentis suique nominis studiosus promoveretur, ambibat: itidem *Julianus* Ascanio rebellis, perpetuoque diversæ factionis duello semper aversus, ut ex suo non alieno voto, Papisticæ dignitatis candidatus optaretur, agebat. Fluctuavere comitia; incertisque diu suffragiis per septa distributoresque titubantium desideria pendere: donec procliva consensu plurimorum voluntas Senensem *Pium* complexa est. Sed vir innocens & purus, nec ipsa re minus quam opinione omnium integer, cum inauguratus summæ potestatis imperio gubernacula contigisset, elatus est: perpetuaque animi candentis innocentia vixit, vivit, ac vivet. Tunc de successore tractatum: campique freta Martii diversorum æstuariis suffragiorum inquietata sunt. *Ascanius* animo multa cum evolveret, *Petri*que navem non ignavo nec desidi *Palinuro* credendam arbitraretur, existimaretque illum omni delectu præoptandum esse, qui ingenio & prudentia naufragantibus & in periculo constitutis omnibus subveniret, in rivalem suum *Julianum* conversus est: privatasque simultates saluti Reipublicæ incolumitatique omnium præferendas duxit. Adeo quidem in eo virtus & judicium evaluerunt: credidit enim virum præferocem & strenuum, ac ingenio solertiaque pollentem, cum omnem supremæ dignitatis accessu superasset invidiam, nullis amplius æmulorum feriendum aculeis, posse etiam in melius effingi; præsidenteque eo, ac suo arbitratu cuncta regente, moderatius & appensius sacris profanisque consultum iri. Exinde conciliati flamines invicem, novisque fœderum vinculis alligati, cum de summa rerum, reciproco fulti præsidio, mutuaque manu porrecta fidem sancientes, transegissent, rem peragunt. *Julianus* Protoflamen declaratur: *Julii*que nomen barbaris omnibus inauspicatum sortitus, *Gallicæ* gentis delendæ præsumptionem emeruit. *Ascanius* sive multa de compacto simulans, cum intus mojora præstrueret, sive jam longo administrationis tædio confectus, cum privatis emancipatus, sese paulatim publicis rebus gerendis subduxisset, tranquillioris vitæ secretum & quietem optavit: sed pestilenti haud multo post ægritudine correptus, & ut multi crediderunt ebibito veneno suffocatus interiit. Viri ingenii præcellentis, & extemporali facundia luculentissime differentis, exitus hic fuit: qui diu sacris initiatus, cum manum lituo, mitra caput insignivisset, purpurascentis fulgore pilei clarius illustravit, cumque *Romanæ* Ecclesiæ Quæstorem candidatum egisset, omniaque illius munera præter Pontificatum Maximum implevisset, quem offerentibus amicis *Alexandro* male cesserat, æquissime piissimeque semper religionem tutatus est: variisque rectorum turbinibus fluctuantem, proprii moderaminis gubernaculo rexit. Vir apprime diligens omnique in re solicitus & sagax: ingenio acrior, memoria profundior, judicio cunctatior, supraque fidem omnium laboris ac vigiliæ patientior: cibi vinique parcissimus: quique stomachi rugitu quanquam interpellante, prandium in cœnam sæpe distulerit: & intercurrentibus negotiis incœnatus nonnunquam, modicoque somno contentus interquieverit: corpore præfirmo & vegeto, assiduoque labore ac venatu obdurato: excelsioris staturæ, sed suppallentis & emaciatæ: vindictæ tenacior, & in ulciscendis injuriis *Ludovico* fratre paulo asperior: si quando a Ve-

a Venere sibi liberius indulsisset, quanta poterat cautela præsidioque suspicionem criminis declinabat: *Romano* populo gratiosus, Senatoribus Apostolicis omnibus venerabilis: literatura studioque præditis adamatus: ingeniorum cultor bonorum, disciplinatorum observator, & eruditorum admirator atque defensor omnium. *Joannes Picus* Mirandulanus magnum tempestate nostra doctrinæ scitioris columen, cum amplificandæ tollendæque eruditionis suæ, suique ingenii periculosius ostentandi *Romam* profectus esset, coramque Patribus conscriptis ac *Romanæ* militiæ triariis acuta dicta, argutiasque breves, literaturæ suæ clypeo defensandas proscripsisset, nec ex voto præmeditata succederent, de perdendo palæstrita tractatum est, & perlata quæstio: quoniam inconsultius provocare Patres amplissimos, falsaque dogmata religionem nostram sugillantia subjicere oculis omnium præsumpsisset: obtinuissetque durior sententia, cum jam in eam frequentes issent, nisi bonarum artium portus & refugium *Ascanius*, qui nullo discrimine bonos utique complexatus fovebat, intercessisset, delictique veniam impetravisset. Æstimare quidem suis quemque doctrinam meritis par est, sed non alterius literaturam depretiare: nam, qui turgentius intumescit, disrumpitur; & resiliente sæpe sagitta, dum quis alium infigere prætentat, repercutitur. Publicæ privatæque dignitatis, suique honoris studiosissimum, super omnes *Ascanium* unum accipimus; nec unquam nisi ex destinato, re perfecta conquiescentem: hinc adagium illud in curia, cum nimiæ quis solicitudinis argueretur, percrebuit: *Pervigil Sfortia nunquam dormit.* Promoto culmen ad Pontificium *Alexandro*, cum *Europæ* Principes *Italiæque* Reguli gratulatum ei suos quisque *Romam* oratores misissent, *Jasonem Mainum* Jureconsultum pro Duce *Mediolani* verba facturum, priusquam vultus sacros adoraturus in pontificalis oraculi sacrarium admitteretur, evocavit ad sese: virumque ad dicendum audacem & intrepidum ne deficeret, monitis suis confirmavit, ac ut seorsum & in speculo declamaret, hortatus est: ne ipso assidente, celsioris throni majestatem exhorresceret: & quod viro doctissimo *Florentinorum* causam agenti, paucos ante dies contigerat, dicturus laberetur. Percallebat enim vir attentior, & undequaque circumspectissimus, quam lubrico pavimento, suo cum fragili vase nutaret, frequenti concione celeberrimoque consessu peroraturus: tantaque illi publicæ privatæque æstimationis sustinendæ cautio fuit, ut periculum dicentis pæne suum duceret. Ex voto cuncta transacta sunt: siquidem profluens illud & canorum admirati sunt omnes, torrentisque facundiæ procellas, nimbosque verborum tanto profatu glomeratos, efferebant docti pariter & indocti. Verum ea lucubratione postmodum edita, sibi ipsi fraudem fecisse, cum magna pars abesset, compertum est. De *Ascanii* obitu parum adhuc liquet: propinatum quippe nonnulli venenum a *Julio* conjectati sunt, sed falso: cum illius obitum permoleste graviterque tulerit, cujus operam sibi perutilem ad exigendos Italia *Gallos* futuram, speraret, quos extrudere solo nostro tota animi sui contentione prænixus est. Sciebat enim cum præcipua in *Ascanium* benevolentia, tum exitiali odio, quo perciti fere omnes in barbaros conservescebant, si propter *Ascanium* patriam repetentem arma moverentur, parvo rem negotio transigi, & ex ipsius animi sententia confici posse: sed *Julii* consilium elusit *Ascanii* mors intempestiva. E diverso alii, procurante *Rothomagensi* Episcopo sublatum tradiderunt: quippe pontificalibus comitiis competitore superatus, cum repulsam indignissime tulisset, graviter exacerbatus, quod irridentium ludibriis exploderetur, cum aliter pœnas sumere non posset, *Sfortiaco* sanguine injuriam ultus est. Proinde *Ludovicum*, quem in carcere tenebat, mox *Ascanium*, quem in vinculis habuit, pari sorte damnatos de medio tulisse creditur. Sed hæc magis opinioni hominum insinuata sunt, quam ipsa re comperta fuerint: nam quæ de ebibito veneno vulgus jactavit, non pestis illi sed medelæ vicem intulerunt. Omnibus sane mirum fuit, sex præclaro excellentique ingenio natos fratres, ingenue ac liberaliter educatos, institutosque *Blancha* matre, ad filiorum vitam suorum sanctius componendam informandamque divinitus, omnia arma fidei nostræque religionis advocante, præter unum *Philippum*, qui propendente discissus aqualiculo morte sua consumptus est, & *Ascanium*, si illi fata pepercisse credimus, biothanatos omnes reliquos fuisse. Siquidem alii fluctu ferroque crudeliter enecti, alii veneno petiti, nonnulli carcere longo consumpti de medio cessere: cum pater eorum claritate gestarum rerum illustris, absolutæque probitatis uxor ejus *Blancha Vicecomes*, nostrarum rerum jubente fato potiti, quieto tranquilloque statu blandissime consenescentes, desiderium sui nobis reliquerint. Sed Matheseos periti, quique suis secreta numeris astrorum scrutantur, *Franciscum Sfortiam* in horoscopo stellam fixam habuisse tradunt, cujus ea quidem vis est, ut grandia nato dona conferat, cursuque secundiore provectum ostentet; verum mox sua destitutum felicitate, variis præcipitem casibus involvat: quod si genituræ cœlique sui tanta vis fuerit, ut adversa omnia superet, tunc certe sobolem tristior fortuna subimplicat, ejusque filios gravior exitus manet, sicut in *Francisco Sfortia* liberisque suis evenisse nostra tempestate conspicati sumus.

Julius igitur Pontifex Summus, legitimis solemnibusque ceremoniis pristino more suo celebratis, cum nova semper animo conciperet, eaque prompto ferventique capessendis rebus ingenio parturiret, Pontificios fines proferre, diffusamque *Galileaci* piscatoris ditionem latius extentendere decreto firmiore præsanxit: postque nonnullas *Flaminiæ* receptas urbes, cum adhuc *Ludovico* Francorum Regi vinculo fœderis astringeretur, in *Bononiensem* agrum, proprias auxiliaresque *Gallorum* copias, *Carolo Ambasiano* imperante promovit: asserendæ *Bononiæ*, propulsandique *Jo. Bentivoli*, quem odiorum torrente flamma persequebatur, ingens præcepsque libido Pontificem incesserat: festinabatque provinciam leviorem absolvere, ut deinceps cunctantiore consilio maturatam, graviorem exequeretur. Ergo post dissipatas agrestes copias, cum populationibus ac rapinis hostilia cuncta milites pervastassent, dispositis legionibus omnique urbem obsidente exercitu, intestinæ seditiones civilesque discordiæ protinus exortæ sunt. *Bentivolo* gratiosi, & qui illius dominatione fruebantur, sustentandum enitendumque censebant: donec vel Pontificis mors opportuna, vel exercitus alendi difficultas, aut ex improviso Deus, oppressæ urbis angusta omnia relaxasset. Contra, infensi perosique virum, & qui fasces imperantis gladiumque detestabantur, inique pressuram ferre: perurgenteque civitatem in dies exercitu omnes impatientius angi. Qua de re vir consultus & prudens, cum ab internis externisque prætimendum æstimaret, dedendam urbem ratus, fœdera cum *Gallo*, quem fidei constantioris opinabatur, pertentat. *Julium* enim sic semper exhorruit, ut nulla unquam gratia conciliandum speraret: & si qua cum eo fœdera percussa forent, perversioris ingenii malitia rescissurum. Conscriptis ergo *Gallicana* tabula fœderum legibus cum hinc inde paciscentes assensissent, *Joannes*

urbe

urbe cessit; propriaque supellectile collecta *Mediolanum* profectus est: quem tamen circumvenire, insectari, modisque omnibus incessere deinceps *Julius* nunquam desivit; adeo pertinaciori odio infensus, ulciscendæ injuriæ semper ansam quærebat. Itaque cum criminis insimularetur, falsoque delatus esset, jussu Regis *Bentivolus* in arcem *Jovis*, illius præfecto comitante perductus est. Quò cum pergeret, angore confectum illachrymasse certo scimus: mox quærente *Japhredo* Caroli, qui tunc *Mediolani* Præsidem agebat, cum innocentiam purgavisset, vinculis solutus est, & libertati suæ restitutus. Verum perpetuo districtæ mentis cruciatu, vitæque molestioris tædio prægravatus, cum multa virum circumvenirent incommoda, haud multo post elatus, *Mediolani*que sepultus est. Futuram illi cladem multa prædixerant: suæque præsertim domus tacta cœlo fastigia, propriumque in cubiculum, tabulatis omnibus terebratis, fulmen intortum. Sed & procul stupore visentium, trepidantiumque miraculo, conflixere bellatorum acies obarmatæ: directisque invicem telis concurrentes, ab urbe *Bononia* lapide quarto concertare deprælarique ferociter visæ sunt. Miræ hominum effigies, amplioresque mortali mensura, celso a vertice, vastisque corporibus, spectaculum non vulgare contuentibus dabant. Incredibilia videbantur, aviarumque trementium subsannanda deliria, cum in urbem remigrantes agricolæ, suis oculis objectata, suisque vultibus obversata civibus recenserent. Itaque cum primo levibus nuntiis, mox gravioribus, ac fide dignis auctoribus, fama rei certior increbesceret, effusus est omnis populus studio nova & insitata videndi. Refulgebant loricati milites, pilatæque acies procul inspectantibus luce media coruscabant: tum grandibus consertis manibus, ac informi moreque gigantum collato pede stataria pugna truculentissime committebantur. Tranquillus horror erat, magnaque cum metu tuta formido: siquidem & compugnantium militum, & concursantium equorum timore procul omnes attoniti perhorrebant: mox futilibus jaculis umbratilisque pugnæ simulacro spectatores securi fovebantur. Fuere qui videntes non viderent, ipsamque rei mirandam speciem incernentes non cernerent. Etenim multi, quo manifestius deprehensa palparent, sese concitis equis in confertissimas ingentium pugnatorum turmas, terribilesque globos armatorum proripuere: diversatique diu telis inanibus, cum præsentes ipsi nihil videre nec sentire possent, procul tamen ab omnibus vastos inter milites, aciesque formidolosas præliatorum prospectabantur. Adeo res nova peritorum & imperitorum animos perturbabat. Hæ nimirum visu formæ terribiles sub decertantium imagine bellatorum, futuros conflictus, *Gallicanis* Pontificalibusque copiis ingruentibus, magnaque divexandæ ipsius urbis incommoda, dum debellatur, debellataque rursus rebellis asseritur: ac nunc hujus alterno, nunc alterius imperantis jugo distracta comprimitur, quodam futuræ cladis præsagio demonstrabant. Nam pulso *Jo. Bentivolo*, cum *Julii* Pontificis in ditionem *Bononia* recidisset, subornata rursus impulsaque veteribus dominis ac novarum rerum cupidis, nutabunda descivit: atque eo motu armorum *Annibal Bentivolus* tumultuario agmine procurrens, omnique factionis suæ satellitio præcinctus, popularium quietem manuque Pontificis extortam pacem discussit. Ancipiti Marte dubioque eventu *Julius Bentivolus*que pendebant. Hic paternis sedibus notisque suis laribus repetitis, innixusque suorum auxilio Patriciorum tranquilliora sperabat: contra furens & indignatione præceps, injuriaque desciscentium exacerbatus Pontifex Summus subi-

A tario milite contracto, omnibusque statim admotis legionibus urbem ingrassatur; exagitatamque militari turbine bellicoque fragore concussam recipit; mox acerrima disquisitione scelus evestigans, cum omnem conjurationis messem ex *Bentivolorum* seminario profluxisse cognosceret, execrationibus ac diris, direptionibusque bonorum, ac sumptis suppliciis, ut quæstorum laqueis irretiti plures inhæserant, severissime crimen ultus est. Sed & deinceps, cum ipsius implacabiles iræ Pontificis adversus *Ludovicum* Regem referbuissent, eoque processisset pontificii furoris indignatio, ut nisi *Placentia Parma*que Sedi *Romanæ* re-

B stitutis, nusquam inter ipsos convenire posse videretur, Rex ipse Francorum *Ludovicus*, Bernardino Caravasalo *Hispano* impulsore, discrepantibus invicem Episcopis, concilium *Pisis* indictum, mox urgente causa *Mediolanum* revocavit. Cumque jam multa in Apostolicæ Sedis amplitudinem majestatemque Religionis nostræ conscripti Patres sanxissent, ac velut a suppositio, adulterinoque *Romanæ* Ecclesiæ Præposito ad ipsum legitimum verumque summæ totius moderatorem Senatum, universa devolvi oportere decretum esset, publico delectus assidentium Patrum consensu *Federicus Sanseverinus*, omnem concilii sacrique conventus

C causam regia protegente manu suisque legionibus adjuvante, *Bononiam* proficiscitur: ut eam a *Julio* velut ab exauctorato abortivoque Præside prorsus abjudicatam, assereret, legitimoque cœtui prisci sque moribus instituto subjiceret. Itaque bellici fremitus infirma discrepantium flaminum pace permixti, ipsique enses & gladii lituis ac mitris intercedentes, *Bononiam* alternis belli pacisque fluctibus reciprocantem, pulsavere: donec asperius impetitam *Hispanici*, *Gallici*, *Germanici*que pugnatores eundo, redeundo, immigrando, remigrando, sic exagitarunt, ut illæ militum inanes umbræ, exhalantesque solo confligentium

D prælucida nube turmarum cohortes, veris agminibus, nostrisque deinceps ac barbaris legionibus, tanto Sacerdotum Principumque dissidio, concursantibus, certissimo Deorum numine præluserint: enuntiaverintque *Bentivolo* futurum paulo post exilium ac fugam, quanquam & ingenio & facultatibus prædito, adornatoque præstantium numero liberorum; quorum unus *Alexander* adeo fortunæ indulgentis aura provectus est, ut *Mediolani* vicariam Ducis *Francisci* potestatem egerit, ejusque filia *Jo. Paulo Sfortiæ* matrimonio collocari meruerit; hic sororem nactus, sicuti recentium scriptorum Annales memorant, quæ *Galeoto Man-*

E *phredo* militi strenuo ordinumque ductori valentissimo patre *Jo.* procurante desponsata est, tædisque solennibus, sed adverso pronubante Thalasio, nuptui tradita. Hæc supra muliebrem sexum, supraque fœmineum pavorem, ingentis spiritus magnique animi virago, cum filium ex viro suscepisset, nec lascivientis mariti procacitatem, profusæque libidinis intemperantiam perferre posset, ipsum perdere statuit: accitisque secreto quos infensissimos acerbissimoque odio invisos, viroque rebelles cognoverat, præstituta temporis hora maritum pugione petit, reluctantemque viriliter atque ferociter inclamantem suis erumpentes illi-

F co latebris armati, qui signum expectantes instructi paratique animis telisque stabant, suppetiarum specie ferendarum multiplicatis ictibus confossum, sævissime confecerunt. Hunc certissimæ Mathematicorum prædictiones emonuerant, ut caveret, quoniam hora fatalis appetebat: quod cum ille rescivisset, nec commentitium arbitraretur, sese penitissimo conclavi, domesticæque sedis remotissimo secessu continebat, præcinxeratque domum arctissimis custodiis, ut vim declinaret, eluderetque superstitiosam vatum divina-

 tio-

tionem: sed cum exteras devitasset insidias, interas non evasit: conjugalique machinamento oppressus est: ipsa dux fœmina facti.

Post evictam manu barbarica subactamque Pontifici summo Bononiam, *Ligustini* motus turbulentæque plebis seditiones ad arma *Gallum* exciverunt. Ea gens familiari rixa intestinisque certaminibus inquieta, ac civium animis inani quodam furore rebullientibus, assidue dominos in discrimen trahit. Vetustissimi luculentissimique scriptorum tradiderunt, nullam provinciam, nullamque nationem, *Romanam* disciplinam per intervalla bellorum magis exercuisse, militemque licentius agentem ac *Macedonico* bello solutum, magis intra rigorem continuisse. Hic siquidem hostis erat, qui *Romanam* virtutem hebetatam acueret: qui languentem & flaccidam excitaret, *Asiatica*que diffluentem amœnitate, ac discinctam deliciis omnino præcingeret. Ardua quippe omnia, præruptisque montibus ac jugis asperrima, in *Liguribus* erant, quæ militem ascendendo durarent, pugnandoque difficili loco firmarent, quæque veteranorum eximiam novitiorumque virtutem spectandam provocarent: dum præcelsa alacriter occupant, occupata validius tenent, ac labili solo firmiter consistunt. Hostis præterea promptus insidiis, armis expeditus, agilis motu, cursu pernix, omnibus velox, *Romanam* vim Martiumque robur frequenti periculo probandum eliciebat. Itaque Duces, castrorumque Præfectos, ac Consules *Romanorum* hi populi frequenter armis fatigavere, adflixereque motu bellorum assiduo. Sed & multas tempestate nostra clades suo versatili torno, rotæque volubilis inconstantia nobis *Ligur* invexit: quanquam *Ludovico Sfortia* moderante, suique rem nepotis diutius gubernante, in ejus verba juraverint: perseveraverintque constanter in fide, donec *Aureliensi* jugo post cæteras subactas urbes assertaque oppida, cervicem facile subjecerunt, quam & paucos post annos gens levis & ventosa subducere compescereque *Gallicanos* tumores prænixa est. Improvisa namque suborta seditione, suoque de more concito tumultu, cum de novandis rebus inter nonnullos occulta conspiratione tacitoque tractatu convenisset, *Genuenses* libertatem provocant; impressa *Lilina* signa mœnibus eradunt; *Gallicanos* magistratus abrogant; eorumque factionis studiosos urbe protinus ejiciunt: tumultuantur, cædunt, ingrassantur. Tum Principem & Ducem suæque rei moderatorem *Paulum* deligunt: ad tractandaque navis dubiæ gubernacula sinistris virum avibus promovent. Hujus unius omnes imperium revereri, jussa facessere, mandatis obsequi: ille militem legere, auxilia contrahere, commeatum parare; omniaque cautius & promptius, quæ ad suæ tutelam Reipublicæ *Gallicanæ*que factionis interitum spectarent, expedire. Continuo Regis ad aures perlati motus, effusique per aulam rumores *Ludovicum* graviter incessivere: mox urbe *Genua* expulsi nobiles, quique rem barbaricam commercio, ære, suffragioque juvabant, exilium suum deprecari: Regem orare, obtestari, ut importuna turbulentæ plebis imperia disjiceret, fastus comprimeret, omniaque ad pristinam *Gallicani* moderaminis temperaturam redigeret. Prudens barbarus quanquam gentem fluxam, suopteque ingenio levem esse cognosceret, & ad rebellionem propensam frequenter agitari, quia tamen *Cisalpinis Transalpinis*que *Gallis* ea civitas interjacet, & ferendis utrique genti præsidiis, quotiens exciti bellorum motus provocarent, opportuna videbatur, oppugnare statuit, admotoque statim exercitu subigere. Et quoniam momenti præsentioris erat, si ipso imperante res gereretur, ad *Ligusticos* motus compescendos in *Italiam* adulto vere perrexit. Obviam itum est illi, salutatusque præcipue *Mediolanensium* Legatis, qui sese illi obnoxios devotosque professi, si quid privatis publicisque facultatibus possent, obtulerunt: omnem operam, solicitudinem, diligentiam, sui pro Principis incolumitate, imperiique ejus majestate pollicentes. A quo quidem humaniter excepti, auditique perbenigne, post mutuum reciprocæ salutis votum dimissi sunt: adventumque ejus in urbem *Mediolanum* expectare jussi, quem exhausto *Ligustico* bello, brevique composita *Genuensium* re futurum propediem existimabat. Occeptam igitur expeditionem dextro Marte prosecutus, exultantium congratulantiumque pæne omnium vota superavit. Etenim cum arduum difficileque bellum in annos trahi, deterique *Gallicanas* opes, obsidione multa putarent, qui *Transalpino* imperio contumaciter adversabantur, opinione sua victi sunt, suaque protinus sententia dilapsi. Quippe tunc pro *Gallis* elementa, si credere dignum est, astraque pro barbaris fixa polo stellæque vagæ conjuraverant: magna ingensque regii exercitus in dies appetentis fama fuit, sed præsentis ipsius *Ludovici* expectatio tot præclare magnificeque gestis rebus major & ingentior. Non deerant, qui ut illius gratiam aucuparentur, extorresque beneficiis promererent, dissimulando tergiversandoque alia atque alia causarentur, hostique propinquo planius iter in patriam emollirent. In promtu sunt omnia, cum nostris fortuna consiliis indulget, difficilesque conatus nostros cum adjuvat, prospere feliciterque succedunt. Dum tela, machinæ, tormentaque parantur, dum intus foris arma milites expediunt, tantus propinquæ Regiæ claritatis splendor effulsit, tantique belli metus armorumque terrores omnium mentibus inhorruerunt, ut vix circumcincti quidem solverentur, victique prius antequam petiti sint. *Paulus*, quem sibi Respublica Principem & Ducem creaverat, cum Diis aversis male pugnavisset, errabundus vasto mari *Ligusticum*que littus effugiens, regia classe circumventus capitur: majestatisque reus ultimo vulgarique supplicio, post omnem criminis peractam quæstionem, affectus est. Restitutis redintegratisque omnibus cum Rempublicam ad veterem formam *Ludovicus* redegisset, *Ligustinæ* vanitatis non ignarus, & qui gentilitii lubricum erroris, fluxaque turbidæ nationis ingenia percallebat, molem exstruxit novo apparatu, infinitisque sumptibus admirandam. Hanc Frænum dici jubet, quod urbi scilicet imminens, frænansque vagam solutæ plebis temeritatem, repugnantes & invitos cives in officio fideque perseverantius contineret. Hæc tamdiu stetit, magnoque tantisper *Genuensium* mœrore conspecta est, donec *Aureliensis* fortuna vertit: perpetuæque clades *Insubrem*, *Cenomanum*, *Ligurem*, vicinasque circum gentes una continentique ruina protractas involverunt. Edomito *Ligure*, rebusque tam fori quam militiæ compositis, *Ludovicus*, qui magis celeritate quam victoria cunctorum opinionem excesserat, *Mediolanum* iter dirigit. Solennia, pompæ, triumphi, surrectas omnium mentes, attonitosque novis animos voluptatibus converterunt. Præsignis auroque conspicuus aulicorum procerumque suorum ordo præibat: cum jam ingentes prætorianæ cohortes senticosis suibus intertextis asperatæ, longis agminibus innocentiumque terrifica telorum armatura, procederent: hinnientium equorum fremitus, immaniumque dissonæ voces barbarorum, tum holoserica subsericaque veste pretiosi cultus ipsisque *Phrygibus* elaborati, cuncta populis admiranda suspectantibus dabant. Ingenti Rex Martis equo sublimior, quem Philosophorum Jurisque Consultorum venerabilis & sancta cohors alboque legitime conscripta cingebat, evehebatur, molimine

magno

magno lentoque sublibratis passibus incessu. Invitatus erat, ut triumphantium more currum levibus bracteolis inauratum discolorique pictura variegatum conscenderet: sed equum placidissime strenuum, blandaque ferocitate præmitem, & qui suum inter togatos diversantem dominum agnosceret, prætulit. Reprimebat arduus ille spiritum ingentem, anhelabundusque glomeratam sub nare flammam, magni sui sessoris adstipantisque togæ reverentia cohibebat. Innoxius & ad omnia docilis equus, in hostem calce, juba, dente, ferus, asper, truculentus; inter nos vero semper & undequaque mitis, placidus, lenis: quo gressu nutuque poterat constipantes, cicuritique ingenii mansuetudinem admirantes ad obsequium illectabat. Nos in turmas æque dispartiti, nostrasque per classes sub triviis quadriviisque divisi, ut omnes pari mensura togæ laborem sustineremus, & omnes æque plena majestate frueremur, aureum umbraculum, duodenisque rutilantibus pilis elatum, attollebamus: pretioso textilique velo solem, nubemque cœli crassioris ab ansancto Rege dimoventes. Ad hæc civitatis nostræ Primarii splendidissimique Proceres *Theodorus Trivultius*, *Antonius*que *Maria Palavicinus* satellitium agentes ephippiis incumbebant; subsequebantur Apostolici Senatus purpurati Patres, sericis propendentibus spiris magnifice pileati: non illi certe minus latoclavo refulgente decori, quam Rex ipse trabea coruscante spectandus. Adjungebantur, ut sua quisque prærogativa dignitatis præcellebat insignior, *Italiæ Galliæ*que citerioris & ulterioris Reguli; tum & recentibus titulis prænotati Duces, Marchiones, Comites, prælectique pedariæ equestrisque militiæ Præfecti gradus suos inferebant: tanta quietæ mentis placiditate, ut nunquam arma togæque majori concordia copularentur; nec æquiore jugo coirent impigri Martis ferocitas, otiosaque tranquillæ Religionis mansuetudo. Horum vestigia sublegebat sua cum orchestra frequentiore Præsidalis honor, ipseque prævius arctiore zona *Milesiam* Regii Senatus togam astringebat; subsecuti lege sua cæteri magistratus, qui ex ordine extraque ordinem jus dicunt; indiscreta mox civium multitudo, permixtæ sordibus elegantiæ confertissima turbæ prodeuntis examina claudebant. Hoc tanto fastu *Mediolanum* ingredientem *Ludovicum*, præpotentis Reipublicæ *Venetæ* excelsique Senatus Oratores obvii, ad *Eustorgianum* pontem, exceperunt; suaque venerabundi Proceres amplitudine modestiæque suæ decoro plaudentes, & adgestientes glorioso victori, conspicuam illustremque victoriam illi paucis adgratulati sunt; potentissimæque Reipublicæ suæ mandato Regis ipsius ad arbitrium copias opesque suas omnes obtulere. Quibus ille pro temporis ac loci personarumque ratione gratias egit: mox celsiori pegmate residentes cirrati ut amœno quisque gratior ingenio, ac linguæ garrulitate promptior & amabilior erat, elimato carmine suisque rythmis composito progredientem salutabant: suamque ut urbem faustis ac propitiantibus Deis respiceret comprecabantur. Hunc ad modum duplicata singulis semperque majore pompa compitis excrescente, alii laudes & facta Regis ampliore præconio celebrabant: solistimis alii tripudiis pyrrichioque gestu Patriæ gaudentis hilaritatem exultantiumque lætitiam animorum expromebant. His deliciis harmoniæ mellitioris dulcedo, post cætera ludicrorum oblectamenta, lenocinabatur: lyristæ, psaltriæ, samburistriæ, argutique omnes symphoniæ moduli salientis intima pectoris divellebant; cantu, lusu, plausu, lætitiisque cuncta cum ferverent, intus etiam omnia placata quiescebant. Deleniti jam obliteratique mœrores erant, ac dilaxatæ vulgares angu-

A stiæ, quas perniciosa *Mauri Ascanii*que captivitas tanta bonorum ac civium interitura nostrorum ingesserat, meliore jucunditatis antidoto confovebantur: sublapsæque madidis pectoribus nostris majore quam prius corruptela voluptates, lautitiæque multo ganearum pingui delibutæ, exsiccatas longo post tempore elati funeris utriusque lachrymas extinxerant: cumque dolore prius & angustia resipiscerent, nunc lætitia gaudioque desipiscebant. Defixum Regem ampliore theatro spectaculorum, ac ductili versilique scena rerum omnium, nostræ tunc urbis miracula tenuerunt. Sed præter tunc infinitæ plebis multitudinem, B passimque conglobatam populi densioris turbam, quæ visendi studio certatim effusa proruebat, illud ædepol nova Regis animum admiratione replevit, quod frequentes & innumeræ suumque in rigorem dextra lævaque dispositæ stationes mercimonialesque tabernæ, ab ipso *Eustorgiano* ponte ad virginis pontificale delubrum, ab eoque rursus ad arcem, ad quam perrecturus *Aureliensis* erat, singulæ nova fercula, novumque prospectantibus orbem offerebant. Aulæa pendentia, tricliæ stratæ, signa, tabulæ pictæ, cunctaque regifico luxu parata, pompam ante hunc diem inauditam perpetuaque hominum memoria celebrandam ex- C plicuerunt. Sed præpollentes & splendidi virginum, succulentarumque matronarum chori, tum lubrici vultus earum, speciosi cultus, elegantes formæ, quæ *Cyprias* Veneres, decentesque gratias æmulabantur, excelsa omnia superabant. Lapillis, unionibus, gemmis oneratæ, suisque præcomptæ reticulis atque monilibus illaqueatæ graciles nypmhæ, deos deasque omnes ad hanc majestatis speciem contemplandam, superis sedibus evocabant. Attonitus miraculorum confusione *Ludovicus*, cum infra supraque omnia acriore defixus obtutu conspicaretur, hærebat: singulo gradu cunctabundus & anceps, connexo tot as- D surgentium fœminarum examine, totque refulgentium luminum flammis hebetatus: cum dextra flexisset, læva vertebat; & cum hinc illinc jucunda prospiceret, & hinc & inde jucundiora gratioraque spectabat. Præterea respicientem urgebant instantia, oblectatumque præsentibus, nec satiatum præteritis, futura protinus evocabant. Cumque semper meliora Genio prælucente succederent, longe summoti distentisque Regem oculis expectantes, ut sua viseret, suoque ut spectaculo suaviore frueretur, anhelabant. Hoc amœnitatis fluctu, pelagoque voluptatum æstuante jactatum, ad ipsaque Deorum immortalium E templa pergentem *Ludovicum* candidati flamines obviique, suis cum insignibus excepere: deductumque ad aras Pontificio suo nitentes, ad agendas Diis immortalibus gratias, ac pacem veniamque petendum, hortati sunt. Legitimæ precationis carmine peracto, nostroque solutis de more votis, in arcem diversa regione, pari nimbo parique sereno claræ tempestatis irrorante, pervectus est: ibique nostrarum oneratus fasce deliciarum resedit: donec epulum *Apicio* concinnante, ac instructas operosissima cibariorum architectura mensas, instrataque lucentibus fulcris triclinia, majori admiratione præstupuit. *Jo. Jacobus Tri-* F *vultius*, bello paceque gestarum claritate rerum insignis, magnoque ad peragenda omnia ingenio natus, Regem, Heroas, Principesque sacrorum tot suis comitantibus umbris acceperat, cum ut ingentis animi sui magnitudinem, re domestica non fallente, tum ut nostras regiis pontificalibusque cœnis, ipso nobiscum nepotante *Jove*, non cessuras dapes, ostenderet. Ampla domus, spatioso effusioreque compluvio, diætis atriisque percingentibus dilaxata patebat; sed angustos accubitus invocatis, adipalisque cœnæ liguritoribus ex-

A exhibitura: ergo vicinis ædibus perforatis, terebratoque terminali pariete, per convicinales cryptas domorumque concamerata, tranſitus in *Romanum* vicum, receſſu vaſtiore præſternitur. Cumque ad hujuſcemodi paratus explicandos privatorum ſecreta pateſcerent, obſtruebantur publica: defixis contis, retorridiſque trabibus ſubnixum podium, duodenis a terra pedibus ſurrectum excitaverat magni operis redemptor: conferti patentiſſima tabulati, complanatarum leviter juncturarum area, longiſſimo fugiente procurſu, immeantibus ac remeantibus atterebatur. Hæc utrumque viæ latus amplexa, quod longo diſtantes intervallo parietes abigebant, meridie ſeptentrioneque B capacibus feneſtris aërem hinc inde reciprocum, mutuoque fluxu refluxuque follicantem, admittebat. Cœlum panni ſtellis aureis interſtincti, ſubluſtrique ferrugine ſuas in violas renidentes, ſerenum *Jovem* ementiebantur. Crepitabant interflante aura flexipedis hederæ penſiles corymbi, lentos in orbes ſuos topiati, mediaque Regis inſignia lambitantes aſſiduo flamine contorquebantur. Inſtridebant concriſpatæ tenueſque ſubærati auri faſciolæ, quæ ſibilis crebrioribus dum confligente aura circumaguntur, leniſſime fluitabant. Ad hæc *Attalica Britannica*que aulæa prædocto artifice diverſas in ſpecies animata ſpiravere. Tum C pretioſis ſerico viloque denſiore tapetis opulens *Damaſcus* omnia longo circum tractu texebat. Sellæ, pulvini, ſubſellia, ſtragulaque omnia coccineis aureiſque filis intexta, unionibuſque redimita, ſcintillantibus cœloque reluctantibus flammis inardeſcebant. Medio, Regis thronus auguſtior, triplicique ſublatus gradu, propendentibus plagulis, tortilique auro ad viſentium ſtuporem prærigentibus, aſſurgebat. Omnia circum, omnia infra ſupraque mortalibus oculis ſuſpicienda, tam immenſi ſumptus congiario, quam exactiſſima laſcivientis artificii politura, fulgebant. Terrena nunquam amplius majeſtas nec venerabilius D unquam enituit. Et quanquam ubertim *Gallica* barbaries divitiis omnibus opulentiſſima profluat, nunquam tamen in ipſo divitiarum horreo copioſius & abundantius exuberavit: & noſtras opes mirata eſt. Et quoniam res inter ſacras, menſæ convivalis olim uſus habebatur, proindeque ut ſacra facturi ſic & epulaturi lota prius manu purgati ſunt, quod ſtudioſi ceremoniarum *Hebræi*, Chriſti diſcipulis avidius de patella cibum expetentibus, objectavere, interpellante ſtomacho, & ad refectionem provocante, hora, diſtillantes ſiphunculis prægnantibus lymphæ, pando auro perfuſis manibus, excipiuntur. Non fontanæ E quidem neque rivales, quas irrigando arentiori palato benignior natura ſuppeditat, ſed quæ reſudantibus roſis elicitæ, *Medorum*que malorum floribus igne maceratis expreſſæ, omni *Arabum* ſuffitu, omnique *Sabæa* nube præſtantiores, reflexa meliorem in uſum fiſtula, promanaverant. Amaracino recreatus odore *Ludovicus* cum Pæſtum, Hyblam, Hymettumque una manu perferret, ipſoque confragrante Nardo, Myrrhæque ſpirantibus guttis, ac trito ſuavius exhalante ſuccino refoveretur, obriguit: nobiliſſimum totius aromaticæ meſſis pulviſculum confrictoſque omnis odoræ arboris ſuccos nitidum in fontem eliquatos F admirans. Exinde ſuas purioris ſaccari placentas obvia Phyllis inſecuit: tum auratæ bucellæ, pineique groſſuli, ac gingiberina cruſtula, latrantis rugitum ſtomachi complacavere. Propinatique ſtatim pretioſiſſimi liquores vermiculi, ſubalbentes, *Rhetia*, *Piceno*, *Creta* ſubvecti, mellinis oblita tragematis labra, inauratasque præmanſi micas edulii pleno gutture proluerunt: his velitibus pranſitantium exciti gurgites, acieſque dentium his ſpiculis acuminatæ, validiora ſtructorum agmina ſuumque in numerum diſpoſita, protinus commiſere. Peregrinæ aviculæ, ſylveſtriaque pulpamenta, longinquis nationibus externoque venatu parata, *Sybariticas Syracuſanas*que menſas pinguiore alimonia provocavere: eſculenticinorum præfectis caſtrorum, opſonitantibuſque magiſtris nihil animo ſedit impenſius, quam ne inſtructus confunderetur exercitus: neve triarii rorarios, aut veterani novitios prævertérent; ſed ex ordine præſcriptoque ſuo progrederentur: omnis itaque ferculāris diſciplinæ vigor, omniſque magiſterii popinalis eruditio, ab Imperatore Legatoque, ad omnem rigorem exigebatur: aſſa, elixa, jurulenta, colore ſaporeque ſuas in claſſes diſcriminata, recenti *Jovis* cerebro, novoque *Veneris* lacte triclinales *Heliogabali Sardanapali*que diſcubitorios ingenti auctuario toros præcelluere. Quod *Alcinous* Ulixi, quod Æneæ *Dido*, quod *Caligula* ſibi, quod *Domitianus* populo profudit, id uno noſtrorum agmine lixarum, unaque nepotantium pugna *Gallorum*, ſuperatum eſt. Stabant epulones intentis oculis, ſuperque fumantibus patinis ancipites, & dubii, quod prius dente ferirent, explorabant. Geminati tergeminatique miſſus edulicii laborantes ingeſtorum difficultate ciborum ventriculos diſtendebant: omnique agmine pugna durior incrudeſcebat. Cumque longo certamine delaſſati milites diſcubitorii, receptui canendum putarent, nova ſemper inſtauratis ordinibus erumpente de improviſo militia, depugnandum erat; & reparatis alimoniali ſupplemento eſcarum copiis confligendum: donec æſtu multoque ſudore ſordidati palæſtritæ, appoſitis recentibus bellariis obſita tela defricantes extergenteſque, colophonem acceperunt; eſculenticia farragine contumaces uteri, multiplicique potu returgentes convivæ, in vicina ludicra, proximoſque *Veneris* luſus conflacceſcentes deſpumavere. Circumſidentes quippe gregatim conglobatimque principes matronæ, quas paulo ante *Ludovicus* urbem ingreſſus velut per tranſennam inſpexerat, pro tribunali reſederant, turritiſque verticibus e regione prominentes, ac pectoralibus aſtrictis protuberatæ, decoro cultu ſplendidiſſime luxuriabant. Tum delecta juventus, vernantiſque noſtræ pubis florulenta lanugo ſcitiſſime perſonata, omnique geſticulatione decora mobiliſque ſubſiliebat. Singuli juvenes ſingulis nymphis adcopulati, longas implexa noſtro de more manu choreas exercebant: *Ionico* motu, *Betico*que cruſmate ſedibus imis excita *Venus* ſubabat. Scalpebant amorum ſecreta tactu morſuque blandiſſimo, crepitante lyra cantus emodulati, ſuiſque præſuaves interſtrepentibus tubis harmoniæ. *Liguſtinis* rupibus *Genuenſium*que jugis, præcipiti *Mars* curſu delapſus, ſuiſque *Thracibus* atque *Biſtonibus* longe relictis, in noſtras oras repente commigravit: ſuoque dimiſſo procul exercitu, commeatuque centurionibus ac tribunis ductoribuſque ſingulis dato, ſeſe noſtræ ſuæque ridentis in *Erycinæ* caſtra contulerat. Tunc in urbem *Mediolanum* regionemque *Romanam* lycorides, floræ, Cytherideſque properante gradu confluxerant: omneſque pleno agmine, legionibuſque integris amores, deliciæ, veneres, ad plaudentis Reginæ prætorium conſtrepuere. Occulti paſſim ictus, ubique cæca vulnera, immedicabiles ubique plagæ militibus incautis, ſuaque ſtrenuitate cæcutientibus infligebantur. Et hic & ille mœrebat; & hæc & illa lentis intus ſuſpiriis angebatur: infixa medullis jacula ſtridebant; inurentibuſque flammis ſubtabeſcentes artus contorrebantur. Multi ſane prælectæ dignitatis ingenioque præſtantes viri, qui bonarum diſciplinarum ſtudiis aut curis majoribus diſtinebantur, quos in Genialem caveam cæcique *Cupidinis* theatrum deſcendere, vel ætatis, vel ordinis, aut profeſſionis reverentia par non erat, to-

togam discinxerunt, suisque larvis inumbrati, pauloque sibi licentius indulgentes, in hujuscemodi chorum pedem intulerunt: cum ut *Gallicanæ* Majestatis amplitudinem assidentesque Heroas cunctantius intuerentur, tum ut Saturnalia Bacchanaliaque nostra cæteris permixti liberius celebrarent. His etenim aditus nullo discrimine patebant: cum cæteri procul omnes armatis apparitoribus, & admissionariis arcerentur, nisi quos summo Patriciatu, magnisque facultatibus nota celebritas, aut altiores evectæ militiæ gradus promovissent. Coassatæ areæ compactum limen, instratumque herbido virore vestibulum obsederant Regiæ cohortes: prætorianique milites prælongis asperatisque ferro gæsis confrementem turbam vulgumque præ foribus tumultuantem, telo, voce, vultuque terribiles, longius summovebant. Intus lyræ, cantus, citharæ, intus joci, lusus, deliciæ: fausta, felicia, fortunataque intus omnia hilaritate plausuque consonabant: si modo non perlito melle gladio mortales fallerentur, venenoque permixta dulcis potio deciperet. Lautitiarum nostrarum volutabro projactatus, dilaxatusque suavi amœnitatis nostræ teporario *Ludovicus*, cum urbis inclytæ magnas opes, effusamque splendidæ civitatis quanquam antea tot miseriis involutæ magnificentiam conspicaretur, orbis terrarum specimen floremque *Mediolanum* proclamavit: parique mœrore *Cisalpinæ Transalpinæ*que *Galliæ* jacturam perlaturum professus est. Tunc illi *Jo. Jacobum Trivultium* subdidisse ferunt, caveret ergo sibi nobisque, ac ut cum Republica consultius ageretur, provideret: ut integre casteque Magistratus jus dicerent; ut in medio boni versarentur, ut Senatus pius & sanctus esset; ut molestissima militaris hospitatura tolleretur. Pertusis enim quotidie Regis auribus querelæ civium adstrepebant: nam etsi suo sese milites exhiberent impendio, suaque alimonia pascerentur, fremitus tamen tumultusque barbaricos, parietes intra domesticos notasque sedes suas, cives iniquissime ferebant; nec equorum hinnitus assiduos, agasonicamque stabularis purulentiæ colluviem, necdum exterarum gentium plagas vulneraque perpessi, quibus gravissime deinceps adfecti sunt, tolerare poterant. Itaque de summovendis militaribus hospitiis, civibusque castrensi molestia liberandis tractatum; obtinuissetque pertinax in re perficienda solicitudo, si omnes æque gravati beneficium perseverantius extorsissent. Sed quoniam omnes hoc munere Magistratus exempti, quique *Gallico* ære merebant, tum & Primates urbis, & his adjuncti liberalium Professores disciplinarum immunes erant, cura refrixit, & extincta est. Nec enim dubitandum fuit, magno Regem affectu, miraque populo benevolentia devinctum, hac in re morem nobis fuisse gesturum: si frequens intercessor, & postulator assiduus, hanc ab universa Republica molestiam deprecati fuissent. Sed quoniam negligentius tractata res est, hebetique procuratione relanguit, amplissimo Regis beneficio fraudati sumus. *Ludovicus* interea cum popularium tum militarium negotiorum curis avocatus, urbicæque præsertim intentus solicitudini, Senatum ingreditur: cum ut omnibus sui copiam faceret, tum ut quo Patres examine decernerent, populoque jus dicerent, exactius metiretur. Tunc edoctos instructosque jussu Præsidis advocatos non ignoramus, ut omnes causas triumphales agerent; nec ullam, nisi super dena millia, controversiam perorarent; quod si casu minor incidisset, urnaque leviorem edidisset, tunc ipsi de composito patroni, ne qua in Senatu levia viderentur esse deducta, supplebant; coramque Regia Majestate, omnis prælargo sermonis fluctu buccina redundabat: alii sibi dicendo placebant; alii rursus assentando Regis gratiam

A aucupabantur; ille insistendo acrius venali lingua famam quærebat; pauci clientes anxios respectabant: quoniam pretio frequentius quam amore contenditur, & ad ingenii facundiæque vim ostentandam, potius quam ad oppressum clientem sublevandum, concurrentium acies patronorum confligunt. Rex subinde secretos exploratores per aliquot civium domos, abjectaque despectorum domicilia solicitus amandat, qui Magistratuum, qui Senatus, qui *Gallorum* mores, adamussim indagarentur; quique facta infectaque fideliter referrent: quoniam vir prudens & sagax insolentia Magistratuum, ac jus dicentium iniquitate cor- B rumpi singula, Rempublicam subverti, cunctaque pessum ire callebat. Ipse vero nihil unquam egit intentius, quam ut pacata omnia & tranquilla conquiescerent; ut compressæ civium seditiones, ut intus forisque compositus omnis rerum status esset. Sed perditorum insidiæ laqueique malorum usque adeo tendebantur, ut & Regem alioquin non improvidum fallerent; æstimaretque Rex bonus nullum universa ditione populum appensiori moderamine gubernari. Nam & exploratores corrupti multa dissimulare, prævaricari, subtegere; alia falso perperamque deferre: qui vero pie sancteque pro Republica fuerant animati, ne C graviora eorum incurrerent odia, qui principem in urbe locum obibant, supprimere multa cogebantur. Adeo vir solers & cautus sæpe decipitur, ac nonnunquam bonus venditur imperator. Igitur post transacta peractaque feliciter belli pacisque munera, cum *Veneris* Geniique sacris operatus *Aureliensis* fuisset, reddidissetque meliore pacatos otio *Ligures*, in *Galliarum* ulteriora proficiscitur: nobisque quam longissime remotus, *Blesis* suis itinere fatigatus resedit.

Maximilianus interea ut augustalibus ornamentis prisco more Cæsarum, institutoque majorum insigniretur, in *Italiam* iter parat: auspicandæque D profectionis suæ opportuniora molitur. Indicebat autem aliis commeatum, aliis equestres pedestresque copias imperabat: nonnullos etiam ut ipsimet Cæsari comites essent, in eamque simul expeditionem procingerentur emonebat. Ea vero cum his & illis imperata prodirent in publicum, dura nonnullis visa sunt: ipsique præsertim *Itali* Principes novi discriminis novique periculi rem plenam existimavere. Quippe nonnisi congruo peditatu ac equitatu, validioribusque copiis in *Italiam* descendendum erat: ne qua illi fines exteros peragranti, vel de industria, vel de improviso suborta seditione, vis fieret; aut e diverso ne E instructis pro Cæsare legionibus alii ad arma provocarentur, *Venetiæ Galliæ*que Principes non injuria prætimebant. Itaque cum de adventu ejus voces increbescerent, suscipiendæque expeditionis Reguli minutiores admonerentur, *Veneti Galli*que, quorum finibus imminebat, multa tractare; secum plurima consiliis diversare; pro tempore Cæsari opportuniora rescribere: cumque alia atque alia causando dilata res diu foret, ad exitumque perducenda videretur, *Veneti* formulam itineris armatorumque præscribunt. Qua de re commotus vehementer Cæsar, cum sibi liberum iter patere, suoque pro arbitrio militem conscribere o- F portere contenderet, contra vero *Galli Veneti*que rei suæ prospicientes id nequaquam admitterent, juri fœderum renuntiantes, sese invicem hostilibus discordiis commisere. Proinde cum haud dubie arma moverentur, *Veneti* prudenter omnia circumspectantes, redintegratoque primum cum Rege *Gallorum* fœdere, Cæsaris vires quanquam olim compertas haberent, in præsentia diligentius & exactius emetiti sunt: quot secum Duces, quot copias advehere, quot sociorum auxilia contrahere, quot tormenta cæteraque belli munimina ex-

pedire posset, attentius solicitiusque perscrutati sunt. Interea sui fines imperii, quos maxime suspectos & infirmos scirent, vallo, milite, commeatu præmunire; circumducere fossas, vada deprimere, aggeres surrigere, aquas inducere, mœnia firmare, tutaque futuris hostibus conceptacula funditus amoliri; ad hæc solicite vigilanterque provinciam omnem malis hominibus depurgare, novarum rerum cupidos, aut *Venetam* Rempublicam abhorrentes specie honoris relegare, aut vinculis coërcere; disponere custodias, vigilesque perpetuos opportunis locis ac stationibus excitare: ne qua popularis seditio quietem publicam interturbaret, aut propinquis hostibus discordioso tumultu suo lenocinaretur. His obiter ac sedulo procuratis, valentissimo disciplinæque militaris scientissimo, bellicæ rei summam mandant: ipsi castrorum suorum, quos vulgo Provisores dicunt, qui consilia factaque Ductorum omnia participent, ipsiusque præsertim Imperatoris expendant, deligunt. Hoc etenim antiquitus, vetustisque Principum *Venetorum* moribus receptum est, ut ipsi plura consilio, quam manu bella gerant. Itaque strenuissimos omnique bellico munere exercitos Duces, magnis honorificentissimisque stipendiis conductos habent: qui exercitus ducunt, qui militibus imperant, qui castra movent. Hi tamen non propriis sed alienis auspiciis omnia peragunt: etenim congredi, pugnare, receptui canere, Provisoribus inconsultis aut retractantibus, fas non est; & capite frequenter animadversum est in hos, qui negligentius mandata Legatorum observantes arbitrio suo rem gesserunt. Ætate quoque nostra, *Mantuano* Principi, quod parum audita vel contempta Legatorum auctoritate, contra *Gallum* agro *Parmensi* conflixisset, objectatum est. Quo facto *Venetias* accitus, cum suam ex fide causam diceret, omnemque dilueret ex animi sui sinceritate malitiam, nonnullo quanquam discrimine laboraverit, dimissus est, & ut multi crediderunt, veniam meruit, quod non inique vir ferox in acie versatus erat; omnemque culpam simplicitas redimebat, ipsaque non dolo sed casu magis temerata fides deprecabatur. Ergo Veneti *Nicolao Petiliano*, integræ fidei viro, principaliumque mandatorum exactissimo cultori, plurimum semper credidere: præsenti quoque periculo, castrorum curam suorum, bellicæque rei summam ingentem, quod præsagaci vir ingenio cunctabundoque omnia ad præscriptum ageret, quodque semper illæsam in eo viro fidem esse cognoverant, tribuere. *Ludovicus* quoque *Gallorum* Rex, *Joannem Jacobum Trivultium* omni bellica virtute præstantem, omnique castrensi scientia præditum, cujus fidem peritiamque superioribus bellis, multoque antea discrimine probaverat, delectui militum habendo præfecit: ac validas equitum peditumque cohortes omnemque exercitum industriæ ejus prudentiæque commendat: qui regionibus actutum exploratis, omnibusque locorum evestigatis tramitibus, qui pergenti viam iterque planius insternerent, suas in *Venetiam* copias traduxit; extremosque fines ac præcipue *Tridentinos*, tum omnes longo circumtractu præjacentes saltus, hinc *Trivultius*, illinc *Petilianus* instructis copiis ad proruentium impetus *Germanorum* excipiendos occupavere; suggressique propius, montium fauces angustaque viarum oppositis turmis arctius obsedere. *Maximilianus* interea, cum longe arduam multoque difficilem, quam putarat, provinciam, *Veneto* præsertim *Galloque* reluctantibus, animadverteret, cumque susceptum munus intermittere durum, prosequi vero durius arbitraretur, *Constantiæ*, Proceres summosque Heroas *Germanorum*, in Concilium evocat, accersitosque, cum magni pensi res tractaretur, ut omnes quid sentirent, fierique vellent, eloquerentur, in Senatum venire jubet. Quibus frequenti consessu audientibus, cum præstituta concioni dies placuisset, in hæc verba locutus est:

Si sola Cæsaris æstimatio in discrimen verteretur, meique sola nominis jactura fieret, quanquam id sane graviter jureque meo permoleste ferrem, nunquam vos tamen longinquis regionibus excitos, nonnulla cum inclementis cœli, tum itineris difficultate properantes, in Senatum advocavissem: placidæ quietis, meliorisque otii laxamenta feriantibus vobis plena cum animorum tranquillitate vestrorum impartirer. Est enim boni Principis privatorum commodis consulere: eaque redimere, si possit, quæ minus reliquos sint adflictura. Verum cum non privata sed communis & publica nobis omnibus clades invehatur, suisque nubibus ac tenebris Romani *fulgorem obducat atque denigret imperii, nec his ego solus malis occurrere, aut solus remediis opitulari possim, provocor importune, cogorque, velim nolim, abdita consiliorum reique dilatentis seriem aperire: ut diligentes & providi, futuraque præsentibus conjicientes, quid agendum sit nobis, in medium bonique consulatis. Non vos fugit, Amplissimi Proceres, idque etiam nos certo scimus, & meminisse libet, suffragiis olim beneficiisque vestris,* Federico *patre meo vivente, vos summi culminis hujus apicem mihi contulisse: vestroque consensu gravissimo & maximo, vestraque in me propensiori voluntate,* Maximilianum *orbis terrarum Imperatorem declaratum. Egi quidem, ut potui debuique, olim, & præsens ago habeoque gratias, & semper habebo pro tantis vestris meritis immortales; egregiumque tanti fastigii munus suoque decore speciosum, vestra omnium concordi in me collatum voluntate, sempiterna grati animi mei memoria recensebo. Delectum præoptatumque manu vestra, vestrisque punctis Cæsarem designatum, post adeptam ferri durissimam, argentique purioris coronam, qui potestatem* Christi *vicariam agit in terris Pontifex Summus, suis insignibus traditis consecrare, sanctisque jam pridem moribus receptis inaugurare consuevit Imperio. Accingebar expeditioni, sedatisque bellorum turbinibus, post* Francica, Eburonica, Sicambrica, Batavica, Morinica, *aliaque protinus difficiliora, quæ nos per tot annos exercuerunt,* Helvetica *denique durissima & maxima, quibus dextro Marte exhaustis pacatam jubente Deo provinciam reddidimus,* Romam *iter capessiturus auspicabar: honestumque mihi, congruumque profectioni ineundæ, susceptoque itineri exsequendo viaticum, cum proprio tum subsidiario milite comparabam: multa* Germanicis, *aliqua* Gallicis, *nonnulla etiam* Italicis *Principibus indicebam: quæ legitimo* Romanum *ad obsequium jure debentur. Nulla nos* Germanorum *Procerum fefellit opinio; nulla nobis est* Germanica *sinceritate subnexa fraus: circumstant animis omnes opibusque parati, in quascunque velim mecum deducere terras. Diis placeat, gratumque sit, quod* Germanicæ *puritatis candor, quod innoxiæ vestræ mentis integritas exteris nationibus optimum recolendæ fidei præstat exemplum. Si vos, reliqui qui religione nostra censentur, quique sub* Christi *vexillo merent, imitarentur, si innocentiam fidemque vestram observarent, qui se velut antesignanos Dei cultores ostentant ac profitentur, intempestivo accitu hanc in concionem non advocaremini: nec his ego molestiis fatigatus adfligerer, aut coram vobis sugillatam* Romani *Imperii Majestatem nonnullorum improbitate vehementius expostularem. Eloquar, an sileam? scitissime poëta dixit:* semper vir bonus tyro est: *quoniam aliorum innocentiam ex propria metitur, nec decipi timet, qui prius alium nunquam ipse decepit. Hic etenim jure fallitur, qui alium ante fefellit: at qui in alium bonus est, jure beneficium pro beneficio sperat; maleficium vero pro beneficio certe non timet, iniquamque meritorum relationem omnino contemnit. Sed imponitur sin-*

sinceritati, deluditur innocentia, solaque semper bonitas malorum fraudibus obnoxia est, & per versutorum salebras cæcaque callidorum machinamenta vexatur, & trahitur. Gallorum ego Regem Ludovicum aliquando beneficiis affeci: promeruique Virum ingentibus commodis, majora etiam collaturus, si meæ erga illum voluntati fortuna largior indulsisset. Quippe Mauri Sfortiæ desperatis rebus, cum illius in regnum restituendi spes omnis intercidisset, frustraque paternæ sedis amissæ domicilium præsidio destitui filii ejus meique nepotes Hercules & Franciscus lamentarentur & gemerent, ne juris iniqui legisque perversæ reus convincerer, subsignata diplomata, quibus abdicatum utiliter Mediolanense largiebar imperium, tradidi: parem aliquando gratiam etsi ipsius ingratitudine non suscepturus, attamen collatorum jure beneficiorum expectaturus. Et quoniam diversos fluxæ gentis mores callebam, nec lubrica mihi prorsus fides erat incognita, qua sane potui cautione mihi tutelaque prospexi, constrictamque verborum vinculis legem in album contuli: ut mihi scilicet Romam proficiscenti suis auxiliis præsto foret. Uberrime largissimeque nobis assensus est, & deflagitantis vota cumulavit: sed omnes infirmi sunt & fragiles membranarum nodi, contraque ferrum prænituntur in cassum pergamenæ. Stipulatio, juramentum, fidejussio, omniaque Jurisconsultorum solennia brevi distortæ mentis cavillo resolvuntur, tenuique saliva mendaciorum diffluunt. Nulla est iniquam adversus mentem æquitas, nec contra duplicem animum ancipitemque linguam tuta securitas. Tergiversantibus nunquam ansulæ desunt, nec abdita prævaricantibus periptera. Stant inflexis arpagonibus, & incurvis unguibus hærent, donec pacis contextam tenuioribus liciis telam prosciderint atque discerpserint. Ecce quam argute Ludovicus cavillatur, numquid ego tibi præsidium, inquit, indistincte pactus sum? aut tibi commeatum auxiliaresque copias simpliciter obtuli? nequaquam. Relegantur dictata pactorum; ad numeros verba perpendantur; & si in obscuro sit sermonis ambiguitas, discutiamus de jure, & appenso examine cuncta trutinemus. Cum in Italiam veneris præsto sim: nulla mora commissa est. Nondum enim, inquit, in Italiam venisti: & tamen ne veniam resistit, totoque conatu suo reluctatur. O mira sophismata! O inextricabiles argutiæ! O perplexum subtiliter argüentis dilemma! atque non alaudas legionesque suas in nos transmisisse, ut pacto resiliat, sed ut fœderi stetur exercitum traduxisse contendit. Nec enim salva societatis lege potest indefensum Venetum relinquere: cum & pari contractæ societatis vinculo non possit Venetus Regem non tutari. Conscripta sunt omnia: jure cogente deducunt exercitum: non ut nobis obsistant, sed ut ex lege assistat alter alteri; mutuisque sese præsidiis juvent. Quod si protinus in nos tela torqueantur, non ipse propterea Ludovicus injuriarum læseque pactionis reus est: quoniam quæ principaliter aguntur, non quæ ex occasione vel in consequentias veniunt, prudentia juris admittit. Ecquam subtilis acutique doctoris præcincta disputatio: a castrensi ad legalem disciplinam subdola transitione deflexit, ut a togata rursus ad armatam infideliore postliminio reflectat. Adeo quidem foro scenæque servit, suoque pro commodo causam perorat, ut eundem nunquam nobis animum præstet & vultum. Sed hanc facile culpam ignoscamus Aureliensi parum amico, & qui fortunæ sibi plaudentis hilaritate nobis frequenter illusit: stomachamur indignius & turbatiore supercilio in Venetos ardentius concitamur. Nam quos ad legitimæ voluntatis obsequium promptos expeditosque putabam, hi mihi sane sunt adversiores, meæque prævertendæ expeditionis soliciti. Hi siquidem intus & extra, hi domi forisque, hi nostris sub pellibus, sub Aquilis nostroque prætorio versantur: hi consilia Cæsaris omnia penetrant & expendunt, abdita divestigant & perrimantur, ambigua discutiunt, omnia

A denique quam cuique sua nota domus innumerato habent; quid agat, quid cogitet, quid moliatur Cæsar explorant; speculatores, nuntios, visores, amandant, emittunt, ablegant; nihil intentatum, nihil inexpertum, ad suam suæque Reipublicæ salutem relinquunt. Et hi quidem ita fœdere Gallis astringuntur, ut nec Germanos nec Cæsarem hostes velint: & tamen omnia circumquaque percingunt validis cohortibus armatorum: non ut iter meum intercidant, nec procinctu nostro nos avocent, sed ut mihi viam iterque susceptum expediant, prolatent, consternant. Non me septis Italicis tam exclusisse volunt quam inclusisse lætantur; non tam præhonestasse militari me B corona gaudent, quam sua circumdatum custodia præclusisse discupiunt: ut Imperatorem agant, ego militem; ipsi edicant, ego facessam; ipsi jubeant & mandent, ego obsequar & obtemperem; aut summissis Aquilis captivus serviam. Viri ædepol aliorum imprudentia prudentes, indiligentiaque cæterorum diligentissimi: & qui suam ad incolumitatem aliorum ægritudines contrahant, suamque saniem in aliorum ulcera repurgent. Si ab Alpibus ad Oceanum, a Rheno ad Tanaim, quam longe lateque patent, Germaniæ perdantur, & his adjunctæ Pannoniæ Thraciæque ruant, modo Marcica sospes salvaque res sit, ne quidem manum verterint: nec flocci quidem ullius fecerint, si C discordia confusis finibus suis elementa confligant; si nationes hiatu terræ sorbeantur, aut diluvio cuncta natent, modo sui terminos imperii propagare, vel propagatos custodire possint. Et hi plane sunt Veneti, quorum publico præconio voces olim ebuccinatæ, hæc in verba nobis auribusque vestris insonuerunt:

„ Sed hæc translatitia sunt; hæc communia „ sunt omnibus: illæ peculiares Veneto causæ, „ quod neque gens est ulla, neque natio, absit „ verbo invidia, cujus vel plura vel majora & „ in Christianam Rempublicam, cujus vos caput „ estis, & in Romanum Imperium argumenta be-„ nevolentiæ, fidei, pietatis appareant. Non au-D „ derem ista profiteri, Cæsar optime, nisi & vera „ esse constaret, & tu vera libenter audires: alio-„ quin sciebam scelus esse coram te parum certa „ dicere, nedum falsa. Sunt & illa nobis pro-„ pria, Maximiliane Rex fortissime, quod cla-„ rissimum nomen Austriæ familiæ, qua nulla „ fuit unquam Regum Imperatorumque fœcun-„ dior, religiosum ac venerabile semper habui-„ mus: quod Federico Patri tuo Principi salaber-„ rimo, quæcunque se res tulerunt, enixe studui-„ mus; quibuscunque eum locis atque temporibus „ singulari significatione voluntatis & observan-„ tiæ prosecuti sumus; quod ipsum te semper E „ a teneris unguiculis, inductione quadam animi „ occulta impensissime coluimus; auctoritati tuæ „ favimus, auctoritatem, quantum vires fuere, „ defendimus. Jam qui Principibus Lusitaniæ no-„ bilissimis atque fortissimis, unde maternum ti-„ bi genus est, qui socero tuo Carolo Duci ge-„ nerosissimo, qui Philippo ejus patri sapientissi-„ mo Principi, chariores unquam fuere quam Ve-„ neti? tot modis copulati cum sublimitate ve-„ stra sumus, tam multiplici nexu devincti, ut „ qui hæc non videt, nihil omnino videat: qui „ plus desiderat, nihil omnino desideret. Gratu-„ latur ergo prorsus in Vobis Sibi, & in Se Vobis F „ Senatus & universa Civitas nostra, non quan-„ tum cæteri fecere, sed quantum nulli: nec quan-„ tum dici vel excogitari potest, sed quantum „ dici nec excogitari fas est. Et quoniam ambo „ vos Celeberrimi Principes, hinc pater, inde fi-„ lius, ita mutuo crevistis, ut neque tu major, „ neque tu felicior esse possis, reliquum est, ut „ Deum Optimum Maximum, conditorem hu-„ jus & servatorem imperii, publica voce con-„ precer & obtester, ut quando rem Romanam „ Principum duorum hujus maturitate senioris,

,, illius virtute juvenis florentiſſimam eſſe voluit,
,, beneficio ſuo faveat: pietatemque ſuam & volu-
,, ptatem conſervandi per optimos Principes ge-
,, neris ſanciat & perpetuam eſſe velit; poſtremo
,, ut Illuſtriſſimum Ducem noſtrum, inclytamque
,, Rempublicam incolumitatis & gloriæ veſtræ
,, cupidiſſimam, quæ te ſemper, Cæſar, & Patrem
,, & Principem *Chriſtianæ* Religionis agnovit,
,, coluit, & ſuſpexit, ſacroſanctæ Majeſtati tuæ,
,, quanta maxima poſſumus veneratione, reli-
,, gione, devotione commendemus; opes noſtras
,, omnes atque vires, ad ornamentum & incre-
,, mentum Imperii, dignitatem & amplificatio-
,, nem ſacratiſſimi Nominis veſtri, promptas,
,, expoſitas & dicatas, eſſe doceamus.

Hæc ille: videamus igitur, ampliſſimi Proceres, breviterque diſcutiamus, quam congrue facta dictis exæquatæ ſint. Nulla, *inquit*, natio, nulla gens eſt in terris, cujus plura vel majora pietatis & fidei Romanum in Imperium appareant argumenta. *Mirum plane, ſi tot extant, quot quantaque prædicat argumenta benevolentiæ, cur non etiam, præniteant atque reſplendeant, bonus orator dixerit: ſed invidioſum erat atque ſuperbum (puto) dicere, præniteant atque reſplendeant: propterea remiſſioris verbi modeſtia caſtigavit arrogantiam atque coërcuit. Sed cur ea (quæſo) modeſte temperanterque non enumerat? ne delicatis forſitan auribus veſtris, aut multiplici pondere negotiorum oppreſſis, faſtidium ingereret: at cur ex tanto beneficiorum acervo cumuloque meritorum, quæ circumſpectiſſimus concionator apparere profeſſus eſt, aliqua non decerpſit, prænotavit, ſignavit? ne ſcilicet exprobrare beneficium videretur. Cur ergo plura majoraque verborum involucro, unaque ſermonis congerie nobis infulcit & objectat, qui vel unum referre neſcientibus erubeſcit? Proh Juppiter, quam veſculi fragileſque ſunt verborum pampini! Quam inanes fluvidique rethorum colores! Quam futilia vanaque ſunt oratorum umbracula! Quoniam, quod præſtaret, bonus orator non habebat: ne manifeſtarii delirii convinceretur, ab aperto claroque ad obſcurum velatumque ſuffugit, & quod in ſpecie proferre non poterat, profudit in genere: ut quemadmodum pretioſæ merces carioreſque illæ eſſe putantur, quæ tegumentis advelatæ latent, quam quæ oculis ſubjectæ prorſus evileſcunt, ita ſermonis ſui perplexitate magis æſtimarentur, quam verbis explicita licere poſſent. Verum quoniam mens dicentis anxia ſolicitaque quos in ſcopulos incidiſſet præſentiebat, brevi gyro circumacta ſublabitur: & a* Romana *majeſtate in familiam* Auſtriam *veluti quibuſdam præſtigiis ablata tranſilit; quam pari ſucco verborum elanguentem refocillat, parique dolentem emplaſtro ſublenit. Religioſum ac venerabile familiæ noſtræ nomen* Venetos *ſemper habuiſſe, facundus erator declamat:* Federicum *patrem enixæ voluntatis ſtudio complexatos, ipſumque me a teneris (ut ajunt) unguiculis, occulta quadam animi inductione coluiſſe, auctoritati faviſſe, amplitudinem defendiſſe teſtatur. Dii boni, quam ægre patimur & indigne ferimus pro pane nobis lapidem injici, pro oliva gladium porrigi, proque melle nobis venenum propinari. Nota ſunt omnia, promulgata ſunt omnia, omnia ſuæ in me voluntatis ſtudia ſatis inclaruerunt: ut non locupletiore quam ipſius dicentis teſtimonio comprobentur, qui* Maximilianum *a* Venetis *occulta animi inductione cultum profeſſus eſt. Cultus eſt igitur, ſed adeo occulte, ut nulla eorum in me officia proferri aut recenſeri poſſint. At* Carolo, Philippo*que ſocero, proſoceroque meo, nulli unquam chariores fuere quam* Veneti. *Chari quidem his Principibus Viris innata ſua humanitate ſuaque genuina lenitate* Veneti *fuerunt: at non vice verſa* Venetis *illi, qui nullos unquam præ amore ſuæ Reipublicæ charos habuere. Et tamen precationum vela dilaxare, ſuæque ſinus orationis expandere, in hoc difficultatum pelago differentis eloquentia præſumpſit; obteſtationeque multa Dei Optimi Maximi aures onerare, commendareque illi Principem* Venetum, *ſuamque inclytam Rempublicam incolumitatis gloriæque noſtræ cupidiſſimam uſurpavit: ut opes ſuas omnes vireſque, ad ornamentum & incrementum imperii, & ad dignitatem & amplitudinem nominis noſtri expoſitas & dicatas eſſe docerent. Ecce Juppiter, ecce Dii boni, quam ſuas omnes opes ad noſtri nominis dignitatem amplitudinemque tuendam oſtentant & proferunt. Ecce Proceres ornatiſſimi, auguſtique Heroës, quam ad incrementum & ornamentum imperii, veſtræque majeſtatis vires contrahunt, robora firmant, nervos intendunt. Ecce, Dique Deæque omnes ſtudium, quibus icta tueri fœdera, velatamque fidem, quam expediti Principes* Veneti *nobis favent, quam eorum ſancta Reſpublica veſtrum in patrocinium* Romani*que Imperii gloriam, ac veſtri culminis extollendam ſublimitatem excitatur, commovetur, inſurgit! æſtu bellico Martiſque furore ſtrepitant omnia: tremunt* Alpes, *colles reſultant; prærupta circum omnia* Venetico *ferro rigent; concava vallium, aſpera montium, ſtrata viarum, hoſtilibus turmis in vos veſtramque perniciem fervent, tumultuantur, inhorrent: illi, quos videtis, in vos milites tela tenent; illa, quæ vos cernitis, mortem vobis arma minantur; illa tormentorum tonitrua, illi præfurentes vagique caſtrorum fremitus in vos conſonant, detorquentur, irrumpunt; adventitii conductitiique milites in* Germaniam *conſcripti ſunt, quotidieque conſcribuntur; auxiliares turmæ, prætoriæque cohortes in vos vndique conglobatim advocantur & coëunt; in vos* Galli, Inſubres, *in vos* Ciſalpini Tranſalpini*que omnes, in vos* Veneti, Ligures, *& horum impulſu commota in vos omnis conjurat* Italia. *Qua mente in hos ipſos (rogo) eſſe poteſtis? Quo tandem animo iſta patiemini? Vos ſtrenuiſſimi omnium ductorumque fortiſſimi, vos nativo robore veſtro, vos ingenitis viribus veſtris formidoloſi duriſſimique populorum, priſcum illum animi vigorem, veſtram illam virtutem Martiam, invictamque vim corporis indomiti colligite, concutite, depromite. Vos viros eſſe ſentiant, qui ludificantur, manus veſtras formident, qui vobis inſultant; veſtros impetus experiantur, qui figuratis orationibus repetitoque de ſcholis rhetorum artificio vobis ſupplaudunt, acclamitant, aſſentantur. Ipſi periodos & enthymemata confingant & librent, ipſi ſophiſmata ſuaſque meditentur argutias, atque exporrecto trutinentur verba labello: vos more veſtro arma induite; vos tutum ferro latus veſtrum præcingite; hoſtem impetite, petitum ſuperate. Vos terribiles ſemper & invicti, vos* Romana *illa fatalique Deorum gente triumphati potius quam victi* Veneto *doctrinis ſuis armato cedetis? literato milite, diſciplinarumque ſuarum telis accincto propulſabimini? vos elumbem* Gallum, *vanum* Ligurem, *delicatum* Inſubrem, *omneſque Venere, Baccho, luxuque ſuo præpotentes & invalidos fugietis? vos* Italiæ *vaſtitas,* Romani *nominis clades, totius* Europæ *terror, vobis relictam a majoribus laudem tot doctiſſimorum præconiis celebratam, & horum ipſorum ardentis eloquentiæ facibus illuſtratam, vobis imbelli fluxaque gente ſubductam patiemini? Macti animo majores veſtri virtute ſua* Romanos *identidem fatigaverunt; eorum ſæpe legiones ad igniferum deleverunt;* Romam *ipſam Martis domicilium, invaſerunt, diripuerunt, incenderunt; ipſi vobis titulos dignitateſque ſuo æſtu ac ſudore paraverunt: vos illorum parta laboribus, ignavia deſidiaque veſtra regraduti, degeneres, infirmi, deformiter ac turpiter amittetis? non hæc quidem ingenio roboreque veſtro diſſimulanda ſunt, nec veſtra virtute toleranda: gravius eſt, præjudiciique majoris* Germaniam *dignitate ſua privari quam Cæſarem. Levis eſt enim in uno homine jactura, unoque prærogativa in viro amiſſa tolerabilis: at univerſam nationem gentemque fortiſſimam introverti decore ſuo, ſuis ornamentis ſpoliari,*

ſua

sua laude dejici, majoris infamiæ est, scelerisque turpissimi. Si mea tantum causa, vel nostra potius agetur, si nostræ solius laudis & gloriæ ratio in discrimen verteretur, parcerem vobis, nec molestus essem: sed nepotum posteriorumque vestrorum, quos insontes & innoxios jure suo fraudatis, dispendia ventilantur; horum despecta conditio, his inflicta torpore vestro jactura, me movet, provocat, adigit: exsurgite igitur, vestramque rem liberorumque vestrorum mecum capessite; relicta vobis defendite, defensaque posteris conservate; ac Imperatoris arbitrium deligendi, suisque deinceps insignibus adornandi facultatem, qua resistente Veneto, *Galloque superbius reluctante spoliamini, asserite, vendicate, adsciscite:*

Hæc pleno cum auscultatium favore Cæsar perorasset, vagaque subselliis murmura toto mussitantium assensu, crebrisque plausibus adstrepuissent, in *Venetum Gallum*que percitis ira animis & indignatione sævientibus infremuere: omnesque tunc copias opesque suas ad propulsandam communem injuriam, publicique dedecoris eluendam labem in medium contulerunt. Hic peditem hic equitem, ille pecuniariam, alius frumentariam rem, frequenti supputatione, repetitisque calculis explicabat: nonnulli jumenta, carros, tormenta, alii funalia, fabros, instrumenta, largumque super omnia commeatum procurabant. Fervebant omnia calore dispondentium, præferentiumque diversa: ac velut sub hasta coronaque licitantis auctio supra modum inflabat. Alii proprio redundantis stomachi fastidio doloreque liventes, in hostem *Gallum Venetum*que furebant: alii Cæsaris Procerumque suorum reverentia dissentes aliter quam sentirent, alternantesque pro tempore, concionabantur. Plurimi paucorum sententias secuti, supergressique vires suas, ne communi bono viderentur adversari, plura quam vellent, his æstuantium procellis sententiarum offerebant. Sic etenim magnis plerumque concionibus advocatis, sub ipsorum ora disceptantium, in ipsoque suffragiorum æstu, fieri solet, ut ventosi pollicitationum folles, inanesque manticæ prolaxentur; omniaque ad manum prompta, eo comitiorum pelago fluctuante præsto sint: solutis vero concionibus, & in diversa migrantibus factionum primariis, omnia contepescunt; superfusaque negligentiæ & torporis aqua, cuncta refrigent; & qui prius magnifice spoponderant, intrepideque vadati fuerant, brevi temporis intercursu, velut foro cedentes mensularii penitus illanguescunt. Igitur adstipulantium tot suorum assensu Procerum Cæsar, cum in *Italos* concitata fere tota jactatarum conflictu querelarum *Germania* rebulliret, bene feliciterque gerendæ rei magnam in spem erectus, suorumque præsentibus auxiliis sublevatus, quæ in hostem conflata tumescebant, promovit exercitum. Et primum belli quidem impetum ingrassantesque *Germanorum* copias *Cadubrium* excepit: cujus alacritate potiundi, coaugendæque rei suæ cupidate Cæsar illectus, cum oppidanos inani deditione prætentasset, post effusam omnis agri vastitiem, finitimorumque populatus indiscretos vicorum, oppido copias admovet: milite præcinctum expugnat, expugnatumque crudeliter diripit. Elati favente victoria, magnoque successu *Martis* exultantes barbari progrediuntur: graviusque gliscente victoria bellum in dies cient: omnesque terrore novo novaque formidine captos accolas atque finitimos, vel deditione vel pugna subigunt; aut incitatissimis excursionibus in diversa profugos agitant. *Veneti*, quorum periculo res agebatur, & qui incendio propiores erant, quique lacessiti magis quam lacessentes tela sua semper expediunt, *Bartholomæum Livianum*, virum præferocem &

A strenuum, eam in provinciam deligunt: *Georgio Cornelio* viro ornatissimo, Legatum agente. His ut impigro vegetoque corpore totus in prælium ardens ferebatur, cum ad rem gerendam paratas instructasque copias dispofuisset, occurrit: commixtoque agmine, manuque conserta ferocissime depugnat. Constiterant robore suo validi, suaque victoria prætumentes barbari, in adversum hostem præcipites agebantur: e regione, ferox impatiensque moræ, *Livianus* in prælium ruebat. Utrinque collati pedes, utrinque conserta tela, & utrinque commixta manu certamine magno dimicatum. Assueti bello *Germani* fugæque nescii,

B quos parta recens victoria vehementius incendebat, infracto agmine, invictis animis, infesso robore *Venetum* urgebant: contra, Duce suo *Leoninus* miles animatus acerrime, quem & *Liviani* præsentia Ductoris, vigorque suus nativis stimulis inurebat, hostem imprimere, ferrum adigere, solo consternere; nihil ignaviæ, nec imbecillitati dare; nihil censura severiore castigandum admittere. Conflixerant aliquot horis & utrinque acies dubio *Marte* constiterant, cum indomitus & ferox *Livianus* ægerrime ferens, quod hujusce belli tyrocinia æquo Marte auspicaretur, suos paucis hortatus, ut se viros præstarent, ut ipsum se-

C querentur, ut generosam mortem, illustremque secum victoriam obirent, admisso confestim equo in confertissimas hostium acies incurrit: quem & calcaribus adactis equis omnes secuti turmatim in bellum provolant; tantaque virium & animorum contentione permiscentur, ut condensatos hostiles globos irrumperent atque diducerent. Tunc *Livianus* telo, voce, vultu terribilis, suaque omnium atrocitate præliatorum asperrimus, feriendo, sternendo, trudendo hostem superat, percellit, dissipat. Tantaque hujus unius viri fortitudo visque fuit, ut cum ingruentis impetum, subsecutique mox bellatoris sui pressuram consti-

D patæ *Germanorum* phalanges non sustinerent, nec in fugam verterentur, ad unum omnes fœde crudeliterque cæsi milites fuerint. Potitus in acie victoria *Livianus* ut adludentem fortunam arctius complexaretur, properantique viam insterneret, suis cum copiis *Cadubrium* proficiscitur: circumsessumque statim deditione capit. Recepto feliciter magnoque præprosperi Martis successu Cadubrio, *Livianus* exercitum, *Cornelio* Legato non abnuente, in ulteriora promovet: oppidaque Cæsaris nonnulla ut obvia progredienti fuerant, *Veneto* subigit; magnisque quotidie cladibus, magnisque rem *Germanicam* dispendiis po-

E pulando vastandoque conflictat; *Goritiam* parvo tempore feliciter expugnatam asserit; *Tergeste* pari Martis jactura pressum domat; tum vicos pagosque omnes, suis longe lateque dispalantibus copiis, impetit, infestat, capit. Quæ dum hic secundis a *Liviano* præliis dextroque Marte peraguntur, diversa regione Cæsar in *Italiam* iter justo cum exercitu prætentat: sensimque per *Tridentinas* fauces, angustasque locorum semitas progressus, qua planior in *Venetorum Italiæ*que fines via dirigitur, maturat. Expedita omnia ad superandos montes, implexosque sentibus colles evincendos, erant: levis armatura, nec impedimen-

F tis gens onerata; tum præruptis assueta montium jugis, ac transcendendis per invia rupibus, instituta civilis agrestisque militia. Ad hæc ipse Cæsar copiarum ductor, venando bellandoque semper exercitus, ardua difficiliaque cuncta locorum itinerumque peræquabat; præclusasque cum milite tum natura vias magna ope moliebatur: contra, *Venetæ* Magister Ductorque militiæ *Nicolaus Petilianus*, *Zacharia Contareno* Legatum agente, exercitusque Gallicani *Jo. Jacobus Trivultius* Imperator, quibus imminentis belli cura præcipua,

conservandorumque castrorum incumbebat, explorare, providere, adesse: hosticos conatus frustrari, cunctaque retexere, quæ Cæsar ejusque Proceres ad susceptum iter exequendum contexerent. Levibus sæpe præliis ancipitique Marte decertatum est: & hinc & inde tormentulis missilibusque frequenter hostes summoti, ac promiscua communique jactura confligentes desiderati. Nonnunquam opportuna *Germanus* occupabat: occupataque rursus *Italo* repetente turpiter deserebat. Assultus erant, & incursiones assiduæ, atque hinc inde tumultus frequentes agitabantur. Aliqui licentius divagantes extra aciem extraque ordinem pulsantes pulsatique conciderunt. Sic alter in alterius cædem ac perniciem intenti, fatigare hostem, assidueque vexatum delassare: trahere diem, emergentibusque bellorum sumptibus infinitis proprias quisque vires atterere. Hæc dum pigro Marte *Tridentinis* saltibus irrigescunt, *Livianus*que finibus aliis suo furore præceps victor cuncta proturbat, variique castrorum motus alio atque alio eventu suis semper rumoribus lasciviente fama quotidie nuntiantur, *Mediolani* novis gaudiis novisque lætitiis exultare hominum mentes popularesque auræ suis incertis flatibus commoveri surrigique res in novas cœperunt. Etenim præter inconditæ plebis simplicitatem, quæ *Mauritanæ* jam pridem extinctæ rei suscitandæ spe certissima ducebatur, Nobilium Patriciorumque plurimi *Sfortianarum* partium asseclæ, persuasissimum habuerunt, *Maximiliano* nihil altius insedisse quam perlapsam gentem *Sfortiam* restituere; *Herculem* atque *Franciscum* extorres, in patriam revocatos avito solo reponere; *Lilina* signa disjicere; *Sfortiaca* tueri; invisum potentia sua *Gallum* Aquilisque semper adversantem propulsare. Crebra ergo hominum conciliabula, crebrique conventus in triviis, in foro cogi: felices hominum conventus ubique prædicari, qui dura sustentavissent, qui propinquos bellorum exitus præstolarentur, qui propediem suum Cæsarem viderent; tum alia atque alia comminiscendo fingendoque invicem jactitare: nunc *Alpes* transiliisse, in plana descendisse, jam tuta tenere; rursus milites nostros retrocessisse, *Marcicas Aurelienses*que copias, dum ingruentis *Germaniæ* pressuram validiorem non sustinent, cæsas fugatasque signa reliquisse: atque per hujuscemodi nugamenta levium hominum, insulsioresque fabulas vana futilique conceptas opinione, spes suas omnes, homines deliri blandius fovebant: miroque adventantis in diem Cæsaris studio, miraque pervisendi Viri illius expectatione suspendebantur: mirum fuit, ac prope recolentibus incredibile, multis intercurrentibus annis obliteratam, ac publicorum spectaculorum ferculis sopitam *Mauritani* nominis memoriam, tanto ardore, tantoque vulgi perflagrantis incendio, reviviscere subito ac reaccendi una leviusculæ opinionis scintilla potuisse. Fuere his diebus oppressæ tanto stupore, crassiores nonnullæ hominum mentes, cæcaque cupidine captæ, sive rerum novarum, sive magno suum in Principem affectu, ut post vulgata *Ludovici Ascanii*que funera sepulchroque conditum utriusque cadaver, cum jam anni plures interfluxissent, *Ascanium* Florentiæ degentem, inibique visum stulta quadam & puerili persuasione crederent: vociferarenturque suborto ingenti bello, magna molientem in *Cispadanos* ac *Lambranos* populos proficisci. Sive hæc casu, ut plerumque multa jure suo fama confingit; sive de industria viri prudentes ad subsannandam turbæ vulgaris insaniam, stultamque spem hoc ridendæ vanitatis ludibrio sustollendam, hæc commenti fuerint: efficacissima sane vulgi patriciorumque nonnullorum ea tempestate suum in Principem studia præluxere: adeo quidem ut cum initæ pacis tractatus concrebescerent, initaque cum Cæsare fœdera vulgarentur, ea subreptitia fallaque plures animo ducerent, donec ita res inclaruit, & ad liquidum perducta est, ut nonnisi magno lymphatæ mentis errore, resupinaque vecordis & furentis insania refelleretur. Interea Cæsar cum adversam reluctantemque fortunam, ac votis suis omnibus resistentem intueretur, nec invitis & aversis equis congredi posse speraret, induciarum remedia molliter attractanda putavit. Jam multos in cassum *Tridentinis* rupibus absumptos dies, nullamque bellicam navasse operam, nec egregium facinus compatratum videt, quo peroptatum ad finem, perducturum rem opinaretur, aut voti sui compos fieri posse existimaret; præterea, *Livianum* innato furore suo percitum, lateque vagantem multa subegisse, pluraque in dies subigere, graviter ferebat: ac, magnam sui nominis æstimationem ingenti cum jactura dilapsam, indignabatur. Ad hæc instans brumalis hora, cœlique rigentioris asperitas rem bellicam interpellabat: ut nonnisi difficulter ægreque sub pellibus & in castris miles versaretur. Et jam multi sive laxioris moræ tædio, dieique semper in irritum fluentis molestia, nullo commeatu, sed sponte sua castris excesserant: quod secuti mox alii, dehinc alii, cum rem ex voto confici posse diffiderent, sive naturali desiderio otium appetentes, Aquilas magno Cæsaris cum stomacho relinquebant. Itaque subsidiaria nudatus militia Cæsar, cum in dies bellorum nervi remitterentur, omniaque semper in pejus verterent, intercedentibus induciis bellum suspendere, ferireque mox fœdus quanquam manibus invitis cum *Veneto Gallo*que cogitur. Ergo *Zacharia Contareno* rem omnem appensius, suoque de more diligentius emetiente, cuncta Senatu *Veneto* participante, cum Cæsar pacem abnueret, quoniam amissa recuperaturum, cum fortuna vertisset, sperabat, triennales inducias paciscuntur: bellique vacantis ferias in proximos tres annos extendunt. Hoc fœdere, quod in oppido *Rippa* suos per Legatos Cæsar *Venetus*que sanxerunt, amissa bello *Maximilianum* relaxasse, cum *Veneti* non aliter assensuri fuissent nec contracturi, constans fama fuit: ipsumque non parvo rei suæ detrimento transegisse, plurimi consenserunt. *Nicolaus* certe *Baselius*, Germanicarum rerum scriptor recentissimus, ista dissimulat: ac quodam suspendentis exitus ambiguo, suspensa omnia & imperfecta sublabitur. Etenim non sine magno partis utriusque dispendio bellum in præsens durare subnotavit: cujus ad verbum hæc dictata sunt, ejusque de volumine decerpta.

Anno millesimo quingentesimo septimo, Maximiliano *Romanorum Imperatore*, *conventus Principum maximus* Constantiæ *civitate* Alamaniæ *factus est*, *qui ferme quadrimestri duravit: quippe qui decimo sexto die* Aprilis *initium acceperat*, *& circa finem Augusti mensis terminabatur. Multa in eo conventu de rebellione* Venetorum, *qui cum* Ludovico *Rege* Gallorum, *contra* Maximilianum *&* Germanorum *Regnum*, *atque Principes fœdus conspirationis percusserant*, *agebantur. Constituerat Rex siquidem Germanorum* Maximilianus *jam electus & destinatus* Romanorum *Imperator*, *pro nanciscenda Imperii corona* Italiam *intrare; atque ob eam causam Regni Principes in unum convocare: aliis quidem, ut se in* Italiam *comitarentur*, *præcipiens; aliis vero, ut equites & pedites ad iter necessarios ordinarent in unum, mandans. Audientes autem* Veneti *Regis propositum, veteri morbo invidiæ, quo in* Germanos *semper ex intestinis laboraverunt, concitati, habitis inter se consiliis, quemadmodum omnes viæ commeatus adventanti Imperatori præcluderent, deliberare cœperunt. Igitur cum Rege* Gallorum, *qui jam pridem ab icto cum*

Rege

Rege Maximiliano *fœdere defecerat*, Mediolanumque *ac omnem pæne* Lumbardiam *calliditate quadam in feudum obtinuerat*, *simul conspirantes*, *nonnullos per* Italiam *Principes & Civitates in suam conjurationem seducunt: quorum auxilio freti Imperio rebellare*, *atque ipsum Regem a cœpto itinere atque proposito revocare cœperunt. Quod videns Rex Germaniæ* Maximilianus *auxilio suorum & Principum Regni*, *contra* Venetos *rebelles bellum ordinavit*, *quod usque in præsens non sine magno partium damno continuatur.* Hæc ille.

Scriptorem, his quicunque fuerit, exitum rei, nube silentii demiror obscurasse. Nec quenquam moveat quod auctorem mors forsitan interceperit, & ad fœdera properantem interrupto stilo suprema fata prævenerint: cum & posteriora complexus sit; & atrocissimum inter *Venetos Gallos*que conflatum protinus bellum exaraverit, in quo plane civitates oppidaque plurima patrimonii Cæsaris, *Venetos* suam in potestatem redegisse notat; eademque mox Cæsarem, cum universis munitionibus a *Veneto* per insidias & proditiones obtentis (*Baselii* verba sunt) in jus recepisse. Cumque his *Vicentiam*, *Patavium*, *Forumjulii*, multaque alia recuperasse, idem auctor est, quem vel memoria lapsum, vel præpostero gestarum rerum ordine conturbatum reor: cum hoc bello, quod adversus Cæsarem *Venetus* cum *Gallo* gessit, nihil amisisse, sed acquisivisse in comperto sit. Posteriore vero, tanta calamitate ac ruina clades incubuit, ut conservandæ rei suæ potius quam augendæ solicitus fuerit: adeo quidem, ut si nonnullis Auctoribus credidisse libeat, pæne tributariæ Cæsari *Venetiæ* factæ sint; tantum abest, ut eo bello *Veneti* compendium fecisse credantur. Quod si Cæsar *Patavium*, *Vicentiam*, aliaque recuperavit, eadem etiam recuperata protinus amisit; aut cum difficultate circumventus potiri diu non posset, ex fœdere certe relaxavit: ut stilo suo plures exsecuti sunt; & nos, si fas fuerit, prosequemur. Illud ædepol perindignum putem, quod *Venetos* adversus Cæsarem *Germanos*que veteri morbo invidiæ, & ex intestinis concitatos non minus inepte quam ineleganter *Baselius* scribit. Etenim quid est, quod *Veneti* in *Germanos* invidia tacti concitentur? Cum hos ipsos præsignis & eximia conservandæ rei suæ cura distineat; publicæque Majestatis amplificandæ, coaugendique per bonas artes imperii sui præcipuo singularique studio delectentur. An alios forsitan distorquet & exurit invidia? Cumque hi bene gestarum rerum suarum opulentia pinguescant, suaque communi concordia lætentur, alii discordiosis contentionibus factionibusque suis invicem diffidentes immacescunt & consumuntur: scabraque peresi rubigine perlivent. Male quidem, ni fallor, & nescio quomodo natura comparatur, ut cum inertia desidiaque sua piger & ignavus agricola fame laborat, vicino solertia laboreque semper inquieto felicitatem ubertatemque suam invideat, disrumpitur, obstupescit, & meliora Deos sedet omnia poscens: cum non votis, nec muliebribus suppliciis, ut ille dixit, Deorum auxilia comparentur; sed laborando, vigilando prospere omnia cedant. Somniculosos & desides Jureconsultus abhorret, cum non dormientibus sed vigilantibus Jus Civile scriptum esse testetur: proindeque supinos porrectisque pedibus dormientes negligentiæ suæ expensum perferre oportere admoneat. Et eleganter Poëta torpentem agricolam, vicinoque suo opes invidentem, hoc carmine castigat, & corripit.

Quod nisi & assiduis terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aves, & ruris opaci
Falce premes umbram, votisque vocaveris imbrem,
Heu magnum alterius frustra spectabis acervum
Concussaque famem in sylvis solabere quercu.

Enitendum est igitur ingenii summaque corporis ope, ac pro virili nostra desudandum, ut aliorum felicitate lætitiaque dilaxatus animus noster hilarescat, non ut livore consumptus angatur. Bonis artibus, bonarumque disciplinarum studiis honor quærendus, dignitas asserenda, honestæ vigiliis laboribusque nostris facultates comparandæ sunt; nec congrua quæstu familiaris res deserenda. Tunc nulli virtutis copiarumque suarum abundantiam invidebimus: quoniam alterius bonis non invidet, qui suis confidit. Si sua villicus recte vineta putet, pometa serat, seminet, pascat, nunquam poëtam audierit dicentem:

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Quoniam suam magis quam coluerit & severit messem admirabitur, quam appetat alienam; sua cuique sponsa placet; sui cuique præpingues fœtus; insumpti cuique, pergrati labores; suoque sudore fructus irrigati cuique dulces sunt & perjucundi. Si mercium suarum expediendarum diligens solicitusque mercator naviget, peregrinetur, oberret, nunquam alterius divitiis obtrectabit: quas & ipse pari industria, parique mensura laboris fuerit assecutus. Si summi Principes, summæque Respublicæ concredita divinitus urbium populorumque suorum gubernacula recte, pie, sancteque moderarentur, sibi invicem non inviderent, sibi nec invicem insidiarentur. Si *Florentini* Pisanis olim æquiores fuissent, si quales in subditos agere Principes oportet, egissent, externas suppetias peregrinaque subsidia nec hi nec illi quidem imploravissent: nec exinde tot fremitus bellorumque fragores, quot quantique ab infero superoque mari tractis cladibus instrepuerunt, continenter omnia perculissent. Frustra *Maurus* Aragonenses, frustra *Gallus* Sfortiadas, ac rursus in cassum *Sfortiadæ* Gallos, tanto conquassati pæne totius urbis excidio, & *Italiæ* proruentis interitu detrudere, suisque finibus exigere tentavissent: si composita una omnium mentes temperatura teneret: si prælecti benignique mores Principum ac civium animos exornarent. Servis novum jugum appetentibus semper obvium est: semper ad imperia duces præsto sunt: nunquam bonis civibus boni Principes, neque malis mali defuerunt. Sed concutitur Respublica, quassantur populi, cum dissimilia conjunguntur: cum inæquata coëunt: cum diversissima hinc Principum hinc populorum ingenia commiscentur: si mali cives bonum Principem nanciscuntur, ægre concordant: sed ægrius, si boni malum cives sortiti fuerint. Tunc nulla tranquillitas, vix secura quies, & nescia fallere vita: tunc inde strages, exilia, ruinæ, hinc populationes, incendia, proscriptiones, erumpunt, agitantur, pervadunt: tunc cædimus ac cædimur, inque vicem præbemus crura sagittis. Igitur ut divinarum aliquid ex fonte literarum hauriam: *In qua vocatione quisque vocatus est, ambulet:* quæstuarii, artifices, sellularii, cives, patricii, bonarumque artium professores, quibus ingenii claritas major illuxit, munerum suorum ministeria præpuris manibus tractent; in his exacte, demunctim, integreque versentur; sua procurent, caste diligant, moderate pertractent: & tunc aliorum commodis felicitatique non invidebunt; suisque fortunis contenti non insectabuntur alienas; & si peculium conservus auxerit, si quæstum vicinus largiorem fecerit, odio non rumpetur, nec commaceratus invidia contabescet, sed adgestiet, gratulabitur, gaudebit: quoniam ea major felicitas est, quæ magis communicata diffusaque per plures spargitur; & bonam mentem ea demum fortuna magis afficit, quæ largius propagata fœtificat, quam quæ in uno circumscripta pæneque demortua sterilescit. Sic & altius prospectantibus nobis & ad majora

jora progredientibus, si boni Principes bonæque Respublicæ parta diligentius conservaverint, conservataque copiosius auxerint, non improbabunt cæteri cæteræque, sed admirabuntur, benignique animi sui candore magis efferent, & prædicabunt. Tunc *Baselius* stilo suo perperam exaratum expunget, aut omnino spongia male scriptum delebit; neque *Venetum* rebellem criminabitur, aut invidia tactum deliratius insulsiusque confinget; nec ea deinceps comminiscetur, quæ in sanctam invictamque Rempublicam lutulentius ingerit; mitioreque censura nostra castigatus reminiscetur, non temere de Principibus proloquendum esse; sed elimate, pensiculate, circumcisisque verba labiis concipienda, enuntianda, dinumeranda: præsertim cum in eam Rempublicam sermo dirigitur, quæ cæteris excelsior omnibus & augustior cuncta recenset, ponderat, metitur; quæque bene maleque dictis simul ac factis congruam

Illustrissimæ Venetæ Reipublicæ Commendatio.

A omnibus censuram exæquat; ac ut promeritos beneficiis commodisque prosequitur, sic & demeritos fustigatione sua suisque pœnis adfligit. Rectius itaque posthac *Baselius* sentiens, lustralique lauro purgatus, ad meliorem sese frugem recipiet; versaque stilo *Stesichorum* imitatus palinodiam recantabit; quamque prius Rempublicam male sanus improbaverat, sibi ipsi restitutus congruentiore præconio commendabit: reputabitque hanc unam in orbe terrarum esse Rempublicam, quæ gubernaculorum integritate moderamineque suorum excesserit, emicuerit, præcelluerit: cuique magis inique suam propter virtutem partamque B gloriam omnes invideant, quam ipsa cuique gentium invidere possit; & cui merito, pace omnium dixerim, sublimis vates æternitatem hemistichio suo feliciter possit adaugurari:

Imperium sine fine dedi.

LIBRI PRIMI FINIS.

BERNARDINI ARLUNI,
Jureconsulti, Patricii Mediolanensis,
DE
BELLO VENETO
LIBER SECUNDUS.

Subsignatas induciarum tabulas, conscriptaque fœdera, conturbavit atque rescidit atrocissimum subitoque conflatum terrore bellum. Exacerbatus siquidem indignatione magna *Gallorum* Rex *Ludovicus*, quod impendio communi parique sumptu bellum sustinuisset, induciarum vero pacisque commoda *Veneti* seorsum ab ipso percepissent, resævientis impatientia doloris torquebatur. Nec animo satis æquo perferre poterat, suæ præcelsæ dignitatis primatu fraudari: primasque sibi debitas percutiendi fœderis partes, *Gallicanæ* Majestatis fastigio non esse delatas. Tulerat enim casus, ut oblatam contrahendi sanciendique cum Cæsare fœderis occasionem, *Venetus* diligens & super omnes pacis studiosus adriperet: ne dum *Aureliensem* admonent, rogant, hortantur, cunctando, trahendoque parata pæneque confecta res tanta lubrico casu difflueret; cum præsertim nullus assentiendi præreptus *Gallo* locus esset, contrahendique facultas, si modo eam in rem animo duceretur, propensa omnium voluntate pateret. Verum id ægre *Ludovicus* gravatimque tulerat, cum ea omnia suæ dignitatis in contemptum cederent: seque veluti despectum, affectumque nonnulla quasi contumelia sentiret. Itaque propalam, ipsorum sub ora Legatorum comminari, moreque barbarico fremebundus incessere, seque propediem aperto Marte bellum ipsos in *Venetos* illaturum, vociferari: quoniam neque dispendii neque suæ dignitatis in tanta re transigenda rationem ullam habuissent; cumque ipsi dolis insidiisque semper egissent, circumvenissentque simplicis & aperti animi sui sinceritatem, e diverso sese propalam ipsosmet justo bello petiturum; neque maceratum diutius, atraque confectum bile dolorem dissimulaturum. Non ignorare se, quid cum *Helvetiis*, quid cum *Rhetis* sæpe tractaverint; quos clanculum cum *Hispano* dolos adsuissent, cum *Britanno* fraudes, cum *Liguribus*, cumque finitimis omnibus quas imposturas adtexissent, compegissent, tetendissent, sibi jam

C pridem compertum ajebat; rescissurum tandem, sartamque male fœderum telam in lacinias discerpturum, ac omnino pilis gladiisque suis laceraturum. Pararent arma; acies instruerent; ordines explicarent: non oratione, non pecunia, non arte sua, sed ferro, tormentis, sanguine, peragendum. Tumultuantem, totoque fervidi sermonis furore concitatum Regem, præsagax prudensque *Venetus* oblenire, mitigareque suorum mellificio verborum exardescentis incendia, ac perirato mansuetioribus dictis, quanquam haud magni minas pensi facerent, lenissime subblandiri. Nescire se cur hæc tanta commotus ira suos in so-D cios regereret, qui fœderis, quod cum eo percussissent, fuissent futurique essent semper tenacissimi; nec ulla unquam sociales fœderalesque Deos perfidia suam Rempublicam læsisse constanter asserebat. Recognosceret albo conscriptum fœdus, interque *Gallum Venetum*que sancitæ legis capita recenseret: si quid peccasse, si quid admisisse convinceretur, purgaturum luiturumque culpam omnem offerebat. Quod si integram omni religione fidem, inviolataque jura omnia pie casteque Senatus Princepsque *Venetus* servavissent, forentque semper ad aras observaturi, non æquum esse contra *Venetos* tanto verborum turbine, tantoque E minarum impetu provehi, sapienter accurateque disserebat: prudentem optimumque Regem maturare cuncta oportere; nec falso ullo suggestu delatoreque seduci; nihil indecentius aut iniquius quam sanæ compositæque mentis Principem virum, patulas susurronibus aures exponere, repentinaque delatione corrumpi; expedire, virtutem bonosque mores facilius quam malos & vitia credere, quoniam quisque, qualis est, talem alium, suique similem conjicit; cumque bonus omnis bonum reputet, malus utique cito malum existimat. Sed expendere cuncta par est, & ex merito judicare: quæ si Rex Regum, *Christianorum*que (quod F ajunt) Christianissimus *Aureliensis* fecisset, haud ullo præturbidus supercilio contra fidos suæque Majestatis defensores acerrimos succensuisset.

Nam

Nam quod insidias dolosque tetendisse, subornasseque convicinales Regulos jactitabat, ea commentitia & falsa omnia conquerebatur; nec tanti ponderis tantique pensi negotia posse diu tenebris adeo pervelari vel contegi, quin in lucem aliquando prorumpant, suisque facibus illustrentur: quæ si vel vivo teste aut indiculo comprobare Rex posset, cessurum ajebat. Etenim quod de pace inita cum Cæsare conquereretur, inique agi: cum perficiendæ pacis diligentiam, potius quam exercendi belli solicitudinem laudare debuisset; neque *Gallicanam* Majestatem sede sua dejectam, præservatumque illi, si non ipse retractaret, in fœdere locum. Proinde & pacisci, & cum *Maximiliano* pari nexu societatis posse coire; daturumque sese, si libuisset, operam, ut ex animi sui voto transigeret, profitebatur: quod si nolit, nihil Senatui Reique publicæ *Venetæ*, sed Regiæ Majestatis culmini potius imputaturum, si suo tamen animo, quanquam inique præfixisset, ut armis ferroque decerneretur, & sua quidem nocere tela, suoque de vulnere sanguinem fluere. Proinde consuleret, circumspiceretque ut omnia diligenter, hortabatur, quoniam Princeps Senatusque *Venetus*, utram ipse daret belli pacisque tesseram, accepturus erat. Hæc & hujuscemodi cum invicem interloquuti fuissent, abscessissentque retrorsum vultuosi amboque prætristes, *Venetorum* Orator, qui lateri Regis assidebat, cum eodem furore percita, reaccensaque majori indignatione Regis corda pertinaciter excandescere, nec inter ipsos convenire posse videret, Senatum emonuit, omniaque hinc inde dicta replicataque, non subitario perfusi caloris impetu, sed constanti maturoque perseverantis animi prolata judicio significavit: proinde, quid agendum ipsi Legato foret, consulerent atque rescriberent. Cunctandum subhærendumque Senatus censuit: ne leviuscule, parumque consulto, vel frigidis de rebus maturi sanctique Senes emoti viderentur, donec firmiore indicio Legatus utriusque commeatum acciperet. Ipsi interea Patres *Veneti*, cum haud dubie parari arma viderent, tantamque belli molem, quantam *Gallicanæ* potentiæ magnitudo præstrueret, suis humeris incubituram conspicarentur, domi forisque dissimulando multa parare; velutque strenuiter inertes & ardenter ignavi, sedendo, quiescendo, uno inquietæ mentis intuitu, cuncta circumspectare, remetiri, convolvere: ac primo quidem literis ac nuntiis Pontificem Summum hortari, ut publicæ rei *Christianæ* moderator & arbiter, inter *Gallum Venetum*que fœdus initum, diligentia fideque sua semper impollutum, perpetuis vinculis insolutum velit; nihil magis Antistiti sacrorum congruere quam amœniore pacis otio delectari; *Christo*que merentes ejusque militiæ studiosos, eodem pacis clypeo protexisse; mirari vehementer, cur injuste, nullaque lacessitus injuria *Ludovicus*, a *Veneto* discrepet, bellumque gravius quam inviolati fœderis sanctitas, aut amicitiæ jura vetustioris exigerent, interminetur: adversa omnia laturos æquiore animo, si alicujus errati culpa *Veneti* plecterentur: verum cum exactissime, cunctaque semper ad unguem illibata servaverint, nescire qua præceps ira turbulenter amicos & socios ingrassetur; alienamque messem indomito furore cæcus invadat. Proinde sui juris esse, & ad Pontificalis curæ solicitudinem spectare, præferventes animos iracundia placare, totoque reluctantes invicem dissidio, blandiore nexu concopulare: ut relictam a *Christo* pacem *Christi* successor ardentius complectatur, & quam ipse Rex *Christianissimus* suis grandibus titulis proscriberet, etiam re ipsa sequeretur. Quod si nulla *Christianæ* pacis cura Pontificem tangeret, nec ullo communis publicæque societatis vinculo teneretur, hunc ipsum certe

A sciret esse Regem, qui, cum suis *Venetum* finibus exegisset, uno cætera omnia excursu facile peragraret. In hanc fere similemque sententiam coram potentissimo Regem *Britannorum* agebatur, ut *Gallias* irrumperet, lateque palabundus inflicta cum pernicie divagaretur: *Aureliensem*que multiplici bello fatigatum distringeret, ut, qui commoda pacis rejecisset, belli sentiret incommoda. Ad hæc *Hispaniarum Germaniarum*que Principes omni studio solicitare, omni officio promereri, obsequiis omnibus adambire, ut ab horum saltem armis incursuque tuti securique *Venetorum* fines essent. Sed in cassum agebatur, frustraque remedia omnia


B jam valido & ingravescenti morbo præfecti rerum admovebant. Etenim amplificata sic Imperii *Veneti* potentia diffundebatur, invictæque adeo Reipublicæ Majestas effulserat, ut aliarum lumen obtunderet, contraheretque Regum odia potentissimorum: ut, quas ipsi discordia amiserant, horum concordia cumulatas opes everterent. *Maximilianus* quippe cum nuper improspere pugnavisset, maleque mulctatus adverso Marte foret, abjudicatis inhiabat; & quæ veteri Jure, vel proprio, vel Cæsaris fisco debebantur, *Hispanorum*, *Gallorum*, *Italorum*que conjuncta manu recuperaturum sperabat: nam qui non possent ab uno vinci vel duobus, facile tribus quatuorque conjun-

C ctis evincerentur. Rex etiam *Hispaniarum* post depulsos *Aragonenses*, exactumque colludentibus barbaris *Parthenopeo* Regno *Federicum*, Appuliæ portus, urbesque nonnullas, quæ *Venetam* in ditionem transierant, repetebat: universa possessurus, si *Veneta* Respublica tot unam impetentibus opprimeretur. Præterea *Julius* Pontifex Summus implacabilis ingenii ferocitate, posthabita religionis & sacrorum cura, ruebat: nec nisi *Ravenna*, *Arimino*, *Faventia*, *Cervia*que subactis, ullam animis hominum quietem impartiebatur. Nonnulli deinceps *Italiæ* Reguli, præcipueque

D *Ferrarianus* Rhodigium suis cum finibus efflictim ardebat: & nisi suas huic tanto bellorum incendio faces subdidisset, armatamque manum contulisset, nihil, ut par erat, Jure suo fecisse videbatur. Ergo *Veneti* somniculose pervigiles, suisque semper excubiis dormitabundi, cum literis & oratoribus obstipos Principum animos inflectere, a belloque ad pacem convertere posse diffiderent, attentissime solertissimeque Rempublicam procurabant: & primo quidem commeatum ex pagis, urbibus, oppidisque omnibus examinatiore calculo supputare; esculenta, poculenta, quæ ad tantam esuriem extinguendam sufficerent, quantam coiturus propediem excitaret exercitus, ad numeros

E omnes, appensissimeque præmetiri; tum ex omnibus finibus suis exterisque delectum habere; equites, pedites, cataphrattos, ferentariosque conscribere; tormenta, currus, jumenta, infinitaque multiplices ad usus bellorum explicandos instrumenta omnia passim expedire; egregios præterea militum Ductores quinquagenarios, Centuriones, Tribunos, & quos vulgus Columellas vocitat, ex omni commilitio turbaque secernere; valentissimos Imperatores præoptare, strenuos milites recensere, exercitum lustrare, oppida munire, fossas excavare, aggeres substruere, munimenta pa-

F rare; magnas insuper vastatitiæ manus copias, ex omni agro vicoque suis cum agrestibus ferramentis, ad consternenda complanandaque alia, alia rursus surrigenda amoliendaque, tum convallandas urbes arcesque, quas hostibus obvias locorum situs offerebat, promptas habere: nihil humanæ nec divinæ opis, quod ad tanti futuri belli apparatum, tantæque molis congeriem suffferendam, spectaret, omittere. Cæterum quoniam ex omni *Italia*, *Italiæ*que subjacentibus insulis, contracta bellorum præsidia, nequaquam incum-



bentis rei magnitudinem æquatura videbantur, externæ gentis auxilia, barbarorumque manus coactæ sunt. Itaque ex *Germania*, ex *Pannonia*, ex *Thracia*, durum asperumque genus hominum, milites accersiti; delecti ex *Epiro*, evocati ex *Dalmatia*, ex *Illyrico* acciti, ex *Mysia*, *Macedonia*que conscripti; tum ex *Creta* sagittarii, funditores, semiermes semiferæque gentes, ad elata *Divi Marci* vexilla confluentes, ejus ære meruerunt; ex omni fere *Græcia*, ex *Peloponneso*, ex omnibus denique terræ marisque finibus, qua *Veneti* nominis effusa celebritas late patet, in militiam nomina dedere. Qui hæc delimatius exsecuti sunt, quique hujuscemodi gesta hominum in literas misere, omnem *Venetæ* militiæ peditatum triginta hominum millibus censum scripserunt: sed aut dictantem, aut dictata excipientem, errore lapsum reor; vel ex ipsa librariorum incuria fraudem numero factam putem. Etenim cum in confesso sit, vel eorum ipsorum, qui hæc tradiderunt, testimonio colliquescat, triginta peditum millia (plus minusve) in *Abduanam* expeditionem coivisse, quo modo, tot incursantibus aliunde hostium copiis obviam itum est? unde in *Appulia* contra Regem, qui eam ex fœdere recens adeptus erat, in *Flaminia* contra Pontificem, qui *Venetis* adversabatur, in *Padana* Cherroneso contra *Alphonsum*, qui desideriis æstuantibus inhiabat, in *Foro Julii*, in Lacu *Benaco*, ubi *Zacharias Lauretanus* instructæ classis Præfectum agebat, ad comprimendos barbarorum motus, si qua Cæsar in *Venetos* arma concitasset, accincti pedites præsto fuerunt? præterea tot arces, tot oppida, finitimæque tot hostibus civitates, quas *Veneta* solicitudo diligentiaque cunctarum incredibili rerum maximeque pedestris armaturæ munimento firmaverat, unde stationaria subsidia sua habere potuerunt, si triginta tantummodo millia peditatum omnem *Venetum* expleverunt? Nam quod nonnulli scripsere cathaphrattorum tria millia, velitum vero quatuor millia *Venetos* in armis tunc habuisse, id quidem vero verius est, & ratione plurima subnixum. Nam cum cathaphrattorum fere duo millia totidemque ferentariorum vel amplius in *Agnidilino* conflictu pugnasse certum sit, reliqua certe in alias aliasque regiones dispartiri merito potuerunt. Sed triginta duntaxat peditum millia tunc *Veneto* stipendio meruisse, cum hæc *Abduanam* in aciem descenderint, nec suas alibi præstare vices potuerint, parum rationabile nec vero consequens esse videtur: cum longe majores pedariæ militiæ copias numerum explevisse credendum sit. De quo quoniam nobis liquido non constat, nec satis ex fide compertum habemus, diligentius aliis explorandum evestigandumque majore cura relinquimus. *Ludovicus* interea, quanquam ingenio more suæ gentis insolenti atque ventoso, nostræ tamen potius cunctationis quam barbaricæ temeritatis particeps, cum jam iratum exertis unguibus *Leonem*, horribilibusque jubis ac mugitu terrifico formidolosum præsentisceret, quanta moliretur, quantaque præstrueret cogitabat. Occurrebant animo provocati hostes, quos non turbulentos nec præcipites, sed accuratos & contatores merito præcaveret, ac tunc demum perficiendæ rei validius & enixius incumbentes, cum maxime rem negligere contemnereque viderentur. Ad hæc antiquæ præpotentisque Reipublicæ, opulentissimi præsertim ærarii suffragante horreo, vires integras ac prævalentes animo versabat; quas attenuare denervareque protrahendo sustentandoque diu bello posse diffidebat: cum *Veneti* magis *Gallum* debilitare exhaurireque fiscum ejus, quam horum ille posset. Præterea bellatorum non longe dispar nec iniqua manus, peritissimorum præsertim arbitrio Ductorum committenda, rem sane difficilem

A periculosique plenam eventus præstabant. Imperitia vero inscitiaque rei militaris prudentiam hostium ac diligentiam circumvenire desperabat: cum & frequenti usu *Veneti* multa callerent, & expertissimis Imperatoribus bellicæque rei scientia præditis, castrorum curam suorum concrederent. Unam spem sitam unumque relictum in fortuna locum arbitrabatur, quæ lubrico frequenter incertoque rerum exitu proludit, suæque cavillo vanitatis ludificatur. Ergo post finitimos omnes pacatos, cum & *Britannorum* gratiam iniisset, *Burgundionum* factiones non timeret, *Helvetiorum* millia multa conduxisset, omnemque vicinitatis labem

B eluisset, alios atque alios firmiore sibi nexu conjungere festinat: & hos maxime, quos *Veneti* nominis inimicos suspicabatur. Contra *Venetum* itaque *Gallus* tumente spiritu, cristisque surrectis omnibus infremebat; *Germaniæ* minabantur; *Hispaniæ* sæviebant; *Italia* vehementius & asperius insurgebat; sed inter omnes *Julius* Pontifex Summus incitatissimo odio truculenter in *Venetum* agitabatur, pontificiæque sedi debitas urbes reposcebat: quas cum illi relaxandas nequaquam Senatus *Venetus* censuisset, quod illas *Veneti* jure possiderent, universam gentem execrationibus ac diris insectabatur; invisumque aqua & igni populum interdicebat. Sed hujuscemodi frigidas &

C inanes iras *Veneti* Principes despectabant; obstruxissentque perpetuo crassiore cera perlitas aures imprecationibus ac devotionibus impiis, si modo vir ferox bello pepercisset, suosque vagina gladios condidisset: quoniam hæc a Summi Præceptoris instituto, cujus ille vicem in terris agebat, discrepabant. Quid enim oppida arcesque cum templis & aris? quid cum mitra gladius? quid cum lituo tuba? sacra prophanis distincta sunt; disparata castra delubris; dissitique militibus sacerdotes; alia manium, alia Deorum tabernacula; non idem *Martis* & *Christi* Domicilium: cumque

D omnia *Martis* fragore conturbentur, omnia *Christi* tranquillitate considunt. Spretus igitur Pontifex Maximus, cum æstuante odio rebulliret, suæque vires in *Venetum* flaccescentes hebescerent, ulciscendæ injuriæ occasionem quæritabat. Oblata *Ludovici* Regis adstrepebat indignatio, quam furentis *Julii* flammæ vehementius accendebant; insufflabat *Ferrarianus* heros, ab interitu *Sfortiaco* Lilina semper signa secutus: *Leonina* vero detestatus, ac insito genitalique odio jugiter abhorrens. Quippe cum *Veneti* nonnulla ditionis ejus possiderent, recuperandis illis anxius anhelabat: macerabantque decoctas pater & filius iras ab ipso *Brixiano* bello, quod universus furor *Italicus* rem

E *Venetam* confestim oppressurus conflaverat. Sed intercedens *Venetæ* solicitudinis diligentia Procerum *Italicorum* vires, & conjurantium arma refregit: conciliatoque primum Duce *Mediolani*, cujus tunc *Maurus* tutelam agebat, cum illum a castris avertisset, reliquos facile superavit. Destitutus itaque præsidio *Hercules* cum in cassum amissa suspiraret, exinde *Veneto* semper infestius adversabatur: itaque nunc suis follibus inflatis conspirantium animos agitabat; quibus, quanquam exigui tenuesque *Mantuani* spiritus, adhalabant. Sed majore ventilabro, majoribusque nutrimentis sonoros latices, ahenique sufferventis exultantes

F undas inflammabat *Hispaniarum* Rex, qui Regulis *Aragonensibus* Appulia Calabriaque depulsis, exactoque *Campania* recens omnibusque regni finibus *Ludovico*, cum ejus omnis exercitus ad *Lyrim* profligatus esset & cæsus, *Neritonum*, *Hydruntem*, *Brundusium*, *Monopolim*, sui velut gladii suique juris a *Veneto* repetebat. Hæc siquidem, abscedente post invectas ingenti clade ruinas, *Francorum* Rege *Carolo*, cum restitutus in regnum argenti aurique *Ferdinandus* inops ad toleranda

randa belli suborientis incommoda, pecuniam emendicaret, eamque mutuo sumpsisset a *Venetis*, ipsisque tutius & cautius hanc in rem quam stipulatione juramentoque prospectum sibi esse voluissent, quoniam lubrica fides hominum tanta præsertim in re, tantoque ære prorogato facile quidem fluctuare poterat, pignori resignavit. Oblata refusaque omni pecuniarum summa, cum pignora deinceps repeterentur, de sumptu in his facto *Venetus* excipiebat: cumque proprio commodo factitatum id opponeretur, ad necessariam conservandamque rei perpetuam utilitatem impensum esse possessor replicabat. Quid enim si portus exarmatos desertaque præsidiis & munitionibus loca, subitarius hostis & improvisus invasisset, occupasset, tenuisset, id sane domini detrimento futurum erat. Proinde tam ex æquitate, quam præscripti juris rigore, impensam omnem resarciri refundique oportere: quod nisi fieret, pignori suo possessorem incubiturum, ajebat. Incumbentem igitur hypothecæ *Venetum*, successor *Hispanus* armorum potius quam juris auxilio possessione sua detrudere tentabat: & quoniam sæpe quidem a multis perlibenter unius in perniciem coitur, pronioreque consensu plures in unum facile conspirant, haud ægre *Galli* cæterique sacras *Jani* fores pulsantem *Hispanum* admisere. His calculum adjecisse *Maximilianum* auctores tradunt: nam & in *Istria*, *Foroque Julii*, Cæsarem tunc arma *Venetis* intulisse, & *Mocenicus*, & *Cælius*, & *Baselius* scribunt. *Cælius* quidem, qui tunc *Patavii* degebat, *Utino* duntaxat excepto, *Maximilianum* universum *Forum Julii* subegisse, suo *Lectionum Antiquarum Libro* testatur. *Mocenicus* vero plenior atque distinctior plura notat: siquidem & ductorum, & oppidorum & urbium nomina conscribit; ipsumque Cæsarem quanquam *Vicentia*, *Patavio*, *Verona*, sponte traditis atque receptis, ultra tamen longiusque progressum, in omnes *Venetorum* fines penitioresque recessus, vastando, populando, urendo, fœdius & acerbius quam viri fides aut religio pateretur, sævivisse, conquestus est; neque ullo militari obsequio, aut ullis oblatarum rerum copiis, quas illi *Venetus* quam cumulatissimas impensurum profitebatur, concitatas asperioris Viri ac plus æquo frementis iras, mitigari sedarique potuisse: donec rebus pæne desperatis omnibus, ac tunc demum vertenti fortuna *Veneti* sibi melius consulentes prospexerunt. Quocirca mihi quidem mirum esse videtur, cum tam ipsis, qui scripserunt, quam qui præsentes interfuerunt, tradentibus, certo certius sit, inducias cum Cæsare triennales factas, exindeque periratum *Galliarum* Regem cum cæteris conspirantem, contra *Venetos* arma movisse, quo jure *Maximilianus*, Vir sane justus & integer, ac servantissimus æqui, a percusso cum *Venetis* fœdere resilierit: infestaveritque Viros acrius, quam si hostico more versatus arma legitime *Venetis* intulisset. *Baselius* certe, quo neque perplexiorem quenquam, nec in historia confusiorem legi, qui adeo Cæsari favet, ut nonnunquam veritatem invertat, inducias quidem interruptas ait; sed mirum, cur non culpa *Venetorum*, quos amariore semper saliva saluginosus inspuit, interruptas scribat: ut qui sæpius aberrat, in hoc etiam deliret. Sed hæc utcunque lector æstimaverit, & quocunque fuerint hominum pensitata judicio, *Maximilianum* arma movisse & in *Venetos* irrupisse, certum est. Igitur cum omnibus alea fortunæ placuisset, communique impendio rem peragi decreto sociali constitutum esset, adulti veris tempora præfixerunt: quibus instructis paratisque copiis, finibus quisque suis movens, uno temporis belloque contextu, *Venetorum* agros incursarent. Sed gerendæ rei summa *Gallis* incumbebat; in illosque vergebant operosæ molis pondera, frigido quodam torpore languidos semper & hærentes: quanquam equitatu, ære, commeatu, cæteris omnibus prævalerent. Nam etsi potentissimorum viribus & armis undequaque circumventa *Veneti* nominis magnitudo peteretur, unum tamen *Ludovicum Aureliensem* Francorum Regem, velut in cornu fœnum habentem, vigilantius & attentius *Veneti* Provisores observaverunt: cavendumque sibi diligentius ab eo publicæ rei dispensatores putavere. Quippe quanquam barbarus, accurato tamen habilique pertractandis magnis rebus ingenio fuit; ac sedulo diligens & impendio cautus, quique multo rerum usu polleret; & cui magna molienti prædivitis regni copiæ largiores suffragarentur. Præterea ductores militum prudentes, omnibusque bellicis artibus instructos, suum circa latus habebat: adeo ut hic unus omnium judicio putaretur, qui *Marcicum* robur, obice suo duriore reterere, suisque distentis validioribus nervis, *Leoninas* vires distringere posset. Nec enim facile cuiquam aut obvium fuerat, quiescentis beluæ fumantem nasum attractare: nisi prius suis omnibus explicatis legionibus, collatisque signis *Gallus* in aciem descendisset. Nam & hinc & inde difficultas, & hinc & illinc plena omnia periculi fuerant & timoris, non levius, qui bellum inferebant, quam quibus inferebatur, discrimen habituris: quoniam prævalidus & præpotens *Venetus* equitatu cataphrattario quanquam paulo *Gallis* inferior, reliqua tamen armatura, omnique peditatu robustissimo, consensu omnium, etsi non superior, at certe par erat. Qui cum aleam belli jactam videret, liqueretque ferro periclitandum, suas omnes copias in *Hispanum*, Pontificem, *Ferrarianum*, Cæsarem, contraque *Gallum* dispartitus erat. Atque harum ductores omnium in mandatis habuerant, ut præfixis limitibus non abscedentes, armis telisque parati, commissos sibi fines tuerentur: & ad jubentis edictum concurrerent. Ignari quippe Patres *Veneti*, quem in locum hostis impetum primo facturus esset, conductitiam omnem militiam extremis oris, supremisque imperii sui marginibus ita sparserant, ut erumpentem de improviso hostem subitis accincti facibus inurerent: unoque omnes expediti symbolo ad signa præsto forent. Igitur quoniam ad flumen *Abduam* undæ belli gravioris tumescebant, magnisque cum copiis affuturus in dies *Gallus* ferebatur, grandi obice septisque majoribus ad horum impetus cohibendos opus erat. Proinde arces, oppida, finitimaque omnia, commeatu, milite, tormento, *Veneti* præmunire; depressas fossas, eductos aggeres, invectas aquas circumducere; excubias commovere, custodias locare, visores amandare. Ad hæc *Trivilium*, *Pandinum*, *Ripaltam*, *Carevagium*, *Asulam*, cæteraque omnia peditatu fortissimo, ac levi expeditoque cingunt equitatu, præfirmantque. Tum incolas civesque novarum rerum studiosos, aut factione suspectos municipes, ne qua per insidias molirentur, abigunt, propriisque domiciliis vel relegando vel ad sese propius accersendo summovent. Arcium insuper urbiumque præfecturas, earumque præsertim, quæ suspecto convicinio nutarent, non uni commendant, ne vel fides facilius corrumperetur, aut hostilibus circumsidentibus turmis unus animo conterritus deficeret: sed pluribus; nec his quidem exteris aut peregrinis hominibus, sed gentis suæ Patriciis, ut, quorum res ageretur, in periculo vigilantiores, in fideque constantiores essent. Compertum ex his habeo, qui majora cum *Venetis* commercia per hos dies habuerunt, quique diuturniore usu belli castrensiumque rerum scientia præcelluerunt, hoc in atrocissimo perdifficilique bello, nihil *Venetum*, quod humana providentia ingeniique mortalis acumine prospici confici-

ficique posset, prætermisisse; contulisseque omnia, quæ prudentissimus & solertissimus quisque urbicæ, castrensi, universæque rei suæ consulendo agendoque præstare potuisset: sed rerum exitus præcipueque bellicarum in manu frequenter esse fortunæ. His itaque libratis prudentiæ consiliis, exactissimaque ratione digestis omnibus, legionum suarum dispartiendarum cura successit: ac primo quidem in *Lilinos* hostes peditum, velitum, cathaphrattorum, præstitutas ingentes copias, nec non & muralium tormentorum bellicarumque machinarum omne genus, in eam rem *Veneti* Principes expediunt. Exercitus Imperatorem *Nicolaum Petilianum*, ingenii maturitate, omnique bellica arte præsignem, declarant; *Bartholomæum Livianum*, vi corporis & virtute animi conspicuum, omnique ex prælecto ducatu suboptatum, legionibus nonnullis præficiunt. Tum Legatos, *Andream Grittum*, *Georgium*que *Cornelium* Senatores optimos, omnique publico munere perfunctos, designant: quorum judicio cuncta penderent; quorumque ad edicta jussaque, capessere ac facessere cuncta oporteret; illis annuentibus congredi; rursus iisdem abnuentibus regredi; illis jubentibus signum dare, interdicentibus receptui canere; horum imperio locum optare; militiam partiri; castra mutare. Quos, ut de plano cuncta profitear, an Legatos dicerem, ambigebam. Movebant animum eloquentissimi disertissimique Viri, qui dictando aut scribendo, Legatos hos dixerunt: quibus auctoribus, si quid certe peccatum foret, levius tamen omne crimen esse videretur. Etenim vix est, ut consummati & præstantes ingenio Viri, quanquam cæcutire possint, hallucinentur. Sed contra, ratio suadebat, nec ignota dictionis significatio. Siquidem ut *Commentario de Bello Civili Tertio* Cæsar scribit, aliæ sunt Imperatoris partes atque Legati: hic etenim omnia ad præscriptum agere, alter vero libere, ad summam rerum consulere debet. Nam, ut *Pomponius*, & *Julianus*, & Ulpianus *Primo Digestorum* scribunt, Legatus nihil proprium habet: sed ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur. Nulla est enim apud eum omnino legis actio: ideoque nec relegare, nec deportare, nec ultimo quenquam supplicio afficere possunt. Quin nec ipsi Principem consulere debent, sed quibus par est honorem præservare. Ergo cum tempestate nostra *Venetorum* Legati mandent, edicant, imperent, ipsique supremam in exercitu potestatem habeant, non Legatos, sed Dictatores, aut alia qualibet absoluti imperii præsigniore nota appellandos esse censebam. Verum ne scioli potius argutulique, quam veritatis evestigandæ studiosi criticorum censura condemnemur, optima ratione Legatos prospicientes altius dictos esse defendamus: relatione scilicet facta, non ad ipsum exercitus Ductorem, cui Legati imperant, sed ad Rempublicam, cujus vicem in castris gerunt, quam observare &, cum tempus patitur, consulere, cujusque ad præscriptum omnia agere debent. His promotis igitur ad hanc castrorum procurationem amplissimis sapientissimisque Viris, Princeps Senatusque Rempublicam universumque *Venetæ* ditionis Imperium, oppido commendant; obtestanturque, ut concreditam *Veneti* nominis Majestatem, ut fortunam, liberos, penatesque suos enixissime omnique studio ac cura tueantur & protegant; eorum ingenio solertiaque vitam omnium mortemque pendere; gubernaculis ipsorum innixam omnem rem *Venetam* stare atque prolabi; mandato jussuque ipsorum inauspicato litatoque omnia peragi. Caverent, attenderentque solertissime, ne quid militaris ferocitas inconsulto, repentinusque præfervidæ juventutis calor in re tanta, quæ manibus suis versaretur, attentaret; sustentarent, cunctarentur, differrent; nec nisi magna ex occasione committerent acies: ne hamo aureo piscarentur. Caverent *Flaminii* pertinacem audaciam, improspectam *Mancini* temeritatem, *Crassi*que vecordem insaniam fugerent. Omnem denique militarem disciplinam ad unguem exigerent. Ipsis interessent obiter principiis, solicite cuncta lustrarent, mature, pie, sancteque consulerent. Tanta denique hac de re solicitudo Patrum animis omnium insederat, ut nunquam Princeps Senatusve literas ad Legatos darent, quin illas anxia commendatitiaque dictione clauderent: *Servate castra.* Illos etenim molestissimæ curæ distorquebant: quod lata propatentique area, quam pugnæ *Gallus* præoptasset, summa rerum ad pilæ morem jactaretur; ac ne fortuna manum insereret, tantaque in re suo de more proluderet, vehementissime suspectabant. Itaque distringi acrius, omnesque suspensis animis in *Abduana* negotia *Gallicum*que bellum deflecti cœperunt. Nam quæ in *Appulia*, in *Flaminia*, in *Ferrariano Mantuano*que agro, in *Istria*, in *Foro Julii* concursationibus bellicis quanquam sane gravibus & periculosis agitabantur, ea tamen levius minorique molestia velutque conniventibus oculis *Veneti* respectabant. Conduplicatas animo molestias augebat Regis adventus, quem in *Galliam* descendentem, digressumque *Taurinis* saltibus, & ad nos in dies celerius properantem constantior fama vulgabat. Hic siquidem, quanta parasset & occepisset, excogitans, *Leonini*que roboris & hosticarum virium conscius, non per Legatos, sed per se, ipsiusque sub oculis rem tantam absolvi oportere, merito judicavit. Itaque magnis itineribus indefessaque pernicitate copias secum ingentes advehens die nocte citeriorem in *Galliam* ad nos properabat. Viri ferocitas & adventantis potentia *Venetis* militibus terrorem eorumque ductoribus non parvam formidinem incusserat. *Andreas* ergo *Georgius*que Legati, cum traditas a Republica copias accepissent, *Pontevico* castra metati sunt: exinde, quo fortuna provocasset, exercitum promoturi. Ea tempestate, *Mediolani* Regias vices *Carolus Ambasianus*, de quo supra meminimus, agebat: in illoque jus gladii, omnisque togæ bellique procuratio sita fuit. Hic temeritate sua præceps & inconsultus, cum aliquot armatorum cohortes sparsosque finitimis regionibus maniplos ad *Lilina* signa contraxisset, improviso *Abduam* trajectu nostrorum hostiliumque finium limitem, transilit; interjacentique flumine superato, in hostiles agros exercitum inducit. Victorum more dispalantes vagique milites, pagos, villas, agrestesque copias, incursabundi populantur & dissipant. Mox certo agmine *Trivilium* pergentes oppidum non incelebre, barbarica ingrassante militia protinus invadunt, oppugnant, subigunt. Dolo magis quam vi captum, nonnulli literis prodidere: quoniam oppidanus æstuantis belli præveritus incendium, dum meliora deditione sperat, ex fumo in ignem relapsus, graviora mox passus est. Ergo propius appetente *Gallo*, cum illius incredibilis omnium terrore fama pervasisset, sive armorum impetu, sive inito cum hostibus fœdere, municipes, victori cedunt: oppidum asseritur, præsidium funditur, præfecti capiuntur. Dehinc, loco validiore *Gallorum* militia præmunito, longe lateque populabundi cædibus ac rapinis hostes cuncta permiscent: fuga passim agrestium; clamor ac metus improvisa facinoris atrocitate subortus, vicos, oppida, finitimosque omnes ingenti formidine correptos, magna *Gallicani*, nominis gloria concrebescente, replebat. Extemplo dispositi colimitiis suis stationarii milites *Veneti*, signo dato, qua bellici terrores castrensesque tumultus instrepebant, præsto sunt: accincti, celeres, expediti; concursantibus-

De Legatis Venetis.

tibusque obviam ac dispalatis hostibus facti, conterritos ac subitario pavore trepidantes percellunt, fundunt, fugant. Illico retroversi axis, profugitantiumque *Gallorum* tantus fragor insonuit, ut non minore, quam trajecissent, ignominia reverterentur. Quippe prudentibus veteranis summisque castrorum ductoribus nostris, qui *Ambasiano* soluti Imperio nequaquam ejus edictis astringebantur, quique temporis opportuniora præstolantes, *Mediolani* desederant, nova res, importunaque lacessendi hostis solicitudo risum excusserat. Et sane plurimi civium maturiore judicio cuncta pensitantes subhæserant, dubitabundi ne aliena temeritas ingenio cunctantiore castigata emendataque, nostri capitis periculo plecteretur. Parum enim abfuit, quin his stimulis irritati *Venetorum* militum ductores evicto pontibus flumine, nostros in agros irrumperent: *Mediolanum* impetituri populaturique omnia, ut sese melior sors audentibus obtulisset. Ferocissimus ac strenuissimus omnium, qui *Marcico* vexillo stipendia facerent, *Bartholomæus Livianus*, vir telo manuque promptus, honoratissimas equestris ac pedestris armaturæ copias ductabat. Hic immanis ira furoreque terribilis, quod resupinus & imprudens hostis provocare Virum jactantia sua præsumpsisset, modis omnibus illi reponere discupiebat. Ferocientis audaciam urgebant insignes & paratæ legiones, robore virium & animorum alacritate formidabiles, incredibili celeritate supraque fidem omnium coactæ. Barbarica simplicitas substupidique ductoris inscitia, quoniam obequitantem insultabundumque præ oculis hostem non viderat, exarmata destitutaque negligenter omnia putavit: at postquam effusos permixta grandine nimbos, tanto conglomerati peditatus turbine, totque velitum, cathaphrattorum, tormentorumque tonitruis pronutante polo, suspexit, reducere funem velaque colligere, magna cum oppidanorum jactura, suoque cum ingenti dedecore, coacta est. *Livianus* ergo justa succensus indignatione, ut hostem æquo vulnere repercuteret, improvidamque Ducis temeritatem prudentia retaliaret *Italica*, tum ut desideratum spectatæ virtutis suæ specimen daret, traducto exercitu quam raptissime tranare cupiebat: captumque tribus horis *Mediolanum*, si Legati procurrentibus equis lora laxavissent, pollicebatur. Nativa Virum strenuitas ingenito vigore perardentem impellebat: magnique facinoris capessendi perficiendique feliciter, laus & gloria provocabant. Etenim absente Rege multa celerius & melius attentari conficique posse, quæ præsente illo vix obiri potuissent, ajebat. Insolentem præterea ventosamque barbariem in tanto rerum motu agitatorum militum fragore conturbatam, nihil capere consilii posse præter fugam opinabatur. Ad hæc antiqua Procerum dissidia, ipsosque inter *Gallos* intestinæ liventesque discordiæ, rem factam nullo sudore *Liviano* spondebant: cum præsertim aggeribus, fossis, valloque nudata civitatis amplitudo prospera omnia, reique felicem exitum offerre videretur. Obtinuisset indomiti praeferocisque Viri sententia, si non cunctantium aspergine Legatorum irrorata refrixisset. Hi namque singula profundius eruentes & acriore cerniculo discutientes, quanquam tunc *Mediolano* Rex abesset, haud diu tamen abfuturum non ignorabant. Exploratus illis quippe Regis adventus valida cum manu properantis, erat; & inanem assultum propiore vanitatis irritique laboris exemplo refellebant: cum non capere, quam capta turpiter amittere judicio saniore præstiterit. Accedebat quod quanquam inconsulta barbaries hoc fortunæ tumultuantis impetu trepidatura, exindeque fugam capessitura foret, quam fortasse discrepantium Ductorum sententiæ meliores repressissent, unus certe sagax versutusque senex *Trivultius*, urbicarum bellicarumque rerum scientissimus, cum in acie novaculæ res constitisset, cunctaque sub alea fluctuassent, non *Gallicanæ* felicitatis amplificandæ, sed sui discriminis evitandi gratia, talum a sacra linea movisset: populosissimamque civitatem, suo satis robore præditam, nativisque viribus præpotentem suam ad propriam sospitatem protegendam conservandamque commovisset. Quod si *Sfortiadæ* Principes summis tunc omnium votis expetiti, *Venetæ* potestatis aut juris sui fuissent, non dubitaturos, quin omnem late fusam barbariem trans *Alpes* transque *Rhodanum* & *Ararim* propulsaturi fuissent; sed quoniam malignis intercepta sortibus ea Principum adminicula deerant, subsistendum esse, propriosque fines omni cautela defendendos, omnique prævallandos munimine, merito censuerunt: ne suum extra domicilium agentes peragrantesque licentius aliena, sors gravior opprimeret. Mocenicus *in Historia* lamentatur doletque vehementer, quod vetere majorum instituto Legati Ductorem *Livianum* in arma provolantem cohibuerint, cessaverintque sub occasione bene gerendæ rei, defendendorum finium suorum duntaxat studiosi: sed nimia certe suam erga Rempublicam pietate, quæ judicio frequenter officit, *Mocenicus* suspirat. Nam, prudentissimos sapientissimosque Legatorum, magnaque præstantes virtute viros exactissime singula perpendisse, reor; maturioreque consilio subhærentes ab ipso trajectu fluminis abstinuisse, ne sub incerta propagandorum finium occasione perderent propagatos; maluisseque vinci, dum prudenter agunt, quam dum temere dissipienterque versantur, vincere: quoniam alterum sortis vitium, alterum viri crimen foret. Prudentia quanquam infelix exitu, commendatur: temeritas vero quanquam prospera, semper laude caret: & si Rempublicam consuluissent, non aliter plane, quam ipsi fecerint, responsuram fuisse, credam. Igitur pulso fugatoque trans amnem *Gallo*, cum insectandi persequendique eum ulterius, Legatis interdicentibus, spes omnis intercepta laberetur, conversus ad suos *Livianus* oppida omnia, quæ ad hostes desciverant, e vestigio recuperavit: quoniam immatura præcepsque victoria, quo aditu influit, eodem etiam exitu refluit. *Mantuæ* Princeps, qui suis cum copiis exultabundus eodem motu *Gallorum* in aliena proruerat, infestaveratque nonnulla suo inconsultiore progessu municipia, propulsatus est: suosque intra limites turpiter rejectatus. *Ripalta*, quoniam magni momenti fuit, magnumque pugnaturis allatura discrimen erat, exilium crudele perpessa est, nec cæteris mitiore fato tractata: omnes siquidem, qui arma ferre possent, excedere loco, notosque lares suos relinquere coacti sunt. Anno quinto decimo, ac septuagesimo edicta publica pepercerant: quod infirmam hanc ferendis armis ætatem, & ad castrensia munera prorsus inhabilem omnes æstimaverunt. Profugis & errantibus per incerta viarum oppidanis, succeſſere pedites equitesque singulis ejectorum sedibus adscripti: reliquamque omnem absentium rem familiarem absumpturi dilapidaturique milites improbi lugentes mœstosque penates infida execrabilique custodia servavere. Sed atrociore fato, crudeliorique exitu *Triviliana* plebes exagitata deluxit: *Leonino* siquidem dejecto cum *Lilinum* signum sustulisset, omnibusque prævallata munimentis, & proprio & adventitio *Gallorum* præsidio constitisset, hostilibus statim circumsepta telis, ipsoque pertinacius adurgente *Liviano* perquassata nutavit. Ille percitus ira, furoreque contracto terribilis, admota acie suisque cum copiis omnibus in oppidum ruebat, ab ipsis municipibus gravissimas jam fa-

Exputgatio Legatorum.

ctæ deditionis pœnas exacturus. Oppidani vero & suis & *Gallorum* viribus prænixi tela spargere, missilia funditare, longius hostem summovere. Turris erat firmioribus pedamentis altius excitata, quæ subjectis lateque patentibus campis imminebat. Hinc oppidani tormenta, flammas, lapides ejicere, nulla mora, nulloque intermissi temporis laxamento hostem fatigare, assidue pulsare, continuo divexare. *Livianus* hujusce defensionis impatiens locum scrutatus editiorem, machinis instrumentisque validioribus emunit: mox tormenta, turris e regione grandiora prolocat; omnemque saxatilem nimbum ac ferream grandinem in oppidanos oppositamque turrim intorquet. Extemplo depulsi propugnatores cum ingestis undique telis impingerentur, turrim deserere coacti sunt, & ad ima mœnium impetus propulsare. Hostis assiduo tormentorum jactu debilitatam undique, & injectis crebrioribus pilis accisam turrim admota vi majore percellit. Ea demum fundo subruta, dum radicibus imis subversa prosternitur, magnam muri continente ruina secum attraxit. Illico geminatis ictibus, aliisque super alios conduplicatis, diducti latiores aditus propatescunt: & municipum interiora denudant. Tunc ad arma nullo discrimine turmatim utrinque discurritur: consertisque manibus permixtæ acies statario prælio sævissimæ rem gerunt. Hinc illinc spe desperationeque omnes irritati, exacerbatique mutuis vulneribus atrocissime depræliantur. Utrinque pares animi, paribusque acies utrinque viribus exæquatæ, rem dubiam, alternoque diu Marte titubantem fecerunt. Dehinc majoribus advocatis ac confluentibus undique *Venetorum* copiis, cum succedaneos incruentium *Livianorum* impetus *Triviliani* non sustinerent, cesserunt: *Veneti* cedentibus instant; condensatisque arctius cuneis, cum adglomerati super alios alii coirent, attonitos ac trepidantes *Trivilianos* pæneque in fugam per rudera murique ruinam conversos, in ulteriora propellunt. Elatus repente militaris clamor, velut jam in ipso victoriæ limine defixi pugnatores *Veneti* perhærerent, oppidanorum turbam deficientium auxilio concivit. Expediti, alacres, viribusque recentibus integri, pro salute, pro Patria, proque Diis ipsis concurrentes oppidani, præsto sunt: instauratoque truculentiore prælio, ac majore belli recrudescentis insania, præcipites in ferrum perbacchantur. Dum hinc inde acies efferatæ odiis iraque confligunt, adactisque per vitalia gladiis, utrinque pugna resævit asperior, vigiles oppidanarumque custodiarum Præfecti, accensis facibus globisque flammarum ex alto præsidium implorant. Subsidiariæ cohortes, sicuti quidam literis mandaverunt, ex edito flammis evocatæ tempori affuerunt: omnesque subito congressi patentibus campis in adversos impetum faciunt. Depugnatur acerrime, totisque contractis viribus: hinc ope summa *Veneti*, illinc agmine toto *Galli* præferoces in arma ruunt. Dum foris res agitur, novoque desudantes prælio milites extrorsum accenduntur, introrsum oppidanis armisque municipalibus requies data: omnisque *Triviliana* juventus, dum aliorsum bella gerente *Veneto* intus hoste vacat, disjecti muri ruinas convulsaque propugnaculorum repagula, subitario opere consarcita reposuit. Animis viribusque reparatis in futura prælia municipes accingebantur, cum internæ militiæ ductores conticinio noctis ad hostem digressi, collocutique invicem, oppidum *Veneto* tradunt: militis incolumitatem paciscuntur, omniaque victoribus hostili more diripienda relinquunt. Ea cunctorum infelix & adversa semper oppidanorum fortuna fuit, ut cum ipsi victores nihil consequantur, victos damna ruinæque pessundent: cumque frequenter sospites & salvi, quocunque res cadant, milites lætentur, ipsi furentibus semper flammis objecti, perpessique graviora delugent. Ergo funesta luce suborta, postico sociis excedentibus, hostes antico, præcipueque *Lamonii*, quorum in bello virtus eximia præniтuerat, ululantium more luporum invadunt: oppidum superant; ac effractis obicibus, omnibusque uno prostratis ariete portis murisque, cuncta ferro flammisque permiscent. Tum clamores, ejulatus, sonoresque terrifici bellatorum per vicos domosque ruentium inaudito horrore cuncta replebant. Tumultu novo mulieres attonitæ, virique senibus puerisque permixti, singultire, lamentari, ejulare: alii alios, velut ultimus esset ille dies, amplexari; mutuaque miseratione, ac reciproco lachrymarum intuitu, dolendo flendoque magis quam loquendo sibi suas invicem miserias objectare; incomptæ pallentesque fœminæ, diffusis crinibus sinuque laxato tunicas rumpere; unguibus ora comasque distrahere. Mœror, fuga, trepidatio, majore quam mortis metu, tanta confusione rerum exorto, timidos constantesque pari jaculo vulneratos agitabat. Incerti plerique, considerent an fugerent, laterent, apparerent, occiderent an occiderentur, velut alieni & amentes hærebant. Milites interea prædabundi domorum penetralia secretaque tectorum, prohibente nullo, pervadere; mox trahere, congerere, exportare; non lachrymis flecti, non singultu tangi, non stridentium plangore commoveri; strepitare, minitari, flagellare; dehinc in sancta delubraque Deorum converso impetu, cuncta diripere, profanare, polluere; non stola, non flammeum, non ipsis Diis immortalibus devota virginitas, non ulla pura, hac in impuritate, religio; inviolati pudoris, impenetrabilisque pudicitiæ membra *Christo* sacrata, nefaria colluvione, publicæque libidinis ad morem prostituta, jacuere: divinorum cultus, ceremoniarumque nostrarum tanta despectio contemptusque fuit, ut non æque vilissimos mancipes lixasque tractatura fuerit militaris improbitas. Quæ si cui falsa, aut adeo nova indignaque esse videntur, ut fidem hominum excesserint, *Cælium* legat, ut suo potius quam meo testimonio reticenda probentur. *Mediolani* certe infanda & audivimus & vidimus, dum lachrymabilis illa multitudo miserabilisque turbela longo vicos nostros examine pervagatur: omnemque sacrilegi facinoris scenam nobis admirantibus explicat: omnesque vias & compita tragœdiis suis funestioribus implet. Emendicabant omni refrigerio destituti flebiles oppidani, publicæque curationis valetudinarium commota civium pietate replebant. *Dionysiana* septa lamentatitio desolatæ plebis singultu rupta diu gemuerunt; exceperuntque profugam sede sua gentem fortuito extemporalique hospitio: quoniam nulla loci capacioris amplitudo, nullumque frequentiori testudine tabernaculum, oberrantes vagosque sedibus incertis convenas opportunius receptabat. Hæc dum alterno Marte mutuisque cladibus agitantur, *Abduanæ*que ripæ tractus omnis bellico fragore laborat, *Julius* Pontifex Summus, *Urbinate* suo copias ductante, *Venetorum* fines irrumpit. Hic prædatorias secum omnes turmas agens, indiscretis excursionibus populando, vastando, longe vagatur. Ex omni agro fuga, ex omnibus vicis trepidatio, ubique metus, & terror armorum: agrestes villicique omnes, quo quisque modo poterat, sua festinanter colligere: tenuem angustamque supellectilem suam consarcire, agrestes copias, pomum, nucem, annonamque omnem in tutiora convectare, armenta pecusque propinquam in urbem & oppidum adigere; tum diris Pontificem omnibus devovere, irreligiosam execrare religionem, in ipsoque receptum pacis domicilio bel-

bellum deteſtari. Incurſantibus Pontificiis legionibus, ac plus quam hoſtili more ferro flammaque ſævientibus, oppidum acclivo monte ſitum (*Brixigellæ* nomen eſt) obvium fuit. Id ſuopte munimento ſuoque robore natura ſuffragante munitum, auxiliaria *Venetorum* manus octingentis peditibus conſtipata firmabat: quæ tormento miſſilibuſque telis omnibus obarmata, commiſſam arcem cuſtodiæ ſuæ, ſuæque tutelæ commendatam alacriter & ſtrenue tutabatur. Nec longe *Marcicus* omnis exercitus proximum collem tenebat, oppido cæteriſque, cum fortuna provocaſſet, auxilio futurus. Hoſtis prædiligens & ſagax, periculoſam oppugnationem, obſidionem vero magis importunam ratus, ad inſidias convertit animum: magnaque copiarum ſuarum parte nemoribus ac ſylvis occluſa, tenui manu oppidum invadit. Ignari ſtratagematis oppidani, modicis exilibuſque maniplis temeritatem conjectantes, ardenter valideque confligunt. Utrinque magna vi decertatur: donec adventantes ſubſidiarii levites *Veneti* ſubito procurſu Pontificios in milites impetum faciunt. Adjuti præſidiis oppidani, cum ſuis ſociorumque viribus fiderent, extemplo portis erumpunt: factoque agmine totis in hoſtem viribus provehuntur. Pontificalis armatura velut undique numeroſis confluentibus turmis oppreſſa, ſubſiſtit; mox velitando cedendoque ſenſim in tutiora converſo gradu relabitur: donec ignarum fraudis hoſtem, longeque vincendi gloria ſtatione ſua promotum in inſidias deduxit. Erumpentes illico, circumfuſique protinus, ſigno dato Pontificii milites, attonitos & ancipites oppidanos undique percellunt, inculcant, conſternunt. Obſtupentes improviſæque rei miraculo confuſi milites *Leonini*, cum ſuam omnem in fuga ſalutem reponerent, terga dant: concitoque gradu quam raptiſſime in oppidum confugiunt. Effuſos præcipiteſque glorioſi victores, ferro tergum urgente, premunt; unoque omnes impetu glomerati, turmatim in oppidum provolvuntur: oppidum capitur; hoſtis cæditur; captivi Duces ſervantur. Elatus præſenti Ductor *Urbinas* victoria, *Ruſium* iter dirigit: haud graviori Marte, nec diuturniore bello *Ruſianæ* rei potiturus. Hic primum omnium infeliciter attentatæ deditionis impos, diſpoſitis opportuna per omnia tormentis, oppidum acriter oppugnat. Municipes, & his adjuncti pedites ſeptingenti, valide conſtanterque pro mœnibus ſtare: intortis jaculis, omnibuſque telis miſſilibus ac volaticis hoſtem mœnibus ſummovere; ſuggredientem ferire; omnibus depromptis viribus ſtrenuiſſime deprælıari; ſuaque pro virili oppidum defenſare. Jam disjectorum ingentes murorum ruinæ ſolo prociderant; aſſultumque parabant *Flaminicæ* cohortes expeditæ: cum jam multo labore feſſis, inſtantique diſcrimine præmœrentibus oppidanis *Veneticum* adeſſe præſidium nuntiatur. Ab oppugnatione ad propinquum hoſtem converſus *Urbinas* adventantibus turmis opponitur. Omnes utrinque magnis viribus & ope ſumma concurrunt: atrociterque digladiantes magno mentis ardore commiſcentur. Conſtiterant nullo depulſæ loco diu acies ferociſſime dimicantes, egregiamque Marte dubio, parique conſtantia animorum, operam bello navaverant, cum accitis armaturæ validioris equitibus, evocatoque recenti cataphrattorum ſubſidio, Pontificius Ductor *Urbinas* in feſſum multoque Marte deſudantem *Venetum* turbulentus incurrit: acrioreque preſſura concultatum rejectat. Oppreſſi milites *Leonini* cedunt: victores alacrius inſtant urgentque Dum ſævius aſperiuſque rem gerunt, ſuffoſſo equo *Joannes Græcus* armatorum gloria præſignis diffracto crure prolabitur. Actutum fuga, metus, profuſio. Pulſo hoſte refugiſque ſubſidiis, vigentior

A & acrior militia præſularis intermiſſam oppugnationem repetit. Lignatum, materiatumque interim amandati opifices regreſſi fuerant; omnique rem ad certam opere diſpoſito, præfixa dies invadendi aſſiliendique conclamantibus cunctis inſtabat: cum ſuis diffidentes rebus oppidani, colloquio ſignis impetrato, tranſigunt. Incolumitas omnibus irrogata conceditur; ſua cuique res familiaris intacta permanet; militibuſque liber commeatus datur. Perpetuæ continentiſque victoriæ diffuſi late perlatique rumores, in majus etiam ebuccinante fama collimitaneos omnes conterruerant: adeo quidem ut formidine metuque magis, quam
B odio proditioneque deſciſcerent. Rebus ſuis omnes ſapientes utique diſſipienteſque conſulere feſtinant: ſed anceps adeo belli fortuna nutat, adeoque varii frequenter exitus armorum alternante fato contorquentur, ut, qui prudentiores conſultioreſque fuerint, ſæpe labantur, & in partium optione delirent. Collabentium igitur procul audito fragore ruinarum, conterminales finitimæque gentes ubique tanto bellorum obæſtuante incendio, trepidare, dedi, profugere: *Cervia* deficere, *Faventia* ſubigi, *Ravenna* oppugnari; *Ariminum*, *Arimino*que propinqua omnia lapſitare. Quo metu rerum ingruente, *Annibal*, *Hermes*que *Bentivoli*, qui factionis ſuæ ſtudio concitati contra *Ju-*
C *lium* arma movebant, collectitioque milite conſtipati, Pontificalibus eraſis inſignibus, *Bononiam* invadere & occupare nitebantur, reluctante fortuna deſtiterunt. Contra vero *Ferrarianus* Princeps, quoniam *Abduani* tumultus excitati procul obſtrepuerant, *Veneto*, cujus vires magno ſemper damno ſuo validiores præſenſerat, navali terreſtrique exercitu bellum intulit: appetitamque feſtinanter in Cherroneſum, ſuis terra *Pado*que promotis copiis, ipſoque in aciem hoſte provocato, vehementius ferebatur. *Franciſcus Gonſaga* Caſſale Majus circumſonabat. Cæteri in *Appulia*, or-
D beque diverſo in *Iſtria*, in *Foro Julii*, in Lacu *Lemano*, *Tridenti*que magnis undique contractis legionibus tumultuabantur. *Veneti* in tanta mole rerum acrioribus curis diſtringi; periculis omnibus conſtanter adeſſe: *Abduanos*que ſuper omnia tractus proſpectare; caſtrorumque ſoſpitatem eorum omnibus remis veliſque tueri; ſæpe Legatos monere, Duces hortari, omnibus cavere. Quæ dum permixtim hoſtium ac ſociorum in caſtris aguntur, *Ludovicus* admiſſæ temeritatis *Ambaſianæ* certior factus, omni feſtinatione, magniſque celer ad nos itineribus contendebat: numeroſiſſimi peditatus equitatuſque florentiſſimi copias ſe-
E cum ingentes advectans, quas ut præirent, citatiſque gradibus in caſtra proficiſcerentur, edictis omnibus adurgebat. Tum *Jo. Jacobum Trivultium*, cujus ingenio ac virtuti prudentiæque ſemper innixus, plurimum confidebat, ut in caſtra pergeret, *Gallicanam*que omnem militiam pro ſapientia ac luce virtutis ſuæ tueretur, emonuit. Ultra citraque flumen *Veneti Galli*que caſtra locaverant: in eaque invicem quotidie tormenta jacere; eminus duntaxat hoſtem laceſſere; ſibique parvis infenſi detrimentis eſſe. Trajectare flumen, quod intererat, caſtraque propius caſtris committere nemo præſumebat: *Veneti*, quoniam omni
F bellico munimine prætextis ripis, firmiore clypeo propria defenſabant; *Galli* vero paulo ante turpiter pulſi, nonnullaque trans amnem cum ignominia fugati, ne duplicata clade fœdius ac turpius plecterentur, ſubſiſtebant, minaciter inſultabundi, magnaque propinqui Regis adventum jactantia vociferantes. Igitur dum ſine imperio, ſine duce, omnique diſciplina ſoluti milites licentius agunt, nec ullius Imperatoris edicta timent, Ductorumque ſuorum juſſa contemnunt, *Ludovicus* tandem *Mediolanum* appulit: longoque ex itinere dum

dum paucos apud nos dies interquiescit, *Trivultius* ignaris omnibus, nocteque concubia, ne quid absentia sua præjudicari castris afferret, *Mediolanum* regreditur: datoque illi confestim ab urbe, ab arce, a cubiculoque ad Regem aditu, suspectanti *Ludovico*, novamque rem admiranti, suæ profectionis intempestivæ causam aperuit. Confusa turbataque omnia, omnia periculi discriminisque plena docet: quoniam sine metu, sine reverentia, milites agant nullo moderamini nullisque jussis obtemperantes; ut proficiscatur, nullaque mora properet, si rem salvam esse suam velit, hortatur. Affectus nuntio molestiore *Ludovicus*, abscedente *Trivultio*, signum militibus in castra properandi summo diluculo dari jubet. Dictu mirum, quantus universa tunc in urbe fragor; quanta concursatio, qui militum impetus; qui equorum hinnitus, quæ agasonum festinatio, quæ stabulariorum jurgia; qui tumultus equisonum omnium: dum alii jumenta præparant, alii translatitias sarcinas imponunt, nonnulli lora, funes, stragula desiderant; ligant alii, tollunt alii, comportant alii; omnis domus cellaque, omne atrium conclaveque personat; dum passim furentes arma milites induunt; dum expediti telis accinguntur, dum feroces equos urgent, adactisque calcaribus circumactos exagitant. Hora erat diei quarta, cum expedito equitatu, omnique præmisso peditatu, Rex sese medium in agmen ex arce contulit. Suspectanda dignationis ambitio, amplitudinis immensæ stupendus honor; novæque rei majestas admiranda. Stabant nitidi & splendentes equi, spumantiaque fluitantibus loris fræna mandebant. Tum galeis cristisque fulgentibus coruscantes, omnique politiore armatura milites conspicui, dextra lævaque globis constipantibus inhorrebant. Constrata Ædilium jussu via omnis erat ab arce *Jovis* in vicum, qui ad portam orientis perducit. Vinariæ quippe subterraneæque frequentes cellulæ, quæ patentibus in viam publicam fenestris hiant, cancellis suis ferreis, quibus orificia spirantiumque fauces astringebantur, progredientem equitatum densissimis cuneis confertissimum impediebant: quem ne retardarent læderentque properantem, superjecto stramine sabuloque, ac omni congesta solidiore materia, ædilitia solicitudo providerat. Ad hæc ingens plaga siliceo dorso marmorata, si quibus forsitan vel propendentis tigilli, vel injecti saxi grandioris, obicibus extuberasset, ut omnia salebris ac scrobibus peræquatis, ad celerem festinantis exercitus commeatum paterent, eadem publicæ curationis ministeria caverunt. Æquis igitur libramentis levigata, quam longe lateque patet, omnis Regio, prodeuntem tanto militum apparatu Regem, tantaque omnium admiratione suspiciendum, in castra per orientis portam emisit. Effusi cives undique, quos eques pedesque vicos occupaturus non erat, visendi studio replebant; sellularii, obolentesque sordidorum operum ministri, suarum intermissa cura tabernarum, educta Martis agmina procul intentissime conspicabantur; parique obtutu defixi stupentesque pueri matronæque tectis speculisque pendebant. In ipso tamen militum armorumque spectaculo metus erat, nulloque non pavore sub imagine magnæ gerendæ rei mentes infirmæ trepidabant: sed pavitantium animos accincti milites, instructæ acies, invictique Regis præsentia confovebat. Elatus cœlo pulvis, nebulæ polo glomeratæ, exhalantisque solo vaporis instar, tum concursantium equorum terrifici fragores, magnæ rei, magni exercitus appetentis ignaros juxtaque gnaros admonebant. Hac Procerum pompa, numeroque peditum & equitum imputabili, *Mediolano* digressus *Aureliensis*, summoque ductorum expectatus omnium desiderio suorum, dum castris exultabundus pedem suis in-

A fert, exorto repente militari clamore, subitaque lætabundæ mentis omnium alacritate, exceptus est. Inusitato inauditoque murmure confestim hilares acclamantium plausus, tum & rauci tubarum crepitantium clangores, expressique tormentis innumerabilibus bombi, tanto pugnæ studio, tantoque conflictus ardore *Gallos* accenderunt, ut jam omnes conserendæ manus impatientia fervesrent: contra vero torpentes elanguidique hostes ore suppallenti flaccescerent; ignavoque perfusi metu conterrerentur. Summissæ voces, compressa murmura, indecorus pallor, tetricaque mussitantis veterani tristitia, indicio conturbati animi longeque diffidentis erant. Et quanquam multis

B Gallum *Venetus* præcelleret, nonnulla tamen formidine correpti milites hærebant, perculsique animo contractis viribus astringebantur: quod cum *Livianus* multorum relatu, ipsaque per militum ora suorum, discerneret, ne sui bellatoris hebetante manu duritia frangeretur, in hæc verba, concione statim advocata, disseruit.

Ecquid hoc est, impigri Milites, Commilitonesque fortissimi, quid hoc est inquam, quod barbaricis acclamationibus, quod inani vanoque conturgentium fastu Gallorum *terremini? Vos proflantes auræ percellunt, vos ardentes equi conflictant, vos stridentium tubarum sonores consternunt? ubi vigor ille vester tot per* Martis *pericula me spectante probatus?*

C *ubi acer animus ille vester* Herculeis *laboribus evincendis indefessus? Latertosæque vires vestræ præliis frequenter asperrimis exercitæ, durissimisque militibus confringendis spectatæ? Vos, qui roboris vestri tanta sæpe cum gloria periculum fecistis, qui invictos vicistis, infractos fregistis, indomitos domuistis, hæsitare, suffrigere, prolanguereque videmini? Vos, qui sæpe pauci plurimos, dulcedine laudis illectante, propulsastis, fudistis, trivistis, nunc spumosas & inanes fluidæ gentis bullas formidare, perhorrereque videmini? Quis hic novus vester pavor? Quæ meorum*

D *hæc insolens militum formido? Quis hic degener abortivi subdititiique commilitii mei metus? Num vestræ illæ manus sunt, quæ totiens hostilibus telis consertæ pugnaverunt? Num vestra illa etiam sunt pectora, illi thoraces, pulpæ illæ, lumbique vestri, qui magnis certaminibus ardentissimisque bellatoribus obvii restiterunt, conflixerunt, vicerunt? & unius acclamationis vocula, uno taratantaræ crepitu, una* Gallici *militis vesculi scena trepidatis? Num* Lilina *illa comperta est, & fastuosa vobis est explorata ferocitas, suis cum* Alpinis *nivibus resoluta? Vino inflatur; bile tumet; cibo distenditur: & cum sub pellibus hybernaverit, æstivaveritque paucis diebus ten-*

E *toriis suis, illico subsidet & intermoritur. Primo quidem feroces impetu* Galli, *quos si cunctatoria hostilis prudentia deludat, aut fortitudo declinet, evirati repente mulierescunt: laboris expertes, periculis ignavi, sudoris impotentes, siti, jejunio, algori, vigiliis, aversissimi; suopte ingenio, suoque more castrensibus negotiis impares. At nostra majorumque nostrorum tempestate* Galli *præclara multa memorabiliaque gessere. Sed antiquæ gentis & ætatis priscæ facinora dissimulabo; nec exoletas obsitasque multa carie schedas excutiam: quoniam cum vivis, & quos præ oculis nostris obversantes intuemur, non cum mortuis agenda res est. Evolvam repetamque laboriosos*

F *ævi sæculique nostri dies, & quibus maxime feliciter gestis* Transalpinus *honor ventosaque natio superbit, una dictione memorabo. Rogo, ab ipso* Caroli *Regis adventu, hic enim nobis primus bellum intulit, quid in hanc diem illustre magnificumque gessit ampullis suis inflata prætumensque speciosa illa barbaries. Triduo certe* Campaniam, Appuliam, Calabriam *continentibus ruinis, irreparabilique fortunæ cuncta prosternentis impetu vicit: sed & crassæ suæ stoliditatis ignavia, eadem omnia triduo, turpiter amisit. Præstitisset non vincere, quam victa tur-*

turpiter amisisse. Agro quidem Parmensi, cum difficiliore regressum progressu suo Gallus sentiret, apud Tarrum sane ferociter pugnavit; excessit, evasit: nimirum plane nostrorum discordia Ductorum, & Italorum, quos secum advexerat, Procerum solicitudo gloriosam barbaro fugam peperere. Sed & Maurum Principem sapientissimum ac præpotentem fugaverunt; Mediolanum urbem florentissimam & populosissimam subegerunt; captivos Nobiles multos traxerunt. Atqui facile est victum vincere; fugientem fugare; captivum capere. Nota vobis mihique sunt omnia: quæ bella, qui conflictus, quæ pugnæ, qui Duces, hac in re versati fuerint; quæ Helvetiorum traditiones, quæ colludia Præfectorum, quæ Ductorum stratagemata, quæ militum solicitudo diligentiaque nostrorum. Omnis meus quicunque miles, quanquam cæteris omnibus infirmior, si modo se mihi talem exhibeat, qualem me ductante Martiis difficultatibus bellicaque re semper præstitit, strenuissimo cuicunque barbarorum, appensiore bene sentientis judicio ædepol præferetur. Et hunc certe non injuria fortissimo cuique Gallorum opponere, conferreque, ac dextro Marte victorem ostentare non dubitabo: quoniam mascula virtus nostra, tam corporis quam ingenii viribus roborata, imbellem elumbemque Transalpinum Cyclopem, flaccidamque Colosseæ molis vastitiem, facile contemnit & superat. Vultis, quæso, differente me, Gallicanam strenuitatem cognoscere, barbaricumque robur, Liviano cuncta recensente, metiri? respicite Commilitones mei, vestraque fideliori memoria repetite, quos ad Cygniculum arcus exstruxerint, quæ trophæa funestum ad Lyrim erexerint, quos triumphos, quas laureas, quos titulos Brutiis, Lucanis, omnique Parthenopeo tractu duxerint, cinxerint, inscripserint? Postquam viribus nostris inferior, longeque præ virtute nostra debilior agilitas Hispanica duritiesque Gallo commissa est, num vos fugit, præcincti juvenes, quam parva sæpe manu, numerosum Gallicanæ multitudinis exercitum profuderit, fatigaverit, fregerit? quam parvo sæpe numero restricti, commeatus inopia debilitati, exangues, emaciati milites Hispani, locorum iniquitate, difficultateque rerum omnium laborantes, magnas Gallorum copias ubertate cibariorum affluentes, delectu jumentorum & locorum opportunitate præcipuas, delassaverint, profligaverint, retriverint? An vos insignem illam omnique ævo memorandam cladem nescitis, qua prostrati cæsique ad igniferum Galli, magno cum dedecore, magnaque suæ cum gentis infamia inauspicatos Campaniæ limites & infaustas oras deserere, obtestari, fugereque compulsi sunt? Mutilatim semper accisæ, exiguaque semper Hispanorum urgente manu, confertissimæ Gallorum phalanges sensim denervatæ attenuatæque sunt, donec exhaustæ penitus extinctæque funditus interiere. Quam deformiter ac fœde, quam turpiter & indecore, fines indulgente fortuna prolatos, & opes aggerante fato cumulatas amiserunt? Eat nunc & sibi placeat gens suis inflata panticibus, totque inde comparatis manubiis, opimisque detractis hostibus spoliis, glorietur; ibi Gallica luxuriet ambitio, Gallicanus ibi tumor infletur, ibi Transalpini spiritus intumescant, ubi barbarico sanguine tellus uberata fœtificat; inde vallares, civicas, muralesque coronas repetant, inde lemniscos sibi decentius aptent, inde sibi titulos adscribant, inde gentis devictæ cognomina, si placet, affectent, proferant, jactitent, ubi tot cæsorum umbræ Gallorum pervolitantes aderrant; ubi tot alites feræque Lilina viscera depastæ saturatæque tenduntur; ubi Transalpino cruentatus sanguine Garrilianus erubuit; effusisque tot late jugera spatiis, tot cadaverum ossibus albicaverunt & albicant, adagio veriore concrebuit: Italia Gallorum sepultura. Et has vos umbras timetis milites, & harum vos larvarum flagella admiramini? & has vos personatas nubes aniliaque terriculamenta contremiscitis & pavita- A tis? Ecce quod vobis omnibus exoptandum fuit, ipsa benignior fortuna profert: Gallum numero militum non superiorem, animi corporisque viribus imparem, egregio valentique ductore orbatum, parvo discrimine nobis evincendum ingerit. Atqui magna Trivultiani nominis fama est, valentissimique Ductoris Jo. Jacobi tota Italia famigerati, præclara sane (non inficior) virtus est. Sed non illa quidem adeo repugnante Liviano, meque illi resistente perclaruit; virtus ubique rara, magnoque semper ubique pretio est: quæ tunc demum effulget & admirabilius explendescit, cum noctis obscuro caligineque tenebrarum obducitur; at cum oppositæ lucis fulgor enituit, adversique splendo- B ris claritas irradiat, subito contorpet & hebescit. Micant stellæ caligante polo, cæloque tenebrescente luna clarescit: at cum exorto sole radii scintillant, totumque per obem flammæ sparguntur, lucifer refugit, luna caligat, sidera languent. Si Mauritana castra Bartholomæus metatus esset, si ductante Liviano Sfortiaci milites pugnavissent, congressus Achilles Hectorem sensisset: nec Bitiam Pandarus, neque Scipionem Annibal extimuisset. Si ductu meo vexillisque meis florentes illæ Ludovici Sfortiæ cohortes conflixissent, non Aracii, non Anoni, non Valentii oppida tam repentino pulvere sordidata pessum issent. Si mucro meus alaudas Gallicanasque C phalanges exertus distrinxisset, staret ad hunc diem innixa suis viribus Draconariorum potentia: nec Germanicos recessus Transalpinasque latebras, tanta rei suæ collabentis desperatione tentasset. Imperatoris inscitia nequitiaque Ductorum Trivultiacam ferocitatem urgentibus fatis adactam impulerunt: nunc potentiore adversario refracta majorique senectutis obice relisa friget, purulentæque ætatis sanie pæne absumpta contabescit. Bello vacantem, & castris obnoxium militum Ductorem, prævalidi corporis viribus præditum, & volucris animi vigore præpollentem esse oportet, quorum alterum in obeunda perficiendaque re tanta si detrahas, protinus evilescet: ubi vero utrum- D que, non ductoris, sed ne quidem militis sibi nomen merito vendicabit; quæ Trivultio mala ætas, effœto jam corpore, exhaustisque ingenii viribus lapsitanti jam pridem eripuit. Hæc eadem vobis mihique, pleno florentis succulentæque ætatis vigore, Deorum gratia, cumulatissime suppetunt; benignique humoris abundantia prævirent; æstuat animus, supercilium salit, concita mens ardet, ad rem cum hoste Martio congressu peragendam: ad Transalpina illa gæsa uno impetu confringenda; ad illos uno turbine nostro conturbandos immanium barbarorum ordines. Commovemur, excitamur, accendimur, ad illas spumante Baccho turgentes distentasque cohortes nostrorum objectu corporum imprimendas, collidendas, E dissipandas. Pila vibramus, clavam quatimus, capulum tenemus. Nunquam vobis mihique fortuna largius indulsit: nec majore propitiata nobis obsequio, vota nostra complexa est: viam nobis præparat regiam & consternit ad laudem; ac uno perlevi modicoque conflictu, ingentem atque perpetuam sempiternis præconiis opulentissima cum re perducit ad gloriam. Ego Gallum dextro Marte, ego vobis, inquam, victum dedo, non ut viribus ingenioque sic & divitiis ac facultatibus impotentem. Onusti omnes auro argentoque, fortunis omnes largioribus abundantes luxuriant; opibus affluunt, torquibus, armillis, monilibus impli- F cantur: pretiosissimas non sibi sed nobis vestes induunt; illi equi, illæ phaleræ, illa stragula non sibi sed nobis explicantur; non Gallo sed Veneto, non Lilio sed Leoni, non sagulo sed togæ deprompta, parata, exhibitaque sunt; illi pecuniarum ingentes acervi, capacibus loculis follibusque congesti, nostris usibus, nostris commodis infulciunt, adcumulantur, constipantur. Et his non inhiat animus vester? his fibræ vestræ non palpitant? hanc in pugnam pectora cordaque vestra non ebulliunt? non inflammantur? non inardescunt? Quid vos igitur movet? quid vos tan-

gere potest & trahere? si non abundans prælargaque rerum omnium copia, si toto terrarum orbe celebranda, præclarisque doctissimorum monumentis in omne ævum transmittenda laus vestra non incitat, non impellit, non provocat? Ego quidem, ne me tantum verbis magnificum, ac hortando suadendoque audacem putetis, aut in cubiculo strenuum & sub umbra pergulisque ferocem, ineundæ, sustinendæ, perficiendæque pugnæ, primas meas vobis partes polliceor: omnique arduo facinore capessundo, omnibusque magnis attentandis & absolvendis rebus comitem & ducem ac periculis subeundis antesignanum dispondeo; & si vestra mihi totiens spectata, castrensibusque negotiis ac difficiliore bello commendata virtus fraudem non fecerit, profligatas omnes hac manu copias hostiles, his telis gladiisque dissipatos ingentes heroas, ipsumque augustum Aureliensem Ludovicum, *tanto futuli spectaculo gloriosum, tantaque umbratili pompa triumphantem, superatum, devictum, captivumque promitto.*

Magna prælocutum, ipsis oculis vultuque terribilem, ac toto corporis habitu spirituque minitabundum, promiscuus assidentium favor, indiscretaque militaris alacritas excepit: atque ipsi interim tyrones veteranique secum examinatissima disquisitione vires proprias hostilesque metiri; *Gallicanam* magnitudinem proxima concionantis oratione tenuatam deterere; obscurare, denigrareque speciosa ac præclara gentis ejus facinora, detrahendo, invertendo, abrogando; præterea collatas utrinque copias exactiore calculo supputare; sese etsi non omni militum numero præstantiores, at certe peditatu ac ferentario equitatu, si non omnino superiores, at sine controversia pares conferre; reliqua vero omni militia non inæquales lætari; ad hæc Ductorum prudentiam suorum attollere; *Petilianum* contatorem laudibus prosequi; *Livianum* strenuitate insignem prædicare; absolutam vero Legatorum solertiam, armatamque consiliis omnibus eorum sagacitatem admirari; atque ita sibi quisque partibusque suis invicem favere; lætis extis, bonisque avibus felicia faustaque sibi omnia conjectari. Rex interea *Ludovicus* expediendæ perficiendæque rei suæ solicitus, trajiciendi fluminis conscendendæque ulterioris ripæ consilium capit: advocatisque Proceribus, ac castrensium negotiorum magistris, cum eorum diligentia locorum situs, riparum declivia, editioraque castrorum explorata didicisset, substringendi compingendique pontis curam delegat. Quo repente subsuto perligatoque, confertissimos pedites ac levites, omnemque tripartito transmittit exercitum; & quanquam iniquiore loco, quoniam hostes excelsiora prævenerant, castra locat; tum vallo fossaque percingit, stationes dispartitur, excubias erigit, visores amandat, expeditissimos ac levis armaturæ viros ad noscitanda disquirendaque hostilia omnia dimittit; dehinc quibus cura major & solicitudo præcipua commeatus insederat, alimoniæ comportandæ, subvectandorumque cibariorum admonet: alii frumentatum, nonnulli pabulatum, plurimi lignatum, materiatumque frequentes in diversa profecti sunt. *Mediolanum*, Lausque proximior affatim omnia, cæteræque finitimæ regiones ubertim cuncta suppeditabant: nulla alimonialis inopia; sed magna condituræ sterilitas & penuria ganearum, ipsaque præcipue vini contepentis fastidia plurimos adflictabant. *Mediolani* siquidem egelidis fontibus algentibusque cellariis refrigerati plus quam æstivis nivibus pretiosissimi liquores arentia guttura sitibundi militis irrigata largiter humectabant: quæ nequaquam in castris æstulaboreque deficcata gratiore potu levabantur. Quippe translatitia ipsoque sub fervente cælo exposita vasa, dum perpetuis vaporibus incale-

A scunt, nullam sitientibus voluptatem tepore suo præbebant. Itaque muscosis antris, ac scrobibus, parvisque fastigiis vinum cantharis inclusum defodere; omnibusque madentibus ramis ac frondibus phialas prætexere; algentemque *Bacchum* omni frigida mollitie, sed in cassum, milites emendicare. Ad hæc instrata patentibus atriis, crebroque flamine continenter afflatis triclinia, lectique cubiculares, præter amissas omnes esculentorum poculentorumque delicias, delassata castrensi sudore corpora nusquam excipiebant: sed bellico labore militaribusque negotiis irrequieta diu noctuque *Gallorum* corpora, majoribus in dies succe-
B dentibus molestiis, prægravabant. Hostes interea castris suis eminentioribus libratorum delectu superiores, assiduas præter excursiones leviaque de improviso certamina, tormentis omnibus *Gallicana* castra pulsare; tabernacula confringere; tentoria discerpere; in ipsum vero Regis augustale prætorium frequenter tela missitare; pilas ingentes ferreas intorquere; omnia denique prædocta manu vibrata, excussaque peritiore disciplina, jaculari. Protinus Legati *Petilianus*que de summa rerum consulentes, postquam barbarum trajecisse flumen vident, nec pugnam retractantem, temere magis quam consulto, fortunæ discrimina per-
C licenter appetere, præfixerunt animis, restitando, tergiversando, cavillando modis omnibus hostem delassare; *Gallicanas*que phalanges congressus avidas defrustari: ut diuturni laboris curæque castrensis impatiens barbarica mollities, vesculaque *Gallorum* fragilitas, cum sustentare non posset, frangeretur; cum præcipue sumptibus infinitis eroganda menstruatim militibus stipendia *Gallicum* ærarium exhaustura forent. Et sane non imprudenter agebant, consilioque maturiore ducebantur: si modo suam fortuna temeritatem mortalium consiliis non intermisceret, humanæque sapientiæ domicilium turbulenta nonnun-
D quam irrumperet. *Andreas* igitur *Georgius*que Legati, servandis castris suis custodiendisque militibus anxii, nihil intentius nec solicitius agere, quam alimentariam numulariamque rem procurare: ipsoque *Petiliano* ex Legatorum sententia militibus imperante, omni diligentia præcavere, ne collatis signis acies concurrerent; sed ut cunctando sustentandoque proclivis in pugnam hostibus, illuderetur. E diverso *Ludovicus* in tanta re gerenda impavidus, suopteque ingenio ardens & ferox, omni studio curaque prætentandi *Martis*, subeundæque ancipitis fortunæ occasionem quæritare; promovere castra, aciem instruere, pugnandi
E copiam facere; & quanquam magno irreparabilique dispendio periclitaretur, summoque potius rei *Gallicæ* nostræque lapsu nutaret, hostem tamen de proximo provocare, & quanquam accliviore loco, modis quidem omnibus assilire statuit. Igitur primum omnium, Deos Deasque prisco gentis instituto, precari, obsecrareque reverenter, ut successus tantæ peragendæ rei prosperos darent; *Mediolani* per Pontifices & Sacerdotes, ipsasque per sacras Virgines obtestari orareque suppliciter, ut tanto propinquoque discrimine *Gallicam* omnem *Italicam*que rem præsidio suo juvarent; in eorum
F arbitrio potestateque omnia sita esse: non temere movisse bellum, sed irritatum insidiis hostilique malitia lacessitum intulisse; proinde respicerent æquitatem, annuerent sinceritati, *Gallici*que candoris puritatem complecterentur. Hominem infirmitate sua caducum & debilem, quanquam valida stipante manu præcinctum, nisi Dii ipsi immortales propitiati benignius aspiraverint, haud certe quicquam consequi posse: suas ingentes copias, militum suorum strenuitatem, magnanimitatemque ductorum, ne flocci quidem ullius pensique fecisse, nisi Deorum expressæ nimbo salutares

tares undæ subroravissent. Errare graviter ac decipi, quicunque potentiæ virtutique suæ confidant: ambitiosæ, jactantis, petulcæque mentis esse, non omnia Diis accepta beneficia referre. Post hæc militem impendio cohortatus, cum infamiæ mortisque, si languentes & timidi, si vero fortes & strenui conflixissent, felicitatis & gloriæ præmonuisset, signa tolli confestim imperat: ac quadrato agmine, suisque sub signis, ordinibusque dispositis militibus, velut oppidum *Pandinum* petiturus, itinere certo, quanquam malignio re progreditur. Sanxerat animo *Ludovicus*, quocunque rerum discrimine, bellique fortuna, quam ocyssime digladiari, ferroque decisam repente causam omnem absolvere: quoniam castrensibus æstivisque laboribus perferendis indocilem *Gallicanam* mollitiem præsentiebat; & quoniam suopte gens ingenio ferox turbulentaque, cito transigere, dubioque exitu quocunque versata, protinus elabi modis omnibus efestinat. Sed tamen in tanta gerendæ rei cupiditate, committendarumque desiderio copiarum, occasionem, si quam fortuna melior obtulisset, animo meditabatur: ne veluti de compacto suas internecioni legiones suaque temeritate demens apertis copias periculis objectaret. Quocirca frequenter hostium explorare consilia, & quæcunque *Venetica* sagacitas præstrueret & maturaret, inquirere. Persuasissimum autem habuerat hostilis prudentia, Regem nunquam ex iniquo dimicaturum: sed ex locorum opportunitate, vel meliore fortuna, quæ semper illi *Venetorum* consilio Legatorum, Ductorumque prudentia suorum præriperetur, congressurum. Proinde sese castris suis continere, & quanquam verbo pugnam non retractarent, ipso tamen facto, si *Gallicanæ* campis acies explicarentur, alia atque alia causando excusandoque differre Legati decreverant: donec ex improviso Deus rem fato meliore componeret. Interea tamen si quid hostis moliretur, oppidum invadendo, aut urbem oppugnando, prævenire vel subsequi, præstoque esse, ne socialis fides præsidio destituta deficeret, accurate prudenterque statuerant. Solicitus ergo Rex quibus dolis artibusque *Venetum* ex abdito in aperta pelliceret, *Pandinum* iter fingit; ac ut manifestiore conjectura causam juvaret, faceretque fidem insidiis, hostilem viam, qua perrecturus miles *Venetus* putabatur, decisis ramis arboribusque revulsis præpeditam obimplicat: ut retardare proficiscentis iter velle crederetur; ipse diverso itinere quanquam iniquiore loco, parata tamen & instructa acie veluti conflicturus *Pandinum* iter dirigit. Proficiscentem *Gallum* suo *Venetus* editiore loco prospectans nihil plane solicitius obibat, quam maturantem illum prævenire. Nec enim ullus confligendi metus, aut ulla pugnæ suspicio fuit: in tanta præsertim iniquitate locorum viarumque dispendio. *Livianus* igitur, qui nulla concurrendi spe *Pandinum* festinabat, improvido milite, laxis ordinibus, ipsoque pæne omni incomposito agmine *Nicolaum Petilianum* prægressus, paulo longius ab eo, sicuti quidam scribunt, diverterat; & ut *Cælius* addit, discordi etiam exercitu: cui nunquam assenserim. Etenim qui fieri potuit, ut discordem in re tanta *Petilianum* Principes *Veneti* prærogativis ac dignitatibus prælionestarent? quem & dilexisse & adamasse deinceps certo scimus. Rursus in eam adduci sententiam non possum, ut reluctantem *Livianum*, Imperatorisque *Petiliani* dicto non auscultantem *Andreas* atque *Georgius*, summa præditi potestate castrensiumque rerum moderatores, non corripuerint ac castigaverint. Quod si importunam emendationem, intempestivumque censuræ distringendæ locum excusent hi, qui *Cælium* sequuntur, respondeant quæso (si Diis placet) cur *Livianum*,

A cum in vinculis esset, præcipuo singularique studio *Venetus* redemerit; cumque inter ipsum *Gallum*que deinceps redintegrato fœdere convenisset, cur hujus reluendi Viri cura impensiore teneretur. Dixerit aliquis, ut insolentis tumultuariique Ductoris contumaciam ex lege plecterent, suoque de more pœnam exsequerentur: atqui vinculis ereptum redditumque libertati benevolentia complexi sunt, suisque congruentibus titulis prosecuti. Quod si dolo lapsus vel fide, tantillum, vel, quod ajunt, unguem declinasset, severissimas ex ipso sonte pœnas exegissent: ne delicti gravioris atrocitas suam præsertim in Rempublicam inulta maneret. Quod vero *Mocenicus*, qui *Livianum* ex merito B virtutis ejus commendat, Ductores alios res novas molitos scribit, alios etiam majori suarum cum parte copiarum ab hostibus aversos, ne quidem in *Gallum* aciem direxisse, non abhorret a vero. Vulgatiore siquidem fama & *Mediolani* & in castris innotuit, Ductorum nonnullos a *Venetis* ad Regem descivisse: fideque lapsos, majora *Veneto* dispendia quam *Gallum* intulisse. *Livianus* certe cum in vinculis esset, *Petilianum* incessivit acerbius, dictisque Virum amarioribus detaxavit, quod depugnantem acerrime, pæneque *Gallos* consternantem, sua integra acie suisque subsidiariis ordinibus non juverit. Sed expurgatum scimus omni crimine *Petilianum*: *Venetæ*que rei conservatorem C magis quam eversorem fuisse. Procedente igitur *Ludovico*, susceptumque iter peragente, *Livianus* non discordioso plane nec rebelli spiritu, sed jure suo prævium agmen agens, *Pandinum* contendebat: pauloque longius a *Petiliano* non livore nec contumacia digressus, sed ut properantem gradu suo Regem præveniret, rerum securus anteibat. Et jam omnis armaturæ levis equitatus, ignava cum omni hostilium tormentorum classe, *Gallorum* agmen primum, ipsasque acies antesignanas excesserat, cum prosilientium elati de improviso militum clamores, excussaque dilatentibus tormentis pondera, ac undique circumfusæ *Gallorum* acies a tergo, a fronte, a lateribus, horrifico terrore contrepuerunt. Inopinata res, impræmedi- D tatique militum accursus, tum Martialium creberrimi tormentorum ictus ex obscuro saxa pilasque conglomerantium, hostilem exercitum vehementer conturbavere. Quippe *Trivultius*, cujus ingenio virtutique plurimum Rex semper tribuit, cum *Venetorum* potentiam, Ductorumque solertiam eorum ac Vires innumerato haberet, nisi hostem insidiis circumventum opprimeret, deluderetque prudentiam eorum altiore prudentia, victoriam ex æquo certamine desperabat. Itaque post emollitos corruptosque Ductorum nonnullos Proceres, quos pollicitationibus ac donativis ingentibus ad E Regis obsequium attraxerat, simulatumque iter, cum nihil minus quam iter cogitaret, tormenta quoque castrensia, senticosos inter calles ac vepribus obseptos tanta arte defixit, ut hostis priusquam animadverteret, consterneretur. Signum etiam dederat, ut clamore militum elato, tunc demum tormentarii prægnantium organorum pondera uno rigore unaque fœtura prolaxarent: nec ipse quidem assiliendi signum daret, donec omnis acies hostilis explicita, plenos ictus tormentorum, nullo prorsus irrito cadente, foret exceptura. Horum ergo F omnium inscius Ductor *Livianus*, cum longe prægressus, omnem mediam postremamque aciem sub cultro reliquisset, repentino cæli confligentis terrore concussus a *Pandino* ad hostem convertitur. Nihil certe prudentis animum impatientius fatigat, nec curis acrioribus distringit, quam cum alia cogitanti alia offeruntur, longeque diversa, mentisque conceptu prorsus abhorrentia, subitariis casibus oboriuntur. Intendebat *Livianus* commeandi celeritate *Gallum* prævertere: datoque

militibus suis tranquilliore otio, aciem instruere, adventantibus occurrere, fessosque de via *Gallos*, recreatis cum legionibus suis opprimere festinabat. Sed aliter adversarii singula præmetientis acutius evenisse prudentia cognovit: quippe intercilo itinere, revocandi milites, explicandæ acies, committendæque manus inopinato certamine fuerunt, quæ præferocem ædepol strenuumque Ductorem percellere consternareque potuissent. Ille tamen mentis interritæ, infractique Vir animi, subito conversus, pugnæ milites admonere, admonitos disponere, dispositos promovere, promotos urgere, hortari, accendere. Dura sane conflictus facies & aspera: cum pæne dementes attonitique milites, ubi starent, quo pergerent, ad quem se reciperent, ignorabant. Sine ordine, sine jussu, sine signo hærere; alter alterum impedire, invicem obluctari; seseque mutuis ictibus allidere: quos irrequietus obequitando cursitandoque *Livianus* signo, voce, manu, componebat, dirigebat, animabat; mox collatis utrinque pedibus, cum tormenta pilas saxaque depromerent, dissonoque cælum fragore congemeret, ipse unus omnium depræliantes acriter vultu teloque formidabilis adjuvare; terrere hostem, incitare socios, declinare ictus, sauciis integros sufficere, ignavis ardentes substituere, debiliores robustioribus confirmare. Jam se receperant ex tanto metu instructæ acies *Venetæ*, animatæque ferociter & strenue dimicabant: etenim quanquam paulo ante confusa conturbataque omnia sic involverentur, ut nulla justi conflictus esset facies apparitura, magnorum tamen Ductorum ipsiusque præsertim opera *Liviani* furentis, instaurata redintegrataque suis ex ordinibus dispositasque per acies omnia jam constiterant. Itaque magnis utrinque viribus concursum est, magnoque valentissimorum utrinque studio Ductorum asperrime sævissimeque decertatum. *Livianus* unus inter omnes increpitare, unus omnium feroci prælatus equo strepitare, ipse cunctos ordines intercursare, cornua flectere, latera fulcire, omnibus interesse. *Gallicani* contra Ductores, ipseque inter primos audacissimus omnium *Ludovicus* non hærere, neque cunctari: quanto naufragio laboraret, quantaque sub unius horæ labentis articulo moles rerum versaretur reputare secum, diligentiusque metiri. Itaque magno Vir spiritu, cum corpore tum voce sua fortunam impellere; spectatam veterani novitiique virtutem ipse præsens laudare; ardenter præclareque patrata ignave turpiterque factis opponere; collatione alterius alterum provocare; stimulorum omnium incentiva subjicere; ipse omni agmine antico posticoque ac medio versari. Debacchabatur his stimulis incensa juvenilique calore præfervida juventus, nulloque vitæ diuturnioris ingenito respectu, manifesta mortis in discrimina proruebat. Cumque fortissimi *Gallorum* equites hosticam aciem violenter imprimerent, Summatum Patriciorumque plurimi nostrorum, cum ne *Gallo* cederent, tum ut ipsa omni acie diversantis gratiam Regis aucuparentur, incitatissime strenuissimeque confligebant. Crudelia fœdaque omnia, & cadentium & morientium strage confusa, cunctis late squallentibus inhorruerunt. Lachrymabilis erat & miserabilis rerum ubique funestarum omnium aspectus, quique sui perhorrentis terrore spectaculi, visentium oculos procul averteret: stabant ingenti strue congesti cadaverum cumuli, novoque semper acervo succrescente morituri mortuos percellebant; permixta jumentis humana corpora, mutuoque invicem cruore respersa, reciproco pondere gravabantur; tum & confuso profluentes sanguine rivi, longo terram ambitu permadentem irrigabant. Multi sane *Venetorum* ferro cum urgerentur, inclinatamque suam aciem

A viderent, in confertissimos hostes incurrerunt; ibique truculentissime certæ mortis gloria dimicantes, defunctos inter hostiles globos reperti sunt: adeo subeundæ mortis contemptus & vitæ desperatio concitos agitabat; quorum nomina nonnullorum literis prodidere, qui charactere historico rem plenius exsecuti sunt. Depugnante pro Rege *Gallum* multa juverunt: præcipueque tormenta vepribus ac frutetis obscura, quæ prodeuntem incautum hostem graviter adflixere. Contra vero, hostilia tormenta sive dolo, sicuti quidam æstimaverunt, sive adverso ventorum impetu, in ipsosque tormentarios reflante aura, parvis *Gallum* detrimentis
B affecere. Sed & improvisa res, lubricaque fides, nonnullisque Ductoribus parum constans, majorem *Veneto* jacturam intulerunt: gravissimam vero, quod *Petilianus* laboranti magno discrimine *Liviano* suis cum copiis non affuit, Legatis, ut vulgo receptum est, interdicentibus. Hoc siquidem asperrimo atrocissimoque bello, cum utrinque tanto animorum ardore, tantoque despectissimæ vitæ contemptu, res gereretur, ac præcellentium Ductorum strenuitas, ipsiusque maxime ferocientis *Liviani* fervor indomitus alternantem victoriam sustinuisset, cerneretque prævii sui agminis acies magna ex parte sævitia Martis adob-
C rutas, *Petilianum* spe certissima victoriæ præmonuisse dicitur, ut suo integro milite, suisque cum subsidiariis legionibus, succurreret. Quod ille non temere nec inconsulto sprevit, sed ipsa re ad Legatos relata, cum de reliquis perdendis militibus non futilis timor incessisset, quod jam insidias, acclinantemque fortunam Legati præsenserant, illorum repressus imperio destitit. Cujus expers rei *Bartholomæus*, cum procellæ Martis perpetuo telorum fragore pertonarent, totaque ferri rabies suam in aciem despumaret, accitis ad latus suum fortissimis quibusque, in robustissimas præliatorum cohortes concito translatus equo provehitur: ibi-
D que barbarici roboris scopulo totam virium suarum aciem defricat, omni corporis sui parte versatilis, omnibusque membris in certamen ope summa prænitentibus. Illustria præstantis viri facinora multis quidem admirabilia fuere, quæ eo tolerantius atque constantius Vir undequaque strenuus cumulabat, quod affuturum præsidio *Petilianum* suis actutum cum copiis opinabatur. Itaque cum feroci insidens equo, congressus, proterendo, feriendo, reculcandoque, adversam novercantemque fortunam evincere non posset, nec impotentius reluctari, equo desiluit: pugnaque crudeliter instaurata, clamitando, territando, cædendoque, desu-
E dantes & exagitatas hostiles ubique copias anxius multo labore fatigabat. Cum in tanto Martis turbine mortisque periculo præsignis Viri virtus præluceret, duriorique obice diu vires obluctatæ, suspicientibus cunctis clarius explendescerent, suggrediente a tergo, explicataque pone longius ala, cum aliorsum impacti bellatorum cunei violenter irrumperent, circumseptus undique, nulloque non vulnere fœdatus capitur. Illico cum parta veluti repente victoria, præsultantium militum alacritate cælum terraque confremeret, confusaque cum metu tum gaudio passim omnia tumultuarentur, extemplo tantus horror incubuit, tantaque per-
F turbatorum militum omnium trepidatio facta est, ut veluti jactum de cælo fulmen omnes perstrinxisset, dispalantes vagique per agros, nullo duce, nullis signis, nullo ordine spargerentur. Incredibilis plane, multorumque literis in omne ævum transmittenda, dissipati tanti exercitus profusio. Tot uno pæne momento cohortes, turmæque tot præstantibus viris summisque Ductoribus gubernatæ, discerptæ, confractæ, retritæque sunt. Ad multa passuum millia jactatæ sarcinæ; abjectaque velut impendente naufragio campis equorum muni-

nimenta; tela, arma, spolia, viatoribus agricolisque peragrantibus ubique reperta; tormentales machinæ plures & pretiosæ, quarum nonnullas Decemviratus inscriptas titulo *Mediolanum* victor revexit, magno metu profugis ac trepidantibus cunctis, derelictæ sunt. Captivi milites multi; comportatæ manubiæ; jumenta supra numerum alio atque alio perducta sunt. Sed harum infanda tetraque carnificinarum spectacula, majorem permixto horrore spectantibus admirationem ingessere, quod exanimes semivivique plures, nulla ingrassantium pietate prædonum nec misericordia sublevati, sed præpropera avidi raptoris manu, ad ipsa pudibilis naturæ secreta dispoliati, permixtique cadaverum ingentibus acervis, majore prædonum quam hostium vulnere contrucidati confectique jacuerunt: adeo sæpe telis acrioribus avaritia quam hostilis mucro bacchatur. Pulso fugatoque tanta clade *Venetorum* exercitu, cum etiam persequente nullo, præconcepti timoris imagine, profugum militem defixus imo corde terror imprimeret, equo Regem desiluisse ferunt; flexisque solo genibus procidentem ingeniculatumque, Diis immortalibus gratias egisse, quod pietate sua non comprecantis merito rem suam omnem salvam esse voluissent; neque suo paucis exercitu desideratis, cæteros incolumes præservassent: vovisseque tunc ædem trophæi instar perpetui, quæ Virgini nuncupata sacrataque, victoriam omni ævo præsignem, cæsorumque numerum inscripto titulo contestaretur, quam & paulo post, eo loci, quo barbaræ nostræque legiones conflixerant, excitavit, ad culmenque perduxit; hodieque extat. Cumque eam prius nostræ religionis ritu colerent, in eaque nostro more sacerdotes operarentur, hodie vacat; succedentibusque deinceps tot gladiis, ejecta limine sacra conquiescunt. Agrestes, qui ea arva ligonibus exercent, quique vicinos agros sarrientes rastris circumcolunt, mira suspicientibus nobis & stupore defixis sæpius narravere. Nam & lugubres ejulantium gemitus, funestasque miserabili fletu voces procul exauditas ferunt; sed & terrificos armorum sonitus, commissoque velut atrociore prælio, confligentium acies pugnatorum miris circumquaque modis instrepere; insolitos præterea novosque terra subtremente, motus inhorrere; visaque delubri limina postesque stridentibus pessulis commoveri. Tum admirabiles ingentium hominum formas & humana specie grandiores, incertis oberrare vestigiis; mox consistere; sæpe tumultuari; nonnunquam suffugere; omniaque circum latioribus inquieta spatiis, fragoribus ac terroribus agitari. Lachrymoso feralique prælio Regis ex sententia transacto, cum innumerabiles vincula captivos astringerent, indiscretisque custodiis mancipia servarentur, excelsæ Vir unus inter omnes gloriæ, famigeratæque virtutis ornamento præclarus, eximios inter Ductores *Livianus* ad Regem perductus est: crasso sanguine multoque pulvere sordidatus, torva facie, contractisque fronte superciliis asperata; ac tunc etiam ferocientis animi truculentia spectantibus cunctis formidolosus. Hunc super cæteros *Ludovicus* videre cupiebat; & quia magna virtutis specie Vir præditus ferebatur, & quia dicacitate multa linguosus, suæque virtutis gloriosus ostentator, *Gallicanæ* dignitati semper obtrectaverat: circumfusi Heroes Proceresque Regii, tanti Ductoris inspiciendi gratia constiterant. Hic cum ad *Ludovici* solium restitisset: *Age*, Rex inquit, *Bartholomæe, ubi tua illa ingens magnanimitas, tua jactantia, tuaque tanta ambitione verborum effusio? qua totum exercitum meum incessebas, detaxabasque convitiis omnibus ac probris, meque etiam captivum manu tua perducturum, arrogantius persuadebas? expedit sane prudenti viro modeste loqui, sed & de Rege modestius: cujus-*

A *que virtus meritis suis æstimanda est, nec propriæ laudis incremento alterius depretianda est.* Ille quanquam omni custodia circumseptus, indocilis tamen mansuete loqui: *Nunquam*, inquit, *Ludovice captivum vidisses* Livianum, *si mihi* Petilianus *fraudem non fecisset: ille gloriæ meæ titulorumque meorum invidus, ut mihi partum virtute mea triumphum eriperet, subtractam mihi, tibi victoriam contulit. Quod si vir ille, sicut par erat, subsecutus esset, quod facturum existimabam, ego manu quidem ista* Ludovicum *Galliarum Regem, ad sanctissimi Senatus* Veneti, *Principisque solium augustissimi, statuissem.* B *Sed dolo victus & inimici circumventus insidiis, non ignavia socordiaque mea, nec militum strenuitate tuorum succubui. Neque* Transalpinam *virtutem existimes* Cisalpina *validiorem, aut tuis pila nostra gæsis unquam esse cessura: sed lubricam alternantis fati temeritatem universas res nostras permiscere; ipsumque validiorem potentioremque videri, quem ulnis suis fortuna proclivior exceperit.* Hæc & hujuscemodi, ut frequenter sermo sermone seritur, cum *Ludovicus* & *Livianus* interloquuti fuissent, cunctis oculorum vigorem orisque habitum admirantibus, honestiori custodiæ commendari Virum Rex imperat: tum & vulnera curari, vestemque indui, pro Viri dignitate Personæque decoro jubet. C Varii de Viro tunc sermones erant: aliis *Hectorem Achillem*que, rursus *Annibalem*, si luscus esset, vel *Scipionem* aliis prædicantibus. Mox paucis diebus interjectis, cum cæteri languentes sauciique commeatum ad curam corporis impetravissent, mandataque sepulteræ cadavera, cumulis ingentibus conderentur, *Livianus* Mediolanum pervectus est: magnisque cohortibus arctissimisque præcinctus custodiis armatorum, postque multa limina, penitissimosque recessus, in ipsa *Jovis* Arce, mansioneque fidissima repositus est, & intentissimis excubiis observatus. Mirum fuit, quam magni unius ingentisque captivi gratia pervisendi, sese omnis concito gra- D du populus certatim effuderit: adeo celebris in eo fama, sitæque magnæ virtutis admiratio, civem juxtaque plebem in spectacula protrahebant. Ægroti curam *Philippus Maurus*, præcipui nominis in urbe *Mediolano* chirurgus, susceperat: vir scientia præditus, suæque artis ope mihi non ignotus, a quo sane multa, cognoscendæ veritatis studio percunctati, cum decumbentis *Liviani* quotidiana consuetudine sedulam ob curationem frueretur, didicimus. Qui cum a vulneribus convaluisset, pristinæque restitutus incolumitati, commissis cicatricibus omnique languore deposito liber evasisset, transcensis E *Alpibus* in *Galliam* imperio Regis emigravit; inibique servitutem aliquot annos, quanquam aureis compedibus laneisque vinculis placidam ac mollem servivit: donec *Gallicana* potentia fato vertente culmine summo dejecta, redintegrato cum *Venetis* fœdere, regressum postliminio Ducem juri suo restituit; de quo pauca, cum suis subnexa filis contextæ rei series admonuerit, memorabo.

Post *Veneti* stragem exercitus infandam, tantaque hominum internecione miserabilem, *Ludovicus* fortunæ plaudentis insolentia victor gloriosus, magno obice discusso, refractaque *Leonini* roboris potentia, cæterorum cuique Principum ad F sua vendicanda viam præstravit: suæque terribilis clangore tubæ, cum perculsa omnia contremuissent, ipseque ferro violenter impacto, durissima cuncta late disjecisset, *Italiæ* Regulos, omnesque finitimos Principes ad ea repetenda, quæ sibi jure vel injuria deberi contendebant, provocavit. Tunc itaque velut magno exuperante incendio, cum spatiosa, fluctuantibus undis flammarum correpta domus solo consternitur, aut novo succussa terræmotu ingens Regia dejecto culmine proruit, vulgaris omnis turba, circumfusique tribules manum properanter injiciunt: hic tignum, ille trabem,

bem, alii diffita majore lapsu laquearia raptant, trahunt, convectant, judiciorum legumque securi. Sic Imperii *Veneti* machina revulsis compagibus procidente, imbrices, asserculos, tabulas, hoc bellicarum æstu flammarum, *Venetæ*que tempestatis naufragio projactatas, intenti circumquaque vicini Principes injectis avidissime manibus attraxere; expositæque velut prædæ faucibus apertis inhiantes, obuncta mordicus abligurivere morticinorum intestina. *Hispanus*, qui *Parthenopeo* Regno fruebatur, loca *Venetis* obnoxia, assultibus repentinis ingrassatus obtinuit. Eo bello miram navasse tunc operam *Antonius Leva* dicitur, ab his, qui eo loci in acie versati sunt, quique eum pulverem ebiberunt: sed nisi ante postque, majora clarioraque manu sua compatravisset, non eum plane locum famæ gloriæque suæ paravisset, quem nos deinceps eum possedisse cognovimus; nec ea dignus laude prædicaretur, quam præconio crebriore promeruit. Etenim facile fuit tanto fragore prolabentem fortunam adurgere: equoque sua sponte procurrenti fluitantia lora promisisse. Quod si tantum *Agnidilinis* arvis, exaugurato funestioreque loco, res *Veneta* stetisset, placuissetque fortunæ peregrinari, nec prudentum consilia perturbare, non *Gallus*, non *Germanus*, non *Hispanus*, non *Julius* Pontifex Maximus, non *Atteſtini*, non *Gonsagæ* Reguli, *Venetam* togam solidiore filo contextam forficibus ullis discerpere potuissent: sed eam Dominæ præpotentis imperia, divulsam concisamque sparsere, abjectaque procul ejus segmenta, colligendi facultatem cæteris præbuerunt. Ergo cum *Hispanus* sua vendicasset, asseruissetque propria *Mantuanus*, *Alphonsus* quoque paternæ virtutis & ditionis hæres eluxatum mancumque compegit & redintegravit imperium: cherronesumque suam, quam *Padus Athesis*que circumluunt, agrorum lætitia ac frugum ubertate felicem, *Polisinum* vulgus dictitat, ingrassatus est; exoptatamque diu promoto milite suis finibus adjunxit. Tum *Rhodigium* ejus quoque regionis metropolim, *Rhodigini*que juris Abbatiam, ac *Lentinariam* pari jugo devinxit: concopulavitque omnia, quæ suorum esse majorum suique juris, de re sua disceptator ipse sequesterque, judicabat. *Julius* Pontifex Summus tanti procul elucentis incendii non expers, quanquam *Urbinate* fortunam adjuvante, nunc demum enixius perurgente, cuncta, quæ pontificii juris esse censebat, impressione copiis suis facta recepit. Cæsar domi sedens feriabatur: fortunæque tumultuantis ludibria prospectabat; nec fieri posse ducebat animo, ut ea suis moles subnixa pedamentis, juncturisque firmioribus undique solidata proruerent. Sed postquam adversi casus ruinæ, cum ipsius machinæ cadentis plangore, tum late pervadentis famæ rumoribus, obstupentis aures repleverunt, castra movit: ac vix *Tridentinis* collibus ascensis, arreptisque vix ad peragendam rem frameis, cum exagitata omnia fortunæ perbacchantis impetu commiscerentur, cuncta, quæ sui juris esse censebat, nullo hostili congressu, suam confestim ad manum revocavit. Quippe *Vicentiam*, *Patavium*, *Veronam*, universumque *Julii Forum*, Utino duntaxat excepto, sicuti *Cælius* scribit, tum & *Tergeſte*, *Goritiam*, pluraque alia, quæ *Baselius* notat, uno latiore limbo, unaque longe diffusa peragrantis victoriæ fascia percinxit. *Mocenicus* omni quidem testis exceptione major, hanc rem in hæc verba prosequitur: *Igitur Patres trepidatione potius quam consilio ducti sunt adversæ fortunæ cedere; & omnia utcunque petita, omnibus ultro tradere: sicut &* Julio *Pontifici* Ariminum, Faventia, Ravenna, Cervia*que traditæ sunt; Duci vero* Ferrariæ *tota* Rhodigii *peninsula, & Regi* Hispaniæ *civitates* Appuliæ: *sed Regi* Romanorum *tradita est* Verona, Vicentia, Patavium, *ne* Galli *rem in* Venetam *ulterius progrederentur.* Et paulo post, *pari modo Rex* Romanorum *non contentus habere* Veronam, Patavium & Vicentiam, *novum gerere bellum cœpit: in Istria, & Foro Julii.* Hactenus ille. Qui in *Gallia*, qui in *Germania*, quique in *Italia* gestas res tempestate nostra scripserunt, quanquam aliis alii dispositius & plenius, nonnulli etiam delimatius atque politius, in hoc tamen omnes pari stilo parique calculo consensere, universos fere ditionis *Venetæ* fines, quos sibi Cæsar addictos jure vel injuria, vendicabat, ejus in potestatem esse redactos: sed alio alioque modo. Ego quidem ab his, qui tunc *Gallico* ære merebant, quique in acie versabantur, accepi, cum profligato exercitu fusisque legionibus *Venetis*, lato cuncta prospectu *Gallis* victoribus dispaterent, oppidorum urbiumque præfectos ac Decuriones, acclinanti fortunæ indulgentius obsequentes, vix dum *Lilinis* insignibus prospectis, ultro Regi portas aperuisse, ac claves obtulisse; cumque ipse *Cremonam*, *Bergomum*, *Cremam*, *Brixiam*que jure suo recepisset, cætera omnia, eorumque deditionis signa, *Maximiliano* Cæsari transmisisse; ac reluctantibus amicis, neve in ipsius victoriæ concalescentis fervore æstuque frigesceret, suadentibus, sed ad extremos ut terrarum usque margines orasque maris progrederetur, hortantibus, substitisse, ne læsæ fidei violatique fœderis convinceretur; atque tunc ipsos pertinacius contendentes respondisse, non eum iccirco temeratæ legis reum videri, sed majori virum beneficio promerere: omnia siquidem Cæsari deinceps relaxasse, nulloque ipsius detrimento parta resignavisse, impensioris fidei beneficiique plenioris fuisset: cum præsertim ipsum victorem *Gallum* omnes æquius ac reverentius observavissent; ipseque validius atque potentius defensare, tutarique universam rem suam potuisset; cumque pæne sua dejectus opinione, paulatim hanc in sententiam flecteretur, adversante *Rhotomagensi* Episcopo reduxisse funem, ac restitisse: quoniam sicuti quidam æstimaverunt secretorum scrutatores, harumque rerum omnino non ignari, cum Principes *Veneti* modis omnibus rei suæ caverent atque prospicerent, multaque *Rhotomagensis* arbitrio, ne universam rem dixerim, pendere liqueret, hunc conciliatum sibique propitium esse voluerunt. Addidere nonnulli, quanquam re mihi parum ex fide comperta, ingentia grandiaque pollicitos: atque si opera suffragioque ejus res *Veneta* constitisset, Pontificatum etiam Maximum promisisse. Quorum ille memor omnium, ut consilio rem *Venetam* suo juvisse, suaque pro virili beneficiis affecisse videretur, titubantem *Ludovicum*, & in tanta re conficienda subhærentem repressit: quo suas intra metas residente, legitimique præscriptas termini lineas observante, reliqua Cæsar sive Regis beneficio tradita, sive ipsorum ultronea *Venetorum*, vel populorum oblatione resignata, possedit. Sed in ipsum qua manu provoluta confluxerunt, eadem revoluta ab ipso protinus refluxere: sicuti tortilibus ex ordine verborum spiris, & in sese tractu perpetuo recurrentibus, ad insumptæ materiæ consummationem, suis nodis suisque vinculis protinus alligabo.

Hostilibus igitur copiis adverso Marte profusis, quanquam *Gallus* ad manum omnia verteret, excelsaque omnia victoris pedibus adsternerentur, progredienti tamen illustrisque victoriæ gloria lætabundo, scopus obexque paulo durior properantis iter intercidit: diduxitque complanatam Regiæ viæ soliditatem. *Venetæ* siquidem jurisdictionis præmunitum omni robore municipium *Piscaria*, Ludovico sese contumacibus animis objecit. *Lactantius Bergomates*, strenuitatis vir non ignotæ, collectis exercitus dissipati fragminibus, in illud sese receperat: confirmatisque militum animis, ac

ac prævallato foſſis ingentibus oppido, rem *Venetam* ardentiſſime tutabatur. *Antonius Bonus* copiarum Legatus, *Andreas Ripanus*, qui præfecturam arcis obibat, præfixa concordique ſententia conſpiraverant, ultimam ſortem experiri, extremæque fortunæ periculum ſubire. Sed arduum fuit & difficile, victorem tanta rerum felicitate glorioſum, omnique ex parte dulceſcentis fati nectare temulentum cohibere, contraque reluctantem populum adniti. Ergo cum hoſtis appetiviſſet, per internuntios & feciales deditio prætentata eſt: ſecuræque pacis otioſa tranquillitas. Quam cum incluſi viriliter potius & ex fidei merito quam contumaciter excluſiſſent, eaque præſultanti *Gallo* via non ſuccederet, admotis muralibus machinis, inſtructaque omni militia, Rex oppidum oppugnare ſtatuit: perindigne graviterque ferens, quod victoriam interpellarent homunculi, quam prævertere quinquaginta & amplius armatorum millia, nec remorari potuerant. Itaque bile concitum exclamaſſe Regem ferunt, nulli veniam irrogaturum, ſi deditione diſpreta pertinaciter conſiſterent, admoverique muris tormenta paterentur: eamque jurejurando devotionem ſanxiſſe. Quam obſeſſi cum perpetuo contemptu, non temeritate nec petulantia, ſed religionis vinculo reſpuerent, ſuæque tutelæ firmioris propugnaculo commiſſam arcem ſtrenue conſtanterque tuerentur, longo diſpoſitis ordine tormentis, admotaque delecti peditatus armatura, oppidum aggreditur: neque bellatorum, neque tormentorum copiæ, neque præferoces animi, proximaque victoria ſuperbientes, ad obeundam omnique perficiendam celeritate rem tantam deerant. Quapropter exercitu numeroſo, magniſque pugnatorum cohortibus, tum vaſtis muralibus tormentis, obſeſſorum omne latus oppidumque, militiæ Præfectus circumcingit: mox ſiliceis ferreiſque pilis crebriore pulſu muros quatientibus retundentibuſque fodiculat. Hinc inde perforata mœnia, aliiſque ſuper alios geminatis tergeminatiſque ictibus diſſita, magno hiatu, latioribuſque feneſtris intervulſa diſpatuerunt. Expugnatorum *Gallorum* ſors quidem melior quam ipſius oppidani propugnatoris defenſio. Sauciis quippe deficientibusque *Gallis* integri recentesque ſubſtituebantur: ſuffectique majore ſupplemento *Lilini* milites pugnam ſemper validius inſtaurabant. E diverſo, *Veneti* omni telorum genere petiti, confectique vulneribus, irreparabili jactura caſitabant. Et quanquam pro virili & ſumma ope contenderent, acerrimeque depræliarentur, hoſtili tamen excreſcente numero, deficiebant. Ergo cum diu pugnam intentis omnibus nervis ægerrime ſuſtentaviſſent, ſummoque diſcrimine periclitantes, nec imprimentis impetum amplius repellere, nec propulſare *Piſcarini* poſſent, ceſſere. Extemplo proruentium alacritas, velutique victorum repentina ſucclamatio, incredibilique metu profugitantium terror concuſſa omnia perculerunt. Inhorruerant cælo clamitantium ejulatus, ſtridoreſque rerum omnium deſperatione terrifici, inauditis ante ſonoribus confligebant. Cædis, incendii, populationis, una confuſio; unaque militum atque municipum indiſcreta captivitas, effugia multos inſperata juvere; multi vinculis inhæſere; mortem plures oppetivere. Barbaricas iras exacuebat promiſcuæ cædis effuſa vaſtities, *Gallicani*que militis multi crudeliter occiſi deſideria, furentem victoris animum irritabant: nec minori quidem ſanguine *Piſcarianus* Agnidino gladio cruentatus intepuit. Quod ſi pares animos patentibus campis liberi milites obſidio cinctis præſtitiſſent, paremque navaſſent operam, qui collatis ſignis concurrerunt, his qui per murorum anguſtias interſtitiaque foſſarum eminus depugnavere, magna clade res *Veneta* levata foret: quoniam oppida-

A nam vim campeſtri præcelluiſſe, domique magis militarem quam foris enituiſſe virtutem conſtitit. Sed debebatur inexorabili fato præfixa, *Venetæ* Reipublicæ ſuo tempore matura calamitas: nam cum tanta ſedulitate prudentumque ſolertia, digeſta omnia conſtabilitaque fuiſſent, propriæ tamen temeritati ſuum fortuna locum invenit. Quod ſi *Petilianus* in pugnam *Liviano* Legatis jubentibus ſucceſſiſſet, aut ipſe *Livianus* non tumultuario, ſed quadrato agmine, juſtoque cum hoſte prælio conflixiſſet, omneſque prudentiſſimi Ductores militeſque fortiſſimi viribus & fide conſtitiſſent, præſtituto tamen fortuna præcipitio locum inve-
B niſſet: quæ ſæpe mortalium prudentiam excuſſam ſede proturbat, maturataque diu hominum conſilia proprio jure confundit. *Veneto* (ni fallor) in tanta repugnantis rebelliſque fortunæ ſævitia ſatis fuiſſe putem, ſic prudenter accurateque cuncta gubernaſſe, ut examinatiſſima diſquiſitione factorum ſuorum omnium exigentes, perpendenteſque ſingula, nihil quod ſapientiæ *Venetæ*, ſanctiſſimiſque conſiliis ejus objectare poſſint, inveniant: ipſoſque Principes Viros nihil omiſiſſe, aut in tanta re peragenda quicquid admiſiſſe, quod pœnitendum merito judicetur.

Capto oppido, cum nihil amplius, quod vince-
C retur, conclamatæ rei deſperatio reliquiſſet, omniaque *Galli* late peragrantis imperia juſſaque, finitimæ nationes obhorrerent, *Ludovicus* receptui cecinit. Mox triumphantis more *Brixiam* ingreſſus, barbarici faſtus inſolentiam, *Gallici*que tumoris ambitionem, provinciali tenuitate modeſtiaque tolerandam, oſtentavit. Novi cultus, novi mores, verbaque gentis ventoſæ ſuis bullis ampulliſque turgentia municipes omni defixos admiratione tenebant. Sed & civis cujuſque domus, notique lares aſſiduis hoſpitum fragoribus inquietati, tum promptuaria divexatæ ſupellectilis inſtrumenta, perpetuis victorum uſibus exhibenda, pro-
D curatores reique familiaris diſpenſatores non mediocri tædio moleſtiaque conflictabant: donec ignari rerum graviora perpeti, jugumque durioris imperii perferre miſeri cives didicerunt. Aſſueti togis *Brixiani*, blandioreque *Leonis* juba permulſi, virgatum ſagulum, *Lilina*que vexilla ſtomachabantur: ergo poſt aliquot *Brixiæ* dies licentius ſolutiuſque conſumptos, *Ludovicus* Mediolanum regreſſus, ſeſe nobis admirabili victoria ſuſpiciendum exhibuit. Hilaritatis, lætitiæ, jucunditatis ubique ſigna relucebant; totaque urbe redundantium gaudiorum fluctus æſtuabat. Omnibus templis pulvinaribuſque Deorum reverenter thura
E data, dicti hymni, ſupplicationeſque peractæ ſunt; anniverſarius dies Maji quartus decimus, anno ab orbe redempto milleſimo quingenteſimoque nono in faſtos, pontificaleſque libros redactus eſt; ceremoniæque ejus diei ſolemnes omnibus indictæ; ſed & populi tabularia, actaque Prætorum repentinas ferias *Gallo* regnante conteſtabantur: quæ mox fati vertigine cuncta retorquentis conſepulta ſunt, ejuſque cum Imperio penitus abrogata. Sed & noſter omnis metus tanto conflato bello conceptus, illuſtris victoriæ propullulantis lætitia reliſus evanuit: abortuque ſuo conſumptus eſt. Omnia in choreas, tripudia, feſtoſque luſus conver-
F ſa, magnis gaudiorum rebullientibus ahenis, conferbuerunt. Senator omnis & Eques, Patricius omnis ac Plebejus, ore, cultu, geſtuque, quanquam *Gallo* averſus, arridentis animi ſigna dabat. Virginalis inſtita, matronaliſque pudor, omniſque munditiarum deliciarumque perſtudioſa gracilitas, ſeſe in Venerem ambitu multo luxuque conſpectandam, effinxerat. Magna victoriæ, magna ferculorum, magna triumphi ſpecies & pulchritudo fuit; ſed majorem fœminei ſexus pompa decorem, majoremque proſpectantium oculis admiratio-

ratio-

rationem præcomptæ mulieris cœtus ingerebat: quoniam coronæ, equi, trophæa, manubiæ, opima spolia, cæteraque triumphorum ac victoriarum insignia, cunctis olim obvia fuere; sed admirabili tantoque nympharum ac dearum theatro versari, nulli sane præterquam uni *Ludovico Aureliensi*, potentissima fortissimaque gente, Deorum Imperio, devicta triumphanti, datum est. Mira videbantur & erant omnia solo instrata, pensiliaque cælo, quæque lævorsum atque dextrorsum suffixa patebant: sed omne vincebant opus, cum lascivissimarum formarum speciosa miracula, tum exhausti magni belli magnique discriminis superati secura recognitio. Erecti quippe triumphales arcus recolendum Majestate sua *Ludovicum*, rerumque magnificentia gestarum admirabilem, dum sese *Jovis* in arcem ex delubro Virginis recipit, triviis compitisque progressum excipiebant. Ibi belli totius series disposita, effigiatæque levibus penicillis imagines spirantibus tabulis intervivebant; digesta membratim per transtra forosque conglutinati belli materia discernebatur; reflorescebantque vegeti spiritus, redivivaque *Ludovico* ferocitas insolescebat: cum sese tanto apparatu totque legionibus oppositum hosti terra marique potentissimo pictura planiore relegeret; succensentem sese Principibus *Venetis*, eorumque Legatis interminantem asperrima contuebatur. Gaudebat præcipiti cursu suo celerique festinatione superatos *Alpes*, & attonitam tanti belli molimine Civitatem adventu suo recreatam, totque contractis pugnatorum millibus refocillatam congestiebat. Suos inibi Ductores, suosque Proceres de re bellica differentes, omnemque suscipiendi belli finiendique rationem diligentius explicantes admirabatur. Se quoque medium inter eos sedentem, exigentemque de re dubia singulorum opiniones, mox collatis pensatisque omnium sententiis, ea decreto suo sancientem, quæ majori pondere constarent, quæque feliciorem ad exitum maturius perducerentur, incredibili voluptate spectabat. Nec procul inserti pontis compage, fluminisque trajectu restrictos hostes, impetuque proruentium *Gallorum* attonitos conspicabatur: horrentem *Livianum*, immitique picturæ vultu præferocem, contatorem *Petilianum*, prudentesque togatos inter bellatores Ductoresque fortissimos agentes, cernebat; consiliorum suorum arcana rimabatur, diversarumque conflictus sententiarum explorabat. Illi magnam belli molem periculorumque aleam assidua mentis cogitatione versabant; dispartiebanturque prægravantis fortunæ fasces, omniaque præcipitis fati pondera, si aliorsum vota cecidissent, consulti sanctique Senes levi manu sua dispensabant: *Ludovicus* vero consiliis eorum insultabundus adversabatur, in ipsaque conscripti staminis lectione, cuneis omnibus impulsis, suaque omni acie promota, diffusam hostilem militiam imprimebat, scindebat, sternebat. Artificum prædoctæ manus, tantoque operi exæquando laboriosæ, suspensas miris modis lineas inducebant, dirigebant, reflectebant. Tum vivis coloribus & halante fuco diversarum formarum imagines, speciesque rerum mollissimas, in ipsos motus palpitantibus venis, ac membris connitentibus, animabant. Crederes equos hinnire, plangere solum, sanguinem fluere; præcipites hinc *Gallos*, ruentes illinc *Venetos*, distentis telis, viribusque concitis omnibus concurrere, permisceri, confligere: adeo exacta omnia, suisque finibus terminata, insufflato coloribus spiritu, fervens pictura vegetabat. Stabant suppallentes *Veneti* milites, ac velut aversis equis & sinistro Marte pugnaturi, mœrebant: *Livianus* furoris impatientia, victoriæque prolabentis dolore vehementer accensus, omnia cælo terraque miscebat; ubique locorum magno ardore, flammis ubique locorum ingentibus agitabatur. Omnibus picturæ spatiis, omnique tabularum albo cursitabundus, increpabundus, minitabundus, fulminabat: mortuos jugulando, inanesque flagellis umbras verberando. Mira quidem omnia, præstantissimorumque virorum ingenio conficta, visentium oculos convertebant: sed illud præcipua, majorique admiratione mortalium pectora mentesque replebat, quod dum victoriæ sponsor & obses *Livianus* invito Marte colluctatur, contraque repugnans fatum violentus desudat, singularis egregiaque Viri virtus majore miraculo lineis expressa, quam castris & ipsos inter hostes exercita præluxit. Illius siquidem non omnes motus, nec pugnas omnes ad numeros dum hostili campo, in ipsaque acie versatur, milites Ducesque videre poterant, sed alius alia, strenuiter & impigre facta, ut oculis cujusque fervidus ac factitabundus occurrerat, conspicari: at in ipsa spectaculorum serie præculto pollice digesta omnia, viventibusque lineis effigiata, multo lumine coruscabant. Longo examine, spatiosisque marginibus illustria Viri facinora censebantur: & cum admiranda omnia spectatores olim audissent, nunc eadem omnia cominus admirabiliora cernebant; atque cum singula magni Ducis acta prospicerent, tantoque sudore ac sanguine sordidatos artus intuerentur, captivum protinus & ad Regis pedes stantem *Livianum* suspiciebant; inconstantisque fortunæ lusus, ictusque volubilis pilæ reciprocos admirabantur. Exinde profugi milites, confusæque bellatorum omnium turmæ, tanti Viri captura, tantoque amisso Duce, ex ipsis picturæ claustris amentes alienique protinus erumpebant. Mira dictu cum stantes effugerent, defixique omnes in avia raperentur. Sic cum diurnis curis anxiæ mentes hominum dulci statim subrepente somno stratis suis incubant, præteritæque rerum imagines conquiescentibus advolvuntur, præcipiti saltu nonnunquam exilire, suisque cum sopiti lectulis jaceant, transcendere septa, hostiumque manus insequentium declinare sibi videntur; seseque imminentibus, cum in ipso otio languentes sint & immoti, trepidanter eripere; tenues etiam argutasque nonnunquam voces expromunt, inceptus clamor frustratur hiantes. Harum talis rerum species erat, talique adumbratæ artificis ministerio figuræ, coloribus infusis viventes agebant. Illectabat animos voluptate titillantes miraculorum speciosa lectio: sed inter omnes Rex ipse magno singulis spectaculorum plagulis affectu distinebatur. Tum vero lætitiis omnibus incessit, extumuitque pleno dilatatus impetu, cum ad ipsam *Jovis* arcem deventum est. ibi cælo moles educta stabat, arcuque complexa triplici fornicabatur, bipatenti capacissimoque Regem aditu gratanter excipiens. Universus terrarum orbis axe commoto, tremefactisque pæne cardinibus adventanti *Ludovico* patebat: imperantique præcelso culminis sui fastigio parere reverenter & obsequi cuncta videbantur. Tum interdictos fines peragranti, perque hostiles oras progresso, muros disjicere, claustra dirumpere, portas aperire, uno propensæ voluntatis studio cives invicem & hostes contendebant; decertabantque cumulatioribus officiis & impensiore obsequio *Gallicanam* amplitudinem promereri: alii civitatum arciumque claves offerebant, propioribusque periculis anxii dedititias mentes, omnique devotione simulatos affectus pollicebantur; nonnulli victoris opportune conciliandi, aucupandæque ejus benevolentiæ gratia, suarum raptim urbium insignia mulctatitio ære elata præsentabant, præferebantque civium immatura vota, præcoquam fidem, importunum jusjurandum. Tota *Cenomanorum*, tota *Japidiæ*, universaque latis finibus effusa *Venetiæ* regio, *Ludovici* unius edicentis Imperio parebat. Ignari rerum populi, tantique turbinis fra-

fragore pavitantes hærebant; Summates vero tumultuantis impetum fortunæ properanter secuti, vasto profundioreque pelago jactabantur: cumque modo furentibus austris provoluti, nimbosam hyemem pluviasque hyadas penulis centonibusque suis defenderent; e vestigio reflantes Zephyros, ac nubes hyememque propellentes respectabant. Adeo vecordes delirique mortales, dum perpetuo unoque flamine vela sua distendi semper existimant, reflantibus ventis adobruti demerguntur. *Veneti* Principes, quique castrensium urbicarumque rerum curam susceperant, subvertentem consilia fortunam digestaque conturbantem omnia, gravabantur: inquieta confusaque foris omnia, atque uno horæ brevis articulo solidioris Imperii molem amplissimam, aliis alias percellentibus clades, alteraque alteram propellente ruina procidisse, salva dignitatis imperiique sui majestate dolebant. Obstupescentes illos invicem, alternoque invicem obtutu in sese conversos videres: miraque præditos constantia Patres, cum fortuna destituerentur, non destitutos ingenio nec consilio mirareris. Effinxerant laxiores togas, suosque manicas in sinus obliquaverant studiosi artifices: tum & prætumentibus infulis astricti crines, nullis ex orbe suo peccantibus summittebantur. Ad hæc elegantes juvenum crepidulæ, nullis rugis concrispatæ, sua prænitente politura splendebant. Congrui decentesque more suæ gentis togatæ cultus, censorios viros, publicarumque calamitatum moderatores vestiebant: intractabiles severique senes, quanquam torrentibus curis ambusti, diligentia tamen solicitudineque sua publici mœroris incendia temperabant, sævique Martis pressuram intercedendo consulendoque sublevabant, provincialium facinora secum omnia bona malaque reputantes, exacturique mox singulorum, & ad numeros præteritorum omnium rationem. Hæc variis impressa proscriptaque figuris *Ludovicus* seriatim perlegens, omnemque summa cum voluptate picturam ex alto perlustrans, flaccidis & inanibus oculos nutrimentis pascebat. Hisque gestarum inflatis follibus rerum provectus, sua cum blanda lenocinanteque fortuna, dies aliquot in ipsa *Jovis* arce conquievit: mox omni rerum statu composito, suisque Proceribus ex cujusque meritis & virtute donatis, cum magno Rempublicam *Mediolanensem* congiaro prius affecisset, *Transalpinam* in *Galliam* profectus est, suisque amœnioribus oppidis commoratus desedit.

His dum fortuna lenimentis *Gallum* fovet, sinuque tepenti *Ludovicum* amplectitur, *Veneti* milites nonnullique Ductores eorum, sive justo metu conterriti, sive *Venetæ* Reipublicæ salutem desperantes, nihil animo præter indecoram ignobilemque fugam suo concipere: quotidie palantes agi; & hac & illac licentius oberrare; non colligendarum reliquiarum disjectique exercitus reparandi curam habere; quin & Ductorum imperia suorum detestari, velutque sacramento soluti, jure suo contumaciter agere; facinora, quæcunque collibuisset, post omnem exculcatam militarem disciplinam, abjectamque bellicæ laudis gloriam, admittere. Atque ita confusis omnibus, quæ suæ sortis arbitrio versata, fortunæ cardines impulsi rapiebant, in extrema finium, ultimosque ditionis *Venetæ* recessus indociles vagique milites abiere: vociferabundi comminiscentesque invicem, *Venetam* Rempublicam omnem exercitum propediem missuram, sublatisque stipendiis liberiorem omnibus commeatum irrogaturam. Qua de re castrorum Præsides animo vehementer commoti, Legatos convenere: cohortatique sunt, ut *Veneti* Senatus mentem aperirent, ne dissimulata res, maleque diu silentio velata, majore dispendio militem afficeret; si bellicam operam ipsi milites *Veneto* non præstent, in aliorum verba juraturos, secuturos-

A que diversi vexilla principatus ajebant: proinde commonerent, ut tempestive rebus suis consulere possent, deprecabantur. Quorum exasperati dictis precibusque Legati, ipseque præsertim *Andreas Grittus* confestim omnem exercitum advocavit; omnesque pedestris militiæ Magistros pariter & equestris civiliter allocutus, eam præfixam esse *Veneti* Senatus *Venetæ*que Reipublicæ sententiam disseruit, ut exercitum nullo modo dimittat; sed copias supplemento reparet, cunctisque debita stipendia persolvat; nec enim eam esse Rempublicam, quæ vel majori clade suscepta possit succumbere, sed quanto depressa fuisset, tanto sublimius & excelsius elaturam verticem suum docebat: pro- B inde constantes in fide, navandoque militari opera sese gnaviter expeditos alacresque præberent, quoniam his instituta moribus esset & informata sua Respublica, ut dignitatibus ac compendiis exornaret cumularetque eos omnes, qui ingenio, solicitudine, operaque sua communem rem juvissent; agerent ipsi modo viriliter, & quam ingressi fuerant defensionis viam insisterent. His breviter strictimque peroratis, delectum indicit, exercitum lustrat, stipendium solvit. Tunc cathaphratti milites sexcenti, levites quadringenti supra mille, peditum vero sex millia, eo lustro censa sunt. C Hi post tantam cladem incolumes, omnique ex fuga recepti, superfuere: novissimeque, data pridem *Venetam* in militiam nomina, religione sanxerunt. Quæ dum in castris aguntur, & a *Gallo* Legati requiem habent, Cæsariana recursante militia, res iterum *Veneta* pulsata est: quippe *Leonardus Dresanus*, qui omnem pro Cæsare in bello operam obibat, *Tarvisium* immigravit; excitatoque tumultu, cum diversarum partium cives alii, alios secuti semper discrepent, *Tarvisianum* diffidentem commisit. Alii quidem Aquilas sufferendas, extollendum alii Leonem censuerunt. Fluctuabant inter sese cives diversorum sententiis animorum, D variæque voluntatis æstuario factiones agitabantur, cum eo pergens *Pannoniarum* Regis Orator, dissonas acclamationes populi repugnantis, plebisque seditiosæ tumultum exhausit; favitque partibus *Venetis*, dum altercantibus invicemque repugnantibus oppidanis intercedit; potioremque *Venetæ* Reipublicæ causam animo propensiore complectitur. Cujus hortatu, ab ima plebe pannosus homuncio, raptum illico Leonis vexillum sustulit: eumque protinus subsecuti plures, a Cæsare rem omnem ad *Venetos* repente verterunt. Tunc Præfectus urbis, ut dubios ac labantes animos confirmaret, conciliatamque multitudinem efficacius il- E lectaret, pro rostris ad populum concionabundus verba fecit; mutuaque contestatus *Venetæ* benevolentiæ suos in *Tarvisianos* officia, ut in fide persisterent, utque suam communemque causam ab impetu barbarico defenderent, hortabatur: *Venetos* multis quanquam accedentibus malis debiles, ac proximis cladibus attenuatos, non eo tamen usque pessum ivisse, ut non tutari suosque protegere cives *Tarvisianos* possent; modo suis ipsi animis invicti infractique consisterent, quamque omnes exciverant obtulerantque benignam Reipublicæ voluntatem, eam *Venetis* addictam inviolatamque servarent. Protinus ut *Venetæ* munificentiæ signum F daret, expromeretque manifestiora pietatis suos in *Tarvisianos* argumenta, magnam auctore Senatu prærogativam elargitur, præsentique populum immunitate, sub fide publica *Veneto*que testimonio, donat. Quo facto vehementer omnes accensi inflammatique acrius, pro *Veneto* stare, fidem constantiamque sacramenti religione perpetuam consancire concordibus animis cœperunt. His auspicato feliciterque peractis, cum civitas universa, plebejus juxtaque nobilis in *Venetæ* dignitatis tutelam, ejusque defensionem nominis consen-

sensissent, inducti statim in urbem milites, qui suis ex æquo cohortibus dispartiti, portarum, arcisque custodiam, intentioribus excubiis agerent; qui seditiones, si quas popularis rixa concitasset, reprimerent; qui nobilitatem ac plebem in officio ac fide continerent. Mox commeatus cura proximior, invehendorumque poculentorum ac esculentorum Præfectos urbis admonuit. Ex vicis itaque pagisque proximioribus annona largior, & quocunque rerum eventu suffectura militibus & oppidanis omnibus importata est. Præterea delecti cives, qui rapinis ac populationibus intestinis occurrerent: ne servata civitas in bello periret in pace; neve ab externo hoste defensa, periclitaretur interno. *Tarvisiana* omni re composita, domique pacatis omnibus, de Republica sperare melius Patres Conscripti, suisque protinus, quanquam afflictis rebus confidere cœperunt. Jam enim satis superque fortuna *Venetum* impresserat, cumque diu vagata plus æquo longius pervasisset, contigissetque, quam præfixerat animo suo, metam, extemplo vertit: axeque refracto desiliens, exactaque retro vestigia conniventer observans, pedibus regressu mitiore conversis omnia cunctanter sensimque remensa est. Tunc itaque diligentes solicitique rerum provisores, quotidie novos militum delectus habere, cathaphrattos munire, pedites conscribere, ferentarios expedire, tormenta conflare, pecuniam stipendiis exsolvendis adgerere. Interea Cæsar *Taurisium* ingrassaturus, suamque collaturus cum hoste manum, ex æstivis movit. Et quanquam digressi festinantisque in dies, incerta forent *Maximiliani* consilia, quemque primo locum impetiturus esset & obsessurus, *Veneti* minus sane compertum haberent, tutiora tamen deligere, potioreque optatu rem suam præmunire statuerunt. Proinde sibi *Tarvisio*que consulentes, in urbem gaudentibus oppidanis omniaque comiter offerentibus, suis cum copiis immigravere. Tum omni pago fossores acciti; vastatitiaque passim delecta manus, quæ subducendo decavandoque solo, surrigendis aggeribus, inducendis aquis, omnibusque bellorum propugnaculis ex ordine, militarique disciplina validius confirmandis, intenderet. Exinde *Veneti* frequenter erumpere, hoste cum propinquo sæpius congredi, leviaque passim concire certamina; semper oppidanis agrestibusque defensione promiscua parique tutela suffragari: illi, contra, suam, ut par erat, incunctanter operam *Veneto* præstabant: omnesque sese de proximo paratis suis copiis sublevantes, reciproca manu mutuisque subsidiis sibi invicem opitulabantur. *Andreas Grittus*, interea rebus agendis, evestigandisque consiliis hostium semper intentus, præcelerem velitum alam, perniciorésque maniplos præmittit: qui copias hostiles incertaque per viarum indicia secretos tramites scrutentur; quique novos *Germanorum* apparatus conquirant, explorent, ac referant. His obvii pedites equitesque Cæsariani, suis prænixi validioribus turmis occurrere. Quo facto *Veneti* repente regredi, fugaque simulata vel vera, sese paulatim ad suos recipere: donec in patentem latamque planitiem hostes eliciti, *Veneti*que rursus ex diverso properantes, instructa acie, paratisque subsidiariis legionibus, in unum coiverunt. Tunc ardenter utrinque conserta manus, & magnis utrinque viribus & animis egregie decertatum. Cumque vulneribus illatis relatisque, reciprocante sanguinei Martis unda permaduissent, hostes, urgente *Veneto*, fortunaque jam lenius aspirante, fusi prostratique sunt: cursuque præcipiti victore pertinacius insequente, in *Axilium* oppidum compulsi tandem profugere. Reversi *Tarvisium* victores exultantibus animis excepti sunt: omnesque cives, agricolæ, milites, illico solistimis omnibus tripudiis ludicra concelebrantes, risu plausuque novo

A congestivere. Dehinc quoniam versis jam fatis prosperiora successerant, recuperandi *Patavii* & antiquæ urbis asserendæ villicis opitulantibus, & agresti suffragante manu, magnam omnes in spem erecti sunt. Quocirca consilium ordiri, maturare, auspicarique feliciter omnia cœpere: *Andreas Grittus*, multo usu rerum sagax, ingeniique sublimis acrimonia præditus, haud temere rem tantam exsequendam putavit: & quanquam tumultuarium præcepsque barbaricum percalleret ingenium, consulto tamen hac in re procedendum ratus, deoptatos militaris rei scientissimos ductores, valido cum veteranorum peditatu longe præmittit. His mandat, B ut quieti silentesque eo proficiscantur, ut nocte proxima, nullo itineris labore, de improviso *Patavium* aggredi possint. Hinc agrestis turbæ collectitiam manum, implexi tramitis callisque sentibus impediti consciam, adjungit: ut per diversa itinerum, nullo viam interturbante, securi tutique rerum, in destinata commigrent. Ipse vero cujus auspiciis nutuque cuncta pendebant, congruam peragendo facinori, quod animo conceperat, levem armaturam adsciscit: eaque stipatus, ut *Patavium* incurset, cunctisque præfixa die Ducem expectantibus ut adsit, progreditur. Dehinc ut distracti penitus oppidani, si quis forsitan ignaros rumor excivisset, confunderentur, ex adverso portæ, C quam impetiturus erat, obarmatam agrestem turbam, militiæque nonnullos ferentariæ maniplos locat: mandatque, signo dato confestim urbem invadant. Ad hæc *Christophorus Maurus* magno equitatu peditatuque circumdatus, velut oppidum, quod haud multo lapide *Patavio* summotum erat, oppugnaturus, procedit: ut destituti interno externoque præsidio *Germani*, extremis rebus suis diffiderent; ipsaque ab urbe defendenda prorsus averterentur. Omnibus digestis compositisque rebus, stata die, consilium fraudante nullo, sed & rem ipsam adjuvante fortuna, in locorum præstituta conveniunt. Tulerat casus, ut D onerata fœno plaustra, in urbem paulo ante invecta, portam semiparentem, suisque male claustris ac pessulis obseratam relinquerent: sive illud forte nutuque Dei cuncta dirigentis, sive de compacto, subnectendæque fraudis gratia, sicuti quidam non absurde conjiciunt, admissum sit. Igitur diluculo pedites acriter humeris innixi, vehementerque invicem obluctati, diffractis clavibus ac seris obicibusque rejectatis, portam aperiunt: factoque aditu limen obsident. Immissi continuo sunt milites expediti, qui uno peragratæ urbis excursu, secreta vigilum, interioraque domorum, ut ægre, per transennamque fieri poterat, referrent. Quibus E secura tutaque omnia renuntiantibus, agminatim urbem irrumpunt. Signo inde accepto, cæteri omnes, qui diversa regione discreti symbolum expectabant, mandata peragunt: unoque hinc inde omnes impetu, constrictisque cuneis proruentes armati, in urbis penitiora confluxere. Negligenter atque solute, sicuti post adeptam propitio Marte victoriam fieri solet, Cæsariani milites nullis excubantibus, nullisque limen observantibus, oscitantes, dormitabundi, porrectisque supini pedibus agebant. At *Veneti* bello paceque pervigiles, omnique rerum actu gnaviter attenti, dum præstupidos Ductores, ignavos Centuriones, stertentesque Tribunos offendunt, prævalidas armatorum F cohortes in exarmatam urbem, maleque luxuriantibus & incautis creditam, immittunt. Fortuna, quæ prius tanto contumaci spiritu rebellis adversabatur, occepto labori propitiata, *Veneto* plenius aspirabat: ipsumque velut ancipitem dubiumque porrecta manu comprehendens, ac fati per angusta titubantis deductum, media sospitem in urbe statuit. Mirum plane, *Baselium*, qui toto palpabundus historiæ suæ contextu Cæsari favet, & adusque

que perversæ rei vitium importunis plausibus assentatur, amissum negligentia *Patavium* profiteri. Ille dictum quidem suum, quibus potest, verbis suspensus attemperat, omnemque culpam Cæsaris in militem exercitumque refundit. Sed sicuti res feliciter gestæ Ductoribus adscribuntur, sic & minus prospere transacta Principes tangunt: quoniam non pes manusque, sed caput imperat. Proinde quæcunque milites agunt inauspicato, in ipsum gerendæ rei auspicem retorquentur: & nisi promptam diligentiæ factique sui rationem explicet, negligentiæ notam non evadit; illicoque suspectus est. Porro utcunque, Cæsare nimio plus cessante, captum *Patavium* Cælius scribit, qui eo temporis inibi *Lectionum* suarum *Antiquarum Lucubrationes* evigilabat; *Baselius* Præfectorum socordia captam urbem ad *Leoninum* jugum rediisse non inficiatur; *Guadinus* rem omnino dissimulat; *Mocenicus* nullam Cæsari militiæque ejus negligentiam impingit, sed gestæ rei linea circumscriptus, rem more suo circumactus extricat; Ephemeridarii vero, civitatem interceptam dolo, nonnullorumque conspiratione civium, ac in eam invehendi straminis simulatione captam tradiderunt. Et quanquam suis paulo diversi auctores appendiculis discrepent, in ipsam tamen gestæ rei summam uno omnes ore consentiunt; præclarique facinoris *Andream Grittum* auctorem, agrestis versutiæ turbæque vulgatioris instigante solertia, prædicant. Inducti igitur in dormitantem & sopitam urbem expergefacti milites *Leonini*, cum civium *Veneto* faventium adjuncta manu, tum hinc inde confluentibus agricolis, & in unum per diversa coëuntibus, portas, obsident; forum occupant, curiam tenent. Improvisi hostes conspecti priusquam auditi, repentinæque civium *Leoninis* jubis applaudentium voces exauditæ, conterritum Cæsaris militem, subitaque correptum formidine perculerunt. Actutum ad arma discurritur; subitarioque strepitantium militum fragore, cum doli manifestius propatuissent, *Germani* pendulum ensem præcingunt, turbam adgregant, frameas rapiunt; glomerantur omnes in unum, variaque per regionum diverticula, præcipites anxiique strictum in agmen confluunt. *Venetorum* insignia spirantes ob zephyros lascivo motu sibilantia, quæ vexillarii jactabunda manus efferebat, horridum & pavitantem barbarum periculi subinstantis admonebant. Difficilis ægraque defensio, tam improspecto rerum motu perturbatis omnibus, nulloque præcognito futuræ cladis argumento, titubantibus cunctis, erat; disjecta signa, profugi Duces, confusus ordo; tumultuabantur invicem, indiscretisque hostium & sociorum agminibus, suas etiam umbras metuebant: quoque major globus ac densior accreverat, cum tunc magis incerti sub hostium vel sociorum ambiguo versarentur, eo sese trepidantius & amentius in alia omnia proripiebant. Primo tamen exciti congressu curiam incurrunt; maniplisque tenuioribus & rariore corona dum *Venetis* obsistunt, illisque security repugnantibus obluctantur, expediti manum conferunt; atrocissimoque certamine sævioreque conflictu depræliantur. Sed *Andream* Diis litatis omnibus ingressum urbis auspicantem, remissiorisque militiæ laxamenta mollius promoventem, subsecutæ validiores pugnatorum turmæ juverunt: confarcitæque majore numero, parum cauta, minusque disciplinata *Germanicæ* simplicitatis tyrocinia propulere. Dispositi vicatim regionatimque locati milites stationarii, trivia quadriviaque peragrantibus cæteris, ac vias vicosque percingentibus obsidebant: observabantque cum civium tum hostium sine more bacchantium fugam, quam improvisa repentinisque malis imparata omnia præcipitabant. Ergo cum undique circumsepti, *Leoninis*que surrectis jubis perterriti

A omnes contremiscerent, non urbis defendendæ, sed suæ incolumitatis præservandæ soliciti, rapido cursu properantes in arcem provolant. Novarum rerum studiosi factiosique cives, quique fidem publicam ac dejecta *Venetorum* insignia parum reverenter ac religiose coluerant, eodem percellente metu quassati, patentes in latebras pari turbine provolvuntur. Sed debilis & enudatæ arcis infirmitas, tum & præsentaneæ opis suggerendæ desperatio, cum jam undique circumvallati, ac militibus & tormentis obsessi premerentur, *Leonardum Dresanum* Cæsaris Legatum agentem, in deditionis placita compulerunt: milites ex fœdere sospites dimissi; noxiorum civium, quique Majestatis reatu tenebantur, exactissime severissimeque
B *Venetiis* quæstiones peractæ sunt; aliique post alios, ut emergentibus per fidiculas indiciis, evidentiora criminum argumenta prodibant, in tormenta rapti sunt; ac Decemviris & capitalium quæstionum cognitoribus ex admissi qualitate delictique mensura strangulati. Horum enim talis est exitus & finis omnium, qui extra trutinam, testudinemque suam plus nimio sibi placentes agunt; imperium usurpant; publica moderantur; alienique juris sibi sceptra vendicant; mox cum digito monstrati fuerint, suasque composuisse sarcinas arbitrantur, resæviente fortuna titubant, adversique fluctus ingruente procella suffocantur:
C exinde cum suæ præteritæ tranquillitatis serenum respexerint, ingemunt ac lamentantur; exactæque securitatis pacem suspirant; sed densæ claudunt media omnia sylvæ; fata obstant, tristique palus innabilis unda alligat, & novies Styx interfusa coërcet. Ergo dum imparatus oppressusque vi subita, *Patavio* Germanus exigitur, ejusque per arcis deditionem in sontes animadvertunt ultimo supplicio Decemviri, concita turba militaris, & huic agrestium adjuncta manus, eodem in prædam impetu conversa ruit. Soluti metu, soluti legibus, nulloque rigore juris astricti prædones, pavitantium mulierum, delitescentiumque civium desolatas domos invadunt, ingrassantur,
D irrumpunt. Primos impetus excepere *Judæi*, quorum omnis pretiosa supellex est, translatitiæque opes, omnesque suo facultates in mundo repositæ. Mox pulsati perduelles, eorumque sedes ad imum dilapidatæ. Tum reliqua promiscuis rapinis indiscriminatisque raptoribus multitudo pervexata est. Sæviverunt insito genitalique odio suos in dominos & cives agricolæ: pedariamque despectæ militiæ colluviem, urbanarum nesciam latebrarum, ipsamque omnem equestrem armaturam in occultas opes & patrimoniorum abdita perducebant. Digladiabantur invicem, assultuque mutuo compugnantes, spoliatis spolia detrahe-
E bant; ubique jurgia, injuriæque passim, ubique suo cum dolore sonantes plagæ constrepebant; majora in pace interque socios vulnera, quam in bello ipsosque inter hostes compatrata sunt. Exaugebat conclamitantium dolorem duplicatique mœroris angustias, quod miseratione dignis nemo miserebatur; quod adversa nimium calamitate pressos nemo levabat; senes, pueri, virgines, tanto naufragio bellicæ tempestatis adobruti, relisique confligentium invicem raptorum scopulis, latibulas antraque, sed in cassum, quærebant; frustra
F latebræ miseris, speluncæque præsidio destitutis, imploratæ. Immania ubique truculenta conspicantium oculis obversabantur; sed & graviora per hos ingrassantium piratarum tumultus impios præsagire conjectarique par erat. Nam & captivitatem, cruciatus, ipsorumque sub ora parentum tormenta liberis pendentibus infligenda, nemo non horrebat: sæviturosque supremo in urbem excidio Principes *Venetos*, ac jure belli perbacchante victoria, incendio ruinisque daturos omnia miseri cives per-

timescebant. Sed temperatum est, repressusque bellici furoris impetus: decimata quippe rapinis urbe, suscitatas populationis flammas, insperata refrigeria protinus extinxere. Principum *Venetorum* clementiam hoc loco *Cælius* admiratur; laudatque moderatoris *Andreæ* pietatem: nam rapinis furentibus, passimque calente furtorum incendio, cum desolata civitas casus infandos irreparabilemque jacturam lamentaretur, obvius *Andreas Grittus* magna singularique prudentia Vir insignis intercurrit; ac edicendo, cohibendo, plectendo, proruentem turbam, efferataque rapinis latrocinia repressit; defixisque confestim per compita perque areas furcis, nonnullis etiam intorto repente laqueo sublatis, cum in ipso populationis æstu præcipitique latronum rabie, cunctis invadentibus, opus esset exemplo, ululantium luporum famem, sitimque ipso amne in medio semper arentem, compescuit. Quod egregie quidem laudabiliterque factum omnino laudem meretur: verum id ego justitiæ magis quam clementiæ adscripserim. Sic etenim publici vigoris disciplina, jurisque rigor exigebat, ut innocentibus parceretur, reique caderent; ut tollerentur contumaces & turbulenti, quieti vero mitesque securius degerent: ac fortunis suis nullo interpellante fruerentur. Nam quid Civitas ipsa peccavit, aut cujus rea criminis facta est? si Nobilitatis forsitan inconsultæ temeritas, resupinique Primatus indiligentia, *Venetis* Principibus adversata est; sublatasque Aquilas inconstantius indecentiusque secuta, Leonem suum obhorruit: an ideo boni cives neutrarumque partium mediastini, qui domi sedentes familiarem rem suam curant, aliena negligunt, publica dissimulant, plectentur? cum non alienis æquum sit, sed suis quemque meritis expendisse. Quod si civitas universa peccasset, descivissetque rebellibus animis ad Cæsarem, adeo quidem *Veneti* læsæ Majestatis severi sunt ultores, indeclinabilesque ministri juris, ut nisi publica justaque intercedente causa, ne quidem catulum ex gente reproba superfuturum judicio eorum existimem: tantum abest, ut sontibus veniam irrogaturos, aut olim criminosis remissuros censuram rear. Nemo peccet, nemo Rempublicam lædat, ut veniam consecuturum speret: quippe cum delicto consumpta salus, admissique criminis, & ad tribunal delati judicium inexorabile.

Recepta urbe *Patavio*, sedatoque populationis tumultu, ac armorum togæque statu composito, cum jam ante *Tarvisium Utinum*que nonnullis cum oppidis *Veneto* mitior fortuna servavisset, *Cadubrio* decertatum est. Quippe cum ingruentem vim Germanicam *Monfalconium* militibus ac propugnaculis emunitum sustinuisset, exinde regressam *Cadubrium* excepit. Quo brevi certamine levibusque præliis oppugnato, cum arcem obsessi strenuiter acriterque defenderent, ingruente majori deinceps hostium impetu peroppressi defecerunt: sed redintegrata continuo sunt omnia; redintegratisque omnibus *Bellunum* cum *Feltro*, quæ *Brunsvigensis* Heros exacta clade proxima ceperat, accessere. Amissorum horum omnium indignatione reaccensus Ductor, magna *Germanorum* manu comparata, rursus in *Venetos* movit, *Utinum* obsessurus. Quod cum illi parum ex voto succederet, quoniam *Utinenses* urbem omni militum propugnaculorumque robore præmuniverant, in *Austrianos* impetum declinavit. *Austrium* ad *Natisonem* fluvium acclivi loco situm *Federicus Contarenus* valido cum præsidio servabat: ipseque Vir strenuus impigros cives, *Venetæ*que Reipublicæ cultores obsequentissimos tutabatur. Turris, antesque porrecti ad *Dominici* suburbanum stabant: planiore solo, patentioreque area *Germanicam* ferocitatem ad pugnam invitantes. Hunc igitur locum alacres expeditique capessentes barbari, cum nihil opportunius perlustratis omnibus obvenisset, in eam urbis regionem tormentarias machinas impingunt; mox infuso pulvere ignique tenuiter insufflato, grandes fœtosque canales degravant; pilas informes exspuunt; muros demoliuntur. Dum assidue mœnia quatiunt, urbemque circumsidentes fortiter oppugnant, *Joannes Paulus Gradonicus*, qui *Foro Juliam* procurationem Legatus agebat, ut laborantibus sociis ferret opem, furoremque barbaricum ab optimis civibus procul averteret, ex *Utino* vicinisque oppidis inauspicato congressurus militem educit. Hujusce rei edoctus hostis, adventantisque præsidii *Veneti* conscius, phalanges suas haud oppido procul in insidiis locat: ac nisi signo dato, pugnam & assultum interdicit. Alacris lætaque manus auxiliaria propinquabat: & ictum in hostem a tergo meditabatur: sed insidiæ consilia prævenerunt. Ex abdito quippe barbarus erumpens in hostile latus impetum facit; repentinoque clamore vociferabundus, insultansque, velut præconceptæ fraudis & imposturæ compos, impulsat, consternit, exturbat. Inopinata re Ductor attonitus, exterritique subito pavore *Leonini* milites, cum ex improviso percellerentur, terga dant: atque cum passim barbaricæ cohortes ingruerent, urgerentque cum vulnere, tum formidine disjectos, magna strage fusi fugatique protinus *Utinum*, vicosque suos in omnes relabuntur. elati præturgentesque victoria secundiore barbari, sævoribus animis pugnam repetunt; acrius instant; oppidumque circumquaque violentius imprimunt: circumfusi, totumque peragrantes alis pernicioribus ambitum, agmine tripartito civitatem oppugnant. Prostrata turris, ejusque lapsu ruina continente subversa muri pars magna conciderat: nudaveratque urbem eo lateris exarmatam. Hunc præoptantes *Germani* locum agmine conferto, densioribusque cuneis protinus invadunt: certoque certiorem ex illata clade proxima victoriam conjicientes, summa ope totisque Viribus in pugnam per rudera fragmentaque murorum provehuntur. Oppidani nulla ignavia, nulloque algore contorpentes, sed inflammati, certaminis & conserendæ manus ardore, fortiter resistere, violenter obluctari, strenuissime depugnare. Tum reparatis succedaneo bellatore viribus *Germani* proruentis impetum sustinere: ac longe rejectatum, propulsatumque penitus externare. Confligebatur utrinque magna vi, magnoque robore barbaros & oppidanos hinc inde spes & metus in pugnam agitabant. *Austriani*, qua parte prælium asperius & durius muri ruina turrisque prolapsu futurum opinabantur, sarmentis, concædibus, fimoque solum miris modis concinnatum, instraverant; omnemque subsparserant pulvisculo tenuiore materiam: ut injecta leviter igniculi scintilla, repente correptis flammis inardescerent. Ergo cum intrepide viriliterque diu conserta manus utrinque dimicasset, obsessique validius atque potentius restitissent, quam stulta barbarorum opinio concepisset, *Federicus* cives militesque suos perhortatus, ut omni coacta vi, distentisque nervis omnibus in hostem ruant, si paratam obviamque velint excepisse victoriam; illico sarmenta paleasque jubet inflammari. Tum fusores omne genus, sagittarios, funditores, scorpiarios admovet. Hi contortæ grandinis ad morem, nimbique stridentis exemplo, creberrima tela jaculantes, hostem omni latere circumpulsant. Tum emicantes de improviso flammæ, perque suras plantasque subjecto fomite crepitantes, ambustos ignibus, missilibusque terebratos, in diversa procul abegere. *Austrianorum* obsidione soluta, cum ex æquo cladem *Utinensibus* illatam, obsessorum solicitudo strenuitasque victorum victis reposuisset, dispalantes illico, vagique hostes

hostes, omne flagitii scelerisque genus in omnem ætatem, sexum, ordinem immanitate barbarica perpetrare; impie crudeliterque rapinis, cædibus, flammis cuncta permiscere; nihil intacti, nihil inviolati, nihil sancti habere; omni sacrilegio religionem polluere; omni feritate humanitatem fœdare; exquisitissimaque indagine hominem venari. Quippe verberum tormentorumque metu profugi pererrantesque passim agricolæ, dum insequentium prædonum manus evitant, sylvarum obscura, culmosque segetum densiores petebant: ut sentibus latitantes frutetisque convelati, persequentium rabiem luporum effugerent, quos immanis sævitia barbaricaque feritas canino olfactu disquisitius & exploratius evestigabat. Heu, quot infantes cunis ablati, quot teneræ trementesque puellæ collugentibus aviis singultantibusque miseris parentibus desideratæ! cum præsertim sui affectus suique sanguinis redimendi nulla facultas, inopia perurgente, suppeteret: omnique re familiari destitutos, affinium cognatorumque præsidia relinquerent. Quæ dum tanta desolatorum agrorum omnium vastitate, tantaque strage mortalium agitantur, post *Tulminium*, *Lauranium*, *Raspruchium*, *Tergeste*, *Castrum novum*, pluraque alia civitatum oppidorumque nomina, quæ in *Venetia*, in *Istria*, in *Foro Julii*, vi capta, mox recuperata, rursus amissa, dehinc asserta, abstractaque iterum, atque iterum recepta, tot alternantibus bellicorum fluctuum procellis diluta sunt pæneque summersa, de pace, deque induciis, anxii solicitique Patres *Veneti* satagere, facessere, procurare omnia, quæ in rem essent, cœperunt: *Britannicum*, *Pannonicum*que Regem hortari, ambire, obtestari, ut cum *Maximiliano* de pace tractent, ut fœdera peragant, ut in populorum gentiumque salutem coire velint; ipsum vero Cæsarem epistolis & internuntiis delenire frequenter, & sanctius adhortari, ut compressis tot bellorum incendiis, quæ perpetua calamitatum ustrigine cuncta perurebant, fessis exhaustisque nationibus remedio meliore consuleret. Quæ cum in cassum agerentur, *Nurimbergensibus*, quorum olim magna cum *Venetis* fuere commercia, literas dedere, pacem obsecrantes, contestantesque perpetua *Venetorum* in Cæsarem officia; nec ea quidem intermissuros, sed ampliore munificentioreque deinceps obsequio cumulaturos, si concordiam diligat, si pacem amet, si pietatem colat: non esse boni Principis, nec Religionis *Christianæ* devoti cultoris, pacem totiens exoptatam & ab amicis quæsitam respuere; bonos infestare; bellum amplecti; odia simultates, iras, amicitiæ, benevolentiæ, fideique præferre. Proinde, ut acriter enixeque contenderent, extorquerentque pacem vel inducias a Cæsare, vehementer insistebant. Sed in irritum de pace tractabatur, & in cassum expostulabant, Cæsare *Patavium* obstinatius repetente: contra vero pertinacius retractante *Veneto*; nec tamen ejus consilium deserente fortuna; sed in diem proclivius adjuvante. Siquidem cum jam *Lemniacum*, *Atteste*, *Monsilicem*, Veneto blanda manu resignavisset, axem etiam rotasque multo pingui, ne quo stridulo fragore construperent, illevit: currusque perunctos agens, ne sopitos & quiescentes excitaret, *Franciscum Gonsagam*, Mantuæ Dominum, insidiarum expertem, *Venetam* in ditionem captivum traxit, ipsumque lenibus blandimentis illectum stupentibus cunctis, ipsisque præsertim grande mancipium admirantibus *Venetis* elargita est. Validas equitum peditumque cohortes ductabat militari scientia præstans, multoque ducatu Vir famigeratus: atque ut hostes incesseret, afficeretque novis cladibus *Venetos*, suppullulantibus nondum evulsa radice malis, *Scalanos* agros peragrabat. *Veneti* nominis studiosa simplicitas rusticana, durique circum omnes agricolæ, ut magno *Venetum* beneficio promererent, Le-

A gatos *Patavii* degentes, urbicamque rem ac bellicam procurantes admonent: suadentque, si manum subsidiariam opportunis horis locisque disponendam summiserint, haud magno discrimine Ductorem egregium capi posse. Nec difficile qu d m erat, ex destinato mentisque conceptu, rem peragi: cum inclusi Patavio *Veneti* milites urbem servarent; ipseque *Gonsaga* liber a metu, suæque cohortes omni penitus exsoluto timore divagarentur. Ergo Legati copiis ex *Patavio* statim eductis, earumque Ductoribus omni re sedulo commendata, *Lemniacum* omnes proficisci jubent: ut exinde *Hieronymianis*, *Petreis*, *Vicentianis*que legionibus

B adjectis, agresti suis cum telis armatura comitante, per calles & diverticula eo pergant, ubi *Mantuanus* suis cum ordinibus desedisset. Impigri milites omnibusque sarcinis expediti, ac velut divinitus promissam manu victoriam tenerent, advesperascente cælo, tenebrisque densioribus noctescente, ex *Lemniaco* in vicum, ubi diversantem *Gonsagam* cognoverant, progrediuntur. Dispersis copiis, cum suspensis gradibus prorepentes, suggressique paulatim, silentibus cunctis, ad præmonstrata perrexissent, domos circumdant, viarum exitus obsident, ipsumque prætorium occupant. Ex improviso militaris clamor elatus, tum & concur-

C santium equorum strepitus, expressique tormentorum fragores, repentino defixos horrore *Gonsaganos* exsternaverunt. E vestigio ad arma conclamatur, terrificisque confligentes sonoribus in agmen concurrunt; certatim tela manu raptant; gladiorum aciem distringunt, nodosque clavarum repente librant; atque ira perciti nulla mora congrediuntur. Oppresserat animos *Gonsaganorum* res incognita, nullisque nuntiata visoribus nec argumentis comperta præstraverat: erecti tamen omnes, & vigor ingenitus veteranis assuetisque bello militibus confestim accenditur & reviviscit, manum conserunt; statariaque pugna strenuissi-

D me commiscentur. Locorum iniquitas, *Mantuani*que præliatoris, si *Veneto* conferatur, manus exigua, tum & soluti militis otiantisque securius desidia molitiesque difficilem pugnam defensionemque præstabant. Ergo cum undique circumventi, & hinc & illinc urgentibus *Venetis* premerentur, nec ulla victoriæ spes esset, terga dant. Effusos profugitantesque læti victores desequuntur: & cum a tergo inimica manus insisteret, a fronte violentior consistebat. Siquidem obsessis liminibus, qui vias itineraque servabant, custodiis arctioribus conglomerati, distentis spiculis, omnique ferri prærigentis aculeo, dispalantes

E fugaque prolapsos in insidias excipiebant: sed & agrestium conglobata manus, omnium conscia semitarum pro *Veneto* stabat; distrahebatque per latebras obscurosque recessus attonitos, & amentes *Mantuanos* milites, alios necando spoliandoque, nonnullos etiam captivos trahendo custodiendoque, ut diversa aliaque alios fata versabant. Ipse suorum militum Ductator *Mantuæ* Princeps, sive per imbrices & tabulata, sive per criptas posticasque, suffugerat: & sicuti quidam scribunt, interula relatus adultam inter segetem culmosque delitescebat. Suffragabantur obscuriores tenebræ, nulloque fugam prodente vestigio, peropacæ noctis si-

F lentia defendebant. Sed exortæ lucis splendor, defecatique luminis puriora, latitantem agricolis inquirentibus detexere. Manum injiciunt, *Venetæ*que Reipublicæ mancipium declarant. Ille repente grandia, montesque aureos, si dimitterent, polliceri: sed nullis illi largitionibus, nec præmiis, quin militi captivum traderent, evinci potuerunt. Mira fides, miraque hoc in hominum genere constantia: quam *Venetæ* deinceps largitatis munificentia prærogativis ingentibus, immunitatibusque suis prosecuta est. Transacto præprospere

 feli-

feliciterque negotio, commendatum sibi Principem *Gonsagam*, Patavium subsidiarii milites perduxerunt: quem majoribus subinde constipantium catervis prævallatum, ne præda felix opulentaque barbaricis incursionibus diriperetur, secundoque devectum flumine *Venetias*, summa omnium alacritate moreque triumphantium, intulerunt. Magno præcelsi eximiique Ductoris spectaculo recreati omnes Patricii Summatesque, non minorem ex prospera nunc fortuna lætitiam, quam prius ex adversa mœrorem concepere: cum præsertim jam mitior aculeos fortuna suos retunderet, innecteretque alios atque alios in dies pari sorte vinculorum damnatos hostilis militiæ ductores; ac insuper nova quotidie municipia, novas arces, redintegrato *Venetorum* imperio subigeret. Quæ Principes Viros, sociosque fœderum vehementer angebant: sed inter omnia *Patavii* nuper ablaqueati cura gravior Cæsarem distorquebat. Quippe præter augustalis fisci damna, nec leve proprii census detrimentum, nonnullæ denigratam laudem suam maculæ respergebant; emergebatque non dispar, tam sugillatæ dignitatis suæ, quam amissæ civitatis jactura. Nam cum *Aureliensi* manu pæne illi tradita, suisque periclitantibus copiis oblata foret, ejusdemque abscessu, suoque exercitu revocato, injecta paucorum mora dierum amissam, incuriosi parumque diligentis esse videbatur. Itaque magna præcipitique festinatione contractis legionibus, ad urbemque promotis, *Patavium* oppugnaturus obsessurusque, propediem affuit. *Hispani*, *Galli*, *Germani*, *Itali*que conspirantibus in eam expeditionem animis, communique rem bellicam impendio juvantibus, coivere. Armatorum centum ac viginti millia, dum Cæsar agro *Veronensi* lustrat exercitum, percensa fuisse, quidam auctores sunt. Numerosissimum ac pæne imputabilem exercitum nemo negat: miramque diversis ex nationibus in magnitudinem coactum fuisse, constantior ubique fama vulgavit. *Cælius*, qui ea tempestate, ut supra meminimus, *Patavii* scribebat, non in eam quidem summam, sed paulo minorem consentit: notatque distinctius octoginta peditum millia, quod assiliendæ urbi pedaria manus aptior foret & promptior, equitum vero xx. millia, ex cathaphrattis ferentariisque, eo bello convenisse testatur. *Mocenicus* addit, numerosissima manu non contentum Cæsarem, suaque *Germanos*, *Gallos*, *Hispanos*, & *Italos* ad signa concivisse, ut omnino *Veneti* nominis amplitudinem everteret, deleretque funditus excelsæ Reipublicæ magnificentiam, *Turcas* etiam sollicitasse: ut ruinis nutantibus percellendis suas etiam illi manus admoverent: sed hanc causam, ut cætera omnia, sedulo diligenterque procurante *Veneto*, hanc in rem nihil illi suo ex desiderio cessisse. *Aluisio* quippe *Raimundo* Jussu *Veneti* Principis ac Senatus intercedente, peroranteque magnam ac triumphalem causam obtentum est, ut non solum adversus Venetos *Turcæ* bello temperarent, sed omni *Venetum* ope præsidioque juvarent: auxiliaque cum terra marique, si discrimina periclitantium evocassent, dispartirentur. Ergo cum tot copiis, omnique pæne contractis *Europa* legionibus adventare Cæsarem nuntiarent exploratores, ipsisque Principibus *Venetis* liquido liquidius constitisset, directo *Patavium* agmine Cæsarem impetiturum oppugnaturumque, de urbe defendenda conservandisque civibus suis, impendio summaque diligentia consultavere. Sæpe die nocteque, quanquam importunis horis soliciti frequentesque publica privataque cuncta discussere: quantæ molitionis, quantique periculi rem suis manibus complecterentur, sinuque suo versarent, præ oculis omnes habebant. Et sane munus arduum & operosum erat, post tantas inflictas clades, subito conflato bello constitisse adversus hominum centum

A

millia: tot enim coactos edicentis Cæsaris imperio bellatores, eo loci temporisque coivisse, nemo est qui nesciat. Præterea scientissimos bellicarumque rerum peritissimos ductores, in *Venetum* castra movisse, magnique sub unius nominis auspicio vexilla tenuisse, non immerito pertimescendum fuit. Qua propter insumptæ defensionis tutelæque, provincia difficilis & ægra videbatur: quam sane difficiliorem effecerant, attenuatæ proxima clade, recentique ruina prostratæ *Venetorum* opes, quas adeo violenter impressa calamitas adflixerat, ut eluxatum pæneque dispactum everteret imperium.

B

Ad hæc deligendi conscribendique militis solicitudo, tot maxime priore bello dissipatis florentibus copiis, Patrum animos ingravabat. Accedebat urbis amplitudo, majori custodia majorique munimine prævallanda. Sed & numulariæ frumentariæque rei difficultas, tum & ipsius quotidiani commeatus dispensandi diligentia, mentem assidua cogitatione fatigatam divexabat. His ergo tot implicitis curis ingruentibus *Veneti*, retritas primo suæ Reipublicæ vires expendere, ordinarii extraordinariique reditus censum supputare; ærarii publici privatorumque civium facultates divitiasque metiri, quot quantaque in medium singuli con-

C

ferre, quotque ex publico redigi possent, crebriore calculo, repetitaque ratione diligenter exquirere. Sed majore nodo difficultatis Patres astringebantur, quod magnæ splendidæque urbes, pluraque recens hostili jugo municipia subacta fuerant: præcipueque *Brixia*, *Cremona*, *Bergomum*, *Crema*, tum *Verona*, *Vicentia*, aliæque plures in *Appulia*, *Flaminia*que potestatem in hosticam redactæ civitates erant. Quæ cum publicis vectigalibus, privatisque civium fortunis immenso *Venetos* olim sumptu levassent, nunc in alieni juris potestatem translatæ addictæque alieno imperio, conduplicatis rem *Venetam* dispendiis afficiebant: quæ vero

D

nuper asserta fuerant oppida, urbesque receptæ, tot castrensibus debilitatæ quassatæque ruinis pendebant, ut ne quidem consueta priscaque portoria solverent; & beneficiis promerendi boni cives erant; & immunitatibus sublevandi. Itaque novis indictionibus novisque tributis, ipsi Patriciorum Optimates Primariique *Venetorum*, cæteraque omnis turba inferior ac mediastina, premebatur; & angustam rem in dies magis ac magis attenuabant intermissa incomparabili dispendio mercatorum commercia, quæ proventu rerum inenarrabili publicum privatumque prius omne ærarium replebant: adeo quidem, ut hæc si robore suo sicut &

E

antea constitissent, cætera omnia facile *Venetus* contempsisset; at his, suis veluti nervis privata Respublica difficultate rerum omnium laborabat; quoniam ex *Cypro*, ex *Græcia*, ex *Peloponneso*, ex *Adriatici*, *Ionii*, *Ægæi*que maris tractu, quaque omni nostro mari late diffusa patet *Venetæ* ditionis amplitudo, vix, quod ad sumptus quotidianos sufficeret, contrahebatur. Etenim terrestria omnia feliciora maritimis uberius affluunt, opportunioraque bello largius sumministrant. Ergo cum omni examinatiore diligentia Patres *Veneti* cuncta pensitassent, quantumque æris ex publico privatoque rivo communes in usus confluere posset, ad

F

delectum protinus habendum, conscribendosque omni ex provincia milites, convertuntur: edictisque publicis omnem militiam, quæ proximis ruinis disjecta vagabatur, nullisque signis obnoxia vacabat, ad erecta *Marcica* vexilla, præsenti ære prorogato, revocaverunt. Tunc qui *Mantuano*, *Ferrariano*que agro, nec non *Agnidilinis Abduanis*que finibus palantes ibant, quique *Flaminia*, *Piceno*, *Umbria*que Pontificiis armis exagitati, aut diversa regione diversis ingrassantibus turmis errabant, auditis *Venetorum* salubrioribus edictis, redivivæque Majestatis consurgente imperio, ad

Leo-

Leoninas jubas *Veneticaque* signa properantes commigravere. Quos benigne quidem exceptos, & ex cujusque merito virtutis præhonestatos, *Veneti* Principes in militiam admisere: novos præterea delectus ex *Liburnia*, *Illyrico*, *Venetia*, ex *Epiro*, *Græciaque*, ac diversis *Græciæ Italiæque* insulis habuerunt. Ad hæc oppida, arces, omnesque finitimas urbes emunire, sed impensiore cura studioque majore *Patavium* propugnaculis omnibus omnique armatura præcingere festinabant: quoniam omnis vis belli, omnesque *Germanorum* & *Gallorum* vires, appendicibus utriusque conjunctis *Hesperiæ*, ejus in urbis expugnationem intendebantur. Collectos igitur, repentinoque conscriptos annotatu milites, Veneti *Patavium* transmisere: cohortantes obtestatique Ductorum singulos, ut virum agerent, ne vinci paterentur, utque feliciter receptam sibique concreditam urbem pro diligentia fideque sua conservarent. Scribit *Cælius* peditatum omnem quindecim millibus, equitatum vero ferentarium quatuor absolutum; cum cathaphrattarius, omnisque gravior armatura non amplius octingentis equitibus constaret. Et hi quidem sub ipsam obsidionem incredibili celeritate coacti, non minorem festinationis quam numeri, suspicientibus admirationem dedeRunt. Sed hæc & alia sane fidem hominum excessere, quæ eo temporis ad belli resurgentis impendia, contraque tantos potentissimorum Regum bellicos apparatus, *Veneto* Imperio, quod paulo ante prostratum irreparabiliter concidisse videbatur, comparata sunt, & in ipsam urbem importata: adeo quidem, ut post eam cladem impressam, qua pæne ab ingenita libertate dilapsi Principes *Veneti*, ad ignotum servitutis jugum trahente fato compulsi sunt, nec dum integro vertente trimestri, redintegratis viribus, instauratis animis, tantoque sævi Martis naufragio recuperatis militaribus tabulis, adversus Reges potentissimos, eorumque centum millia præliatorum consistere *Patavium*que defendere præsumpserint. Quo circa non facile, nec ex aperto jure responderim, an fatalis ille turbo per *Alpinas* fauces barbarico spiritu violenter impulsus, qui *Venetam* Rempublicam tanto fragore perculit, offecisse magis an profecisse, cuncta recte discernentibus, & acriore cerniculo judicantium more singula discutientibus, censendus sit. Occurrit, quod de filo certe Rempublicam pependisse, titubasseque sub alternantis alea fati, nemo negat; universamque totius Imperii molem, tot effusis sæculorum spatiis solidatam, uno momento periclitantem cognovimus; & si fata fuissent, ut ex consilio multorum fortunam *Ludovicus* impelleret, nullo victis spatio, nec ad consilium nec ad requiem captandam dato, de summa tunc actum fuisse, nonnulli quanquam benigni judices æstimaverunt. Præterea damnis irreparabilibus inenarrabilique detrimento tot infiniti sumptus exhausti, tot bellica tormenta inæstimabili ære conflata, tot excellentes egregiique Ductores, præter congestos cadaverum cumulos, absumpti, ut arces, urbes, oppida, pagos, villas, tot influentibus ac refluentibus undis bellorum adobrutas, prætercam, rem *Venetam* procul dubio graviter affecere. E diverso, si fortuna lenior aspiravisset, favissetque turgentibus velis & in altum solventibus, nunquam tanta omnium admiratione res sua perstitisset: nec extritæ vires suæ tanta luce spectabiles & conspicuæ refulsissent. Pulchra quidem omnia speciosaque prius cuncta fuerant, sed & post obductum retusumque lumen objecta fati malignioris caligine, speciosa magis pulchrioraque reluxerunt. Quemadmodum si quis vastum ignem, ingentibus conjectis fascibus, magnaque lignorum congerie superstrata, suffocasse credat, repentino quidem ingestu flammæ præculcantur, atque subsidunt, ipsique subitario impetu refracti carbones hebent: mox ignis undique vi flammarumque collecta, contractoque focis omnibus calore, resurgens increpitansque rogus genuina virtute sua vigentior & amplior exsplendescit: quam si

A nullo obice colluctatus suis tantum facibus ac scintillis emicuisset: sic allisa fato res *Veneta* majori quidem lampade coruscavit, quam si nullis unquam obscurata tenebris defecisset. Silex quidem rudis & asper riget, ob situsque suo tantum pondere congravescit: verum si altero silice vel chalybe propius admoto collidatur, aut scalpro malleis impacto cavetur, actutum inflammescit, ignibusque subito splendore scintillantibus conflagrat. Obstrusa tunc quippe venis suis virtus, objecta duriore materia, ictuque frequentiore perlicita, depromitur & exardescit. Quid valeret, quid præstaret *Veneta* Respublica, quantum viribus suis assequeretur, quantumque secretioribus venis

B suis inconderet, nunquam mortale conjectasset ingenium, nec conjecturis veritati proximioribus colligere potuisset, nisi tot adversis exagitata percussaque fortunæ gravioris ictibus, invicta tamen infractaque nervis suis suoque robore constitisset; late quidem *Venetæ* potestatis antea gladius effulgebat, longeque diffusum propatebat imperium: sed quid occuleretur, quid in eo lateret, quod penitioribus fibris aleretur & viveret, ignari Principes *Venetæ*que Dominationis æmuli tunc demum sensere percepereque manifestius, cum pæne totius *Europæ* contractis viribus in excidium *Venetum*, *Marcicam*que Rempublicam conjuraverunt; cum effuso fugatoque admirabili flo-

C rentissimoque omnium exercitu, cum tot una hora deficientibus populis, & ad hostem desciscentibus, tot præclaris & inclytis urbibus, omnique pæne salute desperata, obumbrato publici decoris fulgore Majestas *Veneta* caligavit. Sed & evidentioribus argumentis deprehensam vim Reges Principesque comprobaverunt, cum inexhausto vigore Respublica consurrexit, cum reaccenso lumine resplenduit, cum nativis suis viribus fœta prægnansque, tot præstantissimos Duces, tot ferocissimas gentes, *Patavino* recrudescente bello, inexpugnabilis, invicta, insuperabilisque sustinuit. Olim plane *Ligures*, gens dura & aspera bello, & ut Poëta cecinit, assueta malo, *Venetam* experti sunt, diuque potentiam periclitati: siqui-

D dem amplius quam centum annos, ut memoriæ proditum est, acerrimis sese invicem odiis consectantes asperiore bello conflictati sunt. Et tunc quidem constantiæ firmitatique *Venetæ*, Ligusticam fortitudinem diu bello exercitam, ac terræ marisque periculis omnibus obduratam evicisse superasseque, magnæ laudi gloriæque fuit. *Philippico* quoque bello rem nostram attenuasse, constitisseque tot annos adversus Ducem magni nominis Virum, magnisque copiis prævalentem, & ad dubiam sæpe belli fortunam redegisse ac vicisse, non parvi roboris, parvæque virtutis fuisse rear. At illud quidem paulo majoris

E existimem, cum *Ferrariano* Duce bellicas flammas excitante, tota prorsus ardens in *Venetum* conflagravit *Italia*: cujus ignem rogumque succensis & elatis facibus cuncta perurentem, superfusæ salutares aquæ *Venetorum* subito restinxerunt. Sed & hæc tamen unius *Italiæ* vis erat, quanquam bello conspicuæ, ac viris armisque, doctissimorum omnium testimonio, præpotentis ac famigeratæ. At res illa plane nobis immensior, supraque res omnes stuporis plena, ac nisi laboris insumpti amore nimio fallimur, supremi ingentisque miraculi visa est, & æternis præconiis memorandi, quæ nostris diebus *Abduanis Agnidilinis*que arvis tanto sanguine ferroque transacta est; quo

F tota ferme *Italia*, ab *Alpibus Rhetiis* ad utrumque *Siculum Ionium*que mare, confluxit; quo citerioris ulteriorisque *Galliæ* potentia ferocissimo ductante *Ludovico Aureliensi* commigravit; quo *Germanicæ*, *Alpinæ*que gentes durissimæ, bello infractæ, invictæque armis, millibus hominum infinitis coivere: quos contra, una stare *Veneta* Respublica tantosque contra bellorum apparatus una persistere durareque non obhorruit. At illud certe etiam ingentius, ipsaque omni admiratione admirabilius, quod postquam sic trahente fato, sicque præscripta divini Numinis lege, res *Veneta* concidit, tan-

toque

toque fragore prolapsa est, rursus tanta vi tantoque iterum robore convalidata surrexit, ut adversus armatorum centum millia concertare, deluctari, repugnare, bellicosissimæque gentis impetum oblidere confringereque, felix invictaque valuerit. Hæc nisi toto obtutu, totoque defixæ mentis stupore suspicienda, demiranda, prædicandaque judicemus, nihil equidem recte judicabimus. Dixerit aliquis, sed hæc recitata sæpius & repetita sunt: esto, recitata sæpius repetitaque sint; at non certe fastidio tædioque lectoris, nec nostro. Nam cum admiratione digna res incidit, nullam certe satietatem admirantibus affert: si modo sint hi, qui possint admirari. Quam etenim cæcus admirationem ex luna, stellis, aut sole capit? Quam surdus ex cithara lyraque voluptatem, si *Linus Orpheus*que plectris suis interstrepant, capiet? Si languore palatus intorpeat, si febre quis intus æstuet, nunquam *Apicius* pransitanti cœnitantique gratus erit; nec ullas unquam apponet escas, quæ conditurræ suæ suique popinalis magisterii disciplinam redoleant. Si bilis ulla redundaverit, illico dulcissimi liquores amarescent, non propinantium vitio, nec liquorum, sed palati. Si quis ergo recte judicet, probanda non improbabit; & cum iterum prolata fuerint & recantata, non respuet nec exsannabit; adgestiet, si adgestiverint, & si applauserint, arridebit; si offerantur, subjicianturque oculis lectitanda, non illa quidem interlinet nec abrogabit. Gemma sane intuitu speciosa, suoque jucunda splendore, quo sæpius oculis obversetur, sæpiusque delectet, articulis nostris inseritur, ipsaque manu prompta est. Excultæ elegantesque picturæ non abdito delitescunt, nec tenebris obconduntur: sed ut conspectæ sæpius voluptatem afferant, immigrantibus ac remigrantibus obviæ sunt. Quis satietate teneatur inspectandi, si *Venerem* Cous depingat *Apelles*? Quis declinet oculos, si *Protogenes* lineam ducat? Quis aures obstruat, aut impicet, si crebro Sirenes emodulentur? Quæ suapte natura grata sunt & jucunda, quo magis ad manum præstoque fuerint, eo jucundiora fient & gratiora, quod frui perfruique magis optato quis potest. Beatorum animæ beatiores esse censentur, quo magis propinquæ vicinæque beatitudinem sentiunt, quo propius hærent, quoque frequentius & intentius diversantur, eo major & excelsior earum gloria reputatur. Fluxa, fragilis, citoque dilapsa jucunditas magis afficit animumque distorquet, quam blandimentis ullis foveat aut leniat; quoniam amissæ desiderium ingerit, & anhelantis votum nova fruendi expectatione fatigat: at cum obvia & in promptu est, semper amœnitate sua demulcet; si recognoscatur, si cogitationi insideat, eadem suavis est, & per omnia semper amabilis. Ergo cum jucunditatem afferat non mediocrem *Venetæ* potentiæ amplitudinisque ejus benigna contemplatio, quo magis sensibus nostris infunditur, & altius infusa colliquescit, eo quidem magis animum lectoris tenet, & dictantis ingenium oblectat. Illicimur, hilarescimus, solvimur, cum ad excelsam splendidissimæ Reipublicæ speciem recolendam flectimur; cum ad illius domi forisque patrata semper optima ratione facinora toto mentis impetu rapimur; cum tot eximios prudentesque togatos insolentissimorum superbiam armatorum compescere cernimus; cum obduci refringique tela togis, cum furorem cingulo cohiberi, cum lenta cogitationis aqua, tumultuarias ac furentes imprudentiæ flammas extingui, magno affectu magnaque lætitia conspicamur. Sed hæc delirant, extraque narrationis Legem agunt; hæc supra præscriptum historiæ redundant: at longis excubiis, multaque lucubratione fesso, date veniam, ut instauretur; ut hoc brevi margine, brevique consumpti pæne voluminis gyro, ea mentem meam recreent, quæ magno cum gaudio recensentur; quæ dulcedine sua condulcescunt; quæ

A nimio lepore suo blandiuntur. Liberius oberrare licet & evagari cum metam attigeris; ac cum primo secundoque peracto spatio te ipsum ad tertium quartumque pari peragrandum excursu præparas, lascivire decentius licet, extritaque paulisper orbita declinare: si ea præsertim inciderit materia, quæ & ipsa deviet, quæ legem excedat, quæ trivialia supergrediatur, qualis ad præsens nobis in manu est; qualemque *Veneta* Respublica nobis suggerit ac præministrat. Etenim magnum ingensque proditum est tempestate nostra miraculum, rem novam ætas nostra,
B priscisque sæculis inauditam, sempiterna *Venetorum* gloria Principum deprompsit: totius orbis Imperatorem *Maximilianum* Cæsarem, *Ludovicum* Galliarum Regem potentissimum, *Hispaniarum* Principem magna fidei nostræ prærogativa Catholicum, & his adjunctum *Christi* Vicarium in terris, *Julium* Ligurem Pontificem Maximum: præter *Italiæ* Regulos, cæterosque Heroas in solidæ unius compactæque virilis togæ amictum conjuravisse; neque tot innumerabilibus telis ensibusque conjectis proscindere distrahereque potuisse. Atqui discerpta est: sed ita quidem, ut subito resuta coiverit, majorique Reges indignatione rumperentur, ac bellum gravius
C instaurarent; nec pugnatorum centum millibus rescindere tamen contextam potuerint. Quæ certe dictantem ac legentem admiratione non suspenderent, si intacta inviolataque toga illis fatalis, limbis suis omnibus integris perstitisset. Illa igitur inauspicata exauguratataque dies, quanquam calamitate omnium maxima rem *Venetam* adflixerit, saniore tamen judicio magis extulit quam oppresserit; eoque temporis articulo majori laude, quam si vicisset, succubuit: quoniam virtutis noverca felicitas est, viresque denervat magis quam roboret. Si pericula damnaque totiens invecta Quirites non extulissent, amplitudinem gentis invictæ, populique gentium
D Principis magnificentiam non admiraremur; nec *Romano* ligone proscissa *Carthago* tanto victoris gloria congemuisset, nisi prius *Romana* virtus tantis cladibus excitata sudasset. Divexamur, exagitamur, excutimur, ut majoris nostræ virtutis splendor eluceat: ac ut sicut aurum igne probatur, sic adversis omnibus exercita vis nostra præpolleat, & illustretur. Ergo cum edomitis hostibus cuncta *Romanis* patuissent, cessissentque illis omnia, quibus ignea virtus obluctata ferbuerat, illico graviores propitiæ quam adversæ sortis pœnas luerunt: cumque bello clari & celebres emersissent, obscurati otio paceque protinus obsoleverunt. Deleta tanto sanguine *Car-*
E *thago* nullo sudore pulvereque *Romam* delevit. Expugnatæ victæque gentes fortissimæ, nullis telis nulloque bello *Romam* expugnaverunt: universusque terrarum orbis, æstu, duritia, perpetuoque labore subactus ipsam urbem mollitie, plumis, umbraque subegit; qui si subactus non fuisset, forsitan nobis etiam *Roma* viveret; speciosissimique decoris ejus contemplatione frueremur. Sed cedendum erat surgenti Reipublicæ & cum terra suum jam grande miraculum peperisset, aqua grandius parturiebat: quod magnitudine sua priori tanto præcelleret, quanto terræ præstat oceanus. Igitur quoniam ad gestæ rei seriem historiamque revocamur, ac ne
F plus æquo dispartiti mensura Voluminis excrescat, concludam paucis in eamque sententiam perorabo, quod quanquam funestus ille dies fuerit & lugubris, ipsisque feralibus lachrymis atratus, quo *Venetum* barbarica manu concussum divulsumque pronutavit Imperium, magis tamen ad vim propriæ virtutis excitandam, prævalidasque potentissimæ Reipublicæ Vires ostentandas, amplificandamque summi culminis fastigiique ejus Majestatem contulisse creditur, quam si perpetuum unumque felicitatis tenorem fortuna nunquam asperior nec immitior interpellasset.

LIBRI SECUNDI FINIS.

BER-

BERNARDINI ARLUNI,

Jureconsulti, Patricii Mediolanensis,

DE

BELLO VENETO

LIBER TERTIUS.



Atavini belli procuratione suscepta, cum trutinatis pensiculatim omnibus quæ eam in rem forent, firmiore Principis Patrumque sententia decretum esset, urbem munire, *Veneti*que nominis studiosos Cives defensare, ac jam procincti milites ascriptique stationibus urbicis, pro mœnibus starent, numulariæ quoque frumentariæque rei præsentes in usus dispensatorum diligentia prospectum foret, ne ad susceptam tantam rem perficiendam cæterorum torpentes animi languerent, placuit ad rempubl. cuncta referri: ut propensa Summatum Patriciorumque omnium voluntate, cæteri quoque in tutelam urbis accenderentur: inflammatique vigentius pro patria suisque pro penatibus ac focis starent: neve commeatu deinceps æreque prorogando, retrorsum abeuntes averterentur. Ergo pro more indicta concione, *Leonardus Lauretanus* ætate, consilio, dignitate Princeps, assidentibus ex albo primoribus, cæterisque suo gradu patriciis in ordinem allectis, sic locutus est:

Nunquam Patres Conscripti, vosque cæteri publicorum negociorum participes, hanc in concionem augustaleque prætorium accersivissem, si me tristia præloquente, lugubriaque denunciante Lauretano, *vos precepturos quicquam mœroris esse cognoscerem: Quoniam afflictis & communi calamitate gementibus, non est nova calamitas infligenda: sed ea qualiscumque sit, mihi qui beneficio vestro optimo & maximo, nutuque Deorum principem locum teneo, obeunda sustinendaque est: ac labore meo meaque solicitudine à vobis penitus declinanda. Nec enim excelsa summi culminis fastigia tenemus, ut lautiore accubitu discumbamus: nec nos throni sublimioris eminentia provehit, ut lascivientis* Sardanapali *voluptatibus immergamur, ut impuris* Heliogabali *spintriis fracti, volutatique libidinum pelago præfocemur: non hæc boni Principis sunt nec Ducis, nec sane circumspecti qui publica temperet & moderetur gubernatoris: congruit omnibus qui sellam præsidalem occupant, quique gradu celsiore præfulgent, esitantibus aliis esurire, sitire potantibus cæteris, aliisque stertentibus excubare: atque cum intermisso labore humiliores dilaxentur, & conquiescant, hos exagitari, durare, intendique acrius par est: ut quem major dignitas super omnes extulit, eundem major solicitudo commendet, & efferat; denique ut eleganter* Vespasianus *&* Turbo *prædicarunt, cum cæteri languentes jacentesque vita fungantur, oportet rerum præfectos stantes mori. Igitur ego quanquam publicarum pondere molestiarum prægravatus laborem, nihil vobis infundam, nec vestris auribus instillabo, quod mentem divellat, aut animum excruciet: hæc cum iniquæ sortis impetus invexerit mecum sint: eadem vero cum Deorum benignitas revexerit, in vos largiore manu refundantur. Sim ego lætitiæ jucunditatisque vestræ facundissimus prædicator: sed mœroris*

A *angustiæque vestræ cautissimus dissimulator atque redemptor, quanquam hæc Deorum clementia levata sit, indulgentiæque cœlestis pietate remissa. Non vos fugit, certe scio, vestraque mente recolitis, & nimium meminisse necesse est, quanta senatus* Venetæque *reipubl. jactura, per ingentes demortuorum cumulos, effusasque late cadaverum strages, confligentibus sic dicam polis, ipsisque pœne tumultuantibus elementis, proximis mensibus facta sit: quæque jam mille, centumque & amplius annos, senescente mundo invicta stetit, totque per annorum volubiles cursus omni semper ævo potentior & clarior eviguit, respubl. quam subito divulsæ compagis fragore, dissitarumque tabularum nostrarum ruina, quasi*

B *subversa pœneque prostrata sit, vobis ædepol, mihique plus quam vellem compertum est. Lamentabamur insolitos præcipitesque rei cadentis lapsus, ac dispacta machinæ subhiantis latera formidabamus. Et plane non vanus ille timor erat; & qui merito fortissimos constantesque viros exterrere potuisset: cum uno horæ sublabentis articulo florentissimæ reipubl. moles ingens quassata est, fundoque pœne subruta procidit. Sed hæc nigris inscripta notis exacta sunt, & quæ nobis forsitan olim meminisse juvabit jam excessere: meliora suppullulant, & ex ipso longævæ phœnicis incendio pulchriora splendidioraque omnia renascuntur. Arces, oppida, pagique plu-*

C *res, quos e nostræ gremio reipubl. barbarica manus distractos adsciverat, descivere: nationes multæ vestrique juris populi, qui nescio quo violentiore fato rem nostram flagellante, sub hosticam ditionem migraverant, ad nos eodem deleniente, remigraverunt.* Patavium *antiquum & nobile nostræque reipubl. domicilium, cum barbaricam servitutem serviret,* Germanico*que jugo devinctum alligaretur, integro vix interfluente trimestri,* Grittea *opera solutum est, & prisco jure nobis alligatum. Nostrum nobis cor redditum, nostræque nobis refloruere deliciæ: extincti pœne reviximus, exanguesque, spiritu cœlitus insufflato vivificati sumus. Fusi fugatique hostes sunt, purgata malis civitas hominibus, sumptumque de noxiis ex delicto cujusque supplicium. In-*

D *visæ circumlatrant* Gallicanæ *canes, oberrant circumque ululant septentrionis lupi, magnisque copiis occidentis hostes prævalidi circumstrepunt: Quos etsi pauciores quam fama ferantur esse non nesciam, extenuare tamen verbis, manifestioreque veritatis argumento convincere falsa non ausim. Sint plane centum, bis etiam si placet centum coeant, terque amplius centum, esto, bellatorum millia* Patavium *incursent: his quidem numeris nihil ad victoriam præsternitur, nihil hac incondita multitudine præparatur ad laudem, non roborat nec præfirmat exercitum sed enervat confunditque turba diffusior. Si pugnatorum numero victoria constaret nunquam suum militem* Ju-

E lius Cæsar *à fortitudine viribusque comprobasset: nec tam frequenter innumeras hostium copias suis cum paucis, luculentissimorum testimonio scriptorum superasset.* Jubæ *regis adventum multitudine copia-*

rum terribilem, cum tyrones juxtaque veterani milites exterriti, fama numerum pervulgante paverent, non minuendo negandoque, sed asserendo amplificandoque confirmasset, si pauciores pluribus cederent, si castra turbæ magis quam exercitui tutius crederentur: magnus ille victorque gentium Alexander, cum ex Macedonia, Illyrico, Græcia, universoque pœne terrarum orbe delectum habere posset innumerabilem, nunquam majores quadraginta millibus copias duxisse fertur, præcidendum resecandumque, tanquam inhabile regenti, quicquid excederet, ratus. Infinitis millibus conflixit Darius & pulsus est. Hellespontum constravit Xerxes & fugatus est. Maximus tyrannus solo nominis sui terrore formidabilis, Adragantiusque illi comes admirabili bellico cum apparatu, Theodosiana manu perexigua, fusi sunt. Quotiens populus Romanus, quotiens egregii ductores, quanquam collatione numerorum inferiores, hostem amplioribus copiis exultantem contuderunt, fregerunt, straverunt: Quoniam non numero vincitur, sed virtute; ipsisque deprælientium viribus præponderat causa meritorum; & ad juris orbitam legumque rigorem redacta tandem omnia, non hominum perficiuntur Imperio sed deorum; & qui fidem colit, qui nititur æquitate, qui jus & fas agnoscit, nunquam Deorum auxilio destituitur. Nos, ni fallor, innocentes piique, bello neminem lacessivimus, injuria neminem provocavimus, temeraria nullis arma nec ullam vim oppressis intulimus. Quieti justique possessores, cum legitima nostrarum possessione rerum frueremur inquietati sumus, nimio livore contabescente invidia. Propulsare injuriam vimque repellere juregentium licet: nam cum cætera disceptatorum examine præsidentiumque judicio trutinentur, sola expers est tribunalitiæ cognitionis defensio. Non ad judicem provocare necesse est cum cæderis, sed ne cædaris sine Judice procurare licet. Sera cautio est, si vulneratus appelles, sed ne vulnereris, cautio tempestiva. Indignantur, livent, rumpuntur hostes, quod splendidæ præflorentique reipubl. nostræ copia lætamur, cumque ipsi invicem discordiis suis emaciati striatique contabescant, nos pietate nostra concordes abundantia rerum omnium affluamus. Insurgunt insultantque nobis, & quæ labore nostro parta sunt, majorumque diligentia nostrorum & studio comparata, dilapidare trahereque ea mordicus enituntur: sed ædepol inique, omnique tam divini quam humani juris refragrante disciplina. Et ne longa judicii cognitione vos remorer, causæque nostræ merita repetito longius exordio percenseam, una sufficiat, unaque sit ad satis, adversus omnem infestæ partis allegationem, antiquæ justæque nostræ possessionis defensio: Qua nos exturbare detrudereque violenter & armata manu contendunt insolentes elatique fastu suo rerum Domini: non implorato jure, nec arbitrorum expectata sequestrorumque sententia, sed ipsorummet absoluta Regum voluntate, gubernatoque sola potestate sua armorum judicio. Nos rem nostram conservare, nostramque studiosius causam tueri fas & jura sinunt: nec mehercule coram vobis unquam verba facturus rostra conscenderem, si non elimatus ad purum, extritusque conscientiæ meæ candor splendesceret, si Deo Optimo Maximo teste Diisque omnibus, elibrata suspensaque non starent à nobis incorruptissimi examinatissimique juris pondera. Non vos hortarer plane nec commoverem, ad vestram rem defendendam, si in tanta juris abundantia doctissimorum scita virorum non assentirent. astipulantur, applaudunt, totoque consensu nobis obsequuntur fixæ refixæque leges, & usu hominum recepta edicta Prætorum Principumque Decreta: sed & Pontificii Divinique Viris Dogmata vos hanc in causam provocant & impellunt. Ergo, quoniam causa jubet melior divos sperare secundos, hac in defensionis æquitate, strictique juris articulo cum fortuna no-

A bis obvia, blandius hilarescat, adesse pariter omnes excipere que sortis revolutæ pilam hæsitabitis? Opem ferre laborantibus sociis, vestrisque rebus fessis succurrere cunctabimi? Aut in tanta rerum bene gerendarum opportunitate manum vestram admovere cessabitis? Strenui plures, bellicarumque rerum scientissimi ductores excubante Andrea Gritto faceque ejus ingenii prælucente, Patavium nostrum tenent, illudque diligentissime custodiunt & adservant; sed angusta tenuique manu militum eorum, qui Agnidilino naufragio post demersas fractasque puppes nostras superfuerunt. Quocirca novi milites deligendi, reparandus supplemento exercitus, impar-

B tienda suffragia, commeatus largiores suppeditandi, cæteraque tantæ feliciter transigendæ rei opportuna, cautius a nobis & accuratius explicanda sunt, nostrisque præsto sumptibus exhibenda. Vos ergo Summates Patriciique mei, vos publicorum participes & socii negotiorum, si qua vobis unquam illuxit scintilla laudis & gloriæ, si rem vestram tueri defensareque vestras opes aliquando cordi fuit; si tanto studio ac labore propagatos majoribus nostris Veneti fines imperii, turpe vobis & inde eorum amisisse animo ducitis: expergiscimini precor, exsurgite ocyus, totoque nixu communem causam totaque mentis & virium intentione vestrarum complectimini.

C Non his ego vos stimulis accendam, nec his angustiarum facibus inflammabo, quibus plerique mortalium ad capessendas res vehementius commoveri solent: Quoniam scilicet fortunæ vestræ vestrique census magnum in discrimen trahuntur. Familiaris quippe res vestra vestræque opes, algore, æstu, inedia, sudoribus ac vigiliis vestris comparatæ, splendore suo fulgoreque rapacissimos prædones, avarissimosque piratas solicitant, perliciunt, irritant: Quos si fortuna, quod absit, eventu feliciore proveheret, nullo non rapinarum genere, nulla non sacrilegiorum injuria, nulla non flagitiorum omnium atrocitate propoliutas manus suas impiarent. Parcam cæteris,

D & silentio modestiore supprimam, quæ Barbaricæ temeritatis insania, cum victore gladio debacchatur, admittit. Quo libidinis incestæ volutabro, qua conspurcatæ virginitatis fœditate, quo promiscui pudoris violati sentinario pronatet, quibus pronodata laqueis, quibus accincta facibus, quibus armata tormentis, nullo sacri prophanique capitis discrimine tumultuetur, sæviat, populetur. Has ego vobis miseriarum scenas aperuisse, depinxisseque lugentibus tabubulis harum imagines ærumnarum supersedeo: Quoniam lachrymis & ferali gemitu vestras aures funestavisse, conturbavisseque lugubribus animos libitinis refugit & abhorret animus meus. Et vos ita quidem

E nati, educati, instituti que estis, ut quanquam hæc fortissimis viris terrorem incutiant, non harum tamen proscenio miseriarum terreamini: sed accendimini potius immensa cupiditate miroque laudis & gloriæ studio, quibus præsignes magnoque animo præditi majores nostri nobis hæc admiranda rerumque omnium pulchritudine speciosa moliti sunt. Si igitur macti illi ingenio & prudentia viri qui hæc ex minimis tanta fecere, diligentia solicitudineque sua non modo a majoribus relicta conservaverunt, sed posteris conservata vobis auxerunt, quanto vos decet studio, quantaque vos ope niti par est, ut amissa pridem nunc recuperata, conservetis. Si solius ampli-

F ficandæ laudis exornandæque dignitatis vestræ causa verteretur, honestioris famæ præcupidis, ac supra cæteros honoris appetentibus, hæc dissimulasse neglexisseque vobis, perabsurdum putarem. At quanto nunc absurdius & iniquius cum dedecoris evitandi diluendæque prorsus infamiæ remedia tractentur hæc vos præteriisse despexisseque judicem. Si periculosum hoc & atrox bellum commoda tantum nostra pertingeret, circumscriptumque damnis nostris, nostræque jacturæ linea coërceretur, nec in filios nepotes-

que

quæ nostros hujusmodi dispendia redundarent, ignaviam tarditatemque, si qua manus nostras hebetaret, ferrem ædepol patientius, & hæc æquiore animo tolerarem. Sed quoniam insontes innoxiique nepotes ac liberi, viscida nostri corporis uligine retentandi sunt, nostræque socordiæ glutino compicandi, qui sibi debito, sibique spectante fidei commisso fraudantur, disrumpor & crucior, si quid projectis & oscitantibus nobis imputetur; si non ardenter & strenue, totaque pro virili nostra castrense negotium hoc complectamur, quod non tam compendium utilitasque privatorum exigit, quam ipsa publici decoris magnitudo, sanctiorisque Majestas Imperii desiderat. Ergo si suæ Reipub. commodo præceps & furens Curtius *ingens barathrum profundamque voraginem obduxit; si ut pertinaciore obsidione cinctum solveret* Pop. Rom. *deceptus* Scævola *manum exussit; si turbidus & ferox* Cocles *ita pugnavit, ut per singulos gradus suæ laudis admoneretur; si* Fabii, *si* Decii, *si tot illustres & sancti Heroes egregiis præclarisque facinoribus suis patriam ita promeruerunt, ut in hanc diem vivat eorum & celebretur gloria meritorum: Quid nobis agendum esse putatis? qui & nos viros existimamus, quique nullis cedendum arbitramur, qui moderamine gubernaculoque Reip.* Lacedæmoniis, Atheniensibus, *ipsisque* Romanis *(pace veniaque fatalis populi ac gentis invictæ dictum sit) præcellimus? Hei mihi quanto afficior dolore, quod animo pectorique meo domesticis peregrinisque documentis informato, defectæ vires & exhaustæ non æquantur, quod vegetæ menti meæ languidi corporis infirmitas non respondet. Ea agerem, meditarer, obirem, quæ Principem & Ducem in tanta re capessenda perficiendaque factitasse convenit. At quoniam senii castantis imbecillitate & annorum cumulo prægravati, consulendo potius quam agendo Reip. vacare possum, ne me quisquam hoc necessitatis discrimine, publicorumque periculorum articulo pigritantem accuset, quicquid meæ opis est, quicquid industriæ vel laboris exhibeo, offero, repræsento: ut non mihi, non patrimonio, non facultatibus arbitrio vestro in Rempubl. ususque communes dispensandis parcatur; ut charissima mihi vitæque meæ pignora filii mei vobis præsto sint, obituri peracturique omnia, quæ assidentium Patrum judicio conducibiliora esse videbuntur. Ite, properate, filii mei, vos mea mihi vita chariores, quanquam ægre mutuis astricti complexibus divellamur, ipsaque pietas insuperabilis nostrorum intima tangat atque titillet secreta pectorum, festinate tamen, cumque mea nihil magis expetant desideria seniique mei labentis affectus, quam ut mecum continuo sitis, abscedite tamen, ac gremio cordique meo perpetuis nexibus alligati procul erumpite. Impium sane crudeleque mandatum, ut concordissimos obsequentesque filios, ac ingenio & virtute præstantes, senio debilis fractusque pater ableget. Sed hac impietate (rogo) quid magis pium? Quid hac crudelitate minus crudele? Cum utcunque nobis se fata ferant, vincat amor patriæ, laudumque immensa cupido. Dura sane imperia, durique jussus, ut unicum deficientis ævi solatium ab se pater mitissimus distrahat, eliminet, exigat. Sed hanc quæso duritiem rigiditatemque meam spectent, contemplentur, probent, qui me tantis affectibus æstuantem intuentur, ut naturam opprimere, honestissimique vim affectus elidere, ac repudiare manu quadam rationis enitar: ut quid ipsis agendum sit intelligant; quid exemplo meo deinceps sit ipsis audendum existiment; quid in tanta, Patriæ laborantis fortuna sui Principis æmulatu sit conficiendum sibi proponant, qui sese filiis suis optimis abdicet, qui suis visceribus distrahatur, qui majorem melioremque sui partem periculis opponat. Vos tamen o superi, ac divum tu maxime Rector, nostrarum* Venetique *Ducis miserescite rerum. Et Patrias audite preces: si Numina vestra incolumes natos nobis, si fata reservant, si visuras eos vivo, & venturus in unum, vivam oro: patiar quemvis durare laborem. Sin aliquem infandum casum fortuna minaris, nunc nunc o liceat crudelem abrumpere vitam: dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri; dum vos o juvenes, mea sola & sera voluptas complexu teneo, gravior ne nuncius aurem verberet, & jaculo mentem præfigat acuto. Vos interea Primores Patriciique omnes mei, qui* Lauretanum *hunc in locum convenistis audituri, accelerate, præcipitate moras, satagite mecum omnes, uno mecum omnes urbis defendendæ studio certatim effusimque contendite. Nullæ noctes, nulli dies, nulla temporum curricula, nos bonorum operum immunes, nos torpentibus membris egelidos, nos frigido pectore desides offendant. Hic pecunia, ille commeatu, alia alius opera, plures ingenio Remp. juvate; rem vestram tutamini; communem causam defendite; judicent omnes, qui sunt futurique sunt, quique præterita vel usu vel studio cognoverunt, eos qui nunc in medio versantur* Veneti, *priscis illis majoribusque nostris non suppositicios, non degeneres, non ullis operibus abortivos esse: laborareque vehementer obliterandis delendisque magnæ infamiæ notis, cum & augendæ cumulandæque laudi incentivis ardentibus pariter inurantur: atque* Leonardo *Principe cohortante, vestroque præsentiore patrocinio suffragante meminerint omnes,* Venetam *eam esse Remp. quæ quanquam percellente fato deplecti possit, non tamen deplexam cæsamque judicio Deorum Opt. & Max. posse perire.*

Perorantem *Lauretanum* tanta Patriciorum alacritas excepit, tantoque plaudentium assensu favor declamantem prosecutus est, ut optimates summique gerendarum rerum arbitri fortunæ secundioris opinione concepta, de Rep. bene sentirent: faustaque sibi deinceps omnia pollicerentur. Supra ducentos Patriciæ Nobilitatis viros, sicuti quidam historico stilo complexi sunt, uno temporis momento, suis omnes animis opibusque paratos, celeberrimo spectante conventu consurrexisse legimus. *Mocenicus* judicio meo testis locupletior, trecentos fuisse scribit, qui sese tam propenso constantique promiscua beneficiorum collatione laborantibus sociis addixerunt, ut infinitos sumptus, capitisque sui periculum, ac prædulcem suorum vitam liberorum disponderent, oppignerarent, voverent: nullis elati fastus ampullis jactabundi, nulla luxuriantis fucatique sermonis ambitione, nullis flosculorum pampinis adumbrari, sed re ipsa, ipsaque fide, ac publici testimonii deorumque religione contenti, persancte nomina dabant. Tunc itaque primum omnium ipse *Lauretanus* Princeps summæque rerum Magistri, cum inflammatos tanto Patriciorum ardore omnium animos viderent, tamque concordem præfixamque in re sustinenda voluntatem admirarentur, solicite Legatis Imperatorique scribunt ac mandant, ut bono constantique sint animo, cæterosque militiæ proceres ac tenuiorem turbam hortentur, ne quid deinceps rebus suis diffidant, quoniam irrevocabili Patriciorum decreto *Venetorum* omnium *Patavina* res imminenti discrimine sit vendicanda, millibusque præliatorum innumeris asserenda: proinde mœnia, lateque diffusum civitatis orbem solidiore munimento convestiant; propugnaculis arment, aggeribus fossisque percingant; tormenta locent, stationes disponant, excubias excitent; nihil frumentariæ caritati, nihil militum raritati, nihil inopiæ ærarioque diffidant: affatim omnia, largiter omnia, velut ex confertissimo penore depromturos. Ipsi interea Præsides Præfectique rerum *Veneti*, terra marique omnia ad castrorum usus

uſus promiſcuos, obſidionemque diutius tolerandam opportuna, ſeveriſſimis ubique locorum edictis imperant; ac ex cujuſque oppidi, inſulæ, pagique copiis ac viribus, domi foriſque per agros omnes finitimaſque maris oras indicunt. Tum ut ſtatis diebus prompta omnia ad manumque parata ſint, jubent: hinc tormenta, pulverem, pilas, agendiſque machinis funem, fabros, rotas, illinc equos, phaleras, arma, milites, indè annonam nucem, pomum, eſculenta, poculentaque, acetum, oleum, coagulum recens maceratum, ſalſamenta mollia duracinaque, lucernales ſartaginarioſque liquores, ac omne genus pingue contrahi, congeri, unaque omnium ſubvehi cura & trepidatione videres. Incredibile dictu quantæ paucis diebus alimentales copiæ cum *Venetico* horreo *Marcininiſ*que cellariis, tum omnis *Leoninæ* ditionis collimitio, in urbem *Patavium* uno impetu comportatæ ſunt: quantumque præterea ſtraminis pabuli, cæterorumque omnium tam hominum quam jumentorum uſui futurorum, urbicæ caſtrenſiſque rei Proviſores invexerint. Scribunt nonnulli uſque adeo alimonia exuberantique cibatu tunc obſeſſæ urbi ſuppeditatum, ut eſurientis *Italiæ* dimidium hominum decennio paſceret; tantum abfuit ut inedia, militaris vel oppidana fames, angeretur: quod ex fide nequaquam dictum putem: etenim quid hoc eſt effuſius & intemperantius? Sed ad magnitudinem ubertatemque penoris admirabilius extollendam, vulgari modo, ſumptaque de trivio collatione eſſe prolatum. Hæc dum magna omnium diligentia ſtudioque peraguntur, trecenti *Venetæ* Nobilitatis Patricii, & his adjuncta decem hominum millia, tanto animorum ardore, tantaque defendendæ urbis ſuæ conſtantia *Patavium* immigraverunt, ut cum numero pugnatorum, tum virtute fideque omnium, nihil amplius de ſumma rerum dubitaretur. Ipſa vero ex *Venetiis Patavium* ingreſſa Nobilitas, ea militum alacritate oppidanorumque lætitia omnium excepta eſt, ut victoriam certo certiorem afferre ſecum videretur. Miræ jucunditatis res eſt, miraque voluptate confuſa felicitas, cum imminente arduo difficilique negotio procuratores intenti omnes ſatagunt, trepidant, caventque ſoliciti curis ingentibus, ne quid adverſum intercurrat, ne quid adverſo Marte fata turbulenter invehant: at cum ipſe, cujus res agitur, advenerit, velut firmius columen ſaluſque præſentior, læta magis omnia, majorique jucunditate, ſoluta perfunduntur; plena tripudiis omnia gaudiiſque confervent. Sic adventantibus ipſis *Venetorum* Patriciis, tam illuſtri præclaroque comitatu, tantaque prævalidorum ſubancillante manu bellatorum, congrui commeatus diſpartitique viatici ſubnexis appendicibus, novo lætitiæ redundantis fluctu, novoque voluptatis expumante inuſto, ſine vino temulenti omnes bacchabantur, ipſi vero *Venetæ* Nobilitatis Magnates ſeſe invicem ex alacri diſcinctæ togæ procinctu, affatu mutuo animare, proſperaque ſibi omnia reciprocis hortatibus futura polliceri. Interea Legati, Ductores, cæterique omnes, ex cujuſque cinguli graduſque ſui prærogativa, in concionem advocantur: ibique concordes, unoque præfervente ſpiritu pariter animati, *Venetam* Rempubl. ſua pro virili, ſummaque *Patavium* ope defenſuros, inviolatamque fidem ſui capitis periculo præſervandam, cuſtodituros juraverunt. Una quidem eſt juramenti religio, unuſque divini Numinis metus, quo *Judæi Turcæ*que, vel ſi qua alii alia mortales ſuperſtitione tenentur, fidem ſuam aſtringunt: quod & Ulpiano *duodecimo Digeſtorum* referente, *Divus Pius* olim reſcripſit: ipſa vero juramenti

A

formula numeris omnibus & ad ipſum unguem ut præſcribitur, ſemper & ubique cuſtodienda eſt. Inde non inutiliter quæritur à Jureconſulto, ſi tibi juramentum delatum ſit, ut per Deum jures, tuque per ſalutem tuam aut filiorum tuorum juraſti, an ratum ſit: & ſane ſolemniter ex integroque jurandum cenſet; quoniam tametſi qui per ſalutem ſuam jurat, per Deum omnino jurare videatur, attamen quoniam non ita ſpeciatim ei delatum eſt, judex certe ratum non habebit. Sed & hujuſcemodi quidem juramenti formulæ variæ ſunt & multiplices, prout negotiorum ſpecies multifidæ: etenim aliter Tutores

B

ac minorum Curatores, ipſique litigantes ac judicantes jurant; aliter in ordinem allegendi, rurſus aliter Præſides, Magiſtratus, Defenſoreſque locorum, quique rerum adminiſtrationem ſuſcipiunt: ſed & militum juramenta præſcripta ſunt, quique oppida civitateſque ſuum in jus recipiunt, quos feudatarios à fide dictos recentia jura teſtantur; & qui dominantis Imperio jurique ejus ſubjiciuntur, Deum jurant, ac ut in *Philiberti* Epiſtola continetur, ſex memoriter cuſtodienda ſemper habebunt: honeſtum, incolume, tutum, utile, facile, poſſibile: Quæ majore cura & impenſiore ſtudio, quam à nobis explicari poſſint,

C

ab ipſis legum conditoribus & gloſſematis enarrata ſunt. Sed illud omnium commune juramentorum religione noſtra receptum eſt, *Juſtiniano* tradente, *Dominico*que *Illyrici* præfecto conſtitutione ſua mandante, ut per evangelia jurent, eaque teneant. Nam præter ſacerdotes, qui hoc ſolemni religione ſua, eodem inſinuante *Juſtiniano*, ſoluti ſunt, cæteri quidem omnes tangere debent: ut divinæ majeſtatis reverentia vel ipſo tactu dejerantis animo præſentius obverſetur: eoque monitu tacito mens incaleat. Hinc illa ſcribularum notariorumque omnium conſuetudo proreplit, ut palpandos manu libellos porrigant,

D

ipſique protinus rogata ſtipulentur. Verum & illa jusjurandi norma, lege conſcribitur, idque hujuſce vinculi firmioris ſolenne eſt, ut, qui primatum agit, juramentum exigat, non ut ab eo exigatur. Proinde mihi mirum fuit, quod in hiſtoria legi, *Veneti* exercitus Imperatorem cum de more prælocutus eſſet, juraſſe, mox legatos, dehinc Ductores, cæteroſque protinus milites, omnemque præterea caſtrenſem turbam hujuſmodi vinculo fidem ſuam addixiſſe. Id enim mihi perperam, præterque *Venetæ* majeſtatis decorum factum eſſe videtur, ac ſuorum contra dignitatem amplitudinemque Legatorum,

Attende, quod de juramento ſentiat Autor:

E

qui ſibi jurare debuerunt: non quia ullo ſuperioris nexu cogerentur in caſtris, ſed quia, ut ſummus legiſlator ſanctiſſime diſſeruit. Digna vox eſt majeſtate regnantis ſe legibus alligatum Principem profiteri. Ergo cum placuiſſet jurare ſibi debuerunt; mox ab ipſo exercitus Imperatore jusjurandum exigere; ipſeque deinceps ab aliis, atque alii rurſus ab aliis: ut immediatum quiſque ſuum ſuperiorem agnoſceret; cunctaque diſcretis omnes cingulis exequerentur. Etenim licet in caſtris prima ſit ſummaque dignitas Imperatoris, mox Legati, non ſic quidem in exercitu *Veneto*, cum ad Legatorum præſcriptum Imperator agat,

F

eorumque juſſis, ſicuti ſupra tradidimus, parere teneatur. Ergo cum omnes intus foriſque milites animi ferrique duritia obarmati, ſuis coram ductoribus conſtitiſſent, ſeſeque protegendæ urbi ac ſuſtinendo bello paratos juramenti religione conteſtarentur, exploratis omnibus, omnique cognito periculorum diſcrimine, rei militaris præpoſitus ex ipſorum ſententia Legatorum copias omnes urbicas atque caſtrenſes ex arbitrio diſpartitur; atque aliis alias ductoribus ſtationes,

ut

ut ex militum virtute urbiſque periculo, in re eſſe conjiciebat, adſcribit: imbecillioribus firmiora, debiliora robuſtioribus, ex æquo, omniumque facta compenſatione periculorum ac virium aſſignat. Sed in primis, portarum urbis præfecturas, *Venetorum* Primatibus committit: ut qui periculo cæteris propiores eſſent, ſua etiam in re tuenda cæteris eſſent promptiores. tum peditibus aliis, alio atque alio diſtributis, velites adjungit; velitibus cataphractos adglomerat; commutataſque frequenti viciſſitudine rationes omnium ſic alternat, ut inſequenti luce quo diverſaturi tabernaculo forent, nemo ſciret: ne perpetuo incolatu, domicilioque firmiore proditionis anſa daretur, & concinnarentur inſidiæ, quas hoſpitalium cubiculorum reverſæ manſiones, aſſiduoque rotatu confuſæ perturbarent. Protinus vaſtatitiam manum ex omni agro, omnibuſque finibus evocat: agreſtibus armis expediti, promptique fodicularibus telis agricolæ, præſto ſunt; alia ſurrigunt, alia deplanant: excavandis deprimendiſque profundius foſſis omnes accinguntur; nonnulli divertendis aquis, exſiccandiſque lacunis humilioribus deſudant; alii pro jactato ſabulo contollendis altius & educendis aggeribus inſiſtunt; plures eliciendis aquis, perque rivos & incilia deducendis obluctantur: omnis urbis ſitus, omniſque pomœriorum forma ex vetere in recentem converſa admirationi ſpectantibus fuit. Interea *Petilianus* opera cuncta reviſere, emendare, corrigere, improbare, laudare; milites ac duces hortari, ut egregiam hac in re bellica operam navent, ut de proximo ſibique invicem auxilio ſint; muros, foſſas, aggeres tueantur; omniaque virtuti ſuæ concredita defendant; non ex equo, ſigniſque collatis eſſe confligendum, ſed eminus, jactuque telorum crebriore ſummovendum hoſtem ex alto, monebat: foſſas pro copiis intercedere; pro militibus aggeres ſurrigi; mœnia pro ductoribus ſtare. Exinde tormenta locis omnibus opportuna locat: ſinguliſque propugnaculorum conceptaculis graviora levioraque ut in re eſſe videbatur, inæquatique diſcriminis libramenta poſcebant, diſponit. mox fuſorii miniſterii peritos artifices advocat: tormentaliſque diſciplinæ præfecturam his committit, qui acriore ingenio, eminentioreque doctrina pollerent, tum excubias excitat, exploratores accerſit, ſpeculatores amandat, cunctaque pro ſui ingenii luce, quæ caſtrenſem urbicamque ſolicitudinem reſpicerent, obiter ac diligenter exequitur. Jam ſuis cuncta munimentis præcincta, ſuoque omnia pavimento ſolidata conſtabant, tum late populabundum, ac pagulis viculiſque ſubjacentibus prædam agentem exercitum, *Vicentino* territorio digreſſus Cæſar urbi propius admovit. Rem ſane factam omnes habebant: omneque commilitium veteritio novitioque permixtum, ante victoriam, quam omni lætiore extiſpicio lætiorem, omnique certiore oſcicinio certiorem augurabantur, encomium canebant. Ergo priuſquam ferro decerneretur, tormentaleſque machinas procul impingerent, mitiore remedio rem præmollire, lenioreque ſpecillo prætentare *Veneti* doloris vulnera, *Maximilianus* conſtituit. Itaque tubicini cui jure gentium moribuſque noſtris ad hoſtes eundi redeundique facultas datur, mandat, ut Cæſaris nomine *Patavium* repoſcat, ac ut dedant promptiuſque reſignent, hortetur: alioquin excidium igni, ferro, populationeque pertimeſcendum interminatus, abſcedat. Quæ cum Legatis, Prætori, Præfectoque, ac cæteris Principibus *Venetis* nunciarentur, admiſſo in concionem præconi, mandatoque Cæſaris coram expoſito, cum jam prius

A ſuo tempore digeſtam conſultationem Patres ipſi maturaviſſent benignæ ſalutationis ſolennia præfati, in hæc verba reſponderunt.

Miramur equidem, & obſtupeſcimus omnes vehementer, quod cum Maximilianus *Cæſar conſultiſſimus, æquiſſimus, mitiſſimuſque ſit omnium Imperator, ſummoque celſitudinis ſuæ faſtigio congruat, illibatum cuique ſuum jus reddere, ipſe primus aliena violenter ingraſſetur: cumque alios alia appetentes uſurpanteſque temeritate ſua prædones, pro ſuæ dignitatis ſublimitate, ſuoque auguſtiore Imperio cohibere reprimereque debeat, cur refractis juſtitiæ retibus, tantæque clauſtro Majeſtatis erumpens, aliena primus ipſe turbulenter invadat: diſpoliareque tentet eos, quos denudantibus aliis ipſe pia manu ſua conveſtire debuiſſet. Qua rogo cenſura jus diſpenſabit, qui ante alios jus diſſipat? Quo rigore, qua legum diſciplinâ, petulantem aliorum audaciam comprimet, qui ipſe primus infrænæ cupidinis affectu prolapſus aliena dilapidat: impetuque libidinis bona ſociorum ingraſſatur? Inſolentis eſt hominis & temerarii falcem ſuam alterius in meſſem adigere: at quanto inſolentius & gravius eſt Cæſari veterem legitima poſſeſſione ſua Dominum exigere? Centum abhinc annos & amplius, ſi priſci fidique geſtarum rerum Annales evolvantur,* Patavium *nobis obtemperat, edictis noſtris paret, Dominoſque ſuos Principes* Venetos *agnoſcit: ecquid hoc eſt, quod Cæſaris importuna manu ditione noſtra revellitur? Et tanto conflato bello, totque coactis fortiſſimorum millibus armatorum, noſtris inique finibus abjudicatur? Sic jus redditur? ſic ipſe legibus attemperat? ſic nos in ſceptra reponit? injuria eſt, diuturnæ taciturnitatis ſilentio rem ſopitam, ne centum dixerim annorum curriculis conquieſcentem excitare: humano divinoque juri hoc temporis excurſu præſcribitur. Et ſi Pontificii Juris arcana, cœleſtiſque doctrinæ ſcita diſcutiamus,* Romana *ipſa Eccleſia privilegio cæteris omnibus majore præfulta, non ampliore quidem ſpatio fruitur: alioquin quis finis erit? Quis humanarum controverſiarum modus? Quem legiſlator (rogo) finem dabit ipſe laborum? An forſitan duriora* Leonis, Zenonis, Juſtiniani*que decreta ſunt? Qui ut aliorum commodis potius quam ſuis caverent, quadriennii præſcriptione poſſidentes a fiſco tutos edixerunt: fiſcumque ſuum magis lite pulſari, quam poſſeſſorem inquietare voluerunt. Quid* Honorius *&* Arcadius *dum* Aſclepiadi, *quid* Anaſtaſius *dum* Matroniano *reſcribit? Nam aſperius quicquam atque rigidius conſultis ſuis ſanxere? Qui omne privatum publicumque jus quadraginta annorum metis abſolverunt. Nos ſane non quadraginta, ſed longe firmiorem per ſecula decurrentis ævi cautionem opponimus: inviolata legum ſanctione ſecuri. Quod ſi quicquam juris in* Patavium *Cæſar prætendit, cur tanti ſilentii conticinio rem obliterat? Cur bona fide currentem tanto tempore præſcriptionem non interrupit? Cur ipſe ſuique majores non dixere diem, non arceſſivere, nec ad judicium unquam provocavere? Et enim ſi quam adverſus nos hac de re litem inſtruere, urnamque movere conſtituit, eligendus arbiter erat, coram quo legitime diſceptaretur: qui de partium jure cognoſceret, cujuſque ſententiæ reus actorque parerent. Non armis, non militibus, non tormentis, transfigere rem debuit. Nec enim illi ſua manu ſuaque poteſtate jus in nos dicere, tam priſco quam recenti legum dogmate permiſſum eſt: qui nihil illi referimus acceptum, qui mille amplius annos* Romano *Imperio exempti ſumus: qui ab ipſa enaſcentis urbis infantia, ſive nutu, ſive renutu, Cæſaris poteſtate ſequeſtrati longe diſcludimur. Si in illum Populus* Romanus *jus ſuum olim contulit, certe non noſtrum: eſto quod habuit, habituruſque erat contulerit, certe non noſtrum. Nos liberi nati, nos educati liberi, nos etiam liberi morituri ſumus. Serviant aliæ nationes,*

aliæ gentes Cæsaris jugo cervicem subjiciant: nos genuinam libertatem nostram, & a majoribus relictam, pro virili nostra, proque nostræ dignitatis æstimatione tueamur; pretiosissimumque margaritum, inæstimabile, incomparabile, inusitatum, cum ipsa sanguinis nostri liberorumque nostrorum effusione, cumque ipsis aris, penatibus, ac focis constantissime, piissime, sanctissimeque defendamus; eorum vim omnium, qui nos impie lacessiverint, qui nobis arma violenter intulerint, propulsaturi: quoniam hi plane non æquitate nec justitia prænituntur, sed vesculis humanæ fragilitatis viribus, imbecillitatique mortalium confidunt. Quocirca cum non legitimo juris tramite progressus Cæsar nos impetat, omnique Patavium *injuria oppugnare nitatur, nos contra, omni Civilis, Pontificii, Naturalisque propugnaculo juris securi resistemus, obluctabimur, repugnabimus. Quæ si falso a nobis objecta ducit, allegataque perperam existimat, admirantibus nobis respondere non gravetur, cur jurisgentium violati reus est? cur fœderales Deos læsit? cur inducias consensu, suaque voluntate firmatas ac in triennium prorogatas, importuniore bello disrupit? Non hæc ex turbidis fontibus legum haurimus, non hæc ex obscuris Jureconsultorum responsis elicimus: manifestis manifestiora sunt, omnique liquido liquidiora perliquent, ut a pactis resilire non liceat, ut fidem frangere nefas sit, & quæ semel placuerunt, expungere nemo permittatur. Ipse cur ergo sacratissimus legum Antistes rem sacram execrat? Cur ipse sanctissimus jus sanctum rescindit? Cur piæ voluntatis placitum relinit? Cur honestioris pacti formam invertit? Cur jurisjurandi religionem prophanat, devovet, abtestat? si genus humanum & mortalia despicit arma, suspiciat superos memores fandi atque nefandi: quos obsecramus & comprecamur, non ipso etiam destituti mortalium præsidio, ut cum ex præcelsa sublimique sede Majestatis suæ hominum merita respiciant, cunctaque pectorum nostrorum secreta perimentur, his adesse & favere velint, proque suæ in nos pietatis abundantia ab his stare dignentur, quos ex fide præminere, ex bono resistere, ex æquo defensare infallibi judicio suo cognoverint.*

Quæ cum Cæsari per internuncium summatim breviterque relata forent, inconcussæque mentis *Venetæ* sententiam percepisset, exacerbatus admodum iraque præfervente graviter stomachatus, oppidanos aggredi, bipartitoque civitatem assultu distringere, statuit. Ac primo locorum acclivia omnia speculatus, quaque regione tormenta validius imprimerent, ad *Codilongæ*, sic nomimine dicunt, recessum, vastas moles, tormentalesque machinas impingit: ingentibus ac latis in urbem orificiis directa, suisque recutita vaginis, ad visentium horrorem stabat terrifica series organorum: quibus adacta per flammas ignitumque per pulverem retorridi pondera silicis exigerentur; ipsaque nimbi saxatilis præfurens grando muros implueret. Aliorsum expediti peditatus numeri, velitumque cohortes, suas per acies classesque dispositæ, latius explicabantur: tum cathaphractorum aliæ aliæque turmæ, suas instructis ordinibus phalanges, suumque omne robur solidante militia, communiebant. Impigri cujusque legionis alæque ductores, obambire, lustrare, circumagi: omnia prospectare, ad unius edictum jussumque Cæsaris omnes præsto esse: intendebat foris miles, suoque muneri solicitus foris quisque vacabat. Nec minori res intus cura, labore, vigiliis agebatur: alacribus animis assultum Barbarique furentis impetum expectantibus cunctis; suam quisque mansionem firmiter insistere; commissamque sibi quisque stationem obiter tueri; mandata strenuiter omnes cuncta facessere. At Proceres Præfectique castrorum obequitare pomœria, principiis interesse, unoque o-

A culorum ictu cuncta peragrando pervisere. Constabant omnia, domi forisque cautissime diligentissimeque disposita: cum jussu Cæsaris præstituto die, relaxatæ furentibus flammis pilæ, fuligineisque foraminibus expulsæ, retusa mœnia compulsaverunt; orbiculatique silicis ac ferri massæ informes, assiduo jactu, atque alium alio percellente fragorem, compressos urbis muros elisere. Insolitis crebrioribusque tonitruis veluti per abditos occultosque terrarum meatus erumpente vento, submœniana omnia contremiscebant. Pavidæ matres terrore succutæ; infantes puerique novis insolitisque sonoribus extimescere; pa-
B vitare senes, suisque tunc rebus diffidere, cum perquassata tantoque constrata fremitu, circumque tot jacentibus ruinis mœnia viderent, seseque tot millibus præliatorum obsessos, tantaque circumfusa barbarie præcinctos intuerentur. Tormentalis interea disciplinæ Magistri diu noctuque terebrare muros, assiduo minas pulsu confringere, vastoque circunquaque hiatu cuncta disjicere: adeo quidem ut non ad ingentis fenestræ modum summota longius interlucerent, sed multorum spatio stadiorum divulsis obicibus Civitas denudata pateret. actum de re videbatur, & con-
C clamata salus: quoniam prolapsa ruinis ingentibus propugnacula, structuræque murorum, irrumpentibus iter Barbaris late prostraverant. Nec ad reprimendos ingruentium impetus, sparsæ diffusius, totosque per obsessæ Civitatis ambitus locatæ *Venetorum* copiæ, suppetebant: ne si contracta manus in unum foret, cæteræ regiones exarmatæ promptius hostes in urbem admitterent. Interea Cæsar, sive quoniam castrensis urbicæque stragis futuræ pertæderet, sive ut incolumi salvaque ab rapinis omnibus, omnique populatu Repub. frueretur, alligatas sagittis, innexasque missilibus telis literas in Urbem intra-
D que vallum conjici jubet: mandatque majori numero multiplicatas dispargi, ut innotescere cunctis, ac popularibus, infimæque sortis, ac mediæ Nobilitatis civibus perlegi possent. Harum autem literarum talis sensus erat.

De compacto sane ipsaque de industria laxiores moras cives mei, largioraque temporis spatia vobis indulsimus, ut frugiferæ salutarisque pœnitentiæ tandem apud vos locum invenirem, ut extremis rebus vestris prospicere, recteque consulere, pro ingenii vestri solertia diligentiaque possetis: ne vos una desolatæ Urbis ruina perniciem in extremam ultimumque fessos in interitum traheret; ut captivitati ve-
E *stræ, tormentis, incendioque vestri natalis soli parceretur. Supersedistis, & in hunc usque diem nescio quo retardante fato distulistis. Nunc cum actutum nostra manu Civitas evincenda sit, impetuque* Germanico *nobis imperioque nostro subjicienda, ne vos miserabilis fœdaque conditio victoribus victos subigat, eaque perferre cogamini, quæ debellatis expugnatisque crudeliter implectuntur, pie vos sancteque monemus, hortamurque iterum atque iterum, ut integra re tandem resipiscatis: nostramque potius clementiam & pietatem experiri, quam vim iramque sentire velitis. Non expedit multo nostræ benignitatis abusu vos diutius obdurari: læsa quippe*
F *sæpius patientia furore succenditur. Et quanquam, ingenita nobis humanitas obstinatis ac pertinacibus animis obsequi, veniamque dare semper parata sit, ipse certe militaris furor, intemperatus, indocilis, infrænus uti nos misericordia nostra non sinet; quam tempestive plenoque sinu vobis oblatam excipite: ne obstipæ asperiorisque vestræ cervicis rigor, sera nimis pœnitentia, irreparabilique jactura castigetur.*

Perlectis cognitisque hujusmodi literis, quanquam nonnulli præcipueque senes effœti, nati-

viquę

vique defectu vigoris egelidi, ſubhærerent, & in tanta fati titubantis varietate cunctarentur, fervido tamen ſanguine, ſuoque calore juventus accenſa, præcipueque militaris inconcuſſa ſtrenuitas, ſubſannare literas Cæſaris, ejuſque monita deſpuere, ac frigidos monitus deteſtari cœpit. Et quoniam ab hoſte rerum ſecuro, poſt disjecta mœnia, murorumque ruinam ingentem, dilata lucem in proximam aſſiliendæ urbis expeditio, moram oppidanis brevem indulſerat, edicto Prætorum, vicinæque mortis adurgente metu, confeſtim omnes, nulloque diſcrimine plebeji, cives, tyrones, veterani, nullo intermiſſi operis laxamento, ſtramine, limo, vaſis, ſabulo, contis, trabibus, omnique ruderum advocata ſarmentorumque materia, incredibili celeritate ſupraque fidem omnium feſtinatione præcipiti, ſurrigunt, excitantque tutelæ ſolidioris aggerem; ac majoris quam antea munimenti propugnaculum extruunt: quippe violenter intorta tormentorum pondera, non ut antea molem duritia ſua contuſam quaſſamque ſternebant; ſed molliore materia glutinoque lentiore retentata, hebeti languidoque ictu commoriebantur. repentino igitur improviſoque opere deluſi hoſtes, ſubitariaque fæturar edivivi aggeris admiratione ſuſpenſi, ſua rurſus ad arma recurrunt: ſuaque ope ſolita repetitam vim tormentorum experiuntur. Extemplo hinc inde omnia circumſono fragore, magnoque fremitu ponderibus excuſſis crepitare, ſtridere, horrere: inaudito plangore cuncta percelli: mugire concava vallium, perculſique aëris impulſu montium edita reſilire cœperunt: mox fumo conglomerante nubes collucentibus flammis permixtæ, cœlo evolvi: clamore hominum ſonituque bomborum ac impugnantium ac repugnantium ardore confuſa omnia agitari. Tum undique circumfuſi hoſtes, ſpeque victoriæ certiſſima pellecti, nec minori convectandarum cupiditate rapinarum accenſi, nullo perennem oppugnationis laborem interpellante otio, tela diu noctuque in urbem intorquere, jaculari, miſſitare: nullam feſſis requiem impartiri: nullum deſudantibus ſpacium dare: deluctari, urgere, totiſque viribus ſuis præniti. E diverſo municipes, quanquam ægre propugnatoribus ſuccedaneas operas alternantibus infracti tamen animo, infeſſique præproſperæ defenſionis alacritate, validiſſime fortiſſimeque reſiſtebant: atque omni robore virium contracto ſuiſque omnibus ex æquo militibus diſtributis ardenter intrepideque caſtrenſem operam, omneque bellicum munus exequebantur: quotque in urbem hoſtes tela conjeciſſent, ipſi totidem magna cum expugnantium jactura rejectabant. Sumpſerat animum *Patavus*, quique cum eo defenſorias operas exhibebant, majore lætitia ferebantur: quoniam non impreſſione majori, nec effuſiori miſſilium congerie quam hactenus factum eſſet, expugnari urbem, poſſe confidebant. Cumque primos impetus alacriter ſuſtinuiſſent, ſecundos ac tertios alioſque deinceps alacrius ſuſtentaturos opinabantur; nec niſi longo diuturnioreque obſidio evinci poſſe conjiciebant: quoniam innumeros tormentorum ictus tot in caſſum per dies nocteſque conſumptos, ſibi parum offeciſſe colliquebat; & quicquid ab hoſte dejectabatur id è veſtigio *Patavus*, mileſque ferventior ſartis tectiſque omnibus reponebat. Itaque cum prius ſpes omnis ejecta pœneque pedes ad imos dilapſa ſuffugiſſet, nunc revocata ſublataque altius erigebatur. Contra vero hoſtiles minæ tanto faſtu militum ac tormentorum prius elatæ, nunc terriculamentis inanibus futilibuſque bullis flacceſcebant: adeo ut, quod ajunt, contra eorum tonitrua milites oppe-

A derent, & inania murmura ludificarentur. Exaſperati igitur hoſtes inſultantium explodentiumque liberius obſeſſorum ludibriis, tota virium intentione, totoque concitati animi ſtudio, ſuperandis foſſis trajiciendoque aggeri convertuntur. Locus erat pro mœnibus acclivior, humilique preſſura ſeſe molliter ad planum demittente jugo ſubductus. Hunc ad invadendum habiliorem locum ſpeculati cæteris acriores *Hiſpani*, collectis ſuæ gentis ſtrenuioribus viris, in urbem impetum facere conſtituunt: ut egregio manu ſua patrato facinore primi, civitatis ſpecioſa diriperent; mox ut cæteri tractim adorti, facto aditu, fuſiſque B trepidantibus oppidanis, perſequerentur. Hunc & Principes *Veneti* locum, dum ſingula perluſtrant, circumjacenteſque foſſas & aggeres commetiuntur, ac omnia ſolertiore cura & attentiore ſtudio circumeunt, ſuſpectum habuerant; & ne illinc hoſtis evocaretur diligentior quiſque perpenderat. Ergo ſtratagemate colludentes ita locum concinnant, ut non ſolum inſilientes hoſtes admitteret, ſed & averſos etiam invitaret. Suapte natura preſſum humilemque locum incilibus riviſque deſiccant, omnique aquario humore exſucto, materiam ſuperſternunt aridiorem, quam & tenuiore pulviſculo, ut lumina fallerentur, C ſuffundunt. Pabulum ignis extemplo corripiendi pinguiuſculum, erat ipſa ſarmentorum aridiorisque nutrimenti delicatior alimonia: quam miris ubique modis inſufflatus ignis præſentiſſime contorrebat. Præſagax hoſtis & cautus, cum cæteris depreſſiorem locum conſpicatus eſſet, arundineto omnique fruteto ſicciore prætextum, ac velut accuratiore neglectum incuria, prætimuit inſidias: quoniam calliditatem hoſticam omnes exploratam habebant, præfectumque militiæ ejus non ſomniculoſum, nec oſcitantem agnoverant. Igitur intempeſta nocte obſcurioreque cœlo prorepentes, ac elibrato gradu ſuſpenſi, ne quo D fremitu concitus hoſtis ad arma conclamaret, vadum contis piliſque prætentant: quod cum ſolidiore pavimento compactum præſentiſcerent, aſſilientiſque militiæ impetum, prædurato conſtipatoque ſolo perlaturum conjectarentur, ſtato tempore, ſymboloque dato confluentes, aggeri ſuggrediuntur? Interſtitio foſſæ parvo labore ſuperato, miſſilibus ac tormentulis præſidentem oppidanum ſummovere prætentant: totoque conatu agiles in ſuperiora nituntur. *Veneti* ne repente præſidiis omnibus accitis, hoſtem exterrerent, levi primum numero, manuque tenuiori reſiſtere: ſimulare fugam, deliteſcereque locis opportunis, E donec oppletam omni ſuccedentium ſociorum auxilio foſſam viderunt. Exinde ſigno dato, uno omnes impetu præceleres, velut in caſſem præda decidiſſet, advolant, circumfunduntur, vulnerant, ſternunt, dum ſocii ſuperiora tenent, acerrimeque totis viribus coactis depræliantur, ecce per fiſtulas leveſque cuniculos ab imo proflatus ignis, ſubita jacti fulminis ad morem reſulgente flamma, coruſcavit: perque ſuras, talos, calceſque peruſtos, indiſcreta pervagatus uredine, pernicitatem adjuvante materia, tanto complexus hoſtem ardore corripuit, ut hinc gemitus & lachrymæ ſtridulis ejulatibus erumperent, F inde riſus & gaudium plaudentibus cunctis, ac velut ex voto perfecta re præſultantibus, excuteretur. Qui ſuperiora tenebant, audito fragore conſpectaque cadentium a tergo ſociorum ruina, ſubito languore torpentes, ignavique metu prociderunt; extremi vero quique præviis inhærebant, ignari quo flammæ loco ſubſcatentes elicerentur, concremantis rogi formidine conterriti, refugere; medii cum ſupra tum infra cæſi telis, ignibuſque peruſti, fœde crudeliterque conſumpti ſunt. Hoc faci-

facinore tam dextro Marte prosperaque fortuna confecto, civitas universa, totusque populo gaudente exercitus tanta repente lætitia, tantaque jucunditate perfusus est, ut non solum urbicos intra carceres vallaremque custodiam consīdere, sed evadere nonnunquam & ex occasione portis excedere præsumerent. Itaque turmatim manipulatimque dato frequenter exitu, castra hostium irrumpere, congredi, pugnare, agere prædas, captivos trahere, populationibus ac rapinis cuncta miscere: atque sæpius de improviso, dum hostes epulis ventrique vacant, semesis dapibus interpellatos ferire: nonnunquam oscitantes excubias fallere: & adulta nocte dum relaxantur securi rerum captivos trahere: neque die neque nocte, neque cibo neque somno requiem exagitatis ullam impartiri. *Mocenicus* scribit, sub ipsam obsidii *Patavini* moram, dum Barbari muros circumsident, erumpentesque quotidie *Veneti* milites infinitis cladibus hostem adfligunt, equos singulo die nunquam minus quinquaginta, ab hostilibus castris in urbem avexisse: adeo quidem ut ipsam præter obsidionis molestiam, lenius cum obsesso quam cum obsidente semper ageretur. Moribus receptum est institutoque militari nostra tempestate concrebuit, ut cum obsessi ferociam hostilem, circumcursantiumque militum robur experiri maluerint, summis felem mœnibus alligent, aut summo pilo fiscella, vel conceptaculo leviore suffixo, animal morsu præacutisque unguibus asperum includunt; ipsoque mox vallo, vel obsessæ arcis aut oppidi culmine pilum surrigunt, defiguntque solo, ut hoc excitata venatu virtus hostica periclitetur, contemptuique sunt, ac pœne militaribus probris infames, si non vallum murumque scandere, trahereque prædam sui roboris agilitate hostes præsumpserint. Igitur cum numerosa illa barbarica multitudo despicabilior in dies obsessis esset, oppidanique sumptis in dies animis alacrius atque ferocius insurgerent, felem pilo longissimo subligant; ostentatamque totiens ab hoste magnitudinem suam, egregia pernicitate volucrique saltu tenuem in prædam, discrimenque leve perliciunt: sed & opprobriis interdum, amarioribusque convitiis hostem acerbissime municipes detaxabant; colosiceam illi vasticiem cibo vinoque refertam, ingentique ignaviæ sabulo præsepultam objectantes; quin & inanem elatæ mentis fastum, iracundiæque sævioris immanitatem ipsorum sub ora hostium, ipsamque concursantium in faciem execrabantur, exigebant illustria præclaraque facinora superbe magnificeque dictis æquari. Quæ cum nullatenus responderent, eorum contepescentem ignaviam, astrictumque perpetuo rigore torporem omni contumeliarum excremento conspuebant: tanta dicacitate petulantiaque verborum, ut affecti tactique modis omnibus hostes ulciscendæ injuriæ reponendi acidioris dicti, si qua forsitan inter obsidendum occurrisset, occasionem quæritarent. Itaque curis omnibus anxii, examinatissimaque omni diligentia soliciti milites, eorumque ductores quorum in primis lutati fœde tituli, sugillatique notis obscurioribus honores livebant, si quid ingenio vel manu possent, ad infensam urbem delendam, perdendosque infensissimos hostes, in medium conferebant: strepitare, minitari, territare, versare dolos, insidias texere, comminisci omnia, quibus hac vel illa feliciore via, susceptæ expeditionis exitus succederet. Quotidie tormenta flammis emicantibus circumsonare, ferventes ignitique passim aures globi circumvolare, quotidie fusoribus, sagittariis, jaculatoribus, saxa pilæ tela, omneque missilium genus in urbem spargi, tam assiduo perennique labore, ut fatigati perpetua defensionis molestia propugnaculis ægre milites sufficerent. Sed sponte sua strenuos ferocesque prælecti ductores acuebant, beneque ante actæ rei felicitas adjuvabat. Quicquid ergo corruptum disjectumque vi tormentorum fuit, incredibili satagentis oppidani, præcinctique militis alacritate redintegratum, solidioreque firmamento restitutum est: nullo imperio, nulloque jussu procerum expectato, coactæ manus innumeræ confestim firmiore basi, validioribusque pedamentis reparabant. Laborabatur hinc inde magna vi, summaque ope *Veneti* pro dignitate pro republ. proque penatibus ipsis dimicabant. E diverso, barbari pro contumeliis ulciscendis, pro rapina convectanda, pro tollendo diruendoque stirpitus *Patavio*, trucem in pugnam ferebantur. Sæpe Cæsar, ejusque militiæ, ductores, ac castrorum triarii, bellicæ consultationis causa prætorium in augustale coiverunt: multaque dissertatione, magnisque sententiarum concertationibus disceptantes, difficilem arduamque rem sæpius invicem tractavere. Compertum ex his habeo, qui nonnunquam hujusmodi concionibus interfuere, dum Cæsar hac de re conventum agit, ipsum exactissime cuncta disquirentem, cujusque ducis sententiam acri cura percunctatum fuisse: mox tanto ordine tantaque facundia luculentissime differendo rem bellicam disposuisse, ut in ipso perorationis articulo capta civitas omnino videretur: adeo quidem instantis belli simulacro, proscenioque pugnæ, miris eloquentiæ modis, repetitoque de scholis rhetorum artificio proludebat. Obsessæ civitatis ambitum, omnemque defensionis internæ militiam, propugnacula, fossas, aggerem, hostiles turmas, hostica tormenta, omnia denique quæ præsto forent, quæque protinus ad manum oppidano suggererentur, suspenso levique sermonis penicillo depingebat. Substernebat admirantium oculis, quæcunque præsidia *Venetus* ab urbe, castrisque suis advocare posset, subitarioque præsentem in rem auxilio promere: contra vero, tormentales machinas, confertissimasque suis cum ductoribus phalanges, in ipsaque capessenda expeditione præscriptum per ordinem succedentes, tenuissimo pertersæ delimatæque orationis suæ filo connectebat. *Cruciæ*, *Portuli*, *Portiæ*, *Codilongæ*que recessus, discretas mansiones, distinctas suis cum ductoribus turmas, sic explorato & innumerato habebat, ut hos inter milites, hisque diversatum regionibus suæ toto ineuntis vitæ decursu putes. Alibi tormenta, alibi peditatum agilitate sua promptiorem collocabat; rursus alio graviorem armaturam, diversoque leviorem destinabat: suas quibusque præfixas stationes, suaque ductoribus munera præsignabat. Tanta dispositi ordinis serie, ut si facta dictis exæquata fuissent, bis terque captum *Patavium* foret; sed inter os & offam multum semper interest: proinde quæ diligenti consilio, accuratioreque solertia diu mente concepta & versata sunt, eadem appensissima maturitate, parique actionis acrimonia peragenda sunt; alioquin si manus eadem celeritati mentis non obtemperet, discrepetque suo præceptore discipulus, in lacinias tela distrahitur; operosissimoque libratore moles altius educta, laxis lateribus, divulsaque compage, ac pronutante basi ruinosa concidit. Sic quanquam omnia solertissime præmeditatus expeditioni suæ Cæsar præstrueret, cuncta tamen vel suorum ignavia pugnatorum, vel obsessorum duritia pertinaciaque defensorum evanida diffluxere. Bellici tamen interea fremitus, bellicique terrores militari ira castrensique tumultu permixti, defectum oppressumque quoti-

quotidianis laboribus & ærumnis populum, ipsamque continentibus anxiam urbem miseriis agitabant; conflictabantque multiplici districtum civem molestia: intus quippe, quanquam militaris urbanique Prætoris reverentia, militarem petulantiam suo more licentius agentem frænaret, ægre tamen in tanto belli ardore flammis suis æstuante, censuram exercere severiorem magistratus poterant; ac distortos pravosque mores ad publicum vigorem disciplinamque suam revocare. Foris vero cum inculta horridaque omnia tot militum excursionibus, ac interni externique bellatoris populatione devastata squallerent, concita etiam urbanis odiis indignatio, dum obsessorum contumeliis incessentiumque ludibriis barbaricus furor accenditur, rusticanarum copiarum jacturam, agrorumque calamitatem conduplicabat. Quæ tametsi belli jure, solitaque pernicie castrorum evenirent, aspera tamen otiosis longa pace civibus belloque jam desitis esse videbantur. Tunc itaque pii sanctique senes, teneræque virgines, quarum innocentia animique candore superi lætantur, obsecrare obtestarique Deos, ut ægris deficientibusque succurrerent, suæque pietatis abundantia præsentius opitularentur. Ipsi quoque sacerdotes flaminesque, perpetui obsequii devotione sacris mysteriis emancipati, ascriptique Deorum aris, sacra facere, carmen dicere, lectisterniis pulvinaribusque Deorum omnium litare, hostilem impetum, Reique publicæ delugentis pressuram obtestatione multa deprecari: quod impetraverunt piæ castæque mentes, effusioreque rogatu supplices sunt consecutæ. Uno siquidem & altero *Germani Hispani*que assultu civitatem infeliciter adorti, eamque perpetuis missilibus atque tormentis insectantes, cum magna semper accepta clade propulsarentur, ingentique militum amissorum dispendio refugerent, solvendi protinus obsidii causam præbuerunt. Ergo cum suam iterum fortunam experiri Cæsar animo præfixisset, statuissetque vehementiore pressura civitatem distringere, eam in rem cuncta diligentet seduloque præparat, expugnandoque *Patavio* opportunum omne rursus instrumentum admovet, verum profundiore noctis silentio *Gallos* in diversa, cumque his *Italos* emigravisse compertum est: *Veneti* qui barbaricum in horas assultum expectantes pernoctaverant, exegerantque lunam insomnem, visores ipsam sub lucem amandarunt, qui hostilia cuncta specularentur, explorataque diligenter & ex fide referrent: Qui magnas extemplo *Gallorum Italorum*que copias abscessisse retulerunt; *Germanos*que rerum suarum ignaros restitisse. Quod cum ex insidiis doloque factum *Veneti* timerent, omnibus magis accincti viribus promptique copiis incubuerunt: Quia repentini discessus *Italici Gallici*que causam nullam præceperant. Tunc itaque Cæsar sive de composito, sive casu hæc ab *Italis* admissa *Gallis*que perpenderet, ut imparatos hostes, quosque negligentiæ crassioris reos esse putarat adoriretur, copias suas omnes quantis potest collectis viribus ad urbem impingit; omnemque mollioris oppugnationis locum speculatus ingrassatur, ipseque inter primos expeditus suadendo, hortando, urgendo, omnia perlustrat; obambit, circumcursat. *Veneti* fugæ simulacro, repentinique discessus simulatione, tum solis *Germanorum* invadentibus copiis, imposturam sibi factam prætimentes, quanquam nocturnis delassati vigiliis, omni tamen alacritate corporum & animorum insurgere, præluctari, depugnare: nullam inutilem nec in cassum plagam, nullos futiles nec elanguidos ictus, nulla lacertis excussa torpentibus irrita tela pati; ubique fortissime constantissimeque de-

A certare, ubique vim bellicam, irrumpentemque passim *Germanicum* furorem audacissime sustinere. *Germani* extrema sua prætentantes, cum impensiore Cæsaris hortatu, tum quia transactæ expugnationis laudem in ipsos refluxuram, seque diribitores opulentioris prædæ futuros existimabant, distentis omnibus nervis, totoque nixu suo violenter impacto dimicare, depræliari, concertare; cominus eminusque missilibus telis omnibus consistere; mœnibus suggredi, scalas admovere, muros scandere, desilire, digladiari, qua robore suo consolidata mœnia, nullisque deformata ruinis stabant, quaque diductis muris te-

B rebrati obices, latisque retriti foraminibus expatuerant, omni facili difficilique aditu circumfusi hostes adstrepere, ferro flammis tormento viam *Germani* quærere: ac velut supremis hominum fatis, cum dissolvendi corporei nexus hora lachrymabilis hominem interpellat, ad extremumque deducta Parcæ fila disrumpunt, aut disrumpere præparant, diuturnæ notæque sedis suæ, suique conscius domicilii gratioris, spiritus, ne dissolvatur, exigaturque tabernaculo suo amœniore, laborat, quantaque vi potest validissime reluctatur; adeoque frequenter natura pugnat,

C ut conclamata projectaque paulo ante cadavera, nonnunquam vigore nativo propellente rediviva consurgant; nullaque saliente vena, nulloque vitali pulsante motu velut incolumitati restituta degant: mox reliquiis omnibus absumptis, omnique pristini caloris fomite refrigerato, tanquam ex alto dilapsa, resolutaque nervis ac venis omnibus uno impetu procidunt, unoque mirantibus cunctis fragore prosternuntur. Sic barbari capiendæ diripiendæque urbis alienæ desiderio incensi, cum, nisi ex voto confecta re, discedendum emigrandumque turpiter animadverterent, omnibus equis quadrigisque, totaque suarum contentione virium enitebantur, ac uno brevis ho-

D ræ momento, tota vi totoque desudantes spiritu vehementius anhelabant. Sed in cassum frustraque, quoniam naturæ legibus parendum erat: recurrentibusque suum in ordinem seriemque suam fatis, *Patavium* antiquis dominis, priscoque juri suo reddendum fuit; quæque prius impetu bellico subruta prostrataque jacebant, ea omnia consarcire, restituereque in integrum oportebat. Ergo cum ipsa sub mœnia durissime ferocissimeque vario Martis eventu pertinaces hinc *Germanorum*, illinc *Venetorum* animi pertinaciores conflixissent, cruentatique multo vulnere ac sanguine lassis Cæsariani viribus laberentur,

E *Leonini* vero *Germanos* sub cultro relictos, *Italis*, *Gallis*, *Hispanis*que procul abscedentibus, certo scirent, recreata instaurataque omni acie, quanta summa possunt ope impetum faciunt; quaque disjecta mœnia fuerant, congressusque facilior, ac vallo paulum accliviore patentior erat, hostem impetunt, exculcant, proterunt: nullaque non nota refugum retroque versum, in castra redigunt. Quo facto consternatus Cæsar, cum sese Diis invitis pugnantem, & aversis equis cum hoste congressum sentiret, sub ipsas dilatum calendas octobris obsidium solvit; profectusque *Tridentum*, per ipsas nivibus ac glacie

F levigatas *Alpes* in ulterioris *Germaniæ* declivia penetravit: mirantibus cunctis quod infecta re, nec ulla frigoris urgente sævitia, dimissis copiis in hyberna secederet. Nonnulli persuasissimum habuerunt, de composito prorogatam expugnationem; ipsumque trans *Alpes* de industria Cæsarem dimisso mox exercitu festinavisse: quippe si ejus animo sedisset, ut subigeretur *Patavium*, capi potuisse; sed dehortantibus plurimis, cum non nisi magna cæde, multisque millibus hominum

desiderandis evinci civitas non posset, substitisse Cæsarem putant, veritum maxime, ne pulsis fusisque hostibus cum *Gallo Italo*que, quos majore potentia suspectos habebat, dimicandum foret. Eorum qui hæc literis complexi sunt, alii nescire se causam de plano profitentur, alii vero quoniam longas inutilesque moras irrito semper conatu detrivisset, castris abscessisse Cæsarem scribunt. Nonnulli etiam, quod absurdius est, pietate motum existimant, cum magnæ foris intusque futuræ stragis tæderet: quod conjectarum in urbem literarum argumento fragiliore conjiciunt. Utcunque tamen hæc hominum judicio perpendantur, nonnullam certe legentibus juxtaque scribentibus admirationem ingerunt, quod infecta re, nullo cœli rigore, nulla commeatus penuria, nec tunc multo milite desiderato, Cæsar vasa conclamaverit: cum & obsidere diutius, & sortis aleam iterum tentare potuisset. Ego quidem adactum inopia stipendiorum Cæsarem castris emigrasse reor, diversarumque gentium gliscente discordia, suorumque discrepante procerum voluntate lentescentem, ac parum *Italis Gallis*que confisum, quos naturali odio invisos habebat, cum jam inutiliter ipse manu sua provinciam attentasset, bello temperasse, omnemque exercitum dimisisse verius puto.

Relaxato urbe obsidio *Gallorum*, *Italorum*, *Hispanorum*que alio atque alio pervadentibus copiis, omnique discussa *Germanicæ* phalangis armatura, *Venetorum* Optimates, qui præter ordinem in bella coiverant, magnaque delecti Patriciatus adjuncta cohors, omni re feliciter transacta, peractisque Diis immortalibus gratiis *Patavio Venetias* solum verterunt. Tum Legati Præfectique castrorum omnes statim ex urbe milites eduxere, liberam eam civibus suis, ac interno externoque commilitio purgatam relinquentes; qui suorum compotes votorum, plenaque voluptate distenti, nullum lætitiæ suæ modum, nullamque conceptæ jucunditati suæ mensuram præscribere poterant: Quippe cum inter ultima versati, supremam pœne lineam contigissent, prægustatis amnis Lethei fontibus, sese ad superos instaurato stamine, redintegratisque Parcarum beneficio filis, remissos ajebant; reputantesque superatas ærumnarum moles, in ipso tranquillitatis tabernaculo quieti, præterita omnia miro cum stupore miraque cum animi voluptate secum evolvebant. Quemadmodum sæpe pelago jactati, aut arduis prorepentes montium jugis, cum subjecti profundiorisque barathri præcipitium, aut symplegadas circumvecti *Charybdim Scyllam*que propellentibus ventis evaserint, attoniti repente superati discriminis gravitate respiciunt; nec qua reptili per lubricum agilitate, aut nandi arte prætervecti casum evicerint, scire possunt, diis tantum acceptum habent, perpetuasque illis & immortales gratias agentes obstupescunt: sic & *Patavi* cives obsessi, periculorum miraculo præteritorum attoniti defixique suspiciebant, quantoque propius exactæ cladi quisque fuerat, tanto majori prorumpentis impetu lætitiæ ferebatur? comessationes ergo consodalitiaque, joci, sales, ludicra, quotidie celebrata; agitataque publicæ lætitiæ signa, flammæ, æra, tubæ; tum & superis soluta vota, suisque supplicationes hymnis peractæ sunt; thura data, vina libata, immolatæ Pontificio ritu nostrisque moribus hostiæ. Atque his dum sacris impensius operatur suis promiscua ceremoniis tonsura, nonnulli hostium castra revisere; devastatos alii suos agros lamentari, plures jacturam privatamque lugere: mox quanquam tantæ calamitatis invectæ dispendio mœrerent, cum sese tamen præterito pondere levatos re-

A miniscerentur, gaudebant. Interea *Veneti* post urbem *Patavium* militari colluvie repurgatum, apertaque dimotis repagulis commeantibus ac remeantibus itinera, patefactoque profluentibus aquis aditu, quem septis & aggeribus objectis ad obsessorum inediam hostes obstruxerant, lustrato exercitu, solutis stipendiis, fidaque rusticorum accersita manu, *Vicentiam* iter parant. Et quoniam barbaricum jugum abhorrentes oppidanos, *Venetæ*que Reipublicæ studiosos municipes esse cognoverant, equites peditesque ferentarios præmittunt, quorum adventu plebem commotam iri, *Germanos*que receptis præsertim auxiliis ejecturam putabant. Quæ cum pa-
B rum ex animi sententia procederent, sive præsentaneo metu, quem populus ex stationario milite concipiebat, sive ex illata jam vi, totis eam in expeditionem viribus itum est: ac primo quidem urgeri civitas tormentis cœpit; repetitaque sæpius silicea glande pulsari; facto aditu, postibusque revulsis, tum cuneo violenter impresso milites ingruunt, obnituntur, irrumpunt: acta res erat, seque *Veneti* protinus urbis rerumque potituros existimabant, cum truculenti furentesque barbari suas in phalanges ordinemque restricti, præcipites in arma ruunt, atrocissimeque depugnantes cædunt, vulnerant, sternunt. An-
C cipiti telorum agitatione, mutuisque crepitantium armorum sibilis, dum invicem allisi relisique milites instridunt, dum verberant ac verberantur, dum plectuntur atque deplectunt, terrifico fragore cuncta percelluntur: adversas immoto nixu *Germanorum* acies constipati robore suo *Leonini* milites adurgebant, ipsique nonnunquam dejecti pulsique loco rejectabantur; confligentium fluxu refluxuque bellatorum, fœde crudeliterque solum omne complangebat. His tantis cædibus intercesserunt salutares obscuræ noctis tenebræ, caliganteque cœlo Duces utrinque receptui cecinerunt: & quanquam nonnullis occupatis con-
D tinentium ædificiorum sedibus, victoria pro *Veneto* stetisse videretur, suburbanique pars magna *Pusterlei*, *Dionysio* pedariæ militiæ Magistro cessisset, in ipso tamen titubantis fortunæ lubrico, dubioque Marte constituta res erat. Verum intempesta nocte, cum jam *Veneto* propensiorem fortunam aspiravisse suo quisque magis animo duceret, oratores *Vicentini* Legatos *Venetos* allocuturi, *Sanseverino* impulsore, qui tunc in urbe ductorem agebat, militumque suorum incolumitatem paciscente, civitatem dedunt. Qua in fidem recepta, sospiteque dimisso milite, cum ad ulteriora *Venetum* fata provocarent, eodem successu
E *Veronam* capi posse prudentum opinio fuit; sed dum sedandis popularibus procellis, direptionumque seditionibus comprimendis, præsides attinentur, recensendoque exercitu, ac stipendiis erogandis Præfecti castrorum vacant, occasione lapsi sunt: exacerbatus siquidem animo *Vicentia* Cæsar amissa, cum *Venetos* propediem *Veronam* oppugnaturos arbitraretur, *Tridentum* ocyus advolat, accitisque sociorum undequaque præsidiis, *Gallicarum*que præsertim adjuncta manu suppetiarum, civitatem præmunit, obarmat, præcingit, aggere, milite, commeatu: adeo quidem ut *Leonino* paulo post appetente exercitu, multisque pu-
F gnatorum millibus urbem debellare paratis, oppidani ipsi collectis viribus, quadratoque agmine obviam ire, consistereque difficili prælio, & asperiore pugna decertare præsumpserint. *Lemniaci* Præfectus *Carolus Marinus* audito *Venetorum* motu, ac ex *Vicentia Veronam* properantis exercitus eorum profectione cognita, eductis peditum velitumque suorum ordinibus, tum & agricolæ præduri contracto robore, *Venetas* legiones in eam expeditionem prævenire tentat: huic ho-

stes

stes obvii trepidanter alacres facti sunt: acerrimeque collatis signis, omnibusque contractis viribus conflixere: dimicatum est eventu vario, intercurrentesque tenebræ victoriam interceperunt. Tunc itaque legati difficiliorem quam rati prius essent provinciam intuentes, cum præcipue nullos in urbe motus populares audirent, quos excitatos iri propinquantibus ipsis arbitrabantur, neque per exploratores quos secretis callibus in diversa præmiserant, certi quicquam haberent, regressi sunt, asserendæ urbis, potiundæque rei meliorem occasionem expectantes: quam post *Feltrum Cividaleque* receptas urbes, expugnatamque præstantis *Aluisii Mocenici* strenuique ductoris opera *Scalanam* arcem, omnibus præter duces crudeliter & fœde cæsis, assidui *Gallorum Germanorum*que motus, assiduæque populares procellæ conflictatis omnium animis erumpentes obtulisse videbantur. *Veronam Germani* Jure suo, *Cæsaris*que nomine tenebant, quam & *Galli* jure pignoris, cum mutuo *Cæsar* a *Ludovico Francorum* rege multa nummum millia sumpsisset custodiebant: insolens truculentaque barbaries fervidæ præsertim juventutis accensa calore, quem indiscreti potus ad insaniam agitabant, frequenti conflictu jurgiorum intemperantia concitato, decertabat, ac sumptis sæpius armis velut hostem impetituræ, directæ in festæque invicem sociorum acies concurrerunt: discordiosas earum contentiones, irasque debacchantium, miseri cives viscerum suorum nutrimentis alebant; & cum ebullientes impetus barbarico furore sævivissent, conspumassentque velut objectis invicem obicibus majore contumacia relisi, mox civium in prædam, eorumque dilapidationem bonorum declinabant: rapinæ, tumultus, impressiones, omni re familiari dissipata, miseram hinc inde civitatem divexabant. Lugubris omnis & funesta domus, mœrentes ubique lachrymosique penates, totaque ferali civitas obsita squallore perhorrebat, cum nonnulli *Veronensium* in castra *Venetorum*, exindeque ad legatos eorum se conferunt, barbaricum jugum, longasque miseriarum suarum *Iliadas* detestantur: mox *Venetam* in Remp. immensos affectus suos, publica fide, immortaliumque Deorum contestatione declarant, *Georgianam* dehinc portam sese noctu tradituros dispondent, omnemque pro *Venetis* urbicam castrensemque operam ardenter obituros pollicentur. Accurati diligentesque semper & ubique *Veneti*, post gratias solemni verborum præfatu civibus suis peractas, nequid temere parumque consulto capessivisse, neve suarum amore nimio decepti rerum hebescere viderentur, ex omni peditatu delectos quinquaginta viros, acres, expeditos, & ad omne munus exequendum habiles, *Veronam* ire jubent, mandantque ut divestigatis omnibus quæ in re esse viderint, ut ad exigutum perduci possit, referant. Hi propugnaculorum, fossarum, aggerum, tum & interfluentium aquarum magnitudinem, profundum, latitudinem, æquiore libramento permensi, cum & scalas breves, oblongas, contos, translaticiamque omnem ad perficiendum opus materiam præparassent, legatos ducesque certos faciunt: quibus acceptis legitimi castrorum provisores *Joannem Paulum Gradonicum*, qui *Rhodigianam* procurationem obibat, emonent, hortanturque ut congrua quingentorum levitum advocata manu susceptam in expeditionem procedat. Omnibus igitur advesperascente cœlo compositis & ad rem perficiendam instructis, *Veronam* raptim milites contendunt, ut ad secundas faces exinde ductoribus evocandi, quos ad opus opportuna omnia, ea hora disposuisse symbolis facti certiores erant, pro mœnibus starent: ex destinato cuncta processe-

A rant, penetraveratque miles primis transcensis mœnibus, ad arcis extrema, cujus muros excessisse laborum meta fuit. Ergo confestim admotæ scalæ breviores, ad destinata perrecturo militi fraudem fecere, quas dum fune subligant, adnexisque firmioribus nodis jungunt, ac omnem festini moram præcipitant, ecce nescio quod trepidis male numen amicum confusam eripuit mentem; visique per umbram sunt hostes arma succlamare, vociferari, constrepere: & quanquam inani metu stultaque formidine paverent, sic tamen exterriti contremuerunt, ut umbram etiam suam metuerent: horrorem incusserunt unus & alter nescio

B quo sinisteriore fato militibus adversa nunciantes. Tunc itaque qua fuerant ingressi via eadem regressi sunt, tanto timore metuque præcipites & inconsulti, ut excitati repente vigiles, omnisque commota barbarico furore custodia confremuerit. Itaque denudatis & apertis omnibus, omnique retexta contextæ fraudis & insidiarum tela conscios insciosque corripiunt, torquent, laniant, dissectos custodes duos, quos falso reos autumabant, ac minutissimis ictibus excarnificatos conficiunt: nihil immanius immanitate barbarica, nec illius quicquam sævitia sævius, cum præsertim sinistra sceleris admissi suspicione laborat: non indiciis, non

C argumentis, non quæstionibus ullis, aut legibus locum esse patitur: suo consilio, suo examine judicium agit, maxime si gentis exteræ reos obimplicet, quos infidos, fallaces, sibique semper infensos arbitratur. Sumpto igitur de nonnullis juste vel injuste supplicio visoria deinceps excubitoriaque majore custodia civitatem, concreditasque sibi mansiones observare barbari cœperunt, ac vasto patuloque fossarum ingentium hiatu, duplicatoque latius aggere, tum firmioribus munimentis, eductisque majoribus propugnaculis urbem præcingere, ad hæc cives infestare acrius, communem arcam expilare molestius, follicantesque pri-

D vatorum crumenas emungere pressius occepere. Tunc omnis ad vivum erasa discriminatæ religionis tonsura, opulentiorumque omnium & inopum angustæ largioresque fortunæ, plus nimio tributis indictionibusque novis prægravatæ congemuerunt. Quæ dum *Vicentino Veronensi*que agro, publicis privatisque multorum dispendiis agitantur, ne qua diu regio vacaret armis, neve pernicioso exitialique bello diu miles ociosus feriaretur, *Atteslinos* invadere, *Ferranianos* ingrassari, suaque vetere recepta *Cherroneso*, gentis infensæ depopulanda militibus omnia dare, *Veneti* constituerunt. Non parvi quidem levisti-

E que momenti res erat: populus siquidem intestino naturalique dissidio patriciis principibusque *Venetis* avertebatur: & prudentis *Alphonsi* ducis sui cives imperio non inique parebant. Præterea fœderatorum præcipueque *Gallorum* genuinis odiis *Veneto* repugnantium præsidia timebantur: Quæ tametsi longius hybernarent, eaque procul expeditione distraherentur, prævallata tamen civitas *Ferraria*, plebsque sui principis studiosa, donec ex diverso vel hinc vel inde subsidiarii milites coivissent, hostilem impetum bellicamque vim sustentatura erat: ergo navales terrestresque copias eam in provinciam *Veneti* parant, trire-

F mes expediunt, sicuti quidam tradidere tres de viginti: *Cœlius* ad viginti notat: *Mocenicus* cui plus crediderim, sex ac decem scribit: his aliorum præterea navigiorum infinitus numerus, utpote qui millibus multis constaret, accessit. *Angelus Trivisianus* Patriciatu vir insignis, præfectum classis agebat, his aquaticis legionibus adverso *Pado* subvectis, *Guardiam*, Suppadanum vicum applicuit, mox ad ulteriorem *Padi* ripam, munimenta quam ocyssime levibus gravibusque

busque tormentis instructa, parat, excitatque cum vastaticia, tum militari manu molem operosam & ingens opus, quo recepti milites & ab hostibus tuti classem statione sua commorantem defenderent, ac cum emissi castris populatum issent, brevi suffugio propugnaculoque tutiore, si Martis adversi casus impulisset, conderentur. Stationarium præterea militem non improvidus castrensium negotiorum provisor *Trivisianus* circunquaque locat, omnemque aggeris locum infirmitate suspectum ac debilem validiore militum robore, firmioribusque custodiis obarmat. His dum operibus intenta juventus detinetur, quæstuariique mancipes aggeraticio labore præsudant, alii pabulatum hostili more, lignatum alii, nonnulli frumentatum longe lateque pervadunt: quotidie populabundi, infestantesque omnia, prædam convectare, pecus abigere, captivos trahere, pagulos, villulas omnique ex hostili arvo casas diruere, pervastare, exurere, incitatissimis excursionibus, lateque peragrantibus turmis, agrorum interiora penetrare, unoque perpetuæ calamitatis fragore cuncta perfringere. Jam ad obscurum usque lacum prædatoria cohors descenderat, armatique levites equitatu perniciore *Ficariolum* direptionibus ac rapinis infestatum perrexerant, cum hostili audito motu ad *Pilosellam* fluvium, *Veneti* cuncta diligentius percunctabundi substitere, propugnaculumque subitaria molitione validius ad invectæ classis tutelam erexere. Tum quoniam nataticiis legionibus terrestres copiæ magno præsidio esse putabantur, evocato ex stativis omnibus exercitu, omnibusque terrestribus ac maritimis confluentibus copiis, *Montignanam* itum est, quam admotis tormentalibus machinis, omnique disposito agmine vehementer impetunt, oppugnantque: conterriti cum improvisa re municipes, tum ingruentium multitudine turmarum, levi primo certamine commisso, cum sese bellico oneri perferendo impares esse cognoscerent, deditione cesserunt. Captivi milites civesque, præcipue qui præfecturam agebant, in *Veneta* castra perducti sunt, omnisque cætera militaris turba suis exutis armis cum nota dimittitur. Exultanti propensiore victoria *Leonino* militi vicina cuncta nullo statim pulvere subacta sunt, *Rhodigiani*que repente tractus omnes anhelante voto desiderati, incredibili victoriæ properantis successu, miraque rerum felicitate omnium *Venetam* in ditionem redacti sunt. Angebatur curis ingentibus, magnisque molestiis distorquebatur *Alphonsus*, cum hostis elatior in dies eventu prosperiore tumesceret: cuncta populationibus & incendiis exusta squallebant, omniaque bellico fragore quassata consternebantur: villici profugere, cives lamentari, milites omnia permixta confundere: nihil tutum foris, nihil domi securum, omnia rumoribus ac periculis inquieta turbari. Ad hæc quanquam agrestium copiarum non levia detrimenta forent, incumbente prævalido tritis retritisque finibus cunctis exercitu, majora tamen urbicarum futura propediem dispendia putabantur, quoniam *Venetus* de quo post tantam cladem acceptam, paulo ante conclamatum existimabant, redivivus, membrisque vigentior omnibus atque valentior insurgebat, suisque reparatis de integro viribus, ne dum adversus potentissimos reges, orbisque pœne terrarum dominos sese tueri suaque defendere, sed intercepta repetere, finibus suis longius egredi, bellumque ferocissimis hostibus ac populis inferre præsumebat. Formidinis ac pavoris omnia plena: omnis terrore concussa civitas: omnes ex propinquo municipes & agricolæ, sua omni supellectile plaustris imposita, *Ferrariam* velut in portum conceptaculumque securius confugere. Contra vero, *Ferrariani* adlambentibus flammis obusti, profundæque fornacis denigrati fuligine, cum exundantes ignitosque vapores non sustinerent, procul effugere, magnis ubique damnis affici, vastoque circumsonante miseriarum pelago naufragari. Quibus princeps omnibus vehementer accensus, cum præsentaneum instantis periculi magnitudo remedium exigeret, tumultuarios legitimosque milites conscribere, peregrina domesticaque arma commovere, proprias subsidiariasque cohortes raptim, expedire: tum socios omnes fœderum-
B que participes discriminis admonere, hortari, urgere, ut his ingruentibus malis præsto sint, obserpentique morbo præsentius occurrant, ut repullulantis hydræ capita præsecent, *Antæum*que lapsu suo vigentiorem, suaque ruina præstrenuum, elidant, suffocent, conterant. Quæ dum *Alphonsus* obiter soliciteque procurat, omniaque pro mentis suæ suique ingenii solertia peragit, universusque *Ferrariensis* ager *Veneta* devastatus impressione laborat, jam ex *Liguribus*, *Insubribus*, *Cenomanis*, omnique *Cisalpina Gallia* contractæ barbarorum copiæ, *Veronensem* agrum, arvaque lato circum tractu finitima devastabundæ
C turmatim irruperant, seseque *Vicentiam* atque *Patavium*, ac cætera mox omnia subacturas, elati animi sui insolentia minabantur: & adhuc magno metu, magnoque omnium terrore *Gallicana* res stabat: adeo quidem ut *Ludovici* regis auspicio pugnaturi quanquam pauciores, magis tamen hostibus essent formidolosi, quam cum sub alienis vexillis plures majoreque numero congrederentur. Tota passim *Italia* præcipueque *Cispadana*, tot continentibus victoriis illustrata, *Gallicum* nomen extulerat, cum è diverso *Germanicum* nulla re transacta feliciter, obscuratum magis adumbrasset. Igitur crebris adventantium
D hostilium copiarum rumoribus, cum & victoris *Galli* fama prosperior etiam in majus rem bellicam attolleret, soliciti Patres de Republ. deque subsidiis municipatim dispartiendis consultare coguntur. Tum *Vicentinæ Patavinæ*que rei sparsisque circum oppidis ac subjacentibus vicis prospectandum erat; sed & *Rhodigio*, *Padanæ*que provinciæ, *Ferrarianis* circumcursantibus armis impensius cavendum: nec deserenda *Verona*, nec *Veronæ* boni cives despiciendi, quique maxime rebus *Venetis* omni arte studioque favebant, pari gratia, paribusque meritorum officiis fuerant confovendi. Igitur *Andreas Grittus* evocatur,
E qui cum *Petro Marcello* adscita peditatus ac velitatus armatura, *Montignanam* ac *Coloniam*, mox *Suavium* atque *Leonicum* proficiscerentur, ut *Patavium* tanto labore recuperatum assertumque dispendiis incredibilibus, protegerent, cum adhuc infirma lubricaque possessione subhærentes, tot infestis & aderrantibus *Gallorum* copiis, urbicæ res pronutarent: Quique civitates in quas sese destinato recepissent summa ope suaque pro virili tutarentur: juvarentque de propinquo *Vicentiam*, omniaque mutuis invicem auxiliis, *Veneti*que nominis studiosos cives complexarentur. Verum ad obeundam sustentandamque hujuscemodi
F provinciam, milites desiderati; quoniam ad reprimendos *Gallorum* impetus, barbaricamque vim propulsandam, exiguæ tenuesque *Venetorum* copiæ putabantur. Itaque pars magna terrestris exercitus, ex *Ferrariana* expeditione confestim accita in *Patavinos Vicentinos*que fines trajecit. Hic etenim belli moles major insurgebat, defendendarumque urbium & oppidorum solicitudo majorem exigebat cautionem, quam oppugnandæ *Ferrariæ* cura laborque deposcerent. Absce-

sce-

ſcedentibus illis ergo relaxati *Ferrariæ* cives, cum
& aliquot *Gallorum Hiſpanorum*que manipli, quos
ad urbis attonitæ tutelam *Alphonſus* contraxerat,
acceſſiſſent, ſpem fortunæ ſecundioris erexerunt,
quam & imminutus hoſtilis exercitus augebat, &
aliorſum majoreque periculo conflata diverſis fi-
nibus bella ſecundabant. Duplicatis igitur auxi-
liis, geminatoque præſidio ſublevatus Princeps,
occaſionem bene gerendæ rei molliоremque in-
vadendi exercitus *Veneti* fortunam opperiebatur,
& altius quidem animo delendi hoſtis ulciſcendæ-
que injuriæ libido, quam præ ſe ferret, inſede-
rat, acuebatque in dies ſui doloris acrimoniam,
maceratamque diuturni vulneris ſaniem recoque-
bat inflictæ magnæ cladis indignatio. Interea
tamen ipſe leves peditum ordines *Alphonſus* emit-
tere, ferentarioſque peragrantes interlucentibus
alis amandare, caſtrorum munimentis interdum
audacius ſuggredi, ſæpe fugam ſimulare, hoſtem
petulantius etiam quam par eſſet, ut concinnato
ſtratagemati proluderetur, inceſſere. *Venetus*
quanquam ſuorum abſceſſu ſociorum paulo rarior
atque reſtrictior, ſtrenue tamen fortiterque pu-
gnare, valide claſſem aggereſque tutari, alacri-
ter hoſtem impetere, ferociter congredi, arden-
ter conſiſtere. Eo malitiæ provecta res erat, eoque
Ferrarianorum doli, ductoriſque eorum artes pro-
ceſſerant, ut non ſolum ex hoſtico congreſſu re-
fugerent, ſed majori ſimulato pavore tormenta
nonnunquam milites abjicerent: ac ut invadenti-
bus darent animos, interdum etiam ſeſe de com-
pacto ſpoliari viliter exuique paterentur. Inva-
luerat elatis animis ventoſa ſimplicitas, inflataque
plus æquo turba vulgaris, perpetua cedentium
hoſtium felicitate, eorum copias omnes deſpe-
ctiſſimas habebat, & niſi præfecti moderatoriſ-
que *Angeli* prudentia inconſultum juventutis ca-
lorem, ferocientiſque militis animum cohibuiſ-
ſet, erupiſſent inconditi relictis ſeptis ſuis ordi-
nes: nec levi cum pernicie exercitus in ulteriora
penetraſſent; ſed ductoris *Angeli* circumſpectan-
tis omnia, cunctaque ſedulo perpendentis edicta
vetabant, qui claſſem, munimenta, ſuumque mi-
litem integrum imminutumque ſervare, nec ul-
lam ambigui certaminis aleam tentare animo ſuo
præfixerat; ſed hoſtem aſſiduis excurſionibus,
populationibuſque continuis fatigare, prædas a-
gere, devaſtare omnia, donec *Patavino*, *Vero-
nenſi*, *Vicentino*que confecto bello, quod in dies
barbari majore numero coeuntes augebant, *Ve-
neti* ſenatus imperio revectæ ſubſidiales copiæ,
præſidiis ſuis affuiſſent: aut querelantium affectus
tædio civium *Alphonſus*, ſuæque rei pereuntis in
dies detrimento conſumptus fœdera pacemque
tentaſſet. Sed & præaſtuti ducis *Alphonſi* ſaga-
citas acri ingenio cuncta ſcrutabatur, elicereque
ſuo *Venetum* domicilio modis omnibus prætenta-
bat. Quem cum nulla fraude nec inſidiis irreti-
re poſſet, *Angelo* ſemper attentius præcavente,
data opera hoſtem aggredi, invadereque facto a-
gmine ſtatuit. Ardua quidem & difficilis ſi ex
æquo pugnaretur res erat; ſed longe difficilior
& gravior ſi congreſſu diſpari ſepta, fortiſſimoſ-
que aggeres adſiliiſſet: ergo ſtratagema medita-
tus hoſtem dolo circumvenit, infraque *Veneto-
rum* conceptacula, ſed è regione claſſis inſtructiſ-
ſimæ, prægrandes vaſtaſque tormentales machi-
nas promovet, & ad opus compoſita ſtatione lo-
cat. Tum perforatis aggeribus qui pro fluminis
ripa ſtabant, tantum orificii dilaxavit, quantum
ad ſiliceas ferreaſque pilas immenſi ponderis ex-
cutiendas ſufficeret: longe quidem extantes ag-
geres apparebant, ſed ab imo fatiſcentia dilaxa-
tis orbibus ora ſublatentibus organis quibus im-
manes orbiculatæque moles exſpuerentur, falle-

A bant: nec quicquam ex adverſo, frontiſpicioque
hoſtium quod obeſſet perpendi poterat: ipſaque
meatus anguſtioris foramina quanquam claſſi per-
pendiculatim oppoſita, vapore tamen aquarum,
craſſique aëris interjacente ſpiſſo luminis aciem
acutiſſimam retundebant. Præſtructis inſidiis ac-
ceſſere non parva torrentis *Padi* ſuffragia: ſiqui-
dem magnis aquarum incrementis adauctus amnis,
extumuerat, ſuaque reſtagnantis fluvii vaſtitate
ſic claſſem turgentes undæ ſuſtulerant, ut pœne
riparum ſumma labitantes, adæquatæque ſuper-
ciliis earum, naves velut ſcopos ad amnis perpendi-
culum juſtiſſimoque aquarum æquilibrio tormen-
B tis objicerent. His blandiſſime lenocinante *Pa-
do*, cœloque non minus aſpirante, diſpoſitis, ſi-
lentium dux imperat, nec quicquam niſi ſigno
dato jubet attentari: mox eductis omnibus co-
piis, omnique expedito ac celeri præmiſſo pedi-
tatu, nocte intempeſta, quo cæca caligantibus
tenebris multitudo ignaraque rerum militaris in-
ſcitia conficeretur, quanta vi quantaque poteſt
ope munimenta impetit, omnibuſque circunqua-
que ſtrepitantibus turmis armatorum, omnique
clamore militari conſonantibus, ingraſſatur. Ex-
citi repente vigiles, extemploque ſuſcitatæ ſta-
C tionibus ſuis excubiæ, geminatis ſuoque terge-
minatis de more vocibus, arma conclamant:
prompti, alacres, accinctique milites undique
circumfluunt, incurſant, ſatagunt, equites, pe-
dites, tormentarii, fuſores, uno omnes impetu,
unoque calore perciti circumſtrepunt, ac ſua diſ-
poſitis agminibus ſepimenta, clauſtraque validiſ-
ſime fortiſſimeque tutantur. Tum primis icti-
bus, primaque telorum agitatione *Veneti* jocula-
ribus hoſtem dictis inceſſere, calumniarique fri-
gidam ejus improbitatem, quod niſi per inſidias
& noctis obſcuræ dolos quicquam ignavus & pi-
ger auderet, objectareque illis ſocordiam ſuam,
D torporemque tot præliis inexcitum exprobrare.
At contra, *Ferrarianus* intentiſſimo dimicandi ſtu-
dio percitus, conceptaque probrorum indigna-
tione ſtomachatus in pugnam ruere, atrociter
digladiari, ſumma ſcandere, pertinaciter obniti,
infra ſupra, dextrorſum levorſum, & huc & il-
luc, & hinc & inde perurgere, deluctari, im-
primere, hunc acriter cedere, illum loco detru-
dere, alium ſolo violenter inſternere, ſimulatum
diu languorem, objectatamque frigentibus igna-
viam initi certaminis ardore concitiſque flammis
inurere. Dum hic aſperrime ſæviſſimeque depu-
gnatur, ecce ſigno dato tormentarius magiſter,
E vaſtiſſimos canales æneos ſumma contacto ſcintil-
la pulviſculo degravat: mox alii, dehinc ſu-
per alios alii tormentis prægnantibus exſolutos
fœtus ejiciunt: vi flammarum igniſque pernici-
ter excuſſæ intortæque prægrandes pilæ, in ipſam
directo claſſem expoſitam impinguntur, tanto
tabulatorum fragore contignationumque ruina,
ut cœlitus immiſſæ faces crederentur. Primo
ſtatim ictu tota fere conturbata claſſis intremuit,
dumque triremis triremem percellit, aliæque poſt
alias alliſæ naves compinguntur, ſubito correptos
metu nautas diſtrinxerunt, atque dum attoniti ma-
gna malorum formidine de remediis cogitant, ecce
velut grandinis nimbique furentis inſtar lapidarius
F imber compluere, flagellare, disjicereque ruinis
omnia cœpit: anxia præcepſque omnis turba ſu-
bitique caſus horrore conterrita, cum nec de ægri-
tudine, nec de ægritudinis cura liqueret, fremere,
curſitare, horrere: elati ſubito nautarum mili-
tumque ſtridores, tum & ſutilis facileque ceden-
tis materiæ crepitus terrifici, deformatam claſ-
ſem exagitataque miſerabiliter omnia conturba-
bant: ſuccuſſæ naves invicem, fluctuque recipro-
co invicem adlidi atque relidi: hæc diſſitis laxiſ-

que compagibus demergi, aliæ proris, aliæ puppibus turpiter admutilari: nonnullæ retritis invicem ratibus, mutuisque nexibus invicem adfrictæ quassari: intus præterea alieni omnes furentesque bacchari, unam omnes in morte salutem reponere: armati alii, nudati alii, alii alio modo ut fata præcipites impulerant, in flumen desilire, flammis torreri, tormento perire: inenarrabilis horror, inaudita formido, unaque non facies improvisæ mortis elanguidos nautas ac milites extrema per omnia versitabat. Qui septa propugnaculaque tenebant, quique pro munimentis suisque promuralibus ardentissime præliabantur, post acceptos casus, & amissæ pœne classis fortunam, egelidi metu, subitoque pavore rigentes intremuere. Itaque confestim expugnata castra & direpta sunt, ac fugati omnes, profusique alio atque alio casu milites. Classis ductor, cum in tanta desperatione rerum incolumitati suæ diffideret, ad primos immissæ tempestatis fragores quem potest edicto militem contrahit: lembos, naviculas, phaselos omnes, ut ad manum fuerant, actutum raptimque conscendere jubet & solvere: sed nimia fati properantis importunitas, præcepsque perpetuo sonore turbo, consilium imperantis oppressit: diffractæ, laceræ, subrutæque naves innumeræ, triremes tredecim profundo demersæ, quas inter prætoria regifico luxu, auratisque omnibus ornamentis exculta subsedit, quam victoris industria protinus in siccum reduxisse traditur, eamque mox sartam tectamque cum cæteris, ut voluptati spectantium esset *Ferrariam* perduxisse. Scriptores sane cladem hanc maximam, omnibusque dispendiis memorabilem fuisse referunt, & quamquam utrique partium damnis intolerabilibus perniciosam existiment, *Ferrariano* minus tamen ærumnosam gravemque quam *Veneto* fuisse putant. Quoniam etsi continuis populationibus incendiisque perusti cives *Attestini*, devastatique suorum oppidorum & insularum ruinis ingemerent, has tamen inflictas clades, magnaque fortunarum suarum interitura notabiles, illustris victoriæ gloria rependerunt. Contra, *Veneti* discerptæ classis exercitusque deleti jacturam, refugientis victoriæ quam pœne manu comprehenderant impostura cumulaverunt, & ut quidam scriptorum præcipueque *Cælius* notat, vel ex hoc illatæ cladis magnitudo perpenditur, quod ipsorum confessione *Venetorum*, tot maritimis confectis præliis adversus *Turcas* & *Ligures*, immanesque barbaros, exterasque gentes infinitas, nunquam infelicius dimicatum est, nec calamitosius depugnatum. *Mocenicus* quidem non eam usque adeo calamitatem attollit, nec adeo gravem exclamat; sed lamentatur, sibique succenset iratus & rigidus: *Hactenus*, inquit, *Veneti merito suo contenti esse debuerant, non ultra progredi cum damno & ignominia Reipubl.* Existimo virum sane circumspectum, doloris impatientia vel amore nimio stomachatum excanduisse, ac ut plerumque turbati solent animi, vera non veris permiscuisse. Quippe si parum feliciter magnoque cum Reipub. damno pugnatum est, non ideo tamen ignominia notatur. Quid enim præter casum adversamque fortunam admisit Respubl. vel qui vicem illius agebat, ut acriore censura plectatur: nunquid ignave, negligenter, somniculose, quicquam tractavit? Nec ædepol in tanto successu rerum, victoriæ cohibenda vis fuit. Quæ quamquam illecebris suis adblandita deceperit, non ideo tamen ignominia Respubl. conspergitur. Alioquin si quotiens homines sinistro Marte manum conseruerint, notam subeant, infamiaque Resp. laboret, quis famigerato Pop. Rom. magis infamis erit? Quis illaudatus magis ac magis inglorius laudatissima gloriosissimaque illa ac fatali Republ. judi-

Illustr. Venetæ Reip. expurgatio.

A cabitur? Quæ nonnunquam infeliciter fœdaque sæpe cum fuga pugnavit, & quanquam sic exigente æterna rerum serie vinci non posset, sæpe tamen victa est, & cum nota succubuit. Absit igitur ut hac tanta impressa calamitate, rem *Venetam* ignominia tactam esse putemus: quin eam laude potius & gloria dignam semper extulerim, quæ rebus in omnibus peragendis consultissime sapientissimeque processit: quæ ferocissime strenuissimeque pugnavit: quæ mari terraque tot continentibus perculsa ruinis infracta, indomita, invictaque stetit, stat, ac stabit gentium ac populorum omnium gloriosissima.

B Insperatis his cladibus acceptis, attenuatisque terrestribus ac navalibus improviso malo copiis, non animo menteque *Veneti* Patres consterni; sed totas roboris sui vires contrahere, violentiorisque contra fati rabiem velis omnibus remisque consurgere, ac primo quidem sparsas quassatæ classis tabulas ex omni naufragio colligere, ex *Epiro*, *Dalmatia*, *Illyrico*, omnique *Adriatici* maris tractu, minuta præter navigia, biremes, triremes, quadriremesque subvehere, novum ubique delectum habere, procurare, obire, facessere omnia quæ victorem ab inferenda injuria propellerent, victumque ab illata latius tuerentur, &
C affuit ex insperato fortuna proclivior *Gallicana* temeritate provocata. Parta siquidem recens egregia præsignique victoria, cum insolens & superba natio virtutem *Italicam* omnino despiceret, sibique majoribus ampullis victoriæ titulos usurparet, exorta confestim seditione commissa est: tantoque elato spiritu utrinque decertatum est, ut neque vehementius unquam neque validius in *Venetum* debacchabundi concurrerint. Quæ dum salubri malo frugiferaque lue commissi inter sese hostes peragunt, *Veneti* duplicatis exitialibus fatis prægravati, cum paulo supra septimestre, geminatæ clades *Abduano Ferrariano*que conflictu
D prorupissent, nec una Respubl. tot undique perscatentibus malis adversus potentissimos reges omni copiarum ubertate florentes, qui consistere posse videretur, *Gallicana* præsertim in dies magis insolescente victoria, novoque semper inquieta motu bellorum, cum *Julio* Pont. Max. fœdera percutere, pacemque sancire nexu firmiore constituunt, ut sacrorum rege conciliato, cæteri omnes facile bello vocarent, ipseque maxime Cæsar, quem magnis conditionibus oblatis, in fœdus evocare, summo *Veneti* principes studio nitebantur, armis abstineret. Consilia *Venetorum* adjuvabant relaxata omnia quæ sibi deberi *Julius* con-
E tendebat; sed & *Ferrariæ* incredibili desiderio vendicandæ cupiditas hominem incendebat, ut hinc *Venetus*, illinc Pontifex, *Alphonsum* alterutri imparem vulnere conduplicato conficerent: ineundæ paci, transigendoque negocio *Julii* versutioris mens insidiosa præludebat. Hic siquidem acerrimo vir ingenio sublimitateque mentis elatæ præcelsior, nihil antiquius duxit, quam quæ Pontificiæ ditionis essent, asserere: mox barbaris omnibus exactis, suoque invicem discordiarum seminario relisis, universam *Italiam* ab invisa natione penitus expurgare. Itaque *Ludovici* regis potentia ad expugnandam primo *Bononiam*, ejusdem-
F que malleo contundendam ad rem *Venetam* usus est: nunc e diverso *Gallicanas* ad vires conterendas, *Alpinum*que robur attenuandum, novo igni, nova incude, novisque forcipibus opus erat. Ergo cum *Venetis* quos præsagaces & omnium cautissimos, quibusque *Gallicani* magnitudinem imperii detestabilem & invisissimam sentiebat, lege coit, ipsosque primum omnes quos exacerbatus infensiore odio Pontificiis diris impiaverat, expiavit. Etenim cum indignatione furens, quod inique

inique injusteque possessa, sicut ajebat a *Venetis* non relaxarentur, execrasset, eosdem verso motu post receptas urbes oppidaque reconciliatus consecravit: *Dominico Trivisiano*, *Leonardo Moccenico*, *Aluisio Malipetro*, *Paulo Capella*, *Hieronymo Donato*, patriciis ornatissimisque viris intercedentibus, ac pacem regumque concordiam, *Maximiliani*que præsertim Cæsaris quem in gremio sinuque lætaliter hærentem habebant, obsecrantibus. Quibus cum de *Francisco Gonsaga* vinculis absolvendo paciscitur, obtemperatum est illi, dimissusque ea lege *Mantuanus* ne *Venetis* unquam signis adversaretur: *Mocenicus* addit, Imperatorem etiam exercitus *Veneti* declaratum fuisse. Cum jam ingenti omnium desiderio *Petylianus* elatus esset, ipsumque mox *Ferrarianam* expeditionem obivisse: de quo sane miror, cum strenui ductoris improvida ferocitas jampridem *Veneto* suspecta foret: quem & *Gallo* subblandientem, conniventibusque nonnunquam oculis arridentem circumspectus prudensque *Venetus* deprehenderat: belloque præsertim *Ferrariensi*, quem ad *Gallum* descivisse, cujusque facinora *Venetum* prætimuisse idem *Mocenicus* autor tertio historiæ suæ libro testatur: hunc tamen vinculis redemptum suæque restitutum libertati beneficio promereri *Julius* Pont. Max. voluit: Quoniam ductor armorum egregius, pontificiis jussis nunquam adversatus, Christi rem juverat, & quia fortissimi viri opera usurum sese contra *Gallum* maxime barbarasque gentes opinabatur. Qua in re Senatus *Venetus* quamquam ægre, quod nonnullorum quæ *Mantuanus* admiserat memoria doleret, *Julio* tamen obsequendum censuit: Quem ut majoribus officiis prosequeretur, Reip. mandato *Hieronymus Donatus* vir eloquentissimus, facundissimæque orationis atque lenissimæ, quadringentos ac mille cataphractos, ferentariorum vero quatuor millia, peditum vero decem, (tot enim *Venetus* post afflictas tot flagellis copias, terrestris constabat exercitus) Pontificiis necessitatibus offerebat. Classem quoque supra cymbas fluviales innumeras minoraque navigia, triremes quadraginta paratas, Apostolicisque usibus addictas exhibebat: adeo quidem ut magnitudine rerum defixus Pontifex admiraretur, immensamque Reipubl. post tantas calamitates infractæ potentiam obstupesceret: & hæc *Julii* Pont. Max. jussu præsto futura disertissimus orator *Hieronymus* profitebatur: ageret ipse modo diligenter ac sedulo de pace cum *Maximiliano*, concitique furoris iram a *Veneto* procul averteret. De *Gallis* namque reticendum fuit, quos *Italia* summovere Pontifex sponte sua properabat: ut urgere currentem equum, addereque furenti calcaria perindignum esse videretur. His ergo commotus sacrorum Antistes maximus, cum suffragante *Veneto* peroptata consecuturum, votique sui compos fieri posse confideret, ad Cæsarem oratori destinato mandat, ut illectum in fœdera *Maximilianum* modis omnibus conciliet, mutuoque pactorum nexu *Venetis* adstringat. Igitur cum *Augustæ* conventus indiceretur, eoque nobilissimi proceres legatique regum plurimi convenissent, de pace primum omnium cum *Venetis* ineunda tractatum est, cautumque ne ulla belli ratio inter principes haberetur, nisi prius Cæsar *Veneti*que mutuis ictibus fœdera percussissent. Quod gravatim perindigneque ferens Cæsar, adeo stomachatus iraque succensus infremuit, ut *Julii* Pontificis oratorem, multa ferociter interminatus concione prorsus extruderet, inflammaretque subditis majoribus incentivis *Gallorum* regem *Ludovicum*, novosque *Pannonia* motus in *Venetos* exciret. Proinde Cæsaris *Ludovici*que regis nomine designatus orator *Helianus*, cum in *Pannonias* horum jussu

A principum perrexisset, multa regem oratione circumvenit: bellicosissimam gentem laudando, extollendoque præclara nationis ejus facinora: tum & regem impensius hortando, suadendoque cæteris ut compendium ex opulentiore provincia facturi, bellum omnes in *Venetum* moliantur: annua centum millia, paratam classem, instructum militem, commeatumque largiorem pollicetur: connubia insuper quibus prævallatæ res *Pannonicæ* omnem adversus vim humanam perpetuo robore consisterent, si *Dalmatiam* a *Veneto* possessam extorqueat, dispondet. Quod si tantis emunitus præsidiis, tantaque præcinctus auxilii B corona rem suam despiciat, malitque turpiter ocio feriari quam bello strenuiter agere, toleret tunc patienter & æquo ferat animo, si regum potentissimi Cæsar ac *Ludovicus* eam jugis ablaqueatam *Pannonicis*, gentilicioque sequestratam imperio, *Britanniæ* principi cui debeatur, resignent; & enim iniquum ajebat, ut eam *Veneti* tenerent ac possiderent, quos infestos Christianæ religionis hostes criminabatur: quosque adeo virulenta peracerbaque oratione detaxavit, ut nostræ religionis *Turcas* ac draco irreverenter incesseret: cui *Petrus Pascalicus* orator *Venetus* in hæc fere verba respondisse dicitur.

C *Si mihi vestra fides amplissimi Proceres inviolataque regum sanctitas* Pannonicorum *esset incognita, magnis ædepol curis distringere, vehementerque laborarem exquisito prækultæ orationis artificio, ut ea vobis persuaderem quæ recta justaque sunt, quæ jure regentium comprobata cœlesti quoque Deorum immortalium decreto laudantur; sed cum innata vobis & ingenita probitas ac fides splendore magno cunctis illuceat, egregiaque heroum ac regum facinora* Pannonicorum *usque adeo semper effulserint, ut pæne totius humani generis testimonio comprobata, ipsaque sub ora Deorum majori lampade claritatis illustrata resplendeant, nihil mihi de rhetorum conditorio quærendum est nec excutiendum: neque ex ipsa proflu*D*entis eloquentiæ picturatique sermonis pyxide colores ulli fucique nobis expetendi sunt, ut elaborato meditatæ orationis exordio ea vobis insinuem, & ingeram, quæ ex vobis affatim suopte largitatis fluctu redundant: ne vestrum vobis animi candorem, emaculatæque mentis vestræ puritatem vobis objiciam: ne ligna sylvis, aut aquam mari, ne soli lumen aut cœlo stellas, non minus inepte quam inutiliter videar intulisse. Derideant hercule perorantem* Pascalicum *sancti piique sacerdotes, si eo temeritatis & arrogantiæ provehar, ut illis sacra sua prophanus ego commendem; si religionis Antistiti religionem, si cere*E*moniarum magistro ceremonias edisseram: Quanto petulantique cachinno subsannandus explodar, si vos omnes fidissimos ad fidem, si integerrimos ad integritatem, si piissimos ad pietatem excolendam observandamque cohorter. Si dilemmatis & enthymematis accinctus, si dialecticorum omnibus argumentis instructus promam mutua* Pannonis *in* Venetum, *ac* Veneti *rursus in* Pannonem *officia: si summo studio contenderim, ut quæ semper inter nos mutuo nexu coaluit, insitaque concrevit benevolentiæ vis & amoris, ea nunc confœderata reciprocæ voluntatis commercio, hisdemque constabilita fulcimentis perduret. Rogo, quis eum audierit? Quis loquentem illum aus*F*cultet? qui inani jactantia profusique sermonis ambitione* Herculi *persuadere nitatur, ut fortis sit, ne manibus suis clavam extorqueri sinat, ne leonem congressus fugiat, ne* Gerionem *tricipitem, tricipitemque cerberum, ne* Antæum *Hydramque multiplicatis capitibus formidabilem expavescat. Si declamantem* Achilles *&* Hector *audierint qui suæ fortitudinis admoneat, qui genuinam illam magnanimitatem in ipsis excitet, qui summos bellatores ad rem bellicam instruat, aut certe dormitent, aut liberius*

berius atque solutius irrideant: quoniam ad ea conquirenda, sibique comparanda quibus abundat, nemo sane prudenter invitatur, & invitatus sæpe refriget. Quis me adeo vecordem & resupinum ferat, ut vos prudentiæ, fidei, constantiæ, pietatis ministros atque custodes edoceam, ut quæ referto sinu tenetis, colligatis, ut quæ fonte vestro in alios uberrime sparguntur, ea vos ex alieno gurgite derivetis: non mihi prædicanda sunt hæc, nec ullis verborum flosculis adumbrata, consputo sinu buccinisque madentibus coram vobis spumosius attollenda: intimanda sunt hæc Heliano, *ejusque auribus hæc ardenti face verborum penitus inurenda, hæc ignaris virtutis vestræ principibus instillanda sunt, hæc eorum oculis subjicienda qui fidei vestræ fulgoribus hebetantur, qui vestrorum bonorum morum radiis connivent, qui vestri vim amoris* Venetam *in Rempub. sustinere non possunt. Non ego te Cæsar* Maximiliane *sermone meo petam, quem non audivi: nec tibi* Ludovice *rex inclyte qui commutescis, succensebo: quos omni modestia præditos, omnique examinatiore trutina exactiores reor; sed quantum fas est, quantumque dicendi libertate licuerit in eum insurgam, qui nimia ne dixerim procaci oratione sua impurus, regum mandata suorum illotis manibus ac pedibus purulentis excessit. Quo tandem* Heliane *tuo vultu perlito, qua perfricta fronte tua, quibus obtusis & hallucinantibus oculis, hanc prodire ausus es in concionem? deque bello suscipiendo coram fortissimis bellicosissimisque viris dicere? Quasi potentissimo cuique valentissimoque duci ac populo liceat justum vel injustum bellum indicere, suisque pro viribus experiri: at quotiens asperrimæ ferocissimæque bello gentes ab exigua manu tenuibusque copiis pulsæ fugatæque sunt. Quoniam non bello militum vigor, nec imperatoris virtus ulla, sed ipsa causa spectatur, præponderatque ratio meritorum, & qui bellum injuste movet fortissimus, infirmo debilique vim juste repellenti subjicitur. Bellicosissimi sunt, nativisque præditi viribus suis* Pannones, *non ut injuriam inferant; sed ut illatam propulsent: non ut injusto bello lacessant, sed ut lacessiti protinus ulciscantur. Tu viros fortes ad bellum incitas, tu strenuos ad flagitium promoves? tu præpotentes ad scelus trahis? Et quia robore præpollent & excellunt, ut quietos cædant, ut innocentes vulnerent, ut amicos consternant hortaris? Hæc eloquentiæ tuæ vis, hic facundiæ tuæ delirantis error, hæc orationis tuæ luxuriantis ambitio, ut boni quia fortes, mali sint: ut justi quia feroces, injusti fiant: ut pii quia cæteris validiores, impiis adgregentur: sic linguæ tuæ aciem moderaris? sic aculeos tui sermonis attemperas? sic flammarum incendia tuo hoc oleo restinguis? & tu orator? & tu vir bonus? qui genio suo bonos esse non sinis, qui candidos denigras, qui incorruptos corrumpis, qui integros venenatis verborum tuorum telis saucias, inficis, maceras. At non ego patres amplissimi circumspectissimique heroes, his delibutus unguentis pestilentibus, maloque veneno perfusus hos per insidiarum scopulos enatabo: nec ea vestris auribus infundam quæ vitæ vestræ sanctitas integritasque morum semper obhorruit; sed veritatis justitiæque portu consistam, ac recti justique ancora fultus, tranquilla per omnia securus enavigabo: neque quod utile tantum sit respiciam, sed quod honestum jurique congruum fuerit reputabo. Magna inquit* Helianus *utilitas, mirumque compendium ex suscepto bello refluxurum est in vos Patres, trecentis siquidem insulis* Dalmatia *præcingitur: quattuor ac* x *magnis urbibus insignitur: omniumque pulchritudine rerum interlucet: fronde vestitur, fruge lætatur, herbido pascitur: metallum occulit, flumine liquet, montibus intumescit: omni denique cœli terræque benigno rore confovetur & alitur. Ad hæc parata classis, procincti milites, congestæ pecuniæ: capessite* Dalmatiam,

A *quam nisi capesseritis actutum introvertemini: eam quippe* Germanus Gallus*que regum potentissimi vendicabunt: nec instaurari* Venetum *patientur, qui* Agnidilina *clade,* Ferrariensi*que naufragio pœne subobruti, magnitudine periculorum laborant, quos omnino præfocare tollereque penitus licet vestri nominis hostes acerrimos, implacabiles, invisissimos. Sic loricatus, sic galeatus, sic pilatus in hanc aciem descendis* Heliane: Dalmatia *potens, dives, formosa, ejusque subactæ magna utilitas, ergo vicinus vicinum, frater fratrem, amicus amicum si culta jugera, si fæcundum pecus, si prætoria, mensas, æra, possederint bello provocabunt, impe-* B *tent, divexabunt, & cum ex re proxima compendium facturi fuerint, dominum telis armisque lacessent: quoniam non ratione frænaris sed desideriis improbioribus æstuas* Heliane, *infamique attractus libidine præcipitaris. At quanto melius saniusque fuerit rex sanctissime, vosque cæteri omnes consiliorum participes, intueri, adamussimque perpendere, jure an injuria quæ possidentur, alii repetant. Etenim si jure* Dalmatia Pannonico *jam pridem imperio sequestrata,* Veneto *subjicitur, emancipataque manu regia* Leoninis *signis obtemperat, qua tandem actione vendicabitur: Quo de ea judicio cognoscetur? Qua sententia prorsus abjudicabitur? Em-* C *ptio quidem atque venditio bonæ fidei contractus sunt, jureque gentium introducti, omnique mox jure tam divino quam humano si Pontificum ac Cæsarum scita legesque volvantur comprobati, quos nisi fraus ac dolus inciderint rescidisse jura non sinunt. Olim* Ladislaus, *cujus boni piique, tu quoque bonus piusque rex sedem tenes, cum pecuniis egeret* Veneto *locupleti, omnique mercimoniorum copia ditissimo, millibus numum infinitis vendidit, quam in hanc diem jure legum, bonæque fidei vigore, & æquitatis suffragio* Veneti *tenuerunt, ac tenent, atque nulla unquam interposita contestatione sic præscripserunt, ut si quo casu avocetur repeti possit: ac velut, ut ajunt, de facto temereque spoliatus omni Cæsareæ* D *Pontificiæque disciplinæ censura redintegrandus possessor sit. Cur ergo censet* Helianus *ea à* Venetis *esse repetenda, quæ si vendicentur restituenda fuerint. Si vos qui cæteris jura ministratis nobis etiam amicis cultoribusque vestris eadem impartiamini: non potest qui sibi justus est, in alium injustus esse; vos qui semper vobis recti justique fuistis, cæterisque omnibus Judices æquissimi, quomodo nobis, dignitatis vestræ, nominisque vestri studiosis, recti justique moderatores non eritis?* Helianus *delirat, justitiæ claustra dirumpit, digesta omnia conturbat, qui* Dalmatiam *ut repetatis usurpetisque persuadet. Etenim vestra est, quoniam aliquando vestra fuit; sed* E *absurda sunt hæc, & à ministro juris prorsus aliena. Cum nos de contractu, de titulo, deque bona fide doceamus, ede, inquit, tabulas,* Helianus, *exscribenda nobis instrumenta profer, quem comminisceris contractum ostende; sed tu potius ostende mihi quonam modo* Dalmatia *tua fuerit, ut ego subinde quomodo tua esse desierit, ostendam. Instructus esse debet actor cum ad judicium provocat, non arma de domo rei sumere, nec illum imprudenter calumniosequè pulsare. Cogitare debueras, cum in augustale prætorium hoc concionaturus venires, coramque probatissimis viris optimoque rege causam tuam tuorumque clientum dicturus postulares, quo* F *stabili juris fundamento, qua inpræscripta actione nitereris: non indecore prævalidas vires tuas ostentare, nec commoda petitæ rei petulce & jactanter attollere, ne pirata, ne prædo, ne spoliator arguereris, nullaque non infamia causa caderes: etenim quid ego parare debueram, ignarus omnino quæ petiturus esses, cum nihil minus quam de* Dalmatia *controversiam moturum existimarem. Quis enim adeo resupinum & excordem adversarium suum putet,*

tet, ut legitime distracta, possessaque diu perpetuo bonæ fidei candore, vendicaturum credat: hæc à Juris tramite foroque longius abhorrent, ut non præcogitasse sapientis sit potius quam insipientis non prævidisse. At dixerit Helianus, *ego merus quidem orator, concionator purus, non laqueis legum implicitus, nec his tantis confragosæ disciplinæ nodis involutus: hæc ab oratoria sinceritate, meaque simplicitate prorsus aliena: captiosa illa Jurisconsultorum dogmata nimis arguta, cavillisque referta pestilentibus odiosa sunt. Dii boni, sic improspecte prospicis? sic incaute caves? sic insipide sapis* Heliane? *Quomodo persuadebis, quo argumento imprimes, qua, precor, arte deflexus obliquabis? si ea quæ tractes, si ea quæ disseris, suadenda dissuadendaque sint nescias: quam impudenter ad illud agendum hortaberis, quod ut fiat nulla ratione fieri potest: hæc non perpendis, hæc non trutinas, hæc non metiris* Heliane? *Parata inquit classis est, parati milites, paratæ pecuniæ, non ad justitiam sed injustitiam, non ad æquum sed iniquum, non ad juris executionem sed ad inversi juris confusionem erogandæ. Expugnate, inquit, patres* Dalmatiam, *eamque capessite, quam nisi capesseritis alii capessent: hoc est: Vos boni justique judices scelus admittite: quod nisi commiseritis committent alii. Bonus orator, simplex orator, sincerus concionator: qui patrandum flagitium suadet, quia quæ persuadeat non intelligit.* Servius Sulpicius, *qui primum locum in agendis causis aut certe post* M. T. Ciceronem *tenuit, cum ea quæ tractaturus erat non caperet, enixissimam juri civili operam dedit, & statuam emeruit, ne in quam incidit* Helianus *in eam ipse scrobem turpiter incideret. Sed & hæc, scio, manifesta sunt* Heliano*: verum ne gravioris reatus convincatur, dissimulat, & cum alterutro luisse pœnam oporteat, maluit ignorantiæ censuram quam delicti gravioris judicium subire; sed tam facti quam juris imperito facile veniam omnem ignoscamus. Opprimendi sunt, ait,* Veneti *dum* Agnidilina Ferrarian*aque lue macerati contabescunt, ne redivivi protinus instaurentur. O lepidum caput, o mellita labia, o prædulcis & suavis* Helianus? *Quasi moræ periculum sentiret, properandum, festinandum, ac navibus quadrigisque omnibus consurgendum suadet; sed* Venetæ *potestatis ignarus, & virium illius expers, instat, urget, accelerat: nescis ædepol nescis* Heliane, *crede mihi nescis, quales quantique* Venetæ *Reipubl. nervi distendantur, invalescant, roborentur: Quam incomprehensa vi, quam inexhausto vigore* Veneta *Respubl. propullulet, alatur, fœtificet: quam foris longe lateque diffusis spaciis ac finibus propatescat: quam intus ærario cæteris opulentiore locupletissimoque omnium horreo prædit*etur: Hispaniarum, Galliarum, Germania*rumque reges ac pæne totius* Europæ *dominos, & his conspirantes* Italiæ *regulos, conjurantemque* Julium *Pont. Max. infinitis armatorum millibus, sola viribus suis invicta sustinuit. Mox cum debellata, capta, excisaque videretur, tanto ferox impetu, totque suis prævalida viribus insurrexit ut adversus bellatorum centum millia, nec dum integro vertente trimestri, consisteret, defenderetque receptas urbes incomparabili manu sua, præcipueque* Patavium Antenoris *antiquum & nobile: protinus cum alio bella moveret, insidiis circumventa, suoque de more ludente fortuna, dum injurias ulcisci*tur, Ferrarianam*que jure suo rem vendicat, barbaris undique circumfluentibus naufragium fecit, infandum irreparabile, miserandum, si ipsam sane cladem respicias* Heliane, *& aliorum opibus principum populorumque contuleris; sed leve flaccidumque si* Venetæ *Reipubl. potentiam respectes. Tribus quippe diebus instaurato terra marique exercitu, quadraginta supra mille cataphractarios milites, ferentariorum vero quattuor ac peditum decem millia castris suis recensuit: instructissimam vero classem post innumerabile navigiorum omne genus quadraginta triremibus* Adriatico *mari suspiciendam exhibuit, tanta omnium admiratione, ut versutissimus præsagaxque* Julius *Pont. Summus cum incognitas immensæ potentiæ vires emetiretur, imperiique* Veneti *magnitudinem & amplitudinem obstupesceret, agendum pace magis quam bello senserit, tuosque reges hortatus fuerit, & impendio hortetur, ut cum* Veneto *fœdera percutiant; nec ultra leonem provocent, parcantque fumantis belvæ nasum attractare. Quoniam in hanc diem stetit ac stabit judicio Deorum excelsa invictaque Respubl. cujus vim atque potentiam si tu cæterique principes expendissent, non ad bellum sed pacem omnes hortareris: ac melius salubriusque cum poeta diceres,*

—— —— Coeant in fœdera dextræ
Qua datur: ast armis concurrant, arma cavete.

Etenim hoc castæ religionis, hoc Christiani dogmatis, hoc pium sectæ nostræ munus est, quam Cæsar Gallus*que suis magnificentioribus titulis profitentur: hoc honestum, hoc utile, hoc salubre frugiferumque est: hic evigilandum, hic omni lucta desudandum est, & insistendum: his expandenda vela sunt ventis: quam hinc opes, divitiæ, facultates honestiore quæstu, lucrisque majoribus cumulantur: hinc bonæ artes, hinc disciplinæ, hinc exculta præclaraque ingenia poliuntur: hinc perennis gloria, major dignitas, laus illustrior miro rerum proventu omnium attollitur: hinc blandissima quies, hinc salubre otium, hinc secura perpetuo stabilitatis domicilio nobis tranquillitas comparatur. E diverso funestis exitialibusque bellis quæ tu lurido ore, linguaque ferali, ac exequialibus verbis ebuccinas* Heliane, *fraudes terroresque novis inauditisque fragoribus constrepunt: hinc cuncta late dumis ac sentibus obducta, cæcaque passim caligine denigrata persquallent: hinc ruinæ, populationes, incendia: hinc cædes, tormenta, strages: oppidorum urbiumque subversio: Reipubl. commutatio: sacrorum exagitatio: civium proscriptio, confusio privatorum: hinc gemitus, lachrymæ, desperatio: execrationes, piacula, devotiones: inquieta, infesta, cruentaque omnia, miserabili pallore deformata perhorrent. Quæ si tecum reputares, tuique secum reges evolverent* Heliane, *non horrida bella impius, & multo spumantem sanguine Martem laudares; quin potius concordiam & fœdus admirareris, omnibusque pacem voce tua prædicares: cujus studiosissima tenacissimaque semper fuit* Veneta *Respubl. quam rebus omnibus præoptavit: quam belli commodis si qua dici possunt præferendam censuit: cujus amore atque intuitu totiens Cæsarem obtestata est: Pontificemque summis precibus adambivit: cujus studio nostræque pariter religionis tuendæ gratia, totiens maritima bella suscepit: totiens sese* Turcis *objecit: totiens* Italia *barbaros propulsavit: Quæ Thyrreni littora, quæ nostri maris oræ,* Veneta *classe Christianorum commodis omnium non peragrantur? Quæ freti pericula* Sicanii, *quos* Ionii Ægæique *fluctus pio defendendæ religionis officio non tentavimus, pertulimus, evicimus: nos* Propontide, *nos* Hellesponto, *nos* Cymerio Thracioque *Bosphoro, nos* Euxino Ponto *totiens bello insignes, immanissimas ferissimasque gentes exegimus, profudimus, fugavimus: quotiens in* Italiam Turcæ *furentes irrupissent? Quotiens urbem sanctam sanctumque senatus Apostolici conclave penetrassent, diripuissent, prophanassent? nisi classe* Veneta, *Marcico robore, impetuque Leonino repressi, rejectati, conculcatique fuissent: nos* Italiæ *propugnaculum, nos quotiens feræ gentes incursant vicinisque littoribus consistunt, tutissimum promurale sumus: nos publicæ quietis assertores, nos Christianæ religionis defensores, nos* Italiæ *quanta patet, quantaque gemi-*

Venetæ Reipubl. commendatio.

B. Arlunus. I no

no mari concluditur, & intercurrit, fidi custodes, insomnesque perpetuis facibus excubitores sumus: & tu nimis intemperanter ne dicam impudenter, nimisque tabifico liventis linguæ veneno religionis nostræ draconem Venetum *accusas* Heliane? *sic gratias agis, sic beneficia compensas, sic immerentibus reponis? Dii boni, quæ hæc meritorum retaliatio nostrorum? Quæ sudoris, quæ sanguinis hæc nostri remuneratio? pro pane lapidem reddis, pro pace bellum insufflas, pro oliva gladium subjicis? At culpa* Venetorum Constantinopolis, *inquit*, Helianus *amissa est: scilicet quoniam non improspecte nec temere diripiendam classem hostibus objecerunt, amissam negligentia doloque* Venetorum *calumniatur. Quid igitur sibi voluit* Helianus? *ut uno scilicet eodemque naufragio* Constantinopolis Venetiæ*que perirent, & quoniam sibi prospexerunt, cum sociis cavere non possent*, Heliano *Judice* Veneti *culpæ rei facti sunt. Mirum cur etiam* Rhodum *clarissimam eorundem negligentia non dicat amissam: cur non etiam admissum pari censura dolum non insectetur: Quod* Modonem, *quod* Coronem, *quod* Naupactum *barbara manus olim crudeliter infestavit: male (ni fallor) causam tractasti, nihil intus dispexisti, nihil ad imum scrutatus es; sed perfunctorie signatas tabulas, per transennam attestationes, oculisque cæcutientibus documenta legisti, non pensiculate, non adamussim, non examinatissime singula divestigasti, disquisivisti, nec promensus es: & tam temere de re tanta, tantoque in amplissimorum procerum consessu, judicas? innocentiæ, sedulitatis, diligentiæque* Veneti *senatus puncta, apices, articulosque omnes exequerer, si labentis aquæ*, Helianicæ*que mentis angustia pateretur; sed majoris pensi sunt, altiorisque subsellii, quam* Heliani *capere possit infirmitas; neque lenissima tuarum aurium clementia Rex humanissime, neque perbenigna senatorum tuorum patientia mihi diutius est abutendum; sed paucis brevibusque coram diis immortalibus, ansanctaque dei Optimi Maximi majestate perorandum est, ac enixissimis precibus obsecrandum, ut quæ nobis insident & insederunt, illibata vetustæ jura societatis, inviolatæque sanctitas amicitiæ, ac mutua nostrorum indissolubili conjuncta nexu voluntas animorum, quibus insiti benevolentiæ nostræ surculi sub amœna salutiferæ pacis umbra concreverunt, ea æterna mansione nobis ac vobis insideant, perpetuoque concordiæ nutrimento confota, parique religionis vinculo perligata, nostro totiusque generis humani commodo coalescant, vegetentur, futurumque in omne ævum permaneant.*

Cum dicendi finem magno omnium assensu *Pascalicus* fecisset, seseque consultores dimissis oratoribus in secretiora recepissent, diuque vario sententiarum æstu res dubia fluctuasset, prælata sicuti plerumque fieri solet iniquiore sententia, decretum est *Veneto*, nisi præstitutis *Dalmatiam* diebus relaxet, bellum inferri. Ipsi interim reges oblata præsidia statisque suppetias suas diebus expedirent, belloque deinceps opportuna cum armis ageretur, pararent. Et certe graviorem res exitum sortita foret, si *Germanus Gallus*que suis facta dictis exæquassent. Verum ut infida sæpe fides humana, lubrico promissorum labitur, fluxaque pollicitationum uligine vacillant, cum *Pannones* oblata reposcerent, exigerentque magno ambitu verborum exhibita, præstari, fraudati sunt: ipsique pecuniarum egentes, cum incepta prosequi non valerent, congruis suppetentibus tanto futuro bello copiis, destitere. Sed non iccirco *Maximilianus*, *Hispanus*, *Gallus*que majoribus contractis legionibus *Venetum* ingrassari belloque perpetuo fatigare cessabant, præcipueque *Gallorum* rex *Ludovicus*, cum in *Britannia* sedato discordiarum turbine sibi regem conciliasset, *Ferrariano*que principi quantis suam ad *Cherronesum* recuperandam copiis poterat, affuisset, *Athesim* promovit exercitum: inde *Lemniacum*, *Vicentiam*, *Patavium*, ut in re conducibiliusque futurum existimasset, petiturus. Contra, *Veneti* pernicioso totiens & exitiali bello pulsati, munire omnia, parare omnia quæ suam ad Remp. tuendam protegendamque spectarent. *Athesis* grandibus saxis sævus & asper, crebrisque vorticibus innabilis & præcipiti quodam impetu ferox, omnem retro tutam regionem, omnesque accolas longo circum tractu securos præstabat. Hic *Gallum* retardare properantem, seseque furentibus hic *Germanis* opponere *Veneti* statuerunt, crebraque per fluminis incilia deductis aquis, tum aggeribus hostem substructis, omni ripa summovere parabant. *Cherronesus* erat, verticoso paulum amne præfluentibus undis disjuncta, omnique ad cohibendum hostem præjacente materia, citeriorem ripam adventanti oppositam defensabat. Huc sese celeres expeditique milites *Veneti* contulere, magnamque vim hosticam ingruentem undique ferro telisque propellunt, ac ne ripæ *Germani Galli*que propius suggrediantur, ullosque aggeres excitent, aut castrenses machinas admoveant, infra supraque, levorsum atque dextrorsum, ope summa nituntur. Barbari vero quos pristinæ laudis & gloriæ tumor inflabat, concitique furoris ignes accendebant, effusis undique validis cohortibus armatorum, præcipueque tormentariorum ac fusorum omnium, quanquam ægre, multisque cadentibus constitere: *Venetum*que saxatili pluvia, ferreoque imbre propulsare, cædere, prosternereque cœperunt: nullum otium, nullamque substituendis militibus propugnatoribusque reficiendis moram impartiri: pugna, quanquam eminus missilique telo decerneretur, cruenta tamen, & lachrymabilis ipsorum pertinacia bellatorum, obscuram in noctem protracta est. Tum *Veneti*, multo vulneratorum mortuorumque numero, firmiore præsidio destituti, cum oppositam congressu primo ripam diu tenere non possent, trajecto flumine sese in tutiora proripiunt, ibique vallo, aggeribus, munimentisque omnibus eductis, hostem unda longius arcent, omnique intensiore studio ne propius appetat, laborant. Tunc barbari quos jam evictæ ripæ possessio ad ulteriora provocabat, instrumenta bellica omnia promovent, vastioraque præsertim tormenta, quorum fœturis ingentibus quassatæ moles, constrataque solo repagula militem denudarent, e regione dimicantium producunt. Subsuendi connectendique pontis, ad traducendum militem transportandumque exercitum, cura major castrorum præpositos angebat. Quoniam assiduis *Venetorum* ictibus flagellati, raptique torrentis impetu fluminis, omnes ægre milites hæsitabant. Subhæserunt tamen, lentisque pedibus institere, donec extracta longius pugna, plurimisque cum fluctu tum vulnere consumptis, victores barbari fluvium tranavere. Tunc tantus ubique pavor, tantaque passim trepidatio profugientibus *Venetis*, omnique riparum destituto munimine, facta est, ut quo migrarent, qua pervaderent, ubi consisterent, nemo sciret. Ubique locorum metus ingentior, majorque formido bacchantium animos oppresserat, quam cum fuso *Agnidilinis* arvis exercitu victori *Gallo* cuncta patuerunt. *Ludovici* quippe moderatoris pietas & clementia, ne quid in subditum miles victor & insolens admitteret, cum sese ejus fidei municipes credidissent, vetabat: at hic flammis & gladio cruciatuque velut in rebelles infensissimosque hostes agebatur. Itaque alii per montium juga inviaque sylvarum diffugere: frutetis alii dumetisque latitare: nonnulli etiam ferarum magisque barbarorum truculentiam experiri malebant; milites desertis

fertis riparum aggeribus, cum justo exercitu conferre pedem, tantoque horrore concepto collatis signis confligere non auderent, *Apponium*, *Monsilicem*, *Marchionicum*, profugerunt: oppidisque vallatis omnibus omnique præcinctis armatura residere: donec legatorum imperio *Brintellis* castra locata sunt: unde & præsentiorem sociis opem præstare, sesequeab hostili impetu validius tueri possent. Omnis interea passim barbaries effusa, trajectoque flumine palabunda, vastare, prædari, diripere: captivos trahere, distortos excruciare, vitamque omnium ære taxare: agrestes civesque gregatim omnes in urbem oppidaque perniciter convolare: aggeres, promuralia, molitiones, subitario opere manuque festina præcipitare: congerere, substruere. *Vicentini* in tanta sævientium rabie victorum, tantaque barbarici furoris immanitate, cum suis armis diffiderent, quinquaginta numum millia, super urbis, privatæque rei suæ familiaris incolumitate, paciscuntur, urbemque victori dedunt. Verum paulo post, equitatu peditatuque magno, cum ex *Verona Germani* sese proriperent, *Vicentiam* irrumpunt, eamque hostili more ingrassati, promiscuo populatu cuncta permiscuere. Horum audito motu fragoreque terrifico, senes, pueri matresque miserrimæ, sua cum ejulante infantia, suoque cum pretiosiore mundo, cum dilaxati milites torrentibus similes, quorum abruptæ impetu sylvæ, provolutaque vado profundiore saxa rotantur, *Vicentiam* provolantes impeterent, vicini montis in excelsa confugere: in his, sicuti quidam scribunt, speluncæ ingentesque cavernæ fuerant, in quas sese turba miserabilis sua cum decimata supellectile trepidanter intulerat, prædones latebrarum admoniti, post direptam urbem violatumque jus gentium, montis editiora conscendunt. Cumque secretioris alterius conceptaculi claustra dirumpere perfringereque non valerent, ad alterius angusti liminis fauces prolaxandas deflexerunt: cumque inibi duriore lucta, propugnatorumque impetu acriore hostes rejectarentur, ad vulcania confestim arma dilapsi sunt, omnique enecta fumo lachrymabili turba, prædones rapinarum fœde crudeliterque potiti sunt. Execrabilis infandique sceleris rumor *Mediolanum* prolatus, ita populum miseratione confecit, ut pœne omnium mentes victoribus averterentur. *Carolum Ambasianum Gallicanæ* militiæ tunc præfectum nefario scelere percepto succensuisse graviter, & indoluisse vicem eorum accipimus; sed compatrati sera flagitii pœnitentia est, & admissi criminis misericordia, quæ quanquam miserentis animum pervellat, affectusque pios discruciet, non oppressos icc irco miseria redimit. *Vicentino* cive omnique turba tam immaniter impieque tractata, victor eodem impetu præceps *Lemniacum* invadit. *Athesinis* oppidum prærupiis incumbens, humana magis ope quam natura præmunitum stabat. Excavatæ profundioresque fossæ, subductis vadis ad ima descendebant: interfluentesque vasta latitudine magnisque gurgitibus torrentes undæ, mœnia lambitabant: tum solidiori robore ingentibusque structuris educta cœlo propugnacula, circumfusi expugnatoris impetum frustrabantur. Hostes ergo cum in plana descenderent, defigendisque tormentis, machinisque muralibus admovendis aptiora specularentur, ingruente magno missilium turbine summoti sunt, oppressique jactu telorum perpetuo, deserere præoptata coguntur. Mox accita quæstuariorum innumerabili turba, vastatitiaque manu omni agro, pagoque contracta, cum uno rigore unaque substitutionis serie cadentibus aliis alii sufficerentur, fessi tandem atque languentes oppidani, intermisso jaculatu, spatium hostibus emoliendo operi præ-

A stituto dedere. Tunc undique fusili nimbo compluente, omnique saxorum interstridente procella, truculenter in oppidanos agi cœptum est. Atrox crudaque facies oppugnationis erat, ancipiti telorum jactu, reciprocoque pilarum confligente globo volaticarum. Quæ dum asperiore bello, magnisque cladibus apud *Lemniacum* agitantur, *Veneti* qui *Patavium* arctiore custodia tenebant, ut ab obsessis oppugnationem averterent, *Vicentiam* iter dirigunt, quam *Italicæ Germanicæ*que cohortes, magnis equitum peditumque præsidiis observabant. Harum ductores, cum appetentis exercitus *Veneti* certiores fierent, eductis
B repente copiis obvii facti sunt, magnoque impetu cum utrinque concurreretur, signo dato manus conserta est, æquata utrinque corporum animorumque robora, difficilem in initio pugnam fecere, dubioque Marte rorarii velitantes agebant: mox intercurrentibus cataphractis, admotaque validiori cohorte armatorum, cum impetus infestis animis acriores *Vicentini* non sustinerent, cedere loco coguntur, nullaque non jactura, multisque cum ferro tum captivitate desideratis, cum majore dispendio victor insisteret, retrocedentes, à *Veneto* tandem in mœnia compulsi sunt; sed non
C icc irco *Lemniaci* levata obsidio est: nec obstinati furor oppugnaroris rabiesque resedit, profligatis quippe aliis, rursus aliis in diversa migrantibus, alii tamen subigendo oppido milites adscripti validius institere, perforatisque mœnibus, fenestrisque latioribus diductis, tum aqua contis ac pontibus evicta, molliorem assultum, viamque planiorem in oppidum instravere. Oppidani in tam propinquo vicinæ mortis articulo, trepidare, festinare, parare omnia quæ ad hostis interitum, incolumitatemque suam spectarent, atque tormentis missilibusque telis omnibus *Germanum* impetere, dilaxata constringere: nutantia firmare:
D disjecta omnia reparare: hostes vero, igni, ferro, ariete, quassata cuncta reterere: portas confringere: scalas admovere: jam muros pomœriaque, jam magnam oppidi partem occupare. Quæ cum militiæ magister armorumque præfectus animadverteret, seque barbaris undique præcinctum, effusioreque circumdatum turba videret, receptui cecinit, militesque rebus extremis laborantes, ægreque muro fossaque defensos, in arcem consilio saniore deliberaturus contraxit. Tunc defensoribus muro dimotis, exarmatisque propugnatore suo mœnibus, immissi furentes, anhelique prædones cum ingrassantibus cuncta paterent, va-
E stare, populari, diripereque cuncta cœperunt, mox inflammatis semiustisque penatibus, cum fuligine fumoque cœlum tenebresceret, post municipum ablata & incensa omnia, victores arcem petunt, obsessorumque sententiis invicem discrepantibus, cum salutem alii desperarent, rursus alii suppetias expectandas hortarentur, deditione transacta res est, *Marinus*que nonnullis cum nobilibus *Venetis* in hostium potestatem dilapsus est. *Lemniaco* capto, arceque ejus deditione subacta, cum nec multo post eadem belli fortuna *Monsilicem*, *Marosticam*, *Axilium* pluraque alia deinceps oppida pari clade pulsaret, hosticusque omnis impetus *Patavium* irrupturus videretur, *Veneti* qui
F toto bellico decursu nihil intentius agebant quam eam urbem impressione barbarica, *Germanico*que omni jugo defendere, motis castris illuc sese suis cum legionibus contulerunt: Quo magno metu magnaque formidine trepidanter agrestes conglobati, angusta sua cum re familiari, vilique alimonia properabant. Pari examine finitimi omnes oppidani sedibus suis expulsi, cum direptis facultatibus fortunisque suis omnibus amissis lugerent, confluebant: tunc dispartitis in urbe custodiis, assi-

assignatisque cuique militum ductori stationibus, fossarum, aggerum, propugnaculorumque reparandorum solicitudo, nec minor commeatus invehendi cura, summæ rerum provisores angebat. Ad hæc novi semper delectus habendi, adventitiique militis conscribendi, conquirendique æris molestia graviore principes castrorumque legati distinebantur. Ipsi præterea militiæ præfecti militumque ductores quotidie levibus præliis, assultuque frequenti dispalantes & vagos hostes infestare: ubique locorum ac regionum attonitos insectari: pabulatores ac frumentarios avertere: commeatum intercipere: hostem ferire: neque die neque nocte fessis & inquietis hostibus ocium impartiri. Quæ dum *Vicentiæ*, *Patavii*, *Veronæ*que finibus, incredibili calamitate, jacturaque omnium miserabili tam rusticorum quam urbanorum aguntur, unaque vis belli barbarico sæviente flagello cuncta permiscet, *Julius* Pontifex Maximus, qui & exigendorum *Italia Gallorum*, & asserendæ *Ferrariæ* semper anxius angebatur, in hanc fere sententiam *Genuensium* optimatibus literas scripsit.

Si libertatis dulcedo cives mei vobis esset incognita, jugique barbarici servitium intolerabile civitas vestra non sentiret, ea vobis dispendia servitutis, libertatisque compendia stilo meo denarrarem, meisque brevibus ceris exequerer, quibus facile commota civitas Gallicam *impressionem retrita cervice depelleret; sed hæc vobis exarasse, vel lucubrationibus ullis insinuasse perabsurdum est: Qui frequenter amœno salutarique libertatis campo versati, nunc dura perangustæ servitutis claustra toleratis. Proinde non hæc vobis explicuisse, nec prædoctos edocuisse, quemadmodum nec delphinum natare docuisse par est; sed vendicandæ potius pristinæ libertatis vestræ remedia, præsentesque suppetias exhibuisse præstiterit: fecisseque vos certiores, quam dispositis rebus expediat non distulisse. Equidem cum perindigne molesteque ferrem* Gallicana *compede constrictos cives meos teneri,* Lilii*sque signis turpiter obnoxios obedire, laboravi vehementer ut vestram hac vel illa libertatem via redimerem. Et quoniam Apostolicas opes huic suscipiendæ perficiendæque rei non satis congruas esse videbam, quanquam maritimo terrestrique exercitu nostra manus obarmata polleret, cum* Veneto *fœdus percussi, cujus expositam paratamque commodis vestris classem offerimus. Ad hæc conducticius miles, bellicosissimaque gens* Helvetica, *nostro ære merens vobis præsto est: adeo quidem ut si conceptam animo libertatis dulcedinem confovetis unaque perligati omnes concordiæ fascia constringimini, eam actutum asserere, jucundissimamque voluptatem ex ea capere possitis.*

Hæc cum *Genuensium* auribus insonuissent, sive *Ligustica* levitate qua gens fluxa plerunque labitur, sive magni viri regisque sacrorum reverentia, qua traducti mortales sibi nonnunquam male consulunt, ad moliendas res novas animos excivere. Postque gratias Epistolio secretiore *Julio* peractas, honestissimis desideriis ejus, cum meliori sub occasione, fortuna benignior applausisset, obtemperaturos professi sunt. Ipse interea copiarum suarum Imperatorem delectum *Marcum Antonium Columellam*, ascripticio tumultuarioque omni cum milite, destinatam in expeditionem ire jubet. Qui *Veneta* classe triremium undecim aliis cum navigiis subsequente, post *Macram* ac *Spedicem*, aliaque post oppida *Ligustici* littoris amnesque trajectos, *Genuam* applicuit, nullo discrimine bellique periculo rem sibi factam ratus, quoniam supra popularem turbam, *Fregosiacam*que nobilitatem Apostolicæ sedis studiosam, his quoque familiarum insignes antiquissimæque gentis *Adorni Spinulæ*que Pontificiis votis accedere videbantur. Sed aliter quam ejus ferret opinio res cessit. Quippe

A pe *Veneta* jam classe propinqua, nec Pontificia procul agente, cum universam commoveri vicino tam præsidio civitatem Apostolici ductores existimarent, *Gallum*que subitario tumultu rebus imparatis omnibus oppressum iri conjectarentur, nulli motus à populo, nullæque seditiones auditæ sunt; sed pacata tranquillaque omnia solito rerum decursu peragi. Nam *Fregosi* quorum in plebe concitanda primæ partes erant, parum *Venetæ* classi fidentes, minusque Pontificiæ legionis auxilio sublevati, cum nec procul *Gallicana* classis ageret, in urbeque barbarorum cohortes dispositæ vigilanter & sedulo cuncta prospicerent, excitandis rebus novis temperaverunt.

B Quæ cum maritimi terrestrisque exercitus præfecti graviter & moleste ferrent, quod in irritum tantæ spei molitio cessisset, ad *Serzanium* impetu verso classeque subvecta, conticinio noctis urbem invadere statuerunt. His magna pars civium insidiis suffragabatur, rerumque novarum studiosi plures paratis animis symbolum expectabant, ut ipsorum blandiore lenocinio, cum tempus admonuisset, sine mora negotium absolverent. Delata res est, *Gallorum*que præfectis sublatentes doli protinus innotuerunt, certiores ergo facti, continuo triremibus ac biremibus, opportunioribusque navi-

C giis locum præripientes hostem ante vertere: Quin & *Adorni Spinulæ*que, qui prius favere stareque pro *Julio* videbantur, sive *Ligustinæ* mobilitatis inconstantia, sive quoniam ex sententia rem confici posse diffiderent, ne mox proditionis arguerentur desertores facti sunt, expeditoque fusorum agmine, magnisque tormentariorum copiis auxilio *Gallis* fuere. Quocirca parum prospere re tentata cum inauspicato terra marique cuncta succederent, reducere funem, indeque movere castra coguntur. Cumque sese paulatim in tuta reciperent *Veneta* classis periclitata est, non levemque, *Francisco Polano*, dum viriliter & strenue

D triremem suam ab hoste defendit; amisso, jacturam fecit. Quæ cum *Hieronymus Auria* Pontifici *Julio* summatim exponeret, ipsumque ad aliam comparandam classem, copiasque majores accersendas hortaretur, novi militum delectus habiti sunt, novæque de integro naves triremesque tam *Venetæ* quam Pontificales instructæ, *Hieronymus Contarenus* classis *Venetæ* præfectus erat, *Octavianus* vero *Joannes*que *Fregosii*, magno cum peditatu navibus transportando Pontificiam agebant, paratis omnibus solventes, vela faciunt, proximasque littoris undas eradentes, itinere *Genuam* certo petiere. Dum æquatis aura secundiore velis

E appellunt, *Genuæ*que vicinius propinquant, ecce properantem ex adverso classemque in obvios iter dirigentem longe prospiciunt, omniaque procul hostilia conspicati, pugnæ confestim accinguntur: tormenta parant, peditem disponunt, omniaque velut hoste cum acerrimo conflicturi, missilia volaticaque tela locant. Jam haud *Genua* procul adnavigantes oppositis frontibus classes adversæ constiterant, pugnamque, maris ac cœli tranquillitas suadebat, cum exoneratis utrinque tormentis tantum agi eminus cœptum est. Quippe classis *Venetæ* mode-

F rator *Contarenus*, cum & validiora navigia, & majore numero *Genuensem* munitam classem videret, congressum declinavit, oppositisque tantum jaculatoribus, sagittariis, atque fusoribus, circumflexo cursu debiliorem classem suam prælio subduxit. *Joannes* tamen *Fregosius*, quanquam haud ex æquo classes utrinque concurrerent, bellique fortuna, prævalente adversario, claudicaret, triremem in portum adigit, ut hoste circumvento pulsoque dubiam exinde vacillantemque suam in urbe factionem impelleret; sed expediti

diti promptique *Ligures Gallicanæ* factionis studiosi, præcipueque milites incursanti *Fregosio* tormentis ac telis omnibus opponuntur, adeo quidem ut sua periclitante triremi, qui subsequebantur classici bellatores substiterint, omnique re terra pariter ac mari parum feliciter gesta, retroverso cursu discedere cogerentur. Sed non ideo minus interea vir implacabilis & ferox *Julius* perpetuo *Ferrariæ* urbis asserendæ voto anxius, universæque ditionis ejus vendicandæ desiderio æstuans, exercitum quibus quantisque potest prævalidum copiis, subsidiaria *Venetorum* adjuncta manu præparat, ac ne religionis pacisque magister inconsulto calore gladios & arma tractare, ab ipsisque delubris ad castra nonnullo cum piaculo transire videretur, per internuncios oratoresque suos *Ferrariam* Apostolico juri obnoxiam relaxari, sibique dedi, sic exigente juris rigore deflagitat. Quod cum *Alphonsus* audivisset, intrepide, constanterque pernegare, seque non levem operam daturum, ut suis a majoribus relicta diuque possessa tueretur, respondit: neque sibi interna externaque præsidia in tanta æquitate, suoque protegendo jure defutura. Tum blande reverenterque Pontificem hortari, ut aras templaque Deorum reviseret, impensiusque divinis operaretur, non sacrorum Antistiti congruere, quique piscatoris ac Christi pauperis vicem in terris ageret, quieta sede sua principem detrudere: quem aliunde detrusum exturbatumque violenter ipse pro merito pietatis suæ, sacrorumque decoro restituere domicilio suo deberet. His & hujusmodi vir inquietæ mentis, & intractabilis animi, verbis intactus, irasci graviter ac sævire, succensereque durius & asperius *Alphonso* cœpit: ac primo quidem ad inanes Pontificum censuras, anathematumque ictus evanidos decurrere, devovereque Principem, ac populum divinis interdicere, ut præsentaneo metu Deorum exterrita mortalitas, evictaque Deorum acrioribus flagellis inflecteretur, ipseque Dux *Alphonsus* vel hac vel illa castigatione salubriter emendatus obediret. Sed & Principes & cives extinctum jam diu terrisque projectum ignem contempsere: nec ullis dirarum imprecationumque piaculis exterrentur: modo cæteris parcant exarmatæ manus, suisque tantum prægrandibus dicis accinctæ Pontificales iræ jacto fulmine verborum insæviant. Igitur suis exertæ severioribus minis Pontificiæ detestationes cum parum *Julii* voto proficerent, dirisque concepta votis, excantataque devotionibus carmina, nihil anhelanti suffragarentur, onerarias curarum suarum ingentium naves, alio detorquet, iraque percitus ac furore terribilis, profuso militem impendio contrahit, armatorum duodecim millia sub clavigeri piscatoris vexilla coegisse *Julium* Pontificem Max. ferunt: præcipueque *Mocenicus* tertio *Cameracensis* belli libro scribit. Quem super alios, ut in cæteris sic & in hoc integræ fidei autorem sequor. Qui certiorem numerum ab ipsis oratoribus *Venetis*, qui cum Pontifice tunc agebant, ac maxime *Leonardo Mocenico* patre suo viro optimo, qui & hoc legationis munus impleverat, explorare diligentius potuit: & certe numerum haud minorem sub *Petri* signa tunc coivisse vulgo perlatum est, cui si relicto reti suo seminudus piscator olim imperare potuisset, nunquam servi Pontificis auriculam abscidisset; sed majore gladio justum ultus esset dolorem: quem & inique frementes *Judæi*, reusque judicii *Pontius Pilatus* reformidare merito potuissent. Ergo si *Petrus* nobiscum degat non amplius, puto, emendicanti stipem dixerit, aurum & argentum non est mihi: sed & illud vereor ne possit inferre: *surge & ambula.*

Exercitui Pontificio *Franciscum Mariam Urbini*

A Ducem, virum solertem & impigrum, *Julius* præficit, amplectendamque sedulo provinciam, omnique cautela perficiendam mandat. Qui traductis copiis in *Alphonsi*que vetitos fines invectus, quam longe lateque potest populationibus ac flammis cuncta pervastat: pecus abigit: pabula dissipat: armenta trahit, ac latrociniis & excursionibus omnia circumquaque permiscet & exagitat: agresti cibo fraudati, suaque crassiore alimonia spoliati passim agricolæ conqueri, lugere, lamentari: cives in cassum opem implorare, frustraque tantis quotidie suppullulantibus malis remedia quærere: Pontificiam majestatem insectari, *Julium* incessere, bella detestari: quotidie graves

B perniciosique militum tumultus pervadentium infervescere: quotidie cædes patrari, novaque civibus detrimenta patrimoniorum fortunarumque suarum accrescere. Quo metu perterritis omnibus, usque adeo Principem timor incesserat, ut omni collecta supellectile pretiosa vertere solum, *Mediolanum*que proficisci cum liberis ejus uxor cogitaret. Quod cum cives præsentirent, se quoque alio perrecturos, derelicturosque suo urbem militi defendendam professi sunt. Quapropter *Alphonsus* ne eo discessu gravior formido cæteris incuteretur, insolescerentque majore audacia mi-

C lites Pontificii, destinata profectione conjugem, universosque cives suos interdixit: neque minus interea *Veneti* quanquam barbaricis adurgentibus armis domi laborarent, foris bello vacabant; sed cum opis præstandæ gratia Pontifici, tum recuperandæ rei suæ studio, provectam amne *Pado* classem suam in *Cherronesum* protinus impellunt, bipartitoque divisam, atque alteram alteri ripæ alligatam e regione collocant. Tum undique *Veneti* milites effusi, infestisque animis hostile solum invadentes, cuncta diripere, prædari, exurere: conduplicare metus, urbanum rusticumque prædium impressione perpetua, assiduaque calamitate per-

D fringere: agrestium fuga, civium terror, perennis incursio, cuncta in ruinam interitumque trahebant. Successum urgebat *Hierosolymitanus* eques *Leonardus*, qui prædatorias cohortes agens, lateque populabundus, cuncta vastabat: & jam emollitam Saturni Martisque sævitiem, Jovis Venerisque mitiores auræ delenierant, ablatumque *Veneto Rhodigium* sua omni cum ditione victori restituerant. Quanquam hujus sicut & cæterarum fere omnium *Italiæ* urbium oppidorumque, dum revolubili diversorum Principum rota contorquentur, sub incerto fluctuantis Imperii jugo, fata diu pependerint: neque vero tantum *Ferrariano*

E solo circumscripta pestis hæc bellica sævire, sed egressa finibus, omnibusque collimitiis evagata pervadere. *Mutina* tunc infesto circumsessa milite, cum resistere nec sustinere vim posset, opprimitur. *Regium Lepidi* tot irrumpentibus & concursantibus copiis infirmum & debile, cum interitum rei suæ manifestarium, militaremque ferociam omni crudelitatis genere perbacchantem videret, asseritur. *Palatini* cum male *Carpinatibus* res cessisset, & æstuantibus utrinque bellorum fluctibus jactarentur, nec ubi consisterent, tot in diversa propellentibus undis, liqueret, in caducum *Gallicani* domicilii parietem inclinaverunt. Etenim

F cum adventantibus *Venetis* sese *Galli* præcipites opponerent, suoque priscarum elati tumore victoriarum hostem ingrassarentur, conserta manu, prævalente *Veneto*, fusi fugatique sunt, tantaque formidine pavitantes terga verterunt ut *Parmæ* mœnibus inclusi, persequentis hostis umbram timerent. *Concordia* quoque, cum discordibus animis invicem discreparet, vim passa est: eam siquidem *Paulus Capella* cum exercitum *Venetum* ductaret, dispositis copiis, hostiliter invasit, omniaque continen-

tinentium ædificiorum ſuburbana primo congreſſu depulſis hoſtibus occupat, mox tormenta mœnibus admovet, graviſſimeque ſilicinis chalybiniſque pilis compulſata deplectit: procumbentis magna pars muri *Venetum* in pugnæ diſcrimina provocabat: accurrenteſque milites utique magno aſperioreque bello commiſcebantur: retrocedentibus *Concordianis*, ſive vi ſive de induſtria, *Veneti* cum ſumma ope niterentur, murum ſcandunt, munimenta ſuperant, ipſamque urbem percingunt. Oppidani qui prius aſſultum præmeditati fuerant, omnemque ſuſpectum locum inſidiis concinnaverant, repente conjecto igni qua *Venetus* invaſerat, aggeres inflammaverunt: ſummoti confeſtim hoſtes, cum ambuſti alii, alii ſuffocati, plures retriti periiſſent, brevem oppidano victoriam peperere: redintegrato quippe ſtatim prælio, cum amiſſorum impatientia ſociorum, tum ſuopte deſiderio diripiendæ urbis incenſi, confertiſſimo agmine prædenſatiſque cuneis, qua disjectorum ruinæ murorum iter conſtraverant, irrumpunt, cumque præfurentem indignatione *Venetum* oppidanus ſudore multo prælioque debilitatus non ſuſtineret, loco ceſſit, cedentem victor urget, ilicoque terga vertentem impulſat, pulſatumque graviter in penitiora pilis adigit: urbs capitur: ſupellex diripitur: captivus trahitur. *Saxolani* paribus rebullientium flammis bellorum correpti ſunt, hiſque crepitantium armorum incendiis concremati. *Mirandula* parem exitum expectabat: & hinc Pontificis, hinc *Venetorum* urgentibus armis brevi ſuccubitura videbatur; ſed Pontificii ductor exercitus, ſicuti quidam ſcribunt & multorum opinio fuit, cauſando, cunctando, prorogando, ſemper enim agendis plura rebus intercurrunt, requiem dabat: adeo quidem ut nonnulla ſiniſtræ ſuſpicionis umbra tenebreſceret, exiſtimarentque nonnulli, *Gallicis* ductoribus *Urbinatem* conſentire, jam enim jacta diſcordiarum ſeminaria Pontificem inter *Gallum*que concreverant: & ex occulto latentibuſque dolis velut inter infeſtos agebatur. Commotæque jam antea ſicuti *Cælius* & *Baſilius* ſcribunt *Bentivolorum* factiones, nonnullis excitis in urbe factionibus eruperant. Cum manu collectitia, tumultuarioque milite conſtipati proceres ad intercipiendam *Bononiam* properarent; ſed præcipiti magnoque *Julii* qui medius intervenerat præfurentis ardore, domi foriſque omnes oppreſſi ſunt: fugati hoſtes, ſumptaque de ſontibus ſupplicia cæteris quietem concordiamque peperere. Pontifex igitur qui cuncta percallebat, quique prætendi ſibi ſemper inſidias everebatur, cum ex animi ſui voto *Mirandulanæ* res non ſuccederent, majoreque glutino tarditatis quam par eſſet, expeditio ſumpta lenteſcere videretur, hyeme quanquam aſperrima, & intolerabili, valetudineque parum proſpera, ac ingraveſcente ſenio procinctus in caſtra provolat. Mira ſunt & ſane poſteris tradenda, quæ noſtra tempeſtate mortalium oculis omnium obverſata ſunt: Quæque tyrones ac veterani, ſuis egreſſi tabernaculis omnes ſunt conſpicati: Pontifex Max. divinorum myſteriis emancipatus, qui littus inter & altare diverſari, qui ſacra facere, qui votis ac precibus concitas in nos iras Deorum elenire complacareque debuerat, non retardante ſenio, non avocante religione, nec ulla præfervidum viri ſeneſcentis ſanguinem egelidæ hyemis ſævitia refrigerante, *Bononia* digreditur, equoque ſublimis & expeditus in caſtra contendit. Si cervicem unam *Mirandulanus* populus habuiſſet, unoque refracto jugulo deplecti potuiſſet urbicus miles, nunquam cibo ſomnoque aut ullo ſecretioris naturæ deſiderio diſtractus Pontifex conquieviſſet, donec accenſum efferveſcentis iræ ſuæ calo-
A rem acerbiore *Mirandulani* propugnatoris ſupplicio prorſus extinxiſſet: adeo violentus & præceps in occeptam expeditionem modis omnibus abſolvendam ferebatur: non lætos dies, non placidas noctes, nullum temporis momentum his exemptum moleſtiis agebat: virum magni ſpiritus, ingenitæque ferocitatis urgebant, incredibilia potiundæ *Ferrarienſis* rei deſideria, votumque præcordiis eam in rem ſemper anhelantibus inextinguibile. Quibus avocari, retardarique, alienis interpellantibus negotiis moleſtiſſime ferebat; ſed & illa mentem ægram anxiamque diſtorquebant, quod cum principibus *Vene-*
B *tis*, quanquam occulto fœdere coiviſſet, ſeſe *Gallicanæ* gentis odium, manifeſtiore conjectura contraxiſſe ſentiebat, omnemque mox *Gallicum* furorem in Apoſtolici fines imperii refluxurum opinabatur. Ad præſens quoque ſuſcepta *Ferrarienſis* expeditio cunctis temporum curriculis accelerata premebat: Quoniam in tanto belli motu *Gallorum*, *Helvetiorum*, *Italorum*que affutura Principi *Alphonſo* præſidia verebatur; quoniam his percuſſum cum *Gallo* fœdus ſemper inviolatum ſervaverat, & Pontificale imperium augeri plus æquo *Ludovicus Aurelienſis* gravabatur. Itaque eam in expeditionem abſolvendam toto percitus
C impetu ruebat, cum ſemper in dies majore diſpendio ſtimuloque, reſurgentes curæ virum diſpungerent. Igitur cum præter omnium ſententiam in caſtra, præterque ducum ac militum opinionem perveniſſet, non prætorio deliteſcere, non teporario confoveri, non indulgentius ſomno Genioque vacare; ſed celeri prævectus equo, una mentis acie, unoque obtutu cuncta luſtrare: propugnacula hoſtium perrimari, vallum, mœnia, foſſas, obequitare: milites recenſere: commeatum demetiri: omnia ſtrenuiſſimi militis, magnique munera ductoris implere: tum rudis indoctique tyronis imperitiam corripere: veterani negli-
D gentiam accuſare: ductorum tarditatem omnium ſocordiamque deteſtari: caſtigare moras, inflammare mentes, centurionum, primipilorum, tribunorum animos accendere: mox cum aſſultus diem præſtitueret magnis præmiis ingentibuſque donativis affecturum illum polliceri, qui primus murum ſcanderet, qui primus foſſam tranaret, qui primus hoſtem incraſſaretur. Ad hæc infamiam, vincula, mortem his interminari, qui primi re infecta prælio excederent qui mandata pigrius exequerentur: qui ipſis in periculis terga vertiſſent. Poſt luſtratos accenſoſque milites, cum ad arbitrium cuncta diſpoſuiſſet, aggeres
E ſurrigit, tormenta promovet, perpetuoque ferreæ grandinis nimbo muros diſſipat: tormentis ac miſſilibus incuſſis omnibus, cum disjecta late mœnia ruinis ingentibus procidiſſent, metum horroremque civibus attonitis ingeſſerunt, quoniam viri præferocis impetus, unaque ſubigendæ urbis pertinax obſtinatio, formidoloſa omnia civibus faciebant. Ad hæc pro *Julio Venetus* ſtabat, & cum duplicata hoſtium præſidia civitatem opprimerent, oppidani nulla externa ope ſublevabantur. *Galli* quippe quanquam *Julium* inſidiis circumvenirent, infenſique, *Venetis* pro palam adverſarentur, nullis tamen præſentibus
F ſubſidiis oppidanos fovebant. Domeſticæ vero familiareſque ſuppetiæ non adeo *Mirandulanis* ubertim affluebant, ut tot contra bellatorum millia conſiſtere diu poſſe confiderent. Itaque cum frequenti tormentorum pulſu denudata civitas patuiſſet, aſſiliendique præfixus dies caſtris evulgaretur, nec intus reparata validius munimenta pontificios Marcicoſque milites repreſſura forent, ne ſero pacis ad importunæ remedia confugiſſe *Mirandulani* viderentur, albeſcente cælo, fideque pu-

publicâ codicillis data, delecti oratores ad Pontificem perrexere. Cumque suam acrius contumaciam expurgassent, diluissentque omnem superbiæ notam, una voce mœsta concordes, tristesque suppliciter veniam petivere, qua non ægre nec difficulter impetrata, cum indictis à *Julio* Pontifice Maximo legibus parituros profiterentur, urbe dedita, resignatoque imperio domum repedarunt. Igitur egelida *Julius* ardens hyeme, mediisque nivibus æstuans, voti sui compos factus, urbem milite multo circumdatam obsessamque diu, Pontificalibus vinculis tandem astrinxit. Non piguerit hoc sane loco *Mirandulæ* urbis utcunque mentione facta, literatissimo doctissimoque viro, ceris meis brevibus, exequiales nenias deluxisse: parentasseque perducta de more funebri pompa, magni viri manibus, fortunæ, corporis, animique bonis omnibus prædotati: quanquam illustris & præcelsi viri virtutes majore lucubrationum suarum testimonio comprobatæ, nostris exilibus angustisque præconiis non indigeant. Nec enim illum stili nostri si qua sunt acumina, nec uberioris eloquentiæ fluctus, si quis forsitan illis felicius redundaverit, præsignem virum ab oblivionis injuria posteritatisque silentio vindicabunt; sed invicta doctrinæ suæ robora, distentique omnium genere disciplinarum & insuperabiles nervi, ab omni suffugiente ævo, futurorumque seculorum taciturnitate liberabunt. *Joannes Picus* vir ingenio magis quam fortuna celebris, *Mirandulæ* dominus, ita bonis artibus ab ineunte ætate præpolluit, explenduitque continenter, ut diis genitus, filiusque Jovis ex ovo prodiisse crederetur: certarentque invicem fortuna geniusque duello acriore commissi. Huic siquidem magnos fortunam census contulisse, cumulasseque prælargis patrimonium facultatibus in aperto est: contra vero, genius hunc impensius promeruisse, extulisseque decentissima *Virum* forma, declaravit. Hic quippe tanto præflorentis adolescentiæ decoro resplenduit, ut totam illi Venerem, Jovemque auspicio lucis affulsisse nemo neget. Cumque plures majore imperio provecti sint, nullus certe majorem decentioris formæ prærogativam divinitus elargitam emeruit: puberes impuberes, viri fœminæque, qua iret quaque rediret, quo progrederetur unde regrederetur, magni herois pervisendi studio decurrebant: effundebantque sese omnes publicis privatisque spectaculis incredibili venustatis ejus desiderio contemplandæ: adeo quidem solidata concinnataque a summo ad imum corporis augusti junctura compagoque, veneris ac gratiarum admota manu concreverat; ut majorem omnium judicio genius ex viri forma laudem, quam ex opibus & censu fortuna gloriam retulerit. Sed hæc lubrica fluxaque sunt, & quanquam amœnioribus adumbrata pampinis inflorescant, brevi tamen intercepta curriculo dilabuntur. Quæ dum nobiscum innata convirent, nescio quo modo sublatentis & occulti numinis indolem præbent: magnæque rei speciem cultiore domicilio diversantem indicant: sive non cœlestis ille vigor caducam & fragilem in formam immigraturus, sive postquam ex alto delapsus immigraverit dignum sibi confingit hospitium, ut præsenti vel futuræ virtuti, proque subviventis dignitate numinis congruum exornet habitaculum: etenim augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cœlo. Proinde & cum magnæ spei, magnæque expectationis hominem natura parturit, majore fœtum præsagio commendat: quod cum in pluribus tum & in hoc viro præmonstrasse non ignoramus. Flamma quippe reflexis ignibus orbiculata, supra parientis cubiculum exarsit: mox cum sese corusco micantique procul lumine spectandam præbuisset, in tenues auras subito resoluta divanuit. Quid certe mirum effulgens ignis ille, claroque lumine splendidus ignaris rerum enunciabat: atque eo quidem perfectius, quod sub imagine perfectioris figuræ expresso circulo conflagravit. Etenim quamquam ignis exurat & torreat, quod arcanum cœleste rimantes ad detrimentum clademque futuram trahunt, frequenter tamen innoxius splendore suo reficit, & claritate delectat. Proinde fausta magis quam infausta, propitiaque potius quam adversa nobis protendi, qui naturæ secretioris abdita scrutantur, conjectavere: quibus assentior, ac velut acrius acutiusque naturales causas edoctis, calculum addimus. Qua de re non nihil in panegyrico *Carolo* Cæsari nuncupato longiori quanquam impolita dissertatione sum executus. Magno natus igitur incomparabilique vir ingenio, ab ipsis infantiæ crepundiis, bonarum litterarum lacte nutritus, blandaque omnium illectatus dulcedine studiorum, sic humaniores disciplinas excoluit, tantaque cœli faventis alacritate complexus est, ut summos inter oratores clarosque poetas digito præmonstrandus evaderet: omnia propitiante Mercurio, pedestri equestrique præcinctus oratione feliciter attentabat: elegiaco carmine lusit amores elegantissime, voluminibus quinque digestos: quos nimia mollitie lascivos ac prurientes, cum lycoride sua floraque diffluerent, alienaque religione nostra viderentur, exussit: pari ratione, cum Saturninis metris Hetruscisque rythmis multa variaque scripsisset, cum nobilissimæ mulieres & venusti oris gratia, & elegantia morum tactæ, virum impatienter arderent, nec dum utroque pede conversus ad Christum sancti Spiritus scholas intrasset, ignibus tradidit: ne veluti subantis incentiva libidinis, vitæque venena castioris, teneram ætatem purumque simplicitatis candorem labefactarent atque corrumperent: eo ingenio, eaque vir illustri memoria præditus enituit, quod quidem ab his ipsis qui periclitati fuerant accepi, ut si quem triginta vel quadraginta aut amplius carmina recitantem audivisset, eadem ad numeros ilico recenseret, addunt quidam & ordine eadem retrogrado, quod mihi vix sane credibile fuit; sed & incredibiliora attestatione omnium. In eo viro cœli dona præcelluerunt: omnia siquidem bonarum artium studia, liberalesque disciplinas omnes sic adamavit, atque percoluit, sic Latinas, Græcas, Hebræas, Arabicas, Chaldeasque litteras non delibavit modo sed ebibit, ut enitentis naturæ magnum ingensque miraculum esse videretur, ergo cum tanta virtutum indole prætextam exuisset, *Bononiam* ad dogmata Pontificii juris ediscenda perrexit, quibus cum indefessam ardentemque biennio navasset operam, eam messem fecit, ut compilatas adamussim omnes pontificales epistolas nulla diminui sensus sed verborum jactura concluderet: elimatum opus, ac veluti censura consummati professoris absolutum: mox doctrinæ vulgatioris protritas semitas respuens, trivialiaque pertæsas, accultioris naturæ tabernacula scientiarumque sacraria sublimium pulsavit: tantoque favore statim admissus est ut dialecticæ, philosophiæ, mathematicarumque omnium honoratissima stipendia faceret, in eoque doctorum omnium studia consonarent: proprias sedes domesticosque penates, literatissimorum disertissimorumque omnium domicilium fecerat & theatrum, in quod velut celebre nobilissimumque doctrinæ nundinantis emporium, bonarum disciplinarum magistri confluebant. Cumque scientiarum bibliothecam pectus suum haberet, quotidie publicis privatisque certaminibus, literarioque conflictu præsignis semper athleta, vires ingenii sui mirabiliter exercebat. Qua cum in re tantum profecisset ut pœne mun-

A mundi prodigium haberetur, ſeſe divinis litteris emancipavit, Deique ſcientiam acutiori lumine perrimatus illius excelſiora promoto gradu conſcendit; omniaque mox *Italiæ Galliarum*que gymnaſia *Platonis Apollonii*que more perluſtrans, nihil quod ediſceret reliquit, atque eo quidem doctrinæ provectus eſt, ſive profundioris eruditionis ſuæ fiducia, ſive inconſulto juventutis calore qua etiam ætate firmiores maturioreſque laudum ac gloriæ cupidi præcipitantur, ut in luctam paleſtramque doctrinæ ſcitioris Apoſtolicum provocare ſenatum affixis tabulis præſumpſerit: non quia male, ſic reor, de religione ſentiret, etenim a Chriſto quo potuit dogmate vir pius & integer averti? B ſed ut ardentis ingenii ſui tota ferme *Europa* famigerati periculum coram protoflamine purpuratiſque patribus cum gloria faceret: qua in re naufragium paſſus eſt, ac niſi *Aſcanius Sfortia* qui bonis ſemper ingeniis favit ſolicite tabulas collegiſſet, porrexiſſetque ſalutarem periclitanti viro manum, furentibus undis demerſus eſſet: adeo ſumma quidem petit livor, feriuntque ſummos ſidera montes: multa quiden elimatiſſime luculentiſſimeque dictavit & ſcripſit vir ad omnia volucri promptus ingenio. Quæ referre longum eſt laborioſumque lectori: ſed inter omnia quæ noſtras ad manus pervenerunt, C circumfertur opus varium & multiplex, omnigenaque doctrina refertiſſimum, quod adverſus aſtrologos inſcribitur: multis ſane digeſtum voluminibus, in quibus quid ſcientia, quid eruditione, quid eloquentia præſtare poſſet politiore ſtilo acutiſſimiſque diſputationibus, ac tot citatis excuſſiſque diverſorum autorum dictis, tam ad ſua validius comprobanda quam aliena efficacius refellenda manifeſtiſſime declaravit. Hunc unum ego virum puto cui ſimilem multis ab hinc annis natura non ediderit, tantæ hujus abſolutæ perfectionis, nepos ejus *Jo. Fran. Mirandulanus*, qui patrui vitam accuratiſſime diligentiſſimeque conſcripſit, quinque cauſas autumat extitiſſe: D exactiſſimum acerrimumque ſuper omnem aleam ingenium, profundam incredibilemque divinæ tenacitatis memoriam, indefeſſum ac pertinax ſtudium, terrenæ ſæculariſque diligentiæ negligentiam: tum fortunas ac facultates ampliſſimas, quibus ad noſtræ, Græcæ, Barbaræque volumina linguæ coëmenda, non mediocriter adjutus eſt. Etenim ſeptem aureorum millibus magno admirabilique ſumptu bibliothecam omni genere diſciplinarum, omniſque linguæ varietate locupletiſſimam, compoſuiſſe tradunt, eumque *Aſia* atque *Europa*, omnique totius orbis angulo, Latinæ, Græcæ, Barbaræque E linguæ libros omni ſtudio ac diligentia conquiſiviſſe, varioſque eam in rem exploratores, conquiſitoreſque ſolicitos amandaſſe: neque ſumptibus ullis ad eas merces empſitandas, delicatioraque tranſmarini venatus eſcaria, quibus lautiſſime largiſſimeque nobiliſſimam eſurientis animi famem depaſceret, comparanda, peperciſſe in comperto eſt. Sed his ego prænumeratis cauſis adjiciendam aliam putem, quæ virum nobis admirabilem omnique virtutum ac diſciplinarum genere cumulatiſſimum tanto provexit impetu eoque culminis eduxit, ut in ipſa omnium arce ſcientiarum merito collocetur, propenſam ſcilicet F Dei optimi maximi voluntatem: qui hujuſcemodi dona mortalibus arbitrio ſuo dilargitur, & ex reconditi theſauri ſui cellario, nobis incomperta conſilii ſui ratione ex *Pauli* ſententia, diſpenſat, nec enim mihi perſuadere poſſum, hunc ingenio, memoria, ſtudioque ſuo impenſiore, tantum potuiſſe viribus efficere, ut ea quibus pollebat aſſequeretur; niſi divini numinis ſplendor nimbo ſuo plenius affulſiſſet, ſublevaſſetque hominem divinitate potius quam humanitate eximium. De quibus illuſtris poeta cecinit:

—— —— Pauci quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus:
Dis geniti potuere:

Duo maximi tempeſtate noſtra ſublimeſque viri, ac terrenis ſordibus emergentes defecatique prænituerunt, *Jo. Picus Mirandulanus*, *Eraſmuſ*que *Roterodamus*: *Venetum* ad præſens horreum, illamque virtutum omnium meſſem ubertate ſua uberiorem non excutio: Quoniam decerpſiſſe non nullos invidioſum eſt; cum omnes percenſuiſſe ſit perdifficile. Hi ſumma mihi culmina, ſcientiarumque omnium faſtigia conſcendiſſe videntur, in eoſque ſeſe divini numinis gratia plenius infudiſſe. Quocirca ſtomachum mihi faciunt ſcioli quidam doctiſſimorum theatro penitus excuneati, qui procerum umbras ampliſſimorum flagellant, minutiaſque leves non dixerim errata ſcabris dentibus inſectantes perrodunt: cum obſervaſſe potius ac coluiſſe felices animas cœlique participes, quam illis obtrectaſſe aut derogaſſe par ſit. Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt qui minimis urgetur. Sed eorum vitia non eſt noſtrum inſectari, nec carpere, quorum virtutes aſſequi non valemus. *Joannes* igitur *Picus* cum tanto ſtudiorum literarumque omnium flagraret incendio, præcipueque divinis infatigabilem operam ſcribendo dictandoque ſemper inſumeret, rei familiaris adminiſtrationem diſpenſatoribus ſuis negociorumque geſtoribus delegavit, ipſeque totus diſciplinis emancipatus, ac cenſu pro natalium dignitate, nobilitateque generis ſui reſervato, quantum ad quotidiana impendia ſufficeret, domeſticorum procuratione ſequeſtratus eſt, ſupergreſſuſque mortales curas ſeſe totum divinis addixit. Eos imitatus qui dolialem vitam agentes, provectique altius quam vulgaris ſemita præmonſtret, feculenta hæc & ſordida contempſere. De quibus eleganter poeta ſcribit:

Attende lector quod de principibus Venetis autor ſentiat.

Felices animæ quibus hæc cognoſcere primis
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Credibile eſt illos pariter vitiiſque jociſque,
Altius humanis exeruiſſe caput.
Sic petitur cælum, non ut ferat Oſſan Olympus,
Aſtraque peliacus ſidera tangat apex.

Quam in ſententiam haud multo diverſius ad *Paulam Hieronymus* ſcribens ait: *Rogo, quid hoc ſacratius ſacramento, quid hujus ſacramenti voluptate jucundius? Qui cibi, quæ mella ſunt dulciora? quam Dei ſcire prudentiam, & in abdita ejus intrare, ſermoneſque Dei tui qui ab hujuſmodi ſapientibus deridentur, plenius diſcere ſapientia ſpiritali: habeant ſibi cæteri ſi velint ſuas opes, vaſe gemmato bibant, ſerico niteant, plauſu populi delectentur, & per varias voluptates. Divitias ſuas vincere nequeant: noſtræ divitiæ ſint in lege domini meditari die ac nocte, pulſare januam non patentem: panes trinitatis accipere, & ſæculi fluctus domino præeunte calcare.* Hanc igitur felicem ſecuramque rerum vitam omnium agens *Joannes Picus Mirandulanus*, cum nihil divina præter eloquia, Deique ſcientiam expeteret, vix ſecundum ætatis annum poſt trigeſimum attingens, *Florentiæ* cujus amœnitate delectabatur exceſſit: ægritudine correptum *Galliarum* Rex *Carolus* moleſte ferens, cum *Neapolitanam* expeditionem, impulſore *Mauro* ſuſceptam exſequeretur, ad eum literas humanitatis, benevolentiæ, ſuavitatiſque plenas miſit: nec literarum contentus officio, medicos ſuos qui languentem inviſerent, & aſſiderent, deſtinavit. Æquum enim erat ut auguſtum tantæ doctrinæ prætorium, tantamque cœleſtis ſcientiæ majeſtatem ſummiſſa regalis potentia ſalutaret. Verum acriore morbo prævalente, cum ardens & inextincta febris medullas depaſceret magno luctu omnium elatus eſt. Increbuerat ut plerunque fit ſtulta

stulta quidem opinio, veneno petitum, quod alienum à vero prorsus obhorruit, cur enim exteri virum tollerent quem summo omnes cultu venerabantur? Amici vero cur scientiarum monile pretiosum, electissimamque margaritam scrobibus infoderent? cum magno familiæ gentisque suæ splendori, ac pœne totius orbis ornamento vir ille viveret: sed fatali decreto inexorabilique lege Parcarum, cum optima prima fere manibus rapiantur avaris, vix apparens extinctus est: Dii boni quorum incorrupto indeclinabilique judicio repurgatæ animæ nostræ cœli puriora transcendunt, emaculatæque prorsus & illimes quanquam terrenis sordibus obnoxiæ, beneficio vestro super- A næ civitatis municipatum adipiscuntur, hanc quæso magni herois animam excipite: beatorumque sedibus virum bonis moribus institutum, ingenio illustrem, virtutibus adornatum, vestra benigniore censura collocate: ut qui dum nobiscum ageret divinus pœne fuit, nunc corporeæ molis gravitate deposita, totus nitidus, simplex, æthereus, tot inter candidatorum examina diversetur: hic ad cœnam nuptiarum vocatus est: hic talento recte mercatus, honorificentissime compendium fecit: hic indutus veste nuptiali processit: cum prudentibus oleum virginibus sumpsit: & hic scriba doctus fecit & docuit ut magnus merito vocetur in regno cœlorum.

LIBRI TERTII FINIS.

BERNARDINI ARLUNI,
Jureconsulti, Patricii Mediolanensis,
DE
BELLO VENETO
LIBER QUARTUS.

Mirandula urbe capta, circumjacentibusque municipiis pluribus assertis, cum vel fœdere vel prælio *Venetis* Pontificalibusque signis cuncta utcunque subacta cessissent, major in dies metus agitabatur: formidinem ubique locorum augebant insolentes elatæque victoria Pontificiæ legiones. Quas acrioribus stimulis urgebat constantis & in utraque fortuna semper infracti vir animi *Julius* Pontifex Maximus. Qui non otio, non umbra, non balneo ductoribus impartito, acrem durumque militem tractim exercebat, expugnatis itaque *Lugo*, *Cotoniolo*, *Baliacaballo*, munimentum adjacens *Pado Romanus* miles obsidere cœpit. Tum & *Ferrariæ* novo quidem inusitatoque terrore omnium admotus exercitus, castris ab urbe lapide quarto locatis, ignobiles juxtaque nobiles, ac ipsum præsertim ducem *Alphonsum* majore metu majorique formidine quam unquam antea perculerat. Nam & propinqui hostes pœne mœnia cingebant, & infensiores *Veneti* restaurato exercitu, junctique Pontificalibus copiis quotidie perpetuis agros villasque populationibus divastabant. Hi quidem ut amissa recuperarent, conjungerentque disjuncta finibus suis: Pontifex vero ut inani amplificatum cura Christi patrimonium in majus extenderet, concopulatamque fragili nexu Pontificalibus fasciis *Ferrariam* alligaret. Itaque districtus hinc inde populus angi, difficultateque rerum omnium laborare. Dux vero conservandæ magis quam augendæ rei suæ sollicitus, oppida propugnaculis valloque munire: ipsamque præsertim urbem *Ferrariam* militari primum robore, tum vastis circum aggeribus præfirmare: cavereque modis omnibus ne de proximo *Venetis* insultantibus, aut Pontificiis assilientibus copiis, oppidani novis cladibus afficerentur: tum fœderatos præcipueque *Gallorum* regem *Ludovicum* enixius hortari atque orare, ut magno suis in discrimine constitutis rebus auxilium præstare non cunctetur: Quoniam latioribus effusa terminis propagataque finibus propriis ditione *Romana*, nequaquam vir ferox & intractabilis *Julius*, ab reliquis temperaturus sit. Et jam mussitantium voces rumusculique leves eruperant quibus *Parmam* atque *Placentiam* à *Gallo* Pontificem B avocaturum ferebatur: sed & præferocis impatientia viri, ipsaque pertinax & inexhausta libido dominandi suspicionem, suspicionisque perniciorem exitum maturabat. Itaque *Ludovicus* & *Alphonso* succurrere, & hinc & inde concursantem hostem, implicitumque *Ferrariana* obsidione, summissis præsidiis avocare distrahereque constituit: & jam supra cladem antiquam, vetustamque conflictus *Agnidilini* stragem, non minoribus *Gallicanæ* phalanges detrimentis *Venetum* impresserant: captoque *Lemniaco* arce fortissima, oppidisque pluribus debellatis, *Vicentino*, *Veronensi*, *Patavino*que solo continenter ingentia damna duplicabant. C Intolerabilibusque dispendiis affecta *Vicentia*, *Axilium*, *Marostica*, villæ pagique omnes ingenti horrore, magnaque circum vastitate squallebant. Sæpe novi motus in *Patavium*, nonnunquam in *Tarvisium*, mox in alia dehinc in alia, ut militaris impetus, barbaricæque temeritatis turbo compulerat, concitabantur. Itaque cum suis antiquis finibus protuendis, tum & recuperatis recens militia sua defendendis occupati *Veneti* maximeque *Patavio*, quod omni diligentia studioque servabant, circumfrementibus ubique barbaricis legionibus distrahebantur, ut bellicam foris operam subigendaque *Ferraria* minorem præstarent, quam anhelantis *Julii* desiderium, immoderataque cupiditas appeteret. D Nunc vero novis adventantibus auxiliis, *Alphonso*que legionibus *Gallicis* opitulantibus, cum adhuc magna nominis hujus umbra subsisteret, *Veneti* quanquam semper & ubique vigiles & attenti, nunc circumspectius agere: classem tormentis excubiisque tueri: nec nisi magna occasione sumpta, militem in aperta campi patentis educere. *Alphonsus* vero quanquam rebus angustis omnibus, magnoque labantis rei suæ periculo constitutus, sustentare tamen, hostemque frustrari, ac simulato sæpe conflictu Pontificem eludere: quotidie visores amandare, speculatores percunctari, negligentis hostis ignaviam castigare: quam & oblata propediem occasione deplexuit. E Longo siquidem dum soluti hostes otio liberius evagantur, meliorisque fati dulcedine temulenti custodias remissiores illaxant, ecce pervigil & excubans *Alphonsus*, quem periculi subinstantis acies acuebat, eductis urbe co-

piis, Suppadana septa negligentius ab hoste servata, impetu facto truculenter invadit, inopinato perterritus assultu Pontificius *Venetus*que miles trepidare, aberrare, nescire locum, nescire ducem, signa ad quæ se reciperet ignorare: è diverso *Ferrarianus* agmine facto dispalantes hostes & vagos omnes irrumpere: confundere, perturbare: tum perturbatos graviter exagitatosque cædere, dissipare, proterere. Qui septis obsessi à *Veneto* premebantur, audito fragore, circumcursantibusque subsidiariis legionibus, exciti conclamitantium alacritate sociorum, uno impetu claustris erumpunt, ardoreque irarum impatienter accensi, violentius hostem ingrassantur: omni loco, tramite, diverticulo, obvii milites civici, dementes metuque conterritos hostes consternunt, præfocant, elidunt. Qui primi arma capere, tollereque signa more castrorum præsumpserant, circumsidentibus oppidanis omnique urbica perurgente militia vulnerati, capti, cæsique sunt: qui vero postremi fessis laborantibusque succurrere festinabant, aliis à tergo, reserataque per claustra militibus emissis, intercepti, reculcati, perfractique jacuerunt. Hac insigni strage gravique jactura, à Pontifice *Veneto*que ad *Alphonsum* obliquatis velis retroversisque flatibus victoria dum pœne manu tenetur, regressa est. Adeo quidem difficulter & ægre bellici casus ad exitum prospera cum fortuna perducuntur: has dum per alternas adversæ prosperæque sortis vices fortuna lascivior interludit, ac nunc Pontifici *Veneto*que favet, rursus illis aversa, petulcis pedibus ad *Alphonsum Gallo* suffragante convertitur, *Veneti* qui suæ semper Reipubl. illiusque studiosis omnibus prospectabant, abscedente *Gallo* suppetiarum *Alphonso* ferendarum causa, domi paulisper sublevati, nova moliuntur; & primo quidem *Aluysius Mocenicus* ex *Tarvisio* copias in *Axilium* movit. Oppidum *Germani* sua prævalidi ferocitate servabant, expeditoque peditatu ac omni præduro milite cuncta strenuissime fortissimeque tutabantur. Ergo de more *Veneti* præmisso tubicine deditionem tentare, fœdereque prius quam armis periclitari maluerunt; sed cum internuncio barbarus insolens & contumaciter elatus minus urbane respondisset, suopteque gens spiritu ventosa *Leoninum* militem incivilius habuisse, despexisseque contemptius cuncta videretur, ad arma repente telaque discursum est, omneque præcinctum ilico tormentis ac militibus oppidum *Venetis* obriguit: consertaque mox pugna, cum *Leoni* municipes, suisque veteribus dominis propensius acclinarent, exustis foribus, factoque furentes per flammas aditu Marcici milites immissi sunt: captis, cæsisque *Germanorum* pluribus, cum & oppidanorum præsidio, tum & ingruentium *Venetorum* impetu res laberetur, barbaricæ præfectus armaturæ, paucis cum militibus qui circumstiterant, in arcem profugit, extemporalique tutela communiti omnes subitaria propugnatione defenduntur. Oppugnatu difficilis arx erat, natura loci, ægreque tormenta molibus subruendis in eam dirigebantur; sed & assilientes milites labentibus clivo vestigiis pronutabant, infirmisque pedibus in adversos hostes enitebantur: admotæ tamen, summo quanquam discrimine, murales, machinæ, defixaque conatu non irrito tormenta dejiciendis mœnibus propugnaculisque murorum evertendis, locum tandem fecerunt. Exinde cum intentus expugnationi miles arcem perpetuo pilarum jactu retusam discinxisset, magnaque ex parte penetralia dimotis obicibus denudata patuissent, præpositus cum uxore cumque suis captivis omnibus, cum ad extremam res lineam deducta foret, fortunæ gravius in dies sævienti cessit. Ab *Axilio* in *Marosticam*

A deflexum est: atque cum plura identidem ad *Venetum* oppida desciscerent, aliaque secundiorem fortunam secuta *Venetis* obsequerentur, omnem *Marostica* bellicum furorem excepit: obequitabant circumcursabantque *Leonini* milites omnesque in oppidum aditus, iterque secretiori tramite devium explorabant. Contra barbarus qui defendendo oppido stabat, tela torquere, jaculari, hostem summovere: nihil tutum securumque *Veneto* prætentandum relinquere: admotas machinas, affixas scalas, expugnatoremque jam manu mœnia comprehensantem prorsus exturbare: sed nihil armis
B impenetrabile, nihil bellatoribus nostris inaccessum. Cum valide fortiterque *Germani* municipium defenderent, pœneque victoriam *Venetus* desperaret, barbaris obreptum est, injectusque dolo foribus ignis, cum indiscretæ furentesque flammæ postes exussissent, expugnatoribus aditum dedit. Quo facto trepidantes attonitique defensores *Germani*, corporis robore magis quam ingenii viribus præstantes, cum oppidum proditione captum existimarent, quod neque ministrum ignis, nec unde contractus irrepsisset animadvertebant, in arcem percito cursu profugiunt, tabulamque post naufragium ultimam tuentur. At circumfusi repente victores, omnemque lustrantes arcis ambitu
C locum, tormentis, aggeribus, machinisque muros arcis propugnaculaque coronant: atque eo promptius & acrius, quod propinqua *Germanorum Hispanorum*que præsidia jam *Ulmum* applicuisse, haud multo lapide *Marostica* disjunctum ferebatur. Itaque diu noctuque perenni indefessoque labore pertinaces improbique milites Leonini *Germanum* premere, arctissimisque pressum custodiis distringere, districtumque supremo nixu festinatam modis omnibus in mortem adigere. Quocirca densioribus circumdati sepimentis, cum extrema omnia barbari non sustinerent, diffiderentque sese magno diuturnoque labori suffecturos,
D cum nullam propinquioris opem auxilii præstructo omni circum aditu compertam haberent, deditionem fecere. Postque suam non difficulter impetratam incolumitatem, cum arma telaque sua prius abjecissent, ex icto sospites fœdere dimissi sunt, oppidumque cum arce, multaque cum gloria *Veneto* victori tandem reliquere. Nec minori tamen interea bello *Forum Julii* minusque perniciosis hostibus ea passim provincia divexabatur: dum perpetuis excursionibus ac populationibus infensissimis barbari quotidie prædas convectant, pecus abigunt, incendiis omnia torrent. Quibus *Veneti* semper occurrere, levibusque quotidie certamini-
E bus prædones vagos ingrassari, tum fœde crudeliterque conflictatos cives suos sublevare modis omnibus studiosissimeque festinabant. Quapropter *Aluysius Delphinus* ea tempestate legatus, cum utique magni rem momenti fore merito crederet, si *Vipolzanio* oppido Resp. potiretur, copias eo deducit, ut a *Goritia Cromonium* iter hostibus interdicat. Itaque tunc aspera circumsepti prælucentium armatorum segete *Vipolzanii*, cum nulla militum nec tormentorum parilitate *Veneto* conferri possent, nec validiorem illius pressuram sustentare diu posse viderentur, facile nulloque pulvere vel modico concesserunt. Exterriti quoque prædato-
F res apud *Cromacium Aluysio* hostes urgente, prædam pluresque cum præda vitam relinquere coguntur; sed & infensiores diversa regione *Liburni*, dum *Monfalconium*, vicinasque populabundi regiones peragrant, *Canstantino Paleologo* ductante vim passi sunt, ac fugati captique, cæsi quoque ad igniferum omnes fuissent, nisi repentinis affluentibus præsidiis *Veneti* cum ingruentes copias hostiles suisque longe majores præsentiscerent, *Lisuntio* flumine trajecto sese protinus in tuta receptassent: usque

usque adeo tunc armis inquieta omnia perturbari, omnia militibus & castris occupata, ferro passim & incendiis horrere. In *Venetia*, in *Forojulii*, in *Liburnia*, in *Illyrico*, ut cætera silentio transeam, nihil firmum nec stabile, nihil constans securumque videri: dum hinc inde pulsos agrestes, miserosque cives impactæ violenter castrorum procellæ feriunt, alternoque æstu bellorum arces, urbes, oppida, dum illiduntur ac reliduntur, ac nunc dextris modo sinistris fluctibus impulsantur, adobruta demersaque profundo calamitatum laborant. Per hos dies ad *Pisinium*, *Pedamontem*, *Castrumnovum*, incursantium *Venetorum*, ac recursantium barbarorum armis exagitata omnia pronutavere: pestilenti quoque respersa salsugine *Mugla*, *Ronzium*, *Adignanum* coacuit. *Tergestini* quoque cuncta mari terraque proluentibus undis, obmaduerunt: neque vero *Cervical*, *Albonia*, *Justinopolis*, *Cividale*, his bellicis casibus exempta fuere; sed & graviore *Feltrum* incendio consqualluit. Tum & plura alia, cum nonnulli præ timore conterriti sese ex alto, præruptisque montibus præcipites darent, eadem fuligine denigrata, parique correpta incendiorum ustrigine caligaverunt. Ubique sæva bellorum tempestas, ubique fremitus & terror armorum, dum semper ardens & anhela militum sitis expositam in prædam ruit, dum villæ, arces, urbesque scriptorum testimonio omnium ac eorum qui passi sunt fide & lachrymis debellatæ asseruntur, ac rursus expugnatæ recipiuntur. Nullaque militibus, agricolis, civibus sedes præstari aut requies impartiri, tot undique malis ingruentibus, potest. Has ergo dum per oras *Illyricos*que tractus irati Martis violentia furente gladio perbacchatur, longeque gradu provecta nocentiore pervadit, *Veneti* suis semper defendendis finibus, amissisque recuperandis omnibus anxii, *Vicentiam* iter dirigunt, ac fusoribus scorpiariis levitibusque præmissis, mœnibus insultant, suburbana diripiunt, ac de proximo cum hoste congrediuntur: & jam vis belli portis incumbebat, incursantemque trepidi custodes equitatum ad Petream Felicianamque portam vix cohibere reprimereque poterant, adurgenteque *Græcanico* velitatu trepidi propugnatores in urbis penitiora magno dimicantium *Venetorum* turbine propellebantur. Cumque militaris disciplinæ magistri præfectique castrorum præpotentem *Venetum* magnoque prævalentem exercitu contuerentur, se vero rariore juventutis adarmatæ corona discinctos animadverterent, cum præsertim alieni civium animi dominatus exteros omnemque barbariem penitus exhorrerent, de fuga cogitare, deque civitate velis suis ac remis relinquenda, cœperunt. Quod cum speculatoribus *Venetis* innotuisset, *Dominico* ductori mandant, ut congrua cum armatorum cohorte montis celsiora conscendat, ad id semper itineris declinabundus quod tritos per calles *Veronam* perduceret; ut & hosti profugo *Veronam*que properanti commeatum interciperet, & alimonia destitutum facilius ingrassaretur. Hujus e loci regione, *Dresanam* ad convallem *Troilum Sabellum* expeditis cum militibus esse jubent, qui magna rusticorum & convenarum adjuncta manu medium hostem intercludat, elapsumque Charybdi, dum aperta omnia liberioreque tractu secura putat, occultis cassibus irretitum scylla retentet. Interea barbari cum excedere *Vicentia* proficiscique *Veronam* sic urgente fato statuissent, alibique fortunam meliorem tentare placuisset, stato die signa movent, suasque in acies phalangesque coacti præmonstratum iter capessunt. Quod cum attento cunctaque diligentius exploranti *Veneto* perliqueret, abiisseque jam hostem in diversa nunciaretur, ex templo *Vicentiam* ingressus disjecta *Venetæ* Reip. signa restituit. Mox *Federicus Contarenus* abeuntem barbarum desecutus, expedito cum equitatu fugientis tergo semper incumbens, infensus erat, hostemque lacessere ac divexare modis omnibus nitebatur, ut confusis ordinibus, barbaricaque temeritate turbatis, a sinistro dextroque cornu *Dominicus Troilus*que decurrentes, qui præmissi locorum opportuna tenebant, reliquo præsertim exercitu subsequente medium hostem includerent. Sed & prudens barbarus nihil exorbitans, certisque tractim vestigiis insistens, nusquam aberrare, elata signa sua, vexillariosque præscripto jugiter examine subsequi, nec quidem transversum unguem declinare, missilibus tantum urgentem a latere tergoque *Venetum* summovere, maturare fugam, impedimentisque passim inutilibus relictis, incolumitatem exercitus suarumque salutem copiarum tueri. Aliquot jam passuum millia processerant æquatæ restrictæque suos in numeros acies barbarorum, cum & *Venetorum* insequentibus turmis, ac dextra levaque *Dominici Troili*que ductorum coeunte manu, levibus agi cœptum est præliis. *Transalpinus* quanquam ingenio ferox ac truculentus pugnam tamen modis omnibus retractabat, satis sibi factum existimans, si militum vitæ consuleretur, destinatoque sospites *Veronæ* conceptaculo resedissent. Itaque fusores, tormentarios, funditores, ingrassantibus *Venetis* opponere, qui invadentes longe repellerent, nec ulla congressum ex parte paterentur. *Veneti* quoque quamquam pro his victoria stare videretur, omnesque, si confligant futuros eos esse victores animo ducerent, ne tamen hamo aureo piscarentur prælio temperabant; sed obequitando, velitando, cursitando, punctim cæsimque *Germanum* impetentes, inani pugnæ simulacro ludificabantur, cum saniore consilio ducti salutarem victoriam, intercepto properantibus commeatu, nullo dubii Martis periculo consequi posse sperarent: sed opinione sua lapsi sunt. Nam quanquam accelerandæ fugæ studio vinum, frumentum omnemque annonam relinquerent, non tamen ea cibariorum inopia laborabant, ut inedia conficerentur. Jamque post *Tabernulas*, ac *Suavium*, *Arpano* flumine superato, mutuis affecti vulneribus dum simulato certamine dimicatur, *Veneti Germani*que *Veronam* proficiscentes, *Villanovium* perrexerant, passuumque spatio quingentorum utrinque defixa castris signa conspiciebantur. Cum *Veneti* de conferenda manu, de que prælio feliciter ineundo consilium cepere: paucitas hostium, fugaque, nec levis injectus timor, tum ex adverso sui procincti militis alacritas, ipsaque pœne manibus comprehensa victoria, peragendam dextro Marte pugnam suadebant. Sed lubricum fortunæ, lascivientisque Deæ lusus, consultorum examine versabantur, quibus sæpe victores retro acto curru, rotaque vertente pulsi sunt. Ad hæc quanquam incerti bellorum exitus consilium semper sub alea relinquant, illud quoque dubium pendentemque animum alternabat, quod de via fessi pedites quorum in bello primæ partes erant, ægre pugnam sustentaturi videbantur: ergo mentes illorum explorare noscereque præliatoris voluntatem placuit. Ad quem cum de conflictu referrent arbitri proceresque castrorum, tanto statim favore, tantoque plausu protinus acclamatum est, ut nequaquam cunctandum differendumque putarent. Quod cum hostis rescivisset, in cuneos repente conglobatus, suaque phalange constrictus, præcipiti fuga *Veronam* elabitur. Quem cum æquata peditatus acie *Venetus* assequi non valeret, equitatus ilico prorupit in aciem; verum cataphractario potentiores validioresque barbari, facile consistentis ictum repellebant, donec relictis paucis quos extremos, ho-



stes insecuti transfixerant, *Veronam* sospites ingressi sunt, firmioribusque fossarum ac murorum propugnaculis obsepti subsequentem *Venetum* elusere. *Mocenicus* qui spe tanta victoriæ suum militem lapsum dolet, existimat si tunc quoque sua pro virili pugnatores egissent, militiæ præfecto congressum non detrectante, haud labore magno *Veronam* capi potuisse; sed consulendo, cavendo, trahendo, dum celeritate præcipitique festinatione in tanta re peragenda opus est, intercepta delusos occasione prorsus excidisse. Hæc dum in *Venetia*, *Forojulii*, *Illyrico*, collimitiisque omnibus tanta armorum defractis calamitate consternuntur, universumque *Ferrariensem* agrum ac conterminales oras bellorum flammæ furentes exurunt, indiscretisque vaporibus afflatam totam fere contorrent *Italiam*, *Ludovicus Gallorum* Rex adversus pontificem conceptos ignes irarum exitialibus nutrimentis alebat, & quanquam summa præditus potestate, summoque rerum culmine blandiente fortuna collocatus subita *Julium* ruina proturbare, dejicereque sacrorum fastigio potuisset, innata tamen huic genti Deos erga piosque cultus reverentia, circumspecte cunctanterque bella maturabat: nec ad arma quidem temere movenda, pontificiosque fines immisso milite devastandos, quicquam per ipsum inconsulto quamquam provocatus esset, agebatur. Sed oliva potius quam gladio rem inter ipsum Antistitemque sacrorum confici malebat. Igitur magnos inter orbis proceres contentione suborta, cum *Placentiam* ac *Parmam* *Julius* velut *Romanæ* ditionis pontificiique juris reposceret, disceptatorem sequestrumque *Ludovicus* ne quid per ipsum injuste perperamque transigi videretur optavit: neve subornandi corrumpendique judicis timor ullus irreperet, eximios omnique juris doctrina præstantes viros, qui *Romanum* in senatum, vulgo *Rotam* dictum, adlecti fuissent, judices habiturum sese de plano professus est. Id ad *Ferrarianæ* cognitionis examina nonnulli retulerunt, cum sibi vim inferri dux *Alphonsus* quereretur, ediceretque palam, ac testato denunciaret, per ipsum non fieri quo minus *Romano* juri Cæsarisque legibus obtemperaret. Sed hæc cujuscunque quæstio fuerit, admissum esse neminem in confesso est. Cum vir ferox votique sui pertinaciter exequendi præcupidus, tribunalitiam dilationem non pateretur, animique sui præfurentis impetum retardari juris cognitione non sineret. Quod cum *Ludovicus* admiraretur, seque durioris in scopuli cautem incidisse cognosceret, alio vela deflexit, secundioribusque Zephyris per tranquilla pelagi mitioris invectus, devitata *Symplegade Malea*que, placidius in portum enavigavit. Ea tempestate purpuratos inter *Romanæ* curiæ proceres, sacrosanctumque senatus Apostolici consessum, agebat vir doctrina non vulgari *Bernardinus Carvasalus* gentis *Hispanæ*. Hic sive naturali diffidio quo semper inter egregios summosque prudentum vertices parum convenire solet, sive *Gallicana* suggestione seductus a *Julio* Pont. Max. descivit, culpæ, si qua ea in re fuit, synodicæ concionis argumenta prætexebat. *Julius* siquidem priusquam ad sacerdotalis fastigii culmen promoveretur, *Galileaca*que pisciculenti retis plaga convolutus esset, secreto cæterisque cum patribus fœdere convenerat, ut cum inauguratus imperio sedisset, per universum terrarum orbem quo diffusa Christi religio spargitur, concilium ediceret, in quod universi præsules qui *Nazarena* fide censentur, convenirent, de summa rerum decreturi. Qua de re, cum interpellaretur, eumque pactorum *Bernardinus* admoneret, plus æquo differentem, nonnunquam etiam contumacius refellentem, non tulit. Proinde rem veluti piam sanctamque procuraturus, & obiturus ea quæ ad religionem fidemque spectarent, quoniam ea prosequi *Julius* fide relicta disprevisset, *Carvasalus* solum vertit, accitisque secum nonnullis, qui sive religionis, sive factionis studio pro *Gallis* stabant, partesque barbaricas prætextu fidei tutabantur, *Pisas* profectus est, cumque inibi diebus aliquot, velut in civitate libera indicti conventus exordia sumpturus sedisset, præsensit insidias, quas felle perfusus exacerbatusque sæviore ira Pontifex innectebat; itaque sarcinas colligere demigrareque alio compulsus est. Et quoniam prævalente *Julii* potentia, Christianæque religionis majestate, quam *Roma* præferebat, omnia tanto facinori perficienda suspecta erant, *Mediolanum* optavit, tutius cæterisque securius ab infensissimi hostis impetu domicilium ratus. Quo suo cum comitatu purpurato divertenti, cum adventare nunciaretur, ab Optimatibus Summatibusque urbis occursum est, proque pileatæ dignitatis decoro, honorificentiorisque sacerdotii reverentia, magnifice luculenterque summi flamines excepti sunt. Quos blande salutatos appellatosque, *Japhredus Caroli* qui tunc *Mediolani* præsidem agebat, brevis splendidæque orationis actione prosecutus est, opulentiæ regiæ munificentia prælargus, multa siquidem illis ubertim vir prudens & cautus offerebat; quos hospitio, commeatu, *Gallicanæ*que largitatis abundantia complexabatur. Ergo cum præoptatæ sedis incolatus & civium comitate nostrorum, & salubrioris cœli clementia genialis, ab ipsaque sævi hostis impressione securus, piis sacerdotibus complacuisset, promulgato severiore *Ludovici* regis edicto, diversis *Europæ* regionibus præcipueque *Transalpina Cisalpina*que *Gallia* summi sacerdotum promiscuæque tonsuræ magistri, qui mandatis irretractabilibus obnoxii *Gallicano* imperio subjiciebatur, in concionem acciti sunt. Tunc importunæ hæreses, diversæque repugnantibus invicem Episcopis sectæ protinus erupere. Multi commentitiam hanc synodum abortivamque refugere, & quamquam parere jussi, castigatas prætoria censura voces, prænexo ore reprimerent, introrsum tamen semotisque arbitris concilium detestabantur. Quoniam non summi pontificis autoritate, sed ipso prorsus adversante *Julio*, cogeretur. Itaque delitescere alii, alii vero suffugere, nonnulli languorem morbumque simulare, ut sese ab imminentis edicti severioribus pœnis subducerent, reaccensasque Pontificis iras, si præstitorum rei suffragiorum convincerentur, declinarent. Etenim si *Julii* funesta arma *Veneto* præsertim opitulante qui percusso fœdere coiverat, prævaluissent, eorum continuo qui præsentia vel assensu subditicio conventui favissent, projecta salus erat & conclamata, furentis domini sævique victoris exserto passim gladio debacchante, cujus jam tum subirati, & præconcepta indignatione stomachantis animus implacabilis innotuerat. Quippe cum blandiore monitu hortatuque mitiore discrepantes & errabundos senatores Pontificios ad *Romanam* curiam revocare tentasset, illique duritia sua contumaces & proposito pertinaciter inhærentes averterentur, extemplo prophanatos sacris aditis eliminavit, exautoratosque tum Pontificia dignitate ac sacerdotiis opulentioribus spoliatos, acerbissime diris insectatus est. Quin & *Mediolanum* sive quoniam *Ludovici* regis aversa jam tum voluntas a *Julio* defecisset, sive quoniam Apostolici sacerdotes exilio suo invisi, sedem in eo velut explicandis negotiis suis opportuniorem locavissent, sacris interdixit. Cumque minaces dicæ tabulæque prægrandes templorum foribus affixæ fuissent, repente jussu præsidis manuque prætoria refixæ sunt, ne pontificalis in vulgum censura prodiret, conturbataque sacris Resp.

calvitio

calvitio non operante strepitaret, suoque de more tribules inconditi motum facerent. Sed non adeo confestim oblíniri prætristes ceræ foribusque revelli acutis unguibus potuere, quin multorum oculis subjicerentur, plurimique sacris abstinerent; sed præsidali mox jussu viribusque præturæ compulsi, cum innocentiam suam testato purgavissent, sibique vim inferri conquererentur, paucos quanquam post dies intermissa, pulvinaribus lectisterniisque Deorum sacra fecere, donec sacrificuli regis mitescente sævitia, redintegratis omnibus cuncta pio more rituque suo decurrerunt: interdicti causam alii aliam ferunt: quippe cum de sacerdotii collatione ageretur, ab ipsoque summi Pontificis obsequio *Gallicani* procuratores abhorrerent, utpote læsi fœderis, ac simultatum quæ *Ludovicum* ac *Julium* intercesserant non ignari, concitus Pontifex censuram exercuit, quam cum ad ejus votum *Gallicana* sese voluntas effixisset, ilico revocavit. Quod si causam interdicto conciliabulum dedisset, cum illud pileati proceres non intermisissent, nec Pontificis quidem ira refrixisset. Sed hæc utcunque perpensa sint, & judicata, utique nobis illud innotuit, justo metu coercitos sacerdotes plurimos, sacerdotumque præsules ne in concilium venirent, exulumque sententiis astipularentur exterritos fuisse: Quos tamen & indicti ordinis amplitudo, & flagella magistratuum jussu ipsis ab tortoribus impressa, ne voluntati Pontificis obsequerentur, adigebant. Tunc quoque Jureconsulti sed hi maxime qui sacrarum literarum eruditione Pontificalisque scientiæ doctrina pollebant divexati sunt, & quanquam repugnantes & inviti discrimina subiere. Quos inter *Philippus Decius Mediolanensis* magno vir ingenio, ac Pontificia civilique scientia præditus, cujus olim auditorium celebravi, hisce laqueis irretitus inhæsit. Hic etenim cum impetrato ab Illustrissima Excellentissimaque *Venetiarum* Republ. commeatu, *Patavino* gymnasio digressus esset, *Ticini* Pontificium jus honoratissimo stipendio profitebatur: interpellatus ergo cum invisum munus non injuria retractaret, correptus est, modestioreque censura vir insignis emendatus. Nam cum suas *Ludovico* locasset operas, ab eodem requisitus ut easdem impartiretur non satis honeste denegaturum ajebant, quos prudenter vir acutus & sagax refellebat: Quoniam non eum ad modum operas locavisset, sed ut instituendæ informandæque bonis moribus ac disciplinis juventuti jus enarraret. Proinde civilis Pontificiæque noctis tenebras obscuriores suæ interpretationis luce discussurum ajebat: non etiam concilii quod summus Pontifex *Julius* abhorreret modum & formam executurum: verum sive ingenito majoris assequendæ dignitatis studio, quo mortalium mens semper anxia laborat, & quanquam bonis disciplinis accincta, tamen ægre defenditur, sive Imperii majoris reverentia quod observare colereque non omnino non poterat, seductus est, & in numerum conscriptus. Qua de re cum nonnulla, vetustioris amicitiæ jureque familiaritatis cum eo contulissem, nec opinioni ejus assentirer, quoniam quo res bellicæ forent inclinaturæ parum liqueret, & fata principum in obscuro essent, aliter fieri non potuisse salva dignitatis suæ prærogativa respondit. Quæ cum mihi parum arriderent, abstinendumque censuissem, timiditatem mihi meam objectavit, quæ mentis angustæ semper humi repat, humiliumque comes semper in infirmitate versetur. Quem cum postmodum transscensurum *Alpes* salutavissem, quoniam vertente fato victoris ira cuncta penetrabat, & ad viri memoriam multa revocassem, si dii, inquit, essemus non erraremus: Multi sane bonorum morum,

A emendatiorisque vitæ viri, non quidem præcipites turbulentique, sed quieti mites neutrarumque partium, pii cultus nostræque religionis excolendæ studio quæsiverunt, an indictum hujuscemodi concilium jure subsisteret, & quæ sanciret, quæque decerneret observare tenerentur. Quoniam hi sibi persuadere non poterant quinque septemque *Romani* augustalis sacrarii proceres, cum extorres summaque Pontificis *Julii* potestate sequestrati forent, ipso repugnante legitime quicquam attentaturos: neque Jureconsultis alioquin doctissimis præstantissimisque viris hac de re disserentibus fidem ullam adhibebant: quos vel astri-
B ctos Imperio, vel officio delenitos, ad alienæ voluntatis obsequium respondere consultationemque suam confingere non ignorarent. Nodosa sane quæstio multisque globis prorsus involuta, quæque senticoso properantem itinere dispungat atque præpediat. Etenim expressam juramenti formam legimus, quod sibi invicem purpurati patres cum in conclavi resedissent, ad solennium altaria ceremoniarum, præstiterunt, caventes ut quicunque *Petri* solio sedisset intra biennium ab assumptæ dignitatis auspicio concilium indiceret, loco omni metu libero, gladioque terrenæ potestatis prorsus absoluto; nisi manifestarium peragen-
C dæ rei obstitisset impedimentum, quod majore protoflaminum consensu justum legitimumque judicaretur. Rursus *Julii* Pontificis electi juramentum publicis conscriptum tabulis circumfertur, quo sese prædicta jurat observaturum omnia. Biennio igitur exacto cum interpellatus cessaret, juramenti reum accusabant; sed objectam impedimenti exceptione Pontifex culpam diluebat, quam cum parum exacte repurgasset, quod impedimento patres non subscripserant, fide lapsus arguebatur: Quam ex adverso *Julius* acriter defensabat, quoniam de manifesto bellorum impedimento perliqueret: quod etsi sacratissimus or-
D do non comprobasset, at certe non improbaverat. Sed hac de re neminem judicaturum puto, cum hujuscemodi quæstio examinis nostri censuram excesserit. Quanquam si quid in tanta re proferre petita venia licuerit, legitimam hanc Synodum justamque putem, si eam pro religionis ardore fideique studio summi sacerdotes indixerint: contra vero si terrenæ cupiditatis gloria promoti, seductique pompæ mortalis fastu, pampinos umbramque concilii quæsiverunt. Id autem præter unum, qui corda scrutatur & renes Deus, discernere dijudicareque nemo potest. Ergo dum ad consultissimi & alioquin sane pru-
E dentis viri præscriptum, informis concilii massa digeritur, hujusque ad unius arbitrium amplissimus ordo temperaturam accipit, atque in citando Pontifice *Julio*, cæterisque patribus evocandis, discutiendisque concilii negotiis aurigante *Decio* cuncta gubernantur, *Ludovicus* magnam in perniciem *Julii* Pontificis alia præparat, festinatque præcipitem virum proferendis finibus anhelantem, inpitem virum proferendis finibus anhelantem, introvertere prolatis. Jam antea *Carolo Ambasiano* ductante, *Bononiam* infesto cum exercitu *Gallus* impetiverat, & usque adeo propinquæ vicinioresque copiæ nonnunquam suggressæ mœnibus hostem invaserant, ut prætristes mœstique cives lon-
F giorem in Pontifice moram detestarentur, dicerentque sese propediem absfuturos. Quoniam *Gallicani* pressuram impetus amplius toleraturi non essent. Quos *Julius* Pontifex mitiore demulcebat eloquio, mellificioque sermonis sui blandius mitigabat. Siquidem *Hispanici*, *Britannici*, *Germanici*, *Pannonici*que oratores qui pontificio lateri suorum mandato principum assidebant, ut bono animo esset hortabantur? Quoniam *Ambasianum* cæterosque ductores *Gallicos* ab urbis obsidio

quam primum averterent, quos moras innectere longiores, *Hispaniarum*, *Germaniarum*, *Pannoniarum*que reges non paterentur, qui Christianam Remp. tot dispendiis afflictam iri non æquo animo perlaturi fuerant. Igitur injurias expostulantibus illis, præcipueque *Britannico* succensente legato, qui turbidius & gravius in *Gallum* invectus erat, obsidium *Bononiæ* solutum est. Nunc iterum *Gallica* rebulliente ira, novus exercitus, novæque legiones in eam expeditionem conscriptæ sunt. Hyems erat egelida, concretisque nivibus asperata rigebat. Exercitum vero *Carolus Ambasianus* militiæ parum prudens, reique castrensis imperitus ductabat. Hic *Mirandulam* atque *Concordiam*, cæteraque debellata manu Pontificis municipia, quæ piscatoris jure censebantur, asserere *Ludovico*que *Gallorum* Regi vendicare, sua pro virili contendebat; sed hebes ingenium, miles languidus, fractæque vires rem fraudabant, omniaque nonnullo cum dedecore, *Gallicanæ*que rei jactura trahebantur. Eo temporis in ulteriore *Gallia Jo. Jac. Trivultius* opulentissimum *Scaramutiæ* nepoti suo sacerdotium procurabat, cum ea de re controversiam pateretur, nec frui posset adversario possessionem usurpante: transacto igitur ex sententia negotio, cum jam bonis adversarius cessisset, quoniam regis imperio super ea re decernentis obtemperatum fuerat, in *Italiam* mandata susceptaque cum bellicæ rei ductu suo peragendæ cura remigrabat. Quippe cum segnius ac pigrius quam instantis periculi discrimina paterentur *Carolus* arma tractaret, successorem hunc meruit, durissimum Pontificii furoris obicem, ac perfectum indomitæ perbacchantisque iræ ejus moderatorem atque magistrum: uterque senex, uterque ferox, uterque summus. Hic cum in castra venisset, lascivientem exercitum, ac solutius & negligentius quam par esset agentem castigat, ignavos omnes, frigidos omnes, ac supina stoliditate sua projectius oscitantes corripit, emendat, deplectit. Ægro quippe languidoque capite, membra ut condolescant cuncta necesse est. Imperitus ductor *Ambasius*, sive lentescentis animi morbo quo rebus exequendis non leviter gens fluxa laborat, sive mala corporis valetudine qua jam tum correptus ægrescebat, parum in castris strenue, parumque prudenter versabatur, quem haud dissimili torpore miles ut sequeretur necesse fuit. Igitur successore dato, ad unius impigri vigorem ardentisque viri flammam excusso membris marcentiore veterno miles omnis accenditur, universusque sub eo duce reformatur exercitus: quotidie in armis esse, quotidie hostem provocare: frequenter assilire: de improviso congredi: ipse vero ductor eximius ut omni laborum genere militem obduraret, fatigaretque perpetuis diversioribusque negotiis, alia agere, alia simulare, in dies conflictum indicere, mutare castra, arma conclamare: ut expediti promptique omnes ad arma provolarent: ut injunctum alacres impigrique munus exequerentur. Qua de re milites inviso sæpe seni tetricoque rigidam objectavere duriciem: ac depilatum leveque calvitium probrosius insectati sunt, effœtum præterea senem, elumbes nervos, absumptas vires incessere, calumniarique non cessabant, tum & amarioribus dictis omnibus execrare ac detestari, quod unius imperio semper exerciti, omnique laborum pondere præfocati, lunas insomnes, inquietos soles, statarias mensas semper exigerent. Quæ severus inexorabilisque *Trivultius* dissimulare contemnereque, ac modo jussa capesserent, mandataque dolore vitis diligentius exequerentur subsannare despuereque solebat. Ipse sed interea quid intus ipsoque quid ageretur in oppido disquisitius

A perrimari, exploratoribus acerrimis secreta hostium divestigare, illos pollicitationibus illectare, alios auro corrumpere, alio modo subornare: donec ad arbitrii sui modum suæque præscriptum voluntatis cuncta redigeret. Itaque paucos post dies sive interna prævalente factione sua, quam ubique vir sagacissimus excitabat, fovebatque per vanissimos simplicesque viros ad expeditam suscepti muneris executionem, maturatique negocii sui compendium, sive externa ferocius agente militia, quam omni arte studioque bellicosissimus vir acuebat, magna cum ductoris regisque laude *Mirandula* cessit. Qua feliciter asserta, discussoque Pontificali jugo, copias agrum in *Bononiensem* traduxit, ubi Pontifex exercitum auxilioque ejus suas *Veneti* legiones habebant, intentique magis suæ defendendæ quam augendæ rei, mutuis invicem sibi præsidiis suffragabantur. Quorum vires omnium cum diligenter & sedulo *Trivultius* expendisset, non minori usus industria in *Bononiensi* quam paulo ante in *Mirandulana Concordiana*que expeditione fuerat, confecto prosperius quam putasset hostis negotio, Pontificalibus conflatum flammis magnum belli compressit incendium, suamque restitutis in sedem regia manu *Bentivolis*, sive civium conspiratione multorum, sive belli secundioris eventu, tam felici fortuna usus est, ut fusæ fugatæque legiones *Venetæ*, cum majorem etiam ab insequente *Gallo* cladem reformidarent, sese statim in vicos oppidaque sua trepidanter receperint. Et quoniam impetum facturi *Galli* victores in *Patavium*, ac mox *Tarvisium* digressuri oppugnaturique videbantur, ea primum omnium oppida *Veneti* provisores instaurare, disjecta circum omnia prostrataque restituere, consarcire, subtegere: *Tarvisianam* rem quoque non minori studio procurare: mœnia propugnaculis validioribusque custodiis præmunire: peregrinos domesticosque milites novos conscribere, veteres obarmare, foris intusque cuncta stabilire. Quæ suo dum pro more diligenter à *Veneto* propendentis mali metu, futuræque pestis avertendæ causa præparantur, fugatus Pontificalis exercitus, nec minori quam *Venetus* detrimento confractus, *Ravennam* compellitur, ubi de reparandis viribus supplendisque copiis suis, deque summa rerum solicitus Pontifex consultabat: adeo quippe cuncta ex voto & animi sententia eo bello eoque nostrorum barbarorumque congressu successerant, ut creditum sit, idque plurimi persuasissimum habuerint, si *Trivultii* mens fuisset Pontificem capere, magnum nobileque mancipium in vincula non ægre conjici potuisse: conterriti siquidem omnes & attoniti ductores Pontificii premente *Gallo* profugerant. Ipse vero *Julius* hostili pœne manu circumseptus erat; sed religionis piique cultus reverentia, quæ mala ætate jam ingravescenti *Trivultio* subrepebat, victoriæ pepercisse ferunt. Alii vero alia sentientes diversiora commenti sunt. Tam illustre scilicet præclarumque facinus prudentem & cautum Imperatorem præteriisse, ne præsigni facto *Gallicanæ* jactantiæ petulantius ac fastuosius arrogaretur. Quippe cum suapte natura insolentes ventosique homines plus æquo superbiant, si hæc quoque laus accessisset, suæque fortunæ vela majore perflantium aurarum spiritu contumuissent, *Italos* omnes omnemque virtutem despectissime contempturi fuerant: virum insuper præsagacem, præteritæque totius actionis memorem, repetitæ stimulabant injuriæ: quas infensa barbaries nostræque virtutis æmula singulari eximioque ductori semper acerbius inflixerat, quibus facile commoveri potuit ut in victoria temperaret; nec pulsum loco *Julium* persequeretur, quem *Gallicanæ*

canæ temeritatis castigatorem habebat. Ad hunc etiam nonnulli missas literas tradunt, *Julii* manu subsignatas, quibus blandissime mollissimeque virum allocutus progressum deprecabatur, ac ut sisteret, obsecrabat, cum sibi periclitaretur, superbissimo autem victori vinceret, qui fructum ex aliena messe colligebat, ex alienoque sudore laxabatur. Addunt alii concepta magis ex opinione quam re comperta, muneribus honorificentissime largissimeque donatum, quibus facile *Trivultius* ab instanti bellico successu revocatus armis abstinuit. Igitur omni dissipato exercitu, fusisque *Venetorum* flaminumque legionibus, ac Pontificio jugo libera civitas ejusque gladii secura, *Bentivolo* cervicem subjecit. Qui primum arcem quam fossis ingentibus ac propugnaculis cœlo cura Pontificalis eduxerat, subruit, subrutamque solo penitus æquavit: ad hæc exigendorum deportandorumque civium eorum qui *Gallos Bentivolos*que paribus odiorum aculeis incesserant, ad intensiores curas amarioraque studia conversi sunt: fœdisque ministeriis factiosi cives impias manus suas polluere. Quippe fuga, cædes, exilium, rei familiaris direptio, bonorum annotatio, cuncta vexarunt: sicuti novis rebus statuque principum retroverso, repletis ære, pecuniaque miserorum folliculis, semper turgentior fiscus extenditur, exagitanturque diversæ factionis proceres & antesignani, confluentium æstuante pelago malorum, alternumque navis exarmatæ latus semper in naufragium percellentibus undis, quibus nec exempti boni cives, quanquam medii neutrarumque partium, obruentibus cuncta procellosis turbinibus, conquiescere possunt. Hæc itaque dum alterno fortunæ sævientis impetu torquentur ac retorquentur, dimisso exercitu, suaque per hyberna distributo, *Trivultius Mediolanum* magna cum laude gloriaque reversus est. Interea *Carolus* invalescente morbo cum ad vivum penetrans defixaque pestis medullas ebiberet, exsugeretque perpetuo depascentis febris incendio, contabuit, miraque funebri pompa, exequialibusque spectaculis elatus est, in æde virginis Pontificia, *Mediolani* justa soluta sunt, magnoque rerum apparatu omnium inferiæ manibus datæ, media delubri vastioris testudine, nigrantibus innixum columnis zenotaphium assurgebat: multosque per gradus educto micantes flammæ suis ardoribus tremulis obumbrabant. Ad hæc jugis linea suffixorum perpetuo rigore cæreorum, fuscis præpendentibus plagulis dextrum levumque templi latus percingebat tam clara multiplicique coruscantium lampade lucernarum, ut ipsum pœne solis jubar repercussum evinceret, suggestis subselliisque suis ex dignitatis ordine propriique muneris magisterio, considebant heroes, patricii, senatores, cæterique magistratus, vel excellentium professione disciplinarum eximii, Pontifex ad aram sacra faciebat, subcinente choro, suasque lamentabiles nænias rythmis lugubribusque numeris deplangente: interea longo examine variisque ferculorum insignibus pullata cohors procedebat: arduis sublimes in equis pueri, regio luxu sed mœrente & atrato perobscuri, gentis *Ambasiæ* vexilla gestitabant: ibi præclara majorum facinora prædocta manus artificis effinxerat; sed tenui perangustaque nuper defuncti gestarum rerum supellectile. Tum conspicua magnitudine præcelsi & feroces equi auribus dumtaxat extantibus, ac revelatis orbibus oculorum, cætera vellino serico contecti pretiosas lacinias erecto capite, cerviceque torosa, ac duplicibus latisque clunibus demissas, solo trahebant. Equitatum funestiore magnificentia præstantem, domesticumque famulantis servitii peditatum, claudebant insecuta distin-

A ctæ religionis totque per diversas hæreses multiplicatæ, consortia: *Franciscina*, *Dominicina*, *Benedictina*, *Augustinina*que sodalitia, amictu lineo subalbente, nigroque humeros prævestiente pallio. Quos inter alio alioque modo candidi, discolores, subcinericii, liventes, gilvi, tantaque cultus indiscreti mixtura confusi, ut vix quo quisque numine censeatur expedias, agebant, horum extrema premebat agmina cultu tonsuraque dissimili, sacerdotalis turba vetustior, quæque piscatore *Petro* cœlestis ad regni municipatum invitata, solutiore militia, diversioribusque stipendiis meret: sacellarii, parochi, canonici, monachi, non-
B nulloque sacerdotalis præfecturæ fastigio præminentes, præpositi, Archidiaconi, Archipresbyteri, primicerii, aliisque nominibus quæ jam pridem vulgaris usus recepit insignes, confertissimam singulis prælucente funabulo catervam urgebant: tum vacuum inaneque feretrum, omni circumstrepente mendicitatis inopia, quam pannosis squallentibusque togis prælarga manus hæredis induerat provehebatur. Quæ dum per multum aquæ multasque per horas trahuntur, ac grata visentium oculis tam luxurioso funesta ambitu spectacula, suspicientis vulgi mentem admiratione replent, vix dum natus annos puer duodecim *An-*
C *tonius Caroli*, *Japhredi* præsidis filius, concionem habuit elegantissimam, orationeque luculentissima proceribus coram amplissimis doctissimisque viris *Ambasium* vita functum, instituto moreque majorum in funere commendavit, compositam ab alio lucubrationem multi crediderunt, elaboratamque maturiore ingenio, atque eo dictante exceptam evidentiori perpolitæ dictionis conjectura arguebant. Et mehercule splendidus ordo, totusque pereleganter dispositæ contextus orationis, difficile pro puero judicium faciebat, & si quicquam ex ætate conjicere licet, ingenii certe vires quantumvis præcocis & acerrimi superabat
D oratio: mihi tunc quidem ad hujusmodi solennis pompæ comitia pariter invitato atque audienti suspicienda modis omnibus visa est. Nec enim eloquentiam tantum admirabar, aut extersi perlimatique sermonis splendorem, sed ipsam miram pronunciantis vim, & exquisitiorem totius actionis modum obstupescebam, erigebatur, deprimebatur, intendebat, remittebat, lamentabatur, gaudebat tam decoro gestu, venustaque hypochrisi, tam ad omnia concordi consonaque voce, ut quid plane divinum in puero reluxisse non injuria crederetur. Exhilaratus itaque tantoque perlitus declamantis lenimento, non ita mihi prorsus obtem-
E perare potui, cum inflammatum velut intorta face perorantis ingenium præcaluisset, quin pueri laudes equestri pedestrique oratione prosequerer, offerremque patri cui multa debebam, cuique multo benevolentiæ vinculo, magnitudine suorum in me meritorum astringebar, ut geminato mei præsentis testimonio, tam illustris & præclara virtus cunctis testata maneret, insignesque patris filiique reciprocantibus titulis laudes, commendatione mea posteritati consecrarentur. Quod illi munus gratissimum jucundissimumque fuit, non obsiti rudiorisque stili mei rubigine, sed amplissimo virtutis in filio sitæ præ-
F conio: adeo quidem ut enchyridion assidua manu versaret, circumferret, ostentaret: sic benigni mores virtutesque liberorum quocunque tubicinio decantatæ, penitissimis parentum visceribus insident, & condulcescunt. Elato *Caroli* funere, ad arasque parentalibus, lugubri jam dicto carmine, persolutis, protinus de successore tractatum. Qui pie sancteque nobiscum versaretur. Qui modeste casteque provinciam regeret. Quique in tanto bellorum æstu rem castrensem urbicamque moderaretur.

A retur. Regis mentem animumque *Dunoſius* heros primus ſubiit, quoniam vir mitis erat ingenii, mentiſque compoſitæ, qui non factionibus agitaretur, qui non expilaret, qui repetundarum non argueretur. Hic cum *Mediolanum* adveniſſet, parſimoniæ frugalitatiſque ſuæ conſcius, enutrituſque barbarica ſimplicitate, corruptos mores noſtros, prægravatamque omni onere voluptatum nationem peroſus, obhorruit. Cumque tot proceribus ac patriciis, omnibuſque generatim ordinibus ſalutaretur, longa turbæ prodeuntis examina, fluctuanteſque ſalutatorum undas rauco murmure ſtrepitantes aſpernabatur. Prætoriam cohortem
B officiis ſuis aſſiduam, perpetuum diſtricto latere ſatellitium, aſſidentem ſenatum, ſalutantem patricium, proruentem vulgum avertebat: tum apparitoribus frequenter interpellatus, admiſſionariis fatigatus, advocatorum clamoribus, poſtulatorum querelis oppreſſus, ſupra modum gravabatur. Itaque novum orbem, novumque mundum & a ſuo penitus diverſum ſolem deſerere refugereque coactus eſt. Cumque animi ſui regem certum feciſſet, ſeque imparem oneri ſuſcepto profiteretur, ut alium ſufficeret enixiſſime rogabat. Cujus viri ſinceritatem commerciis rex noſtris non eſt paſſus inquinari, nativamque bonitatem adulterinis no-
C tis, ſubditicioque fuco decoloratam liveſcere, ad *Nemorienſem* igitur ducem, quem *Namurſium Baſelius* appellat, magnorum luce natalium illuſtrem & ſplendidum, devoluta ſunt rei noſtræ, noſtrorumque pondera gubernaculorum, illique tradita cum adveniſſet, in arce Jovis inſignia & a maturiore firmioreque tranſlata, infirmiori imbecilliorique tantæ adminiſtrationis ſumma concredita eſt. Memoria teneo, eum diem quo deceſſor adminiſtrationem ſucceſſori reſignavit, mathematicos & qui cœleſtis arcani ſecreta ſcrutantur, exauguratum omnique ſitu aſtrorum perverſo infelicem prædixiſſe. Adeo ſeſe tota Martis iniquitas Saturnique
D læviorís malitia in eum temporis articulum collegerat, ut infauſta ſiniſtraque nobis omnia eo duce futura portenderentur: quod haud multo poſt inſecuta calamitas comprobavit. Hæc dum in *Inſubribus* apud nos aguntur, ſepeliendiſque aliis, aliis rurſus in imperium ſubſtituendis vacamus, magnoque fragore *Venetorum* arma conſtrepeſcunt, ac *Patavinus* omnis ager, *Veronenſis*, *Tarviſianus*que perpetuo militum excurſu recurſuque conteritur atque reteritur, diverſo orbe *Ravennates* militaribus moleſtiis curiſque caſtrenſibus inquietati, haud leviore malo plectuntur. Dum caſtrenſis hoſpitaturæ cura, depromendique æris ac mili-
E tum exhibendorum diſpendio laborant, & ipſe *Julius* quem aſperior fortuna diſtorquebat, contrahendo milite, reparando exercitu, æreque bellicos in uſus diſpenſando, furens ac præceps omnia cœlo terraque miſcebat, virum inurebant excitati nuper concilii propinquiores flammæ, magno conſpirantium afflatu ſacerdotum accenſæ. Quas *Gallorum* alebat potentia, regulorumque multorum incentiva Pontificis excidio confovebant. Ad hæc *Concordia*, *Mirandula*, *Bononia*, pluraque alia eodem impetu fortunæ percellentis amiſſa virum ſtimulis acrioribus diſpungebant, *Ferrariam* non debellaſſe graviter ægerrimeque ferebat, acciſum
F utroque cornu exercitum gravabatur. *Placentiam Parmam*que tanta fortunæ novercantis injuria ſubigere deſperabat. Præterea copiarum ſupplementa, nervoſque bellorum, quanquam quotidie milites conſcriberentur, ipſeque depilandis eradendiſque ſacerdotibus, ac diſpoliando piſcatoris ærario pertinaciter intenderet, infinitis tamen ſumptibus hæc ſufficere vix poſſe non ignorabat. Itaque novum ad fœdus percutiendum, præterque *Venetos* quos tacita ſibi lege devinxerat, ad alios ſibi principes adſciſcendos, noviſque pactionibus concopulandos feſtinat. Et quoniam *Britannos* inteſtinis odiis infenſiores, pertinaciſſimoque duello *Gallis* ſemper averſos reſciverat, eorum ambire regem, illectareque novo verborum lenitatu, ac blande permulſum a *Gallis* ad ſeſe convertere ſtatuit. Deſtinatis igitur ad illum oratoribus facundiſſimis viris, ampliſſimaque nobilium procerum legatione dimiſſa, *Ludovicum Aurelienſem Gallicana* ſuſpectiſſimum potentia, *Britannici* regis ab complexu divellit, omnique diſtractum ſocietatis limine proturbat, intolerabilem viri ſuperbiam ventoſis fortunæ follibus extumeſcentem vehementius inſectatur, exprobratque violentiſſimi hominis indiſcretam temeritatem, & infrænem omnibus in evertendis audaciam. *Mauritani* exitii *Sfortiacæ*que cladis ruinam exordio altiore repetito, virumque pacis & otii ſtudioſum, hujus irruentis impetu depulſum, gentilicioque privatum imperio deteſtatur. Tum *Liguriam*, *Inſubriam*, *Venetiam*, omnemque ab alpibus ad fretum uſque *Siculum Italiam*, hujus indomita & implacabili libidine dominandi, quaſſatam, exciſam, retritamque deplorat. Excutit lachrymas, dum populationes urbium, agrorum vaſtitiem, cædes, incendia, civium proſcriptiones, impulſore *Ludovico* luctuoſa miſerabilique oratione proſequitur: ac nec ſic quidem fortuna ſua indulgentiore contentum, & quanquam *Ciſalpinæ Tranſalpinæ*que *Galliæ* dominum animi tamen ſui ferocientis impatientia, elatique ſpiritus ambitione majora ſemper appetentem conqueritur. Quippe qui eo faſtus & arrogantiæ proceſſerit, ut non humana tantum exagitare, ſed & ſacra prophanare divina permiſcere, religionem inceſtare, nimia perbacchantis deſiderii ſui improbioris temulentia præſumat: ſedem nuper Apoſtolicam introvertiſſe *Bononia*, geſtivit: jugo ſuo *Mirandulam* exſolviſſe lætatus eſt: ne *Petro Ferraria* ſubjiceretur interceſſit: ad decreta edictaque ſua Chriſtum redigere, divinamque mortali ſubdere majeſtatem, enititur. Quæ major eſſe poteſt hominum inſania? Quæ ſuperbia major unquam *Alexandri* fuit? Quæ *Caligulæ* petulantia, quæ temeritas, unquam exorbitantius deliravit? ſacroſanctam tollere libertatem, Apoſtolica jura confringere, omneque per ævum incorrupta corrumpere, temerareque ſemper intemerata laborat. Nuper ſacri conſeſſus, ſeductis proceribus nonnullis, per univerſam *Europam* concilium ſacerdotibus cunctis indixit, reformandæque religionis Chriſtianæ ſuppoſititiam cauſam elegantiſſime commentus eſt. Ecquid amplius expectare fas eſt? quæſo, quid jam reliquum arbitramur? Quem (rogo) potentiæ ejus terminum finemque ponimus? Si præferocem evaginato gladio virum, veſanaque libidine dominandi tumultuantem non cohibet pura & ſancta religio? Si pii cultus reverentia metuſque Deorum excita velut rabie præſurentem virum a tanto ſcelere perficiendo non avertit? Chriſtiani quidem ſunt cæteri, hujuſceque tituli dignitate lætantur. Ipſe vero rex *Gallorum Ludovicus* majore ambitu, majoreque prætitulatus indice, Chriſtianiſſimi prærogativam affectat, uſurpatumque verbo tenus tanti nominis primatum tenet; cum in religionem nemo pernicioſius feratur: nec in Chriſtum ſævius agat. Qui Vicarium ejus ſacrario protrudere, *Petri*que ſucceſſorem aris exigere, exturbareque flagello ſuæ impietatis eluctatur. Tibi igitur invictiſſime regum omniumque potentiſſime, pro virili tua, tuaque ope prænitendum eſt, elaborandumque ſummo ſtudio, ut effuſam diſpalantemque ſibi plus æquo placentis domini potentiam coarctes atque præcidas, equumque terrore omnium ſpatiis amplioribus excurrentem ad ſepta

ſuaſque

suasque præsepes tu moderator & rector virga, fræno, calcaribusque revoces. Et quoniam hos inter reges qui Christiano stigmate sunt insigniti, tu eum certe locum tenes, ut vires tuas ære, milite, commeatu, prævalidas cæteri quidem reformident, ejusdemque pii religiosique fidem omnes revereantur, huic altius inserpenti malo præsentius ut occurras necesse est, periclitantique manum piscatori porrigas oportet. Quod tibi nequaquam difficile nec factu durum fuerit, si cum *Romano* sacrorum antistite *Julio* ferire fœdera non graveris, ut ille quanto longius a Christo nequitia sua distrahitur, tu illi tanto pietate tua proximior accedas, emaculatæque religioni nostræ pari sinceritatis vinculo præpurus & candidus astringaris: quam & principum potentia *Venetorum* suis armis tuetur, reconciliatisque animis acrius deinceps defensura est, quam & *Hispaniarum Parthenopei*que regni Catholicus moderator potentissimus non minori certe patrocinio suscepturus est, suamque pristinam in dignitatem ac libertatem vendicaturus. Hæc cum repurgata barbarus aure, omnique sensu defecato sobrius accepisset, ansancti patris reverentia, procerumque ejus honestiore cœtu commotus, tum & vicini regis opulentia magis ac magis in dies succrescente compulsus, cum alterius opimis rebus aliorum immacrescant, vicinique fertilitate propinquus ager sterilescat perorantibus annuit, seque vatibus antiquis præmonstratam Christi religionem, alioque velatam albentiore panno fidem utraque manu complexurum, totisque viribus asserturum professus est, eamque sese navaturum operam bello dispondit, ut *Gallicani* propediem tumores proflantis fortunæ spiritu distenti, conflaccescant. Lætatus melioro nuncio Pontifex summus, cum ad retentandam implicandamque latius pervadentem lustris suis feram, magnis cassibus, majoribusque venabulis opus esse cognosceret, alia arma solicitus advocat, retiaque validiora protinus innectit. Compertum habebat *Hispaniarum* regem, quem augustiore titulo tempestas nostra præsignivit, sanctique nominis sublimitate dignata est, *Ludovico Aureliensi* male sarta reconciliatum gratia convenire, eosque inter sese reges occultis odiis ac simultatibus dissidentes agitari: quoniam *Parthenopea* sede ejectum sese, amœnissimique regni deliciis excretum, *Ludovicus* indignissime ferebat: nec alterum hinc jacta malevolentiæ seminaria regem fallebant, ipsamque coalescentis livoris segetem cum maturuisset, *Aureliensem* adacta manu, falceque sua permessurum non ignorabat *Hispanus*: & quanquam syncretismo ad tollendum *Venetum* coivissent, soluto tamen fœdere quam primum resilituros, acrioribusque invicem commissos odiis reges graviore bello decertaturos *Julius* opinabatur. Hunc ergo præmeditata ad hunc ferme modum oratione cum præsignes ad hoc legatos deoptasset, alloquitur:

Si Italiæ, *cæterique* Europæ *Principes ac rerum domini, quos ad contractanda populorum & gentium gubernacula, cœlesti præfixa decreto facta sublimius evocaverunt, eam Christianæ Reip. curam impenderent, quam modestiæ pietatisque tuæ temperamenta præferunt, auspicatissime regum fortunatissimeque omnium* Ferdinande, *non adeo succussa quassataque* Petri *ratis quam divino mihi nutu concreditam non inficior, tanto ventorum invicem adversantium conflictu, tantoque procellosi maris turbine fluctuaret, ut pœne salutis meæ dubius undis adobrui, naufragioque perire subverear. Piget equidem ac tædet, ea compositæ mentis tuæ oculis substernere, eaque multiplici globo negotiorum oppressis auribus tuis intimare, quæ nescio quo sinistro numine, sontibusque diris inquietam, mitem ac placidam Christi religionem invehuntur, se-*

A *dentque reposita in ipso fidei nostræ sanctioris umbilico. Verum quoniam necesse est, ut membra quæ tabidis ulceribus purulentaque sanie computruerunt, displicatis fasciis enudentur, ut his congruam medicus salubremque medelam adhibeat, eaque diligens podalyrius suppalpet, illinat, atque deliget, omnem sceleris adumbrati scænam conversis ignorantiæ tabulis eductisque trabibus revelabo. Amplificata mirum in modum* Ludovici *regis Transalpini potentia usque adeo per omnes insolentiæ gradus evecta processit, eumque summi fastigii locum, summæque celsitudinis apicem tenet, ut æquatam subacta post omnia rerum humanarum potestatem, in sacra Deorum, Christique censum inviolabilem, temeritas sua manum inferre non dubitet;* B *eaque divastare quæ messis alienæ sunt, quæque humanos extra usus commerciaque nostra censentur, ea cuncta prædari diripereque sustineat. Quem omni scelerum contagio fœdati milites, omnibusque flagitiorum maculis inquinati, dilapidandis perdendisque sacerdotibus & absumendis eorum bonis autorem habuerunt, habebuntque semper & habent. Sed esto sacrosanctum piscatoris patrimonium invadat, & furore præceps ingrassetur: præmansas Ecclesiæ facultates deglubat: Apostolicas opes esitabundus devoret: altissimoque gurgite suo cuncta suisque faucibus inexpletis infulciat, strangulet, decoquat: illi cedant arces edomitæ, expu-* C *gnatæ urbes illum reformident, evicta debellataque illi pateant municipia,* Concordia *Dominum agnoscat,* Mirandula *revereatur,* Bononia *serviat,* Gallicano*que, si placet,* Roma *subjiciatur imperio: quod actutum propediemque futurum existimo, nisi tota rabie concitam lateque vagantem feram durior tuus obex oppresserit. Sed his impræscripta velim metis tandem præscribantur: his optem ut contenta regnandi finibus obtemperet intemperantia: hactenus confragosi terrarum orbis ruinæ sternantur: parcatur* Hispaniis, Germaniæ *sint incolumes,* Pannoniæ *motus non sentiant,* Thraciæ *suo Marte lætentur,* Britanniæ *procul sepositæ mundo meliore prægestiant,* D *cæteræque post has Europæ gentes diversissimæ bello ferientur: sola* Petri *sedes omnibus augustior & sanctior belli turbinem & ruinam excipiat. At illæsa tantum immaculataque suo candore sit fides: religio vivat: Christus regnet: unus prædicetur. Sed proh dii immortales! proh terræ marisque potens & cœlorum arbiter! Quo vesana demensque mortalium irrumpit ambitio, Christum eluxare atque diducere, & quod ore divino prohibitum antequam crucifigeretur, ne scilicet os ex eo comminuerent, confringere, deterere, pulverascereque nititur invisissimi nequissimique hostis inaudita præsumptio: unum corpus, unam fidem, unam Christi tunicam inconsutilem contextamque per* E *totum, dissuere, retexere, distrahereque modis omnibus in dies gliscente discordia temeritas inconsulta festinat. Novas inexcogitati conciliabuli machinas* Bernardino *tuo* Carvasalo *contabulante, structuris ingentibus, operosisque contignationibus emolitur. Hanc in synagogam asylumque suis undequaque finibus quam longe lateque patent, evocatos sacerdotes* Ludovicus *cogit, & quoniam sedis Apostolicæ reverentia, piique cultus religio multos sanæ mentis morumque bonorum ne sceleratos interdictosque conventus celebrarent, inhibebat, severis ac pœnalibus edictis in nefariam concionem invitos ac repugnantes Episcopos & Præsules adegit. Dii boni in ipsa pietate* F *armatur impietas, in ipsa tranquillitate turbo procellas agitat, ipsoque in medio æquitatis tabernaculo iniquitas diversatur: in ipsa pace dissidium, ipsoque in amoris fomite sublinentis odii carbones inardescunt. An hæc rex piissime Christi tui, imo mei, vel potius nostri præcepta sunt? hæc instituta, hæc dogmata, ab illo veritatis fonte promanaverunt? Quid illimis & perspicua legis Evangelicæ disciplina præter pacem, concordiam, amorem nobis insinuat? In hoc cognoscent omnes quod veri erimus summi illius præceptoris disci-*

puli, si dilectionem habuerimus ad invicem, si relictam ab illo sanctiore magistro supremis suis pacem coluerimus, si mandatum quod dedit nobis ut diligamus invicem, sicut & ipse nos dilexit, observaverimus. Hei mihi, hæc mutuæ dilectionis, hæc reciprocæ pietatis argumenta sunt? Hæc sunt ab illo nobis relicta pacis insignia? Si ego Romæ *pro fide laboro, alius extorris & exul simulata mente contra fidem laborat; si ego fratres meos unanimes in Christo qua possum pietate complector, ille qua potest impietate persequitur; si ego concordes pro virili mea composuisse, ille discordes sua pro virili commisisse studet, atque ut consilii tibi mei rationem paucis edisseram bone Rex, cum seductos fratres meos subornante* Ludovico Aurelienfi *viderem, cognosceremque cum dolore deliriis multis captos aberrare in via veritatis, Evangelica secutus præcepta pie sancteque monui, ne sese velut oves contagiosas & morbidas ab interjacentibus septis discluderent; sed ut ad ovilia nota, suumque remensis retro vestigiis pastorem regrederentur epistolis & internunciis hortatus sum. Quid enim mihi sane molestius, quam ipsos religionis Antistites dissentire; unamque firmis in Christo solidatam juncturis compagem repangere? Verum cum hortatu monituque meo nihil illi despicabilius nec exculcatius animo suo ducerent,* Ludovici *suffragio patrocinantis innixi, hos velut ethnicos & publica nos Evangelica præmonstrante doctrina devovi, dirisque (fateor) execratus sum, ac ne reliquum corpus observente tractim illuvie corrumperetur, marcentes artus & ad vivum intabescentes præsecui. Hos nunc venenato pestilentique medicinio* Ludovicus *fovet; his blanda mitique crudeliter admota manu lenocinatur, hos letifero mulso amariorique melle circumlinit, & quoniam accomoda* Pisis *remedia non suppetebant,* Mediolanum *ad invalescentis morbi sui curationem ubi profusius & largius cuncta suggeruntur perrexere. Ibi falso Christi proscænio adversus Christum coeuntes sedent, pro religione contra religionem decernunt, adsciticiæ fidei pigmento fidem decolorant, dumque via regia meliorem quærunt exorbitant, & hæc nos admissa patimur rex religiosissime? Et hæc nos religionis præfecti crimina toleramus? Hæc nos delicta non emendamus, corrigimus, castigamus præsides sacrorumque præpositi? Nos inquam, tu Catholicus, & ego Christi Vicarius, cui pascendas oves Evangelico testamento mandavit: pasce, inquit, oves meas: & ego quidem ut possum depascor, ne ve ut sanguinem earum a me requirat exactius, intremisco. Qui pensum exsolvi, qui semper in tanto fluctuantis naviculæ naufragio nixus sum, totisque viribus meis insurrexi, ne quam in charybdim scyllamque devii pererrantesque nautæ deflecterent: aut allisi scopulis durissimas in cautes procellis urgentibus impingerentur. Vigiliarum laborumque meorum, præter ipsos quos omni molestiarum fasce prægravavi socios fœderumque participes. Dii mihi ipsi testes sunt: Quos omnes una simplici voce semper imploravi, effusissimisque precibus & votis ad aras obtestatus sum, ut omnes actiones meas ad suæ voluntatis arbitrium dirigerent. Ad hæc, cujus longinquæ sepositæque gentis ducem & principem verbis meis non obsecravi, non ambivi, non illexi? ferocissimæ durissimæque gentes* Helvetiorum *impulsore* Julio *Pont. Max. commotæ sunt, raptisque confestim telis, ac suasim phalanges constipati, magno turbine* Mediolanum *impetivere, rati plebem vulgumque statim in* Gallos *quos universis* Mediolanensibus *invisissimos sentiebant, adventu suo concitari posse. Quos etsi fortuna* Gallo *tunc obsequentior aspernata sit, irritoque conatu frustrata, non eadem posthac sorte parique deinceps judicio damnatura est; si concurrentibus aliunde suffragiis externoque pariter adjuti præsidio in aciem descenderint.* Veneti *mihi quidem paulo ante adversi, nunc reconciliati, seque ad meliora receptantes, nobis consentiunt.* Maximilianus *Cæsar introrsum secretisque pactionibus qua potest ope Christianam Rempubl. juvat.* Britanniæ *princeps opulentissimus quanquam prius* Gallo *jure fœderis astringeretur, postquam adoperta scelerum revelantibus nobis, & implexa displicantibus omnia, rerum edoctus est, ac externæ malitiæ turbidiorem summis labiis fontem elibavit, tanto rem communem flagello pulsari deplectique non est passus, ac ut suppetias elaborantibus nobis afferret nostra perlibenter in verba juravit: Quid tu igitur* Ferdinande *Rex omnium catholice, hoc in pronutantis nostræ religionis ambiguo facturus es? An medius, partiumque neutrarum sedebis? Sed qui pro Christo non est, contra Christum stare creditur, & qui cum illo non colligit, spargit: erigenda tua pro Christo vexilla sunt, ne facto repugnes illi quem verbo profiteris, sub ovis vellem lupum ementitus, hac ut in re nomen tuum manusque consentiant oportet: nisi forsitan* Gallo *præsidium impartiturus es, ut expulso* Romana *sede* Julio, *tu primus irruentem illum excipias, & quem omnes universis suis viribus collectis propulsare propellereque non potuerunt, tu solus* Lædæ *filius evincas & superes. Sed illi tanta subest initi tecum fœderis reverentia, tantusque percussæ tecum pactionis respectus illum tenet, ut qui* Julium *detruserit, Christum protriverit, religionem oppresserit, uni* Ferdinando *parcat; sed hæc esto vera fuerint, unique tibi benignius arrideant, quo tandem defensionis clypeo in hac periclitantis Christianæ rei fortuna conjectum accusationis telum rejectaturus es? Qua penula pileoque compluentes reatus aquas defendes? Qua succinctus face verborum, quibus argumentorum laqueis armatus ingestam cessationis tuæ culpam, negligentiæque labem exures & expurgabis? Divini certe judicii rigorem, examinatissimæque notionis censuram subiturus es. Filius hominis, inquit Dominus, veniet, præmia cuique suorum ex pondere meritorum retributurus. Qua plane mensura mensi fuerimus remetietur & nobis. Rogo, quid homini conducet, si mundum lucretur, animæ vero suæ detrimenta patiatur? Quid inquam tibi profuerit si glisceras regifico luxu dapes epuleris? Si frequenti mutatorio quotidie byssum & purpuram induas? In ipsaque tuarum opum abundantia, latoque voluptatum pelago voluteris? mox extorris cœlo,* Lazarum *suspicias, ac ut linguam refrigeret in cassum exoptes. Optabilior est & admirabilior* Hieronymo *teste* Pauli *tunica cum suis meritis quam regum purpura cum suis pœnis. Omnia reliquerunt Apostoli, nudique nudum secuti sunt, ut judices sederent, ut centuplum acciperent, ut veriore vita perfruerentur. Quid igitur ego tuque facturi sumus qui catholicam fidem tenemus, qui Christum profitemur, qui cœli municipatum aspiramus? Atque non hæc tibi* Ferdinande *Rex, oratione mea prolixiore studiosius insinuo, ut cum hæc tibi luculenter & splendide prædicavero reprobus efficiar, meque ipsum ementitus scribarum ac phariseorum more dilatem fimbrias ac philacteria. Juro testorque Deos, non hæc mihi, non filiis meis non cognatis nec affinibus sicuti majorum plerique meorum concumulaverunt, adgerere: non his ducatum, illis provinciam, aliis præfecturam, &* Attalicas *opes elargiri mente mea concepi, solus in animo mihi Christus est, hunc prædicare solum & extollere, hujus unius æternam consæcularemque sancti nominis majestatem exornare, decorare, sublimareque totis viribus meis animique mei contentione desidero. Notæ anteactæ vitæ meæ rationes, actionesque percognitæ, & ab ipso Pontificatu adepto sacri ærarii dispensationes meæ satis omnibus innotuerunt, nihil unquam intentius appetivi, nec exoptavi quicquam ardentius quam ut sedatis fragoribus bellicis, Christique pace nobis omnibus restituta, perditos illius hostes insequerer,* Asiaticasque *gentes infidosque omnes populos qui devio tramite delirantes* Romana *religione*

ne distrahuntur, bello contraherem, universamque pulsatam armis meis Asiam, *quam longe à* Tanai Niloque *ad Oceanum diffusa patet, mea impensiore opera vexillo Christi* Petrique *clavibus subigerem. Hic impetus, hic ardor animi mei, totus hic meæ mentis affectus, hæc una sola nostræ cogitationis intentio: non tanto quidem labore jugiter æstuamus, non tanto sudore pulvereque sordidamur, ut luxuriemus, epulemur, lavemus: hæc perditi vota sunt hominis nequitia sua consepulti: ego præclarum egregiumque facinus continenter excogito: ego rem conspicuam & illustrem emolior: ego penitissimis visceribus meis Christum affecto: illius exigere prænitor hostes & tollere; sed priusquam externos insequar interni mihi delendi sunt, & funditus extirpandi. Tuam igitur si qua rei mortalis & immortalis cura mentem agitat, si qua spes conservandi regni tui tuo defixa corde subvivit, fœdus mecum percute, exercitum præpara, copias instrue, acclinantem mihi tibique mox sævo Marte ruinam, maturamque* Gallo *percellente cladem averte. Non hæc ullis tibi literarum figuris depingenda sunt: nec ullo derasi stili mei levioris acumine peraranda, hæc tu dispicis, vides, intueris, tuos hæc ante sita sunt oculos de filo pendentia, tuumque in caput ruitura* Gallo *victore propellenteque discrimina, proferendorum dilatandorumque finium aviditas & inexplebile votum, quo* Ludovicus *semper anhelabundus, tuæque rei inhians tangitur & intorquetur, meridiana tibi luce manifestius inclarescunt, depulso* Romana *sede* Julio *Pontifice Maximo continenti ruina* Ferdinandus *extruditur.* Campania, Appulia, Calabria, *ac mox* Sicilia *atque* Sardinia, *trepidanter ut excedat necesse est. At cum* Hesperiam *magnam suam in ditionem provinciamque redegerit, qui fieri posse existimas, ut ab asperrimi victoris impetu tua sit incolumis* Hesperia *sospesque futura? Quod si te catholicum reique divinæ vacantem hæc non tangunt, at certe religio, ipsaque divinæ rei titubantis cura proceat. Tuos ante pedes, si salva Imperii mei majestate liceret, provolverer, obsecrarem, obtestarer, ut prolabentem admota manu tua fidem stabilire, ut revulsa distractæ nuper Ecclesiæ membra componere, ut nova propullulante hæresi disjunctum Christi corpus conjungere non differas nec moreris. Te ipsum excute quæso, tui nominis specimen ac dignitatem expende precor, quid catholici sit hominis, & hac inscriptione præsigniti, tecum reputa: si catholicus es, Ecclesiam catholicam tuam defende: si Christum amas ipsum sequere: si Christum sequeris illum non impugna, impugnas autem cum non defendis. Quid si tua pro Christo pignora, tuique sanguinis charitas violanda foret? pro Christo si nescis exculcanda sunt omnia. Non veni, inquit, ponere pacem sed gladium: veni enim separare filium adversus matrem, & nurum adversus socrum suam. Nam qui patrem aut matrem plus Christo diligit non est illo dignus, & qui fortiter affectui non repugnat Christo non fruetur, nec illius in tabernaculo sedebit. Per calcatum inquit* Hieronymus *ad* Heliodorum *perge patrem, matris gemitum passis crinibus ejulantis contemne, nutricis ubera quæ puer olim pressaveras & suxeras pro Christo rejice. Non omnis qui dixerit Domine Domine his intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris qui in cœlis est, his intrabit in regnum cœlorum. Hæc est autem voluntas patris ut animam tuam propter Christum perdas, ut cum perdideris eam invenias: si te ipsum plusquam Christum diligis non es Christo dignus: nec uno tantum fine metaque dilectionis contentus est Dominus: nisi cum exegerit factum præstes, præteritaque futuris à te beneficia cumulentur. Quoniam igitur tibi nota sunt omnia, tuæque menti salutifera nostri dogmata præceptoris altius insederunt, ut declamatore* Julio *non indigeas, Christumque tuum animo vehementiore* A *complectaris, ægrum quæso consove, deficientem nobis Christum refice, exhaustum precor instaura, ut qui meritis beneficiisque tuis catholici nomen es in terris consecutus, catholici quoque præmia consequaris in cœlo.*

Accensus his dictis & inflammatus oratione *Ferdinandus*, cum amittendi *Parthenopei* regni formido mentem incesseret, occultæque inter ipsum *Gallum*que simultates animo recursarent, honestiorem inferendi belli titulum prætendi, nostræque fidei defensandæ causam, movendis armis prætexi, gavisus est. Itaque quantum viribus posset, quantumque regni sui facultates copiæque valerent, B *Julii* Pontificis arbitrio dispensandas obtulit, icturumque fœdus perpetuum, astrictamque religione fidem observaturum assensus est. Igitur aversæ disparatæque mentes cum procurante *Julio* coivissent, consensissentque uno voluntatis flexu connexi principum animi *Gallicanam* in rem stirpitus evertendam, singuli sua pacta suasque leges in medium contulerunt. Mox cum additis, detractis, inversisque nonnullis, ut perficiendis in rebus arduis, irretractabilique voluntate consancienda fieri solet, tabulis subscripsissent, magna incredibilique voluptate *Julii* Pontificis multorumque lætitia populorum *Romæ*, C *Venetiis*, nec non exteras apud gentes fœdus sanctissimum promulgatum est. Actæque Diis immortalibus gratiæ, mox supplicationes, nostroque de more sacra, igne thureque calentibus aris peracta sunt, accensa delubris editisque turribus micantia splendore suo lumina, conceptam ex fœdere jucunditatem luce perpetua contestabantur. Ad hæc æris campani sonitus assidui, collucentesque triviis ac quadriviis congesto majore rogo flammæ repentini gaudii novæque hilaritatis nescios admonebant. Hic primus fatalis *Gallo* dies, hæc *Ludovico* primum exitialis hora fuit. D Et quanquam pristini roboris firmitate constaret, latasque spaciantibus adhuc umbras antiqua ramis densisque frondibus arbor præberet, exinde tamen concuti succidique cœpit, donec crebris & hinc & illinc bipennibus vulnerata, agricolæque durioris insecta ferro, supremum congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam. Ergo cum initi nuper fœderis copulam, claris evidentibusque lætitiæ signis celebratam, indignabundi fremitantesque *Galli* percepissent, retroversaque ab ipsis ad *Venetos* Pontificemque, *Britanni Hispani*que Regis voluntas manifestioribus argumentis comprobaretur, quanquam dulcioris fortunæ musto temulenti, cæcique perpetua succedentis ex vo- E to rei felicitate, resipiscere tamen & intueri fortunæ vicem instabilis, omniaque stridulo cardine versitantis inconstantiam expendere cogebantur. Nam cum eo processissent arridentis fati blanditiæ, jucundique benigno favore plausus usque adeo in discreta felicitate prolusissent, ut jam res magnitudine sua laboraret, magno ingentique casura præcipitio facile omnia conjiciebant, seque haud diu consistere posse tanto rerum culmine verebantur. Itaque cum effusi prius lateque vagantes pervaderent, universamque *Venetiæ* regionem incitatissimis excursionibus ac populationibus assiduis devastarent, infestarentque nunc armis *Pa-* F *tavium*, nunc *Vicentiam*, alioque digressi *Tarvisium* impeterent, ac rursus alia aliaque oppida perniciosius ingrassarentur, paulo restricti sese ipsos collegerunt, suasque se statim in mansiones ac latebras recepere. Interea *Julius* ut conceptam in *Gallum* ac præparatam expeditionem accuratius atque maturius exequeretur, quanquam *Veneto*, *Hispano*, *Britanno*que multa tribueret, confideretque præsidiis eorum munitus ac Diis faventibus ex voto cuncta perfici posse, Cæsarem tamen

omni diligentia studioque frequenter ambibat, ut illum *Veneto* conciliatum modis omnibus redderet. Nam & si *Maximilianum* adversus Pontificem nequaquam arma sumptum opinaretur, nec illum hostem habiturum existimaret, propiciæ tamen magis quam adversæ suos in socios voluntatis præcipueque *Venetos* esse volebat: ut *Germanicis* armis expedita, Cæsarianoque bello libera Respubl. Pontificalibus armis impensius vacaret. Ipsique Principes *Veneti* dum peregrina vexatione conquiescunt perdendis *Gallis* validius incumberent: quod & ipsi solicite diligenterque procurabant. Hinc quippe *Gallis*, illinc *Germanis* assidue Rempubl. adfligentibus distracti patres, cum domi continenter attriti familiaribus armis attinerentur, minorem certe foris operam impendere, peregrinoque bello superesse poterant. Itaque summa ope summoque studio Pontifex & *Venetus* apud Cæsarem de pace frequenter agere, hortari, suadere, ut boni Principis animum, bonique mentem moderatoris indueret: ut vicinos quorum opibus frequenter uteretur, & usus esset, quorumque facultates ipsius arbitrio forent expositæ semperque fuissent, non odio sed benevolentia prosequeretur, non bello nec armis infestaret, sed præsidiis & auxilio tueretur. Ipsos præterea non ingratos nec immemores *Venetos*, tantis parem beneficiis gratiam aliquando esse relaturos, affuturos *Romano* Imperio, cumulatamque omni meritorum genere Cæsaris majestatem amplificaturos, nihil quod ad illius extollendam exornandamque perpetua laude dignitatem spectaret, prætermissuros esse, modo religionis nostræ defensoribus sese ut par erat æquum præstaret. Arduum erat & difficile suadendo hortandoque virum duræ cervicis evincere. Et quanquam magno ære profusissimisque largitionibus quibus ad acceptæ rei consummationem *Veneti* nunquam pepercere, Cæsarem illicerent, rem tamen ad exitum finemque suum perducere non poterant. Siquidem opera *Venetorum* sese *Patavio* Cæsar introversum stomachabatur, nec ferre poterat æquiore animo nobilem & antiquam urbem Cæsariano jugo suppositam, vel militiæ suæ negligentia vel hostilis solertiæ diligentia revulsam in aliena jura transisse. Cumque per oratores Pontificalesque legatos de fædere feriendo, deque pace tenacius consancienda tractaretur, exulceratus semper Cæsaris animus ad *Patavium* suspirabat, idque primum omnium restitui, sibique relaxari summa contentione & pertinacia flagitabat. E diverso legitimi possessores *Veneti* nullis interpellantibus inquietati, reddere non injuria detrectabant, adjectaque restitutionis conditione mirum in modum gravabantur. Nam præterquam quod ea quæ *Veneto* semel fisco conglutinata cohæserant revelli distrahique molestum erat, eam certe nunc urbem tanto labore, tantoque sudore *Veneto* defensam resignari longe molestius longeque indignius esse videbatur: quo circa difficulter & ægre summos inter principes conveniebat. Et quanquam sæpe *Julius* Pontifex, junctique cum eo reguli de pace cum *Maximiliano* suisque cum proceribus agerent, eamque modis omnibus extorquere niterentur, cum in re omnium esset, conduceretque omnibus pace frui, nihil tamen inter *Venetum* & Cæsarem aversa discrepantis animi voluntate transigebatur. Itaque frequenter ad arma mutuasque strages *Venetus Germanus*que conversi, regiones finitimas omnes ac vicinales agros colonorum pernicie, magnaque copiarum agrestium interitura divastabantur. Et quidem *Galli* qui stationario præsidio *Veronam* tutabantur, quotidie septis stationibusque suis erum-

A pere, populari, diripere: & qui *Ferrariano* victores agro fuerant, assidue concursare, deprædiari, pervastare, præcinctaque *Padi* ostia navigiis omnibus obsidere. Quibus *Veneti* frequenter occurrere, certaminaque subinde levia committere, digladiari, occidere, & quoniam ad famem, perurgendamque hostilem inediam, expedire videbatur, si ex omni agro *Veronensi* segetem *Veneti* perussissent, ipsique majorem flammis quam ferro cladem hostibus illaturos conjiciebant, dispartitis copiis, ac ultra citraque *Athesim* militibus distributis, cum singulas sortiti regiones silentio noctis agros invasissent, incussis facibus, intortoque

B culmis igni, cuncta crebriore vento incendium adjuvante passim inflammaverunt, magnamque vastitiem attonsis suoque decore spoliatis arvis, ac atra fuligine cineri permixta late squallentibus dedere. Sed non ea clades jacturaque barbaris impunita fuit: flammis quippe collucentibus, aristisque circunquaque crepitantibus conterriti vigiles excubiæque commotæ, militiam omnem tabernaculis mansionibusque suis evocatam, in hostem concitavere: ilico raptis omnes armis, agmineque facto portis erumpentes, attonitos ac dispalantes incendiarios desequuntur, cædunt,

C vulnerant, sternunt: capti alii, summersi alii, alii alio casu crudeliter absumpti, lachrymis gemituque patrati facinoris claritatem funestavere. Ex *Germanico* interea *Ferrariensi*que agro militibus accersitis, cum ex contracto diversa regione præsidio, ad quatuordecim bellatorum millia coivissent, infestare acrius *Venetos*, omnique ex parte instructa acie, dispositisque passim ordinibus propulsare cœperunt: & primo quidem ad *Villanovium* oppidum *Leonini* milites majore animorum quam corporum robore prævalentes substitere, congressique deinceps, numerosa proruente hostium turba facile superati, pulsique loco, cede-

D re coguntur. Ad *Suavium* exinde castra metati, cum non eodem semper vento currere fortunam autumarent, obsistere reluctarique iterum viriliter ac fortiter præsumpsere; sed animorum vim irritam, fluxosque strenuæ juventutis *Marcicæ* conatus exigui rarique militum interlucentium ordines faciebant. Itaque capto repente *Suavio*, magnamque de *Venetis* cæde sumpta, cum longe numero dispares præfurentium impetus barbarorum non sustinerent, *Leonicum* usque rejectati compulsique, trepidanter in castra suffugerunt. Adaucto protinus hostili exercitu, cum *Germanis* in dies, ac *Gallis*, *Italis*que diverso coeuntibus,

E matura clades in *Patavium Tarvisium*que recasura timeretur, utrum de proximo invasuri hostes essent, ambigentibus *Venetis*, *Patavium* primo digressi sunt, cum ut præmunitam urbem incursione hostica validius tuerentur, tum ut ipsi milites vallo, fossa, muroque securi sese firmius securiusque defenderent: ergo cum *Patavinæ* satis tutelæ prospectum crederetur, divisis copiis, alias *Tarvisiano* præsidio summisere: in magnam utriusque oppidi prævalidamque defensionem, patriciorum plurimi *Venetorum* quorum animis altius insederat, adversus omnem militarem impetum barbaricamque vim *Patavium Tarvisium*que tue-

F ri, in eas urbes alacriter expedito cum equitatu commigravere: jam satis superiore bello proximaque obsidione castrensibus curis exerciti, bellicarumque rerum difficultatibus ac vigiliis multis obdurati fuerant. Qui ne tantæ rei pondera veteranis novitiisque militibus concrederent, ipsi interesse, suam ipsi rem agere, obireque malebant: non absurde rati, ea dispositius & sanctius peragi, quæ dominorum admota manu suorum, ipsisque sub principum oculis quam quæ peregrina solicitudine conficerentur. Tunc itaque novo belli

belli motu, novaque Martis resurgente sævitia, cuncta passim agitari, omnia ferro crudescere, universa flammis incendiisque permisceri, agrestes fugere, cives trepidare, milites ubique locorum tormentis ac gladiis inhorrere: sed & per *Illyricum* non minora bellorum exardescebant incendia: ubique *Venetum* insectantibus barbaris, ac bellicarum flammarum sonore rebullientibus, quas & *Aluisius Muscatelus Tergestinis* irritatis violentius accendebat. Quo parum in hostem prospere feliciterque congresso, cum fortuna *Tergestinis* propensior faveret, propulso hoste *Muglanos* invadere truculentius cœperunt. Quod oppidani gravatim molesteque ferentes, cum sese lacessitos externisque petitos armis indignarentur, instructa acie, dispositisque ad rem gerendam ordinibus, oppido protinus erumpunt, collatisque signis, ac quadrato statim agmine concurrentes atrocissime ferocissimeque depugnant. Utrinque acriter consertæ manus, permixtaque violenter utrinque præliatorum corpora, cum ancipitem pugnam dubiumque primo congressu Martem fecissent, *Muglanicis* adurgentibus copiis *Tergestini* nulla cum laude gloriaque disjecti, sed plagis vulneribusque conflictati suos in vicos pagosque dilapsi sunt. *Tergestinis Liburninæ* cladibus successere. Quas alterno provecta gradu fortuna, ac nunc dextris nunc sinistris acclinata erectaque depressit & sustulit. *Liburni*, gens sæva & aspera, municipiis suis egressi, convectandæ prædæ diripiendarumque villarum & prætoriorum dulcedine pellecti, regionatim equitatu peditatuque pervadente, magno turbine, magnisque fragoribus in *Venetos* proruebant. Quos fusos fugatosque maxime propter *Adignani* mœnia, victores *Veneti* magnis cadaverum prominentibus cumulis, in diversa propulerunt. Mox in *Tergestinos* impetu verso, repetitisque populationibus & incendiis, terra marique infensiores, hostili more cuncta pervastare, prædari, diripere, *Andreas Ciuranus* sua cum cohorte, validoque cum peditatu, hostium in intima penetrare, opulentioreque deinceps præda peronustus regredi, quem, in insidiis dilatentes improvisique hostes prætereuntem adorti sunt, subitarioque circumseptum agmine protinus invasere; sed in globum coacti repente *Veneti*, cuneisque densos per hostes in pactis, cum jam undique diductos ordines proscidissent, ex insperato sospites erepserunt. Quos haud multo post adauctæ legiones barbaricæ, cum retrogrado sævior fortuna gradu vertisset, tanto perturbatos impetu, tantaque pressura rejectatos impetiverunt ut profligatis cæsisque pœne omnibus, ægre tenuique cum comitatu dux incolumis evaserit. Hujus ergo victoriæ factique celebrioris invalescente fama, quæ semper in majus variis hominum rumoribus efferri solet, cædes, fuga, deditio, municipiorum omnium, ac eorum maxime quæ palabundi hostis insultum fuerant exceptura, agitari cedereque victori cœperunt: donec exultabundum excurrentemque *Germanum* perculsis omnibus, oppositi *Muglenses* attenuatis viribus contusisque represserunt, constantiore animo prædabundum, lentaque diutius obsidione persistentem toleraturi. Ergo cum hostilium ductores copiarum, superbia fastuque victoriæ continentis elati, reluctantis obduratæque civitatis deditionem non impetrassent, ilico furentes ad arma, subitamque urbis expugnationem prorupere, machinas educunt, tormenta præparant, mœnia percingunt, tum perpetuis, nullaque funditores interpellante mora, diu noctuque tormentorum ictibus muros quassant, tela conjiciunt, oppidanos assulta pugnaque fatigant. Contra vero, *Muglenses* in re

A tanta soliciti, diligentes, impigri, procurare omnia, lustrare omnia, omnia surrectis aggeribus, mœnibusque prævallatis, obsolidare, constipare, firmare: non iter, non aditum, non hiantem in urbis secretiora rimam hosti relinquere: denique commutatis frequenter excubiis, invicemque suffectis ad munera discreta bellatoribus, nullum otium, nullamque delassatis hostibus moram impartiri. Quæ dum hinc inde magna vi magnoque studio pænitentibus animis, ac offendendi defendendique perseverantia pertinaciter obstinatis aguntur, opportuna *Justinopoli* præsidia *Muglensibus* advenere. Quibus ilico
B recreati municipes, refectisque viribus instaurati, contra *Germanos* validius atque potentius institere: adeo quidem ut soluto perseverantibus in defensione sua *Muglanis* obsidio, discedentes hinc *Germani Tergeste* compulsi sint. Nec interea leviorem *Andreas Ciuranus* armaturæ ferentariæ magister operam bello navabat. Huic siquidem non impiger copiarum præfectus *Germanicarum* obvius, cum patentibus ad *Muglam* campis uterque valida manu, multoque milite præcinctus restitisset, pedem contulere, sævissimoque prælio commixti, hinc strenuus egregio ductore *Venetus*, illinc barbarus cum suopte impetu ferox, tum
C indomiti sui ductoris impatientia præceps, exserto statim ferro manum truculentissime contulerunt. Cum utrinque acies emicantibus gladiis magnoque animorum ardore conflixissent, mutuoque fere miles omnis vulnere debilis elanguisset, traherentque dubiam æquis pœne viribus & animis in diversa victoriam, conspicati sese invicem duces, admissis equis impactisque calcaribus concurrere, rati cadente altero alterum surrigi, ipsamque ab humili dejectoque victoriam, ad erectum sublimemque provoluturam. Ergo cum hastarum ærata cuspide directarum, uterque cautus & prudens ictum evitavisset, clava pugioneque
D cominus agi cœptum est. Offendendi defendendique solicitus uterque viscera speculabatur, locumque vitalem ferro penetrandum acutius disquirebat & rimabatur: assiduo pulsu relisæ sugillatæque galeæ propinquæ necis & gloriæ decertantem, admonebant. Æquo diu Marte depræliati cum paribus infractæ vires animis, eademque soliditate præfirmi corporis vigor utrique constitisset, *Andreas* barbaro suggressus perangusta bucculæ fathiscentis foramina stilum adigit, *Germanici*que ductoris faciem vulnerat, ilicoque respersum sanguine pugionem recuperans uno ictu terrorem hostibus, sociis alacritatem intulit. Ita-
E que velut ex oculis manuque diffugiente victoria, conturbati omnes extemplo milites aversi sunt: ipsi vero accensi acrius in pugnam *Veneti*, cum exultantibus fata jucundius arrisissent, ferocius hostem insectati sunt, & nisi convectandæ prædæ, trahendorumque captivorum solicitudo quam par esset intentior, victorem distinuisset, illustre mancipium, illustrisque captivus *Veneta* manu perduci poterat; sed omnibus innata diripiendi dispoliandique hostis aviditas & dulcedo, præcelerem in fugam ductori saucio locum fecit. Hac belli secundioris fortuna victores usi longe lateque pervadere, alioque protinus inferre signa
F cœperunt, vicinorumque saltus montium obsidere, arces asserere, oppida debellare. *Hosopinæ* arcis moles inexpugnabilis duro silice præruptoque monte stabat, quam non humana vi nec ope mortalium ulla, sed stratagemate doloque *Veneti* ductores evinci posse conjiciebant: subornatis ergo, qui oppidum dederent, illius possidendi magnam in spem erecti sunt. Sed dum minus sedulo, minusque prudenter negotium ductor maturat dilapsus est, importunique suis *Tergestini* suppe-

tiis intercedentes, contextam proditionis telam filis omnibus diruptis retexuerunt: quod cum perinique magister insidiarum tulisset, ex integro novas nexuque validiore constrictas attexuit, summissisque *Veneto* nomini devotis pluribus qui *Carnos* liberiore commeatu immigrantes ac remigrantes ementirentur, oppido vim intulit. Hi siquidem specie mercatorum quos escariæ merces poculentaque venalitia securos ubique locorum præstabant introgressi, tempestivisque custodes horis adorti, ferro perdunt, suffectisque factionis suæ militibus quos alia simulando agendoque paratos admiserant, ex improviso subitaque vertigine captam arcem *Veneto* resignaverunt. Quo facto perterriti omnes agricolæ vicinorumque municipiorum decuriones, cum ad prosperam adversamque fortunam sublato signo præcurrentem, cæteri omnes subsignani facile deflectantur, concordi motu conspirantibusque animis in *Veneta* jura transiere: multaque tunc circum ab his oppida deditione recepta sunt, hostilique jugo dissoluta adglutinataque *Venetis*, eorum imperio cohæsere. Quod quanquam fere nulla parte bello vacaret, *Liburnis*, *Tridentinis*, *Illyriis*, & ad arma *Ferrariensibus* semper intentis, non etiam æstu minori *Venetia*, *Forum*que *Julii* confervebat: *Gallis Germanis*que *Leoninum* militem incitatissimo odio semper & ubique persequentibus, ac sæpe decertantibus ferro, multaque molitione ac labore, munimenta, aggeres, aquas, quibus *Veneti* sese, castraque sua & urbes præsepsissent, evertentibus: quos contra *Marcius* miles pervigil & intentus jugiter excubare, congredi, pugnare: nunc ad *Marosticam*, nonnunquam ad *Suavium*, rursus ad *Urbiculam*, frequenter ad *Baccianum*, ac *Castronovum* ingentibus novisque cladibus hostem afficere, peditem capere, levitem profligare, interceptoque commeatu fame inediaque maciatos omnes conficere. Quibus exagitati divexatique continenter hostes truculenti, infanda crudeliaque omnia perpetrare, templa spoliare, sacra execrare, sancta polluere: non religioni, non sexui, non ætati veniam dare. Stabat pro templo mater attonita, duabusque cincta virginibus intemperatam subantis veterani libidinem, arce, præsidioque Deorum arcebat. Quas petulca infrænisque conspicata militaris licentia, ut duabus mactatis lenibus hostiis, sacrum veneris incestaret, abripuit, exsertoque pudibili vagina cultro, obscœni prædones indefloratique pudoris archipiratæ vim trementibus ac pavidis inferre parant: pro templo, pro virginitate, pro pudicitia reluctantes puellas, irritumque materni præsidii suffragium implorantes, cum telo veneris transfigere non possent, Martis gladio jugulaverunt. Insignes animæ suoque sanguine feliciter cruentatæ, quæ ne terrenæ labis macula fœdarentur, incorrupto sanguine suo splendescere voluerunt. Hæ sequuntur agnum quocunque ierit: hæ stolis candidis amictæ, suique cruoris trophæum præferentes, cæli municipatum promeruerunt. Exinde passim & in omne scelus violenter debacchata barbaries, cum universa ruinis ac stragibus deformata perhorrerent, *Tarvisium* digressa est, nec ab urbe procul castra posuit: mox locandis defigendisque vastioribus tormentis intenta, expugnationem parat. *Veneti* futuræ pestis non ignari, expedire omnia, factitare omnia, missilibus telis omnibus hostes longius summovere, frequenter eruptione facta congredi, nullamque delassato requiem oppugnatori dare: atque sic diebus aliquot exactis, cum in urbem aditum hostes frustra tentassent, repugnantibus acriter oppidanis, commissasque sibi stationes audacissime fortissimeque tutanti-

A bus obsidium solverunt. Mira res: dum obsidentur, dum timent, dum pro patria pro sanguine suisque pignoribus anxii cives militesque laborant, victores evadunt. At dum solvuntur, discinctique tripudiant, & abeuntibus barbaris hilarescunt ilico cæduntur, sternuntur, capiuntur. Abscederant hostes, adactisque sarcinalibus jumentis in diversa pergebant: exsultantes; lætabundique cives, & his admixti milites *Veneti*, temere passimque sese portis effundunt, indiscreti, dispalantes, inconditi, nullo sibi timore metuque præcaventes; sed prægestiente lætitia, nimioque suffervente gaudio, negligentes
B atque supini. Id ita futurum hostes rati, sese latebris obscurioribus abdiderant, advelatique sentibus atque frutetis præterlabentem oppidanum præstolabantur. Quem ut ad dispositas molliter insidias perlicerent, metum fugamque præcipites simulabant. Cum ad destinata persequentibus *Tarvisianis* pervenissent, ecce signo dato, velut immanes feræ, truculentique leones emissi specubus antrisque suis undique circumfluunt, ingrassantur, invadunt, & hos & illos, & hinc & inde, à fronte, à tergo, à sinistro dextroque latere pulsantes vulnerant, sternunt, flagellant. Attoniti repentinoque terrore dementes oppida-
C ni, cum neque duce, neque signo, nec ullo ordine regerentur, retrocedentes versoque tergo inglorii, magna cum clade pluribusque relictis, sese suas in mansiones receperunt. Barbari post illatam cladem susceptum iter peragentes, cum novæ *Tridentininis* saltibus in plana descendentes *Germanorum* copiæ, *Feltrenses* agros irrupturæ viderentur, his sese justum in exercitum qui *Tarvisianos* perculerant, conjunxerunt. Cumque *Ludovicus Bataleus Castrumnovum* multa manu teneret, nonnulla *Germanici* nominis formidine corruptus, cum adventantium prælati rumores increbescerent, appetentibus cessit, oppidoque
D relicto *Sacillum* profectus est, cujus præfectum agebat *Balthasar Scipio*, *Antonius*que *Savorgnanus* collectitii tumultuariique militis magister. Hi cum præmissis exploratoribus compertum haberent, magno conjunctas exercitu copias hostiles in ipsos impetum esse facturas, veriti ne frustra consisterent, multaque cæde debiles & attenuati barbarico tandem mucrone ferirentur, relicto ad incolarum arbitrium *Sacillo*, protinus excessere. Eo capto *Spilimbergium Tiliavento* incumbens, *Germanicum* furorem deditione fœdereque ruinam impendentem avertit. Quam ne tolerare durius graviusque perferre cogerentur *U-*
E *tinenses* de proximo proruentem hostem excepturi, pretiosa supellectile decimata, noctis conticinio solum vertere. Exarmata urbe omnique præsidio destituta confestim hostes potiti, cum omnia late victori cederent, reliqua nullo pulvere subegerunt. *Savorgnanus* tanto victoriæ impetu perculsus, cum instantia magis quam futura prospiceret, descivit. *Balthasar Scipio* fidem magis quam fortunam secutus *Gradiscanos* tutatus est. Quibus & *Aluisius Mocenicus* provinciæ legatus, quantum suæ vires evaluerunt, præsidio fuit: sed ægris pedibus fragilique nexu laborat unius hominis constantia, cum cæteris titubantibus &
F præ timore conterritis impellitur. In *Gradiscanos* hostiles copiæ deflexerant, quos, deditionem retractante *Mocenico*, cum fœderi locus esse non posset, oppugnare subigereque constituunt. Ergo dispositis circunquaque tormentorum ingentium organis, omnique admoto murali machinamento, mœnia pertundunt, defensorem adflictant, in urbem missilia omnia impetu magno conjiciunt. Oppidani contra, macerie, fimo, stramine, perforata obstruunt, subhiantes fene-

stras

stras obturant, diducta cuncta compingunt, assilientibus reluctantur, occursantibus occursant, ferientes referiunt, percutientes repercutiunt. Mox cum nulla non succedentis ex voto belli felicitate propugnatorum animi mentesque roborarentur, in hostem acriore impetu facto, refugos longe profligant, totisque coacti viribus oppidani vallo mœnibusque summovent: sed non ea stabilis gloria, nec firma militum civiumque laus fuit. Adglomerati quippe hostes cum sese rejectatos urbeque summotos longius, turpe ducerent, sed & turpius contra gentis suæ morem terga vertisse, ideoque sibi graviter invicem irati rigidique sibimet succenserent, instaurare, redintegrareque omnia præparant. Itaque majori quam antea impetu, contractisque validioribus quam unquam nervis in oppidum præcipites feruntur, summaque vi furentes ingruunt & oppugnant, tela, pilæ, gladii, circumvolant, passimque circumstrepunt. Oppidani rariore numero, flaccescentibusque animis adversus vim tantam infirmi, suisque viribus diffidentes deditionem pertentant: quam cum non difficulter assentientibus barbaris impetravissent, pacta primum omnium incolumitate militum ac servata, nonnullis respersi notis excesserunt. Igitur *Spilimbergiis*, *Utinensibus*, *Gradiscanis*, cæterisque urbibus, oppidisque late victorem reverentibus, *Osopini* quoque bellico pulvere sordidati peragrantibus effusiore spatio *Germanis*, victoriæ lora promisere. Mox omni circunquaque devastato perustoque militaribus incendiis agro, *Veronam*, ad ejus urbis præsidium tutelamque remigraverunt: quoniam in *Insubribus Flaminia*que Pontifex & *Helvetii* moliri res novas ferebantur. Ea igitur urbe cæterisque municipiis auxilio *Germanico Gallico*que munitis, cum reliqui à præfectis castrorum evocati in *Ligusticas Insubres*que oras properarent, *Veneti* nova arma moverunt, amissisque omnibus recuperandis intenti *Paulum Balionium* qui *Lucio Malvetio* gubernatori demortuo suffectus, rei castrensis summam tenebat, in expeditionem ire jubent. Qui magna cum parte copiarum *Vicentiam* iter dirigens, nullis quassatam tormentis, nulloque infesto milite petitam, ultronea deditione subegit? Mox alia dehinc alia, dextris sinistrisque jacentia oppida pari felicitatis excursu *Venetorum* ad signa revocavit. Eodem fortunæ secundioris impetu provecti *Laurentius Cerinas*, *Johannes*que *Paulus Gradonicus* reliquis cum legionibus in *Forum Julii* prorupere: utque prius in amittendo gravem molestamque, sic in recuperando benignam facilemque fortunam experti, evulsa dilu̇ xataque omnia compegerunt: *Cremonium* pernicibus evolantem alis victoriam remorabatur; quoniam excelso præruptoque monte situm, tum valida *Germanorum* custodia præmunitum, omnem vim hosticam eludere, sustentareque posse videbatur. Indignati ergo *Veneti* ductores hunc victoriæ suæ obicem opponi, admoto exercitu, omnique circumfuso validiore peditatu *Cromonium* invadunt, expugnant, capiunt, incendio, prædæ, ferro, omnia data, præfecti militum in vincula conjecti *Venetias* perducti sunt. Oppidum senatu jubente solo æquatum. Arces præterea multæ, oppidaque, tot influentibus ac refluentibus undis bellorum, demersa sunt. *Venzonium* deditur: *Sclusa* vi capitur, omnibus cæsis ad unum custodibus: *Gradiscani* paulo ante sævis armis conflictati, resurgente novo Martis furore repetiti, majoreque bello districti sunt. Omnia denique levorsum atque dextrorsum ac latissimo circumquaque terrarum margine, castrensium flammarum vaporibus afflata denigrataque tenebris obscurioribus caligaverunt. Nec minora tamen *Bononiensibus* arvis incendia, vicinisque pagis omnibus ignem scintillasque pestilenti aura perflante, dissipata sparsaque sunt, pervadentibus indiscretis ardoribus, ustrigineque circum omnia contorrente; dum *Julius* Pontifex summus adjuncto *Venetorum* præsidio, magnisque suffragantibus *Hispavorum* copiis castra movet, ac novo instaurato exercitu, legionibus suis, subsidiariisque præcinctus, *Bononiam* fati malignioris imposturа interceptam, oppugnat. Virum impatientem augebant ingentia recuperandæ introversæ rei suæ desideria, illatæque injuriæ pertinacius ulciscendæ ferocem animum libido distorquebat. Itaque modis omnibus instare, præsidiarios suosque milites urgere, præpositos multo hortatu præmiisque multis illectare, delenire, evincere. Quibus *Gallicani* proceres exciti, cum jam domestici belli motu soluto, remigrantibus in pagos suos *Helvetiis*, *Mediolanenses* quos in festa acie petiverant liberi essent, in hostem contractis ingentibus copiis, *Nemoriensi*que exercitum ductante, profecti sunt. Fortuna *Gallo* nondum averterat, & quamquam acriore flagello perculsura foret, elata tantum manu præturbida minabatur, suo tempore dolorem vehementius impressura. Igitur cum appropinquante *Gallorum* præsidio, novisque barbarorum adventantibus copiis recreati *Bononienses* essent, redivivoque spiritu vegetati, contra *Venetum* Pontificemque truculentiores sumpsissent animos, novis præliis novoque congressu insultare ingrassarique cœperunt. Conserta sæpe manu commissisque frequenter præliatoribus quamquam incerto Martis eventu, acclinare tamen *Gallo* victoria videbatur: adeo quidem ut pœne contemptui hostes essent, suoque de more turgentius insolescentes barbari laxatis plus æquo follibus inflarentur. Atque dum *Bononiensi* bello impliciti pontificalibus armis vacant, extrudendoque ejus agri possessione *Veneto*, prænituntur *Cenomani*, præsertimque gentis ejus caput *Brixia*, *Gallicanum* jugum fastusque barbaricos perosa, de recipiendo in urbem *Veneto*, deque *Lilinis* insignibus eradendis cogitaverunt; sed ut quidam adnotant, intempestive: cum impulsore *Aluysio* splendidis natalibus orto, priscæque gentis advocatorum nobilitate præsigni, commota civium *Brixianorum* conjuratio rem ad exitum perducere non valuerit. Quippe dum Senatus *Venetus Andreæ Gritto*, rei summam mandat, delati ad capitalium quæstionum præfectos rei, multis cum consciis intorti sublatique sunt. Quo facto delectis cum copiis in expeditionem *Andreas* properans, cum equitatu levi præmisso, silentis interiora scrutatus urbis, expergefactos custodes & ad arma promptos rescivisset, represso gradu substitit, indeque discedere infecta re coactus est. Verum dum per multos sparsa conjuratio usque adeo diffunditur, ut & summatibus ac mediastinis pluribus, in dies invalescentibus argumentis, excidium afferret, urgere *Venetos*, efflagitareque præsentanea ad dedendam urbem præsidia cives plebeique omnes coacti sunt. Itaque de ea re frequenter consultatum est, & si salva civium incolumitate suorum *Veneti* prorogare potuissent, nemo quidem ambigat in opportuniora rem tempora fuisse dilaturos. Verum ne oblata occasione culpa sua cecidisse objicerent, hi qui parum prospecte futura conjiciunt, ac ne velut civium suorum contemptores, propensam urbis affectæ voluntatem despexisse viderentur, in eam celerius quam sua voluntas ferret expeditionem, promoti sunt. Igitur congruo peragendam eam ad rem exercitu comparato, cum dispositis intentisque omnibus *Andreas* haud procul ab urbe stato die resedisset, *Aluisium* suis adhuc cogendis copiis subhærentem solicitat, interos exterosque cives maturæ deditionis admonet, amicos, asseclas,

Veneti-

*Veneti*que nominis ſtudioſos omnes, quam ſecretiſſimis notis poteſt certos facit: ut quod jamdiu parturiebant expediti jam tandem promptique parerent. Ipſe copias interea præcipueque peditatum velitatum ac equitatum adulta nocte propius admovet, urbem ſuis adventitiiſque militibus percingit, ac *Aluiſio Scipione*que ſuffragantibus oppugnat, tormenta omnia, miſſilia omnia, omnia uno temporis articulo tela, ut ad manum fuerant in urbem conjecta ſunt: acres impigrique milites foſſas tranare, ſcalas mœnibus adfigere, muros ſcandere, nulliſque remorantibus hoſtium telis ſuggredi. Tum *Galli* in tanta pœne deſperatæ rei tumultu reſiſtere fortiter ac reluctari, ingentia ſaxa provolvere, ferventes aquas calcemque dejicere, contos, pilas, trabes, in adverſos hoſtes torquere, jaculari, incutere. Ad alterum urbis latus infeliciter cum *Veneto* ſuiſque cum militibus agebatur, multis ingruente nimbo telorum proſtratis, vaſtiſque molaribus ſolo reliſis obtritiſque pugnatoribus. E diverſo qua regione *Scipio* & *Aluiſius* ardentiſſime ſtrenuiſſimeque confligebant, *Veneto* fortuna propenſior aſpirabat: multo quippe delaſſati labore defenſores, cum ſubjecti milites *Veneti* ſive viribus roboreque ſuo, ſive ductorum urgente præſentia ſuorum, nullis obicibus teliſque *Gallorum* retardati in ſuperiora niterentur in arduaque tractim ſuccedentes evaderent, correpti metu ſeſe protinus averterunt, profugientibus illis & his tergo continenter inſtantibus, cum poſt alios alii uno perpetuoque rigore ſuccederent, evicta res eſt, irreparabiliterque prolapſa. Qui victores erant audito fremitu diſcurrentiumque fragore ſociorum, cum adverſa præſagientibus animis expaveſcerent, oblanguerunt, omnique dejecta ſpe, verſo impetu ſeſe turmatim omnes in arcem proripuerunt, attonitos metuque præcipites urgebant arma vulgaria, quique paulo ante pro *Gallis* ſtare videbantur, ſignis ilico converſis animati truculenter in *Gallos* ruebant, eoſque maxime quos præpinguis negligentiæ pabulum, ſomnique profundioris altius nutrimentum aluerat: hos inteſtinis odiis infenſa plebs undique perſecuta, armorum ſonitu pavitantes, militumque paſſim ingruentium agmine conturbatos exagitabat. Magiſtratus, lictores, liminarchas, ſtationarios, uno Martis ictos fulmine, unaque belli ruina proſtratos, omni regione diverticuloque viarum inſultabundi tribulos deſequebantur. Capti, enecti, affectique plagis vulneribuſque plures quos arcis conceptaculum non receperat è medio ſublati ſunt. Profligato redactoque in arcem violenter hoſte, cum ubique *Leonina* ſigna refulgerent, crebræque permixto plauſu civium omnium acclamationes cœlo tollerentur, exſultabundus omnique re geſta feliciter hilaris *Andreas* urbem ingreſſus eſt. Capta urbe, ſedatoque tumultu, qui cum impreſſantium hoſtem *Brixianorum*, tum & terga vertentium ſonoribus barbarorum exortus erat, omnique placata *Leonini* militis in *Gallum* deſævientis ira, ad urbicas res diſponendas, componendumque perturbatæ civitatis ſtatum *Andreas* convertitur. Ac primo quidem diſpartitis optata per hoſpitia militibus, manſionibuſque ſingulis ex rei cujuſque familiaris anguſtia copiaque civium aſſignatis, percingendæ arci, validioribuſque cuſtodiis obſidendæ, animum intendit. Sed eminentes ex altoque penduli hoſtes, & omnem ſemper ad ictum parati cuncta perturbabant: neque foſſas excavari, aut aggeres circumduci, nec opus ullum ad culmen perfici, continuis jaculis ac miſſilibus tormentiſque ſinebant. Ipſi præterea frequenti eruptione, eductiſque ex arce die nocteque prævalidis cohortibus armatorum, conterritam urbem pervadere, populari,

A incendere: regiones, vicos, omnemque locum infenſo agmine infeſſiſque militibus percingere, peragrare, diripere. Ad hæc arcem quanquam natura ſua ſuoque præſidio munitam admunire, vallatam convallare aditum in eam ex colle proximo, ex eaque in urbem omni militia promuralique firmare, alacriter pugnare, omnique fuſoria arte defendi, epiſtolis inſuper ac nunciis ſocios admonere, hortarique ut ſuppetias afferant, ne diu circumcinctos obſidione patiantur. Quæ dum in urbe *Brixia* pomœriiſque fiunt, atque hinc inde *Gallo Veneto*que faventium vota Deos immortales fatigant, oppreſſas *Nemorienſis* du-

B ctoris aures gravior nuncius conſternavit, ſubitoque concitum furore juvenem ac ingenito contra nos odio, & inviſæ proditionis deteſtatione accenſum vehementius inflammavit. Hic tunc *Felciniis* arvis agebat, ac pulſis inde fuſiſque Pontificalibus ac *Venetis* legionibus, ſecuros hoſtium cives, univerſamque *Bononiæ* Rempubl. otiantem reddiderat. Ergo *Brixianorum* audita defectione, convocatis proceribus, ſuiſque copiis omnibus inſtructis caſtra movet, ac primum amne *Pado* ad *Stellacinium* trajecto, in *Veronenſium* fines irrumpit, quos *Paulus Balionius* præſidio *Brixiano* deputatus, anguſta militari manu tenebat.

C Qui cum dimiſſis exploratoribus à *Brixiana* expeditione in ſeſe directuros aciem *Gallos* cognoviſſet, ad *Atheſim* converſus, cum ſeſe imparem adventantibus *Gallis* animadverteret, ſuperaturus amnem adproperabat. Verum cum diſſuti pontis moram conſuendi celeritas *Galli* propinquantis non pateretur, nec ad trajiciendum dilationem daret, in tutiora feſtinantem obvius hoſtis intercepit, factoque utrinque impetu concurſum eſt, & primo quidem de induſtria *Gallus* extremam ferentariorum aciem pulſabat: quoniam facile ceſſuram, omnemque repente conturbaturam exercitum, putabat; ſed gradatim cedentibus illis,

D oppoſiti pedites hoſtem validum validius excepere, quibus ex æquo pœne congreſſis, cum pari animorum corporumque robore decertaretur, bellica paulum res ſtetit. Mox *Tranſalpino* denſius ingruente, cum furentis impetum, *Veneti* pedites non ſuſtinerent, accerſiti firmioris armaturæ milites *Gallicanam* victoriam retardavere, redintegratoque prælio ſævius acriuſque dimicatum eſt: promiſcua cædes, indiſcreta vulnera, cadaverum confuſio, exequialiter omnia funeſtabant. Quibus indignati ſuperbientes animi, majoreque militum numero prævalentes barbari, totis in prælium coactis viribus ruunt: *Marcicoſ*que mili-

E tes reſtrictos, impactis cuneis velutque malleo clavaque violenter adactis proſcindunt ac diſſecant. Mox *Brixiam* dirigentes iter *Meleagrum Forolivienſem* adorti, qui *Brixianum* præſidium maturabat, non minori clade quam paulum affecere: ejus ſiquidem militibus profuſis, cum & ipſe fugiens equi lapſu procidiſſet, hoſtili circumfuſo ſtatim agmine captus eſt, exoptatoque *Brixianos* præſidio, graviore captivitatis intercedente jactura fraudavit. Quæ cum certo triſtique nuncio mœrentibus oppidanis perlata forent, quanquam *Andreæ* legati ſolertiſſimi prudentiſſimique viri, ac multorum præterea ductorum

F hortatu confirmarentur, & ſicuti quidam ſcribunt armatorum quindecim millia concreditam, ſuiſque viribus commendatam urbem defenderent, ſubhærere tamen ancipites, conſternarique animo vehementer cœperunt: quoniam omni victoria præpotentem barbarum inſignemque fortuna proſperior efferebat, cum geminatis cladibus averſa *Brixiano*, dejectam rem ſuam pœneque ſuffocatam, imprimeret. Præterea terrorem augebant jam proximæ, totque conſpicuis facinoribus illuſtratæ

Gllo-

Gallorum phalanges, quas contra *Hispanicæ* pontificalesque copiæ, valentissimis quanquam ductoribus bellatoribusque fortissimis instructæ, summa tamen vi resistere nec obniti poterant. Accedebant *Mediolano* subsidia, si quo importuniore casu *Galli* periclitati forent, aut sub incerto victoriæ res laberetur, propediem affutura. Nonnulli *Jo. Ja. Trivultium* hanc in expeditionem profectum tradunt: sed quem autorem habeant, secutique sint, me certe fugit. Quoniam *Mediolani* tunc feriantem hunc omnium testimonio, certe scimus; sed hos ea ductos arbitror opinione, qua scriptorum plerique moti nonnunquam aberraverunt. Quippe cum exploratum egregii facinoris autorem non habeant, nec speciatim ductoris nomenclatura colliqueat, prælecto, cæterisque omnibus præstantiori, cujus fama celebrior evulgetur, factum adscribunt, ne quo ignoto ductore substituto negotii claritas obumbretur, & tenebrescat. His igitur angustiis districti cives castrorumque præfecti, quanquam pleraque dissimulanter obtegerent prætererirentque conniventibus oculis, senatum tamen subsifrequenter admonere, suppetias deprecari, subsidiarium militem implorare, non tam urbis protegendæ gratia, quam avertendi distrahendique hostis desiderio. Sed dum cunctantur, proque rei magnitudine consultant, jam *Brixianis* mœnibus fossisque suggressus *Nemoriensis* ductor omnem procul militiam admoverat, oppugnandæque urbis instrumenta omnia machinasque suum in rigorem numerumque dispositas tormentarii defixerant, ipseque locorum opportuniora speculatus in proximum montem, qui plurimus arci imminet, impetum facere animo suo constituit. Igitur rem, dato signo confestim aggressus, uno in hostem ictu telorum millia contorquet: ilico tanta tormentorum projactatarumque pilarum vis instrepuit, totque procidentium militum fragores, qua saxatili grandine cæsi fractique ruebant, tremente solo perhorruerunt, ut tirones juxtaque veterani non nihil interrerentur, ipsique jam pridem desueti bello cives graviora quam mens sua concepisset, ac duriora quam prius opinarentur perferentes, deficientibus animis contremiscerent. Incredibile memoratu, quanto animi præfurentis ardore, quantaque victoriæ spe certissima barbaries omnis effusa prorueret, congrederetur, pugnaret. Accendebant efferatas *Gallorum* mentes, coruscasque micantium fulgore gladiorum acies, agitabant continuata nullo adverso interpellante casu, splendidaque serie victoriarum insignia: tum justus, nulla defectionis expurgatione, ex ipsa rebellione dolor omnem sævi facinoris acerbitatem truculentis & immanibus animis ingerebat. Quapropter cum ulciscendæ injuriæ, tum prædæ opulentioris rapiendæ, pectoribus eorum in horas subglisscente insania, toto effrænes impetu, totaque perciti rabie in ferrum ac tela provolabant. Asperiore ascensu difficilis mons erat. Nam præter adversam molem, constipati congestique *Venetorum* ac *Brixianorum* cunei, gravidis canalibus ac prægrandibus organis morticinos fœtus in subjectos & superiora prænitentes *Gallos* exprimebant, tam effuso passim & stridente nimbo, ut ascensus omnium judicio pugnatorum insuperabilis impenetrabilisque putaretur. Itaque diu *Galli* altiora petentes, humilioreque tractim clivo suggressi, dum cunctanter prorepunt, gradusque suspensos in ardua promovent, semel bisque rejectati propulsique sunt. Et sane rupis evincendæ difficultate, quam robustissimi milites & agrestes præduri, telorum corporumque suorum objectu prænitentibus *Gallis* injiciebant, impotes votorum hostes, irritoque conatu parum feliciter attentata deserentes abscessissent, nisi juges & importunæ nimbis adversantibus pluviæ, repentino subsidio *Gallis* affuissent. Quibus ubertim largeque profusis, cum præmadida multaque labilis humus uligine titubantem vestigio militem falleret, omne tormentarium fusoriæ artis magisterium eludebat, assidui imbres infestique *Veneto*, pulverem & ignem hebetantes, graviore detrimento jacturaque militem quam hostes afficiebant. Itaque cum elanguidi ictus, fune lento, viscidoque pulvere, ac viribus pœne relaxatis omnibus conflaccescerent, validiore nisu resurgentes præluctantesque barbari, montem ascensu quanquam ægro superant, aliisque alias subigentibus turmis, cum una perpetuæ successionis linea continenter attraherentur, exturbatis hostibus securi tandem montis edita tenuerunt. Quo capto, liberoque aditu in arcem exinde facto, jam montis undique constabilita possessione, peditum ordines plurimi, maximeque saltu motuque corporum agiles & expediti, sese in arcem patente solo viaque liberiore proripuerunt. Locus in civitate fuit, urbiculam vulgo dixere, sicuti *Mediolani*, *Parmæ*, *Ticini*, multisque *Italiæ* splendidis urbibus, sive eam conceptaculi tutioris gratia muro conditores intercinxerint, sive velut invectæ mercis horreum, aut magnificentiæ majoris ostentandæ argumentum esse voluerint, in eam ex arce proxima victores impetu facto protinus irrumpunt, adversantibusque fortiter oppidanis, ac multa manu viriliter & strenue consistentibus utrinque magna vi & summa ope dimicabatur, confluebant agminatim undique conglobati hostes, velutque dissipientes & terribiliter furiosi, prærigentem in ipsam telorum segetem uno omnes mortis contemptu ferebantur. *Gallum* incitabat ingenita temeritas, pactaque, velut ab ipso Marte constituto pignore, victoria truculenter in hostem impingebat. Oppidanum e diverso, propria suæque patriæ cadentis salus, tum sui sanguinis charitas ac conjugum liberorumque suorum dulcedo, reaccensis in *Gallum* animis repingebat: urgebant, urgebantur, perculsi percellebant, ac magno cæsorum cædentiumque fragore, magnisque sævientium utrinque bellatorum procellis, æstuantia Martis agmina fluctuabant. Cum asperrime conserta manu collatisque pedibus utrinque conflixissent, incertoque Marte pares confligerent, hinc acres *Veneti*, illinc alacres, totaque victoriæ præsumptione contumaces barbari, novis cohortibus accersitis recentique vires novas auxilio suggerente, inclinata acie pulsique loco *Brixiani* cessere. Jam pœne *Galli* tuta tenebant, ipsaque rei pœne conclamat desperatio frigentes oppresserat, cum magno fremitu circumstrepente, magnoque concussas aures diverberante armorum horrore, *Veneti* ductores exasperati, accitique trepidantibus undique nunciis, collecto mentis inflammatæ spiritu medias acies intercurrunt, eximiæque virtutis adurgente stimulo promoti, densissimos in hostes provehuntur, ibi præferoces ac strenui totaque animi exardescentis impatientia anhelantes, vociferando, hortando, terrendo, socios a fuga revocant, agmen impellunt, *Gallum* proturbant. Erecti cum horum impetu, tum accurrentium præsidio sociorum, omniumque robore confirmati *Brixianorum* animi confestim sistere, restauratisque viribus *Gallum* imprimere, captoque loco violenter hostem extrudere cœperunt, tanto impetu tantaque virium & animorum contentione, ut quem prius usurpaverant *Galli* locum, exinde propulsati fusique relinquerent, retrocedentes, a tergo acie disposita socius imprimebat, acuminataque stilis ferreis tela omnes distringebant; tum desequentium alacritas, elatusque victoriæ studio plausus, & profugum & profugantem utrinque militem in prælium agebat. Quod cum *Gallorum* principes animadverterent, dolerentque ab hostibus pœne oppressis extortam *Gallicana* felicitate victoriam, acerrimos delecti peditatus cuneos, explicita tor-

tormentariorum ala præsentaneo sociis auxilio mittunt, obarmatosque fere ducentos equites qui validius instarent & premerent delectu statim habito superaddunt. Hi suis omnibus integri viribus atque recentes, abscedentibus sociis, in tela proruentes oppidanos excipiunt, ac cum corporum vastitate suorum, tum omnium quos sui circumquaque præfecti distenderant adminiculo nervorum securi, constanter intrepideque conatus omnes hosticamque vim sustinent. Mox gradatim sensimque progressi, quoniam surrectis torosa cervice jubis *Leoninus* miles obnixissime repugnabat, invalidum nimioque sudore diffluentem impellunt: resistere non poterat infirma Brixianorum acies & quanquam vi summa decertaret, omnibusque suarum refusis virium conditoriis depræliaretur, tot tamen circumfusis *Gallorum* agminibus oppressa deficiebat, paulatimque regradata furentibus barbaris & numero copiarum & robore virium invalescentibus, aditum dabat. Itaque profligati tandem cæsique loco cedunt, introgressique prorumpentibus turmis Transalpini milites, urbiculæ libera possessione fruuntur. Exinde facilior aditus viaque planior in urbem compatuit. Itaque tunc per vicos regionesque gregatim diffusi, lateque per trivia quadriviaque summo horrore pervadentes *Galli* sparguntur, ac novis semper accedentibus turmis, prosperioremque Martis successum adjuvantibus in patentiora fori curiæque spatia conglobatim concurrunt. Inibi redintegrato fœde crudeliterque prælio, cum *Andreæ*, tum *Contareni*, *Aluisii*que ac cæterorum ductorum omnium ope extrema, supremoque præsidio laboratum est vehementer, pertinacioreque lucta depugnatum. *Aluisius* in ipso cum urbis umbilico mediisque digladiantem penetralibus hostem videret, seseque medio tollendum, ultore gladio vereretur, *Gallo* propensius indulgente fortuna, ut infamem capitis cum periculo reatum effugeret, adacto calcaribus & frænis equo sese medium injecit periturus in agmen. Dumque ibi pro gloria magisque salute, ferro decernit, omnibusque modis ab hoste mortem tentat gloriosam accipere, vitam infamem, salutemque mortiferam accepit: arduo quippe sublimis equo dum interritus & ferox, ac vultu spirituque sævissimos inter hostes formidabilis dimicando versatur equo proruente collapsus est: tum derelictus omnique laterone suo destitutus, prægravante armorum pondere capitur, modicoque post tempore more reorum ad *Gemonias* tractus, barbaricoque sæviente gladio dilaniatus excessit. Hic dum tanta præliatoris rabie, tantaque rebullientium animorum sævitia, spumantes sanguine mucrones intepescunt, ferentarii equites ducenti fere qui dejectis insignibus, ex ipsa strage cruentaque *Venetorum* congerie mortuorum supererant, cum extrema conclamataque cuncta viderent, ex urbe fugam emoliuntur; nactique locum quo tutius evaderent, sive per obsessos portarum exitus durosque obices terebratos, sive aditu per hostes medios & tela facto, restricto agmine prosilientes erupere. Dux eorum omnium *Federicus Contarenus* ex patriciis *Venetis* insigniter animatus, dum eximiam & singularem sua pro Rep. suisque pro sociis, ac *Brixianis* civibus operam ardenter obit, existimatque pugnando posse miseris ac periclitantibus subvenire, volatico telo transfixus interiit. Egregii præterea ductores plurimi, multaque bellica arte præstantes, dum afflictis rebus insudant suoque cruore Remp. *Venetam*que Majestatem promereri student, ac lapsitantibus cunctis succurrere posse confidunt, sauciati, capti retritique periere. Siquidem jam libero patenteque aditu quem barbarus ubique manu sua violentus effregerat, profluebant undique, circumcursabantque sonoribus terrificis hostilia agmina, tam denso pugnatorum turbine, imbreque telorum, ut nec pugnæ nec fugæ locus esset. His accedebat, quod qui celsam arcem tenebant, cum dissonis clamoribus & ejulatu cuncta passim infremerent, inclinatamque rem prostratis civibus pugnatoribusque disjectis intuerentur, macerata indignatione lividi furentesque ruebant, in ipsosque municipes & adversos & aversos immanissime tormentis ferroque debacchabantur: nullius virtutis umbo, latebræque nullius antrum, nullaque auxilio porrecta manus præcinctos undique constipatosque juvabat. *Andreas* magno vir ingenio, & in utraque fortuna semper insigni, hac rerum omnium desperatione, prolapsæque civitatis ruina, cum nec ulla medentis ope, nec ullis mortalium consiliis suffragari posse videret, reliquias fragmentaque militum qui ex clade supererant contrahere, seque vel hoc vel illo tramite in tutiora recipere cogitabat. Cum asperiore hostium sepimento, limboque rigentiore ferri circumdatus districtusque capitur. Fortunam haud dissimilem *Antonius Justinianus*, *Joannes Paulus Manfronus*, *Balthasar Scipio*, pluresque alii sic trahente fato sortiti, victoriam barbaro suis omnibus votis æquam ac redundantem fecere. Magnorum quippe procerum insignis captura, consternatam urbem, omnique spiritu vigentiore exhausto deficientem adeo perfodit ac jugulavit, ut fletu multo gemituque miserabili lachrymabunda sese ad hostis pietatem misericordiamque conferret. Provoluti omnes viri fœminæque passis crinibus ac *Thyadum* more furentes, sese concito gradu in curiam proripuere, jactaque superbi victoris ad pedes arma detestati, suppliciter tristes & tonsi pectora palmis veniam comprecabantur: inermes, atrati, lamentabiles, funesta impiaque arma sumpsisse fatebantur errore lapsos humano, uniusque & alterius culpa seductos. Itaque victorum genibus advoluti prostratique solo, ut humanitatis memores insitæque nobis naturali jure mansuetudinis non obliti, pietatem exercerent, irrogarentque supplicibus veniam expurgatorum jam satis tot cladibus delictorum, obsecrabant: tum ut insontem infantiam, imbelle senium, innoxium languorem, infirmamque fæminei sexus turbam, sinu gremioque pietatis suæ reciperent ac confoverent, squallentes pallidique omnes obtestabantur: parcerent sanguini, bonis moribus obtemperarent, seque ut homines recordarentur orabant. Sed incalescentium ira barbarorum reaccensus ferri mortisque furor atrocius insæviebat, promiscuisque cædes indiscreta vulneribus, effusum madente solo cruorem largissime dispergebat: tum rapinis, extorsionibus, tormentis exagitata conturbataque deformiter omnia perhorruerunt. *Allienses* per hos dies, hasque per exequiales horas, infanda crudeliaque omnia, prægravatam ærumnis ingentibus urbem, omniumque miseriarum acervo consepultam, funestavere: donec opulentiore præda saturatis canibus ac feris, omnique sæviore carnificio confœdata Rep. ut extinctis parceretur, neve mortuos amplius jugularent, edicto cautum est. Opulentissima urbe capta direptaque, cum & ingens occisorum strages, reique familiaris profusa dissipatio, ac magnus præstantium numerus captivorum, exauguratæ urbis angustias conduplicasset, *Ludovicum* regem indoluisse, conflictatæque urbis casum graviter tulisse ferunt. Nam & si permodica levisque suarum jactura copiarum facta fuisset, eversam tamen pœne Remp. ac tot amissis civibus orbatam spoliatamque fortunis omnibus, atque redintegrato in ipsum tanta suscepta clade odio infestiorem, acerbissime ferebat. Cum præsertim fisco suo, præter inexpiabilem tanti flagitii, tantique manu sua perpetrati facinoris invidiam, nihil accessisset. In captivorum redemptionem quos *Gallus* innumeros ceperat, argentarii mensulariique pœne omnes, præcipueque foro nostro divexati sunt, eorumque folles præturgidi, dum mutuo qui-

quibuſcunque ſub uſuris pecuniæ quæritantur excuſſi ſunt. Inter omnes delecti primatus captivos, præcelſoque vir ingenio *Andreas Grittus Mediolanum* venit. Qui quanquam *Gallorum* hoſtis eſſet acerrimus, quoniam tamen ut par erat, ſtrenuam pro Republ. ejuſque Imperii jure diligentem operam in acie caſtriſque navaverat, magno à nobis in honore habitus eſt, proque nominis ſui decoro ac celebritate à nonnullis *Mediolanenſium* primariis, ab ipſoque præſertim *Jo. Ja. Trivultio*, *Mediolani* tunc agente, ſalutatus eſt & appellatus. Hunc jure vetuſtioris amicitiæ, raræque virtutis prærogativa, quæ nonnunquam bonorum parilitate ingeniorum, æterni fœderis nexu perligata copulatur, amplexatus eſt, ac jucunda mutui ſermonis viciſſitudine, benignique hortatus lenimento, graviſſimi caſus preſſuram quam vir ſummus conſtantiſſime perferebat, ſolando lenivit. *Ciſpadanis Tranſpadaniſ*que gentibus univerſis, ac totius *Italiæ* nationibus & populis, ea lachrymabili clade vulgata, tantus terror incuſſus eſt, ut præter *Gallicanum* nomen nihil his diebus in *Italia* formidabile reverendumque videretur. Et mehercule, ſi quis unquam infanda crudelique ſuſcepta ſtrage populum metus inceſſit, perculitque diſtricti gladii timor hoſtilis, non immerito prætimeſcere perhorrereque debuerunt cæteri omnes *Gallicani* nominis infenſi, peroſique *Lilinam* elatis ſignis populi majeſtatem: adeo luctuoſa, miſerabilis, omnibuſque elegis deploranda illa clades fuit. In muliebrem ſexum infantiamque crudeliter ſævitum *Mocenicus* ſcribit: miſerabiliter direptam urbem, indiſcretamque per cædem ſacra prophanaque victoris ingraſſante ira oppreſſam *Cælius* notat: *Guadinus* ut ſceleris impietatem gladio ſuæ gentis admiſſam excuſaret: quanquam humanæ ſævitiæ impetum non eos uſque conſcendiſſe gradus exiſtimaverit, iram Dei commentus eſt, Deorumque cenſura crimen hominis adlevavit: *Baſelius* ut cætera frigide pertractat, ſic & hac in re ignavus languiduſque toto torpore compigreſcit: ſed & una quidem noſtra breviore ſcheda tam grandis ingenſque malorum Ilias concluditur. Quam ſi adamuſſim *Tucydides* omneſque ad impietatis numeros *Livius* exequi velit, ſpatioſis voluminibus ſtiloque ferreo ad articulatim hanc rem exarandam opus eſſe non dubitem: & vereor ne ſummo digito præmonſtrata nobis hæc, minus ſane poſteris credenda, ſcriptores inſinuent, quæ tam anguſto deductis lineis ſpatio, brevique verſu conſumpta ſint; ſed & uno momento turris icta fulmine concidit: uno terræ hiatu civitas abſorbetur: uno ſubito aquarum æſtu, repentiniſque fluctuum incrementis, urbes, inſulæ, multaque terrarum millia diebus noſtris adobruta ſunt. Quoniam non magno dierum numero, nec multa ſcriptitantium dictione, aut prælongis linearum ſpiris, ſed ſuo intus malo damna conſtant. *Bergomates* eadem Imperii *Gallicani* preſſura diſtricti, quos veteris domini memoria jugo mitiore, levioribuſque ſervitutis ſuæ compedibus ad priſtinum obſequium revocabat, *Brixianorum* exempla ſecuti, confeſtim à *Gallis* ad *Venetos* deſciverant, receptoque præſidio, omnique *Gallicanæ* juriſdictionis magiſtratu turbulenter ejecto molliore toga confovebantur, ſuamque velut in patriam poſtliminio reverſi, congeſtiebant: gaudium, plauſus, acclamatio, liberam urbem priſciſque jurgiorum hoſpitiorumque moleſtiis exemptam, relaxabat: ubique riſus jocique paſſim exultantis populi corda titillabant. Cum his omnia lætitiis tripudiiſque plena forent, prælargaque torrente fluctu jucunditatis abundantia redundaret, extemplo converſi latices amaritudinis refluxere, ſuperfuſoque veneno ſucci dolorum ſuos in fontes recurrerunt. Quippe cum urbis captæ fragores *Brixianæ*que molis

A ruinæ celeri prævolante fama pulverem ſub ipſorum oculis *Bergomatum* provolverent, ejulantiumque ſtridores cœlo procul elati, pertuſas civium aures acriore telo penetrarent, confeſtim elingues, attoniti, ſemianimeſque repentino malo conſternati ſunt, ingentique velut jacto pondere ſuffocati procidere. Ilico gemitus ac lachrymæ dimadentibus genis profluentes eruperunt: mœror triſtitiaque tam ſubito cardine rerum inverſo compreſſos omnium animos occupavit, majoreſque ex mora anguſtiæ, quam ex ipſa re conturbatis animis ingerebantur. Jam adeſſe, populari, cunctaque dira præfingente metu jam inflammare perB horreſcebant. Itaque alii confeſtim ad aras templaque converti: orare alii, ſupplicare, vota concipere: & quos prius hilares lætique deſpexerant, nunc miſeriis ingruentibus obſecrare revererique coguntur. Alii vero ſarcinulis brevique viatico paratis vertere ſolum: rurſus alii ſecretioribus latebris anguſtioreque gurguſtiolo latitare: ſola vero nonnulli paupertate inopiaque ſecuri pallium egeſtatis trepidantibus accommodare. Mirum, ut ſereni poli tranquillitate cunctis paupertas inviſa ſit; ejuſdem vero tenebroſa caligantis tempeſtate ſit amabilis & perjucunda: o munera nondum intellecta Deum. Igitur graviore nuncio perC quaſſata Republ. cum per vicos oppidaque captam *Brixiam* ebuccinantibus cunctis diſſimulari res geſta non poſſet, ad præfectum prætoremque *Venetum* adflictæ urbis primates acceſſere, ſuæ gentis excidium, populique ſui *Venetis* ſemper inſignibus addicti vaſticiem deprecantes, oranteſque ne promiſcuam communemque *Brixiani Bergomatiſ*que ſoli vellent eſſe jacturam, unamque ſuis ærumnis illuſtrem ac memorandam urbem, ſecum alteram in interitum & ruinam trahere, non poſſe *Bergomatem* infirmo fragilique oppido illi reſiſtere, quem *Brixianus* urbe munitiſſima, tot ſtrenuis propugnatoribus tot ductoribus valentiſſimis reprimere D non potuiſſet. Scirent *Veneto* devotam urbem imperio, mandatoque ejus ſemper obnoxiam: præſtare, integram aliquando ſuam eſſe, quam funditus everſam, nullius. Quo circa benigno animo, bonaque ſuos in cives mente forent, ac ut cum hoſte tranſigi paterentur, orabant. Illi primum omnium *Brixiam* tanta civium internicione ſtrageque vaſtatam pernegare, neque ſibi hac de re quicquam nuncii certioris allatum; ſed ea vulgo commentitiis nugis inanibuſque fabulamentis jactari: Quæ cum evidentibus argumentis refellerentur, & in confeſſo ſuccreſcentibus in horas nunciis, E eſſent, tunc non poſſe niſi conſulto Principe *Veneto*que Senatu quicquam decernere reſponderunt. Quod cum parum æquis auribus municipes admitterent, ſubiraſci in vicem ac ſuccenſere cœperunt. Quoniam intempeſtiva conſultatio foret, cum ab hoſte mœnia quaterentur: nec oportere gladiatorem in arena conſilium capere. Quapropter non iniquo animo nec mala mente, ſed invitos extremiſque perurgentibus aſtrictos fatis teſtari, ſeſe civibus ſuis ſuæque reipubl. quocunque modo proſpecturos: *Veneti*que majeſtatem Imperii, quantum per hoſticos impetus liceret, ad aras obſervaturos, quam alto pectore defixam, imiſque ſemper F repoſitam medullis certo ſcirent. Hæc dum alternis *Venetorum Bergomatum*que conſiliis agitantur, militaris fremitus paſſim exortus inſtrepuit: tum & ipſorum querimoniæ ductorum quos incendii propinquioris fumidæ nubes afflabant, ad urbis præfectos commmuniumque rerum proviſores delatæ ſunt. Perabſurdum ajebant exarmatum & modis omnibus debile municipium violenti rabidique victoris impetum excipere: nec expedire depopulandam urbem captivumque militem ingruentibus barbaris trucidandum objicere. Proinde aut tempeſtivum militibus commeatum darent,

rent, aut urbem validiore præsidio si fieri posset tuerentur. Ad extremam redacta lineam res erat, quoniam de proximo *Gallicani* furores infremebant, omnique pœne fugato exercitu *Veneto* sociorum auxilia desperabantur. Ergo de pace fœdereque cum *Gallis* actutum feriendo tractatum est, extemploque sancitum. Sunt qui primo feciales in urbem admissos ferant, accitisque primorum nonnullis, hos repente totius Reipubl. mandato transegisse. E diverso asserunt alii municipes publicam fidem secutos, quam à victoribus impetraverant, ad *Gallorum* sese Principes contulisse. Cumque haud ægre delicti veniam exoravissent, multis millium millibus aureorum, ab extremo patriam interitu, fatisque supremis eripuisse. Enormi grandique pecunia mulctati cives universi pullati *Atheniensis* atratique *Phrygis* exemplo, sapere sero didicerunt. Hæc dum in *Cenomanis Cenomanorum*que finibus ubique Martis ira sæviente, tot populorum civiumque detrimentis aguntur, *Veneti* qui damna præ ceteris intolerabilia sentiebant, coram *Julio* Pontifice Maximo confœderatisque regibus *Brixiam* urbem captam, amissum *Bergomum*, immenso ære civibus oppressis extorto, multaque subinde oppida bellico consternata fragore conquerebantur. Cumque fati durioris pressuram ingentem expostularent, amissarumque pœne uno ictu civitatum jacturam, totque probatissimorum ductorum interitum, ac maxime patriciorum mortem captivitatemque suorum gravarentur, succurri sibi novis adversus *Gallos* suppetiis, opemque subsidialibus sibi novam copiis præstari deflagitabant. Tunc itaque de pace iterum, atque iterum de percutiendo cum *Maximiliano* fœdere enixissime tractatum. Magno sita res erat in discrimine, magnoque Pontifex & *Venetus* in periculo constituti, rerum omnium difficultate laborabant. *Veneti* quidem oppidis ac urbibus magnaque ex parte legionibus amissis, in tanta militum necessitate vehementer angebantur. Cum hinc *Germanorum*, illinc *Gallorum* perpetua victoria felices copiæ, *Venetas* opes attererent: neque ullo regis ad gratiam utriusque pertinacis & obstipi conciliandam remedio succurreretur, minusque ad alterius denervandas vires, insolentisque vim potentiæ comprimendam facultas suppeteret. Pontifex quoque quanquam magni vir spiritus, nec adversis fatis facile succumbens, assidua tamen sortis impressione perurgentis angebatur. Nam & in dies suppostitii concilii fœtus ingravescebat, proleque nova *Julio* semper infesta pestilentique propagabatur. Eoque tendebant frequentes Pontificum consessus, ut exautoratum tandem Pontificem Maximum aditis & templis omnibus eliminarent. Ad hæc insidias & dolos per *Columellas* & *Ursicinos* ubique connectebat *Gallicana* potentia, virumque veneno vel ferro perdere sicuti quidam scripserunt enitebatur. Quæ versutus præsagaxque *Julius* & his & illis artibus imposturisque vitabat. His graviora malis accedebant, quod *Hispaniæ Britanniæ*que reges quos recens in fœdus attraxerat, nihil adversus Cæsarem ausuros, nihilque *Germanicam* in societatem attentaturos profitebantur. Nam & si *Lilinæ* vires omnibus invisæ forent, Cæsari tamen consentire malebant. Qui tametsi minus cum *Gallo* conveniret, intensiore tamen odio contra *Venetos* invectus, *Aureliensibus* vexillis subhærere cogebatur. His itaque difficilibus rerum articulis cum Barbarico validiore præsidio destituti Pontifex & *Venetus* auxilium quærerent, reconcilianda modis omnibus gratia Cæsaris erat, quæ à *Venetis* in dies aversior atque distractior quam longissime summovebatur. Nam præter amissi *Patavii* veterem iram quam nullo temporis intervallo mitigare nec oblivione delere poterat, indignissime quoque recenti *Vicentiæ* damno stoma-

A chatus, asperrime distorquebatur, quam primum omnium relaxari in ipsoque contractus limine restitui sibi Cæsar volebat: & Pontifex assentiri videbatur: & nonnulla æquitas invitabat. Ipsi quoque reges majore gerendarum vinculo rerum obligati Pontificem ac *Venetos* impensius adurgebant. Ad Senatum itaque de ea re perlata quæstio, disceptantibusque invicem patrum sententiis sæpe consultatum est. Cumque maturata diu prudentiæ suæ consilia libravissent, Senatusconsulto cautum est, ne *Vicentia* redderetur. Itaque quoniam aliter transigi non poterat, ad inducias decursum est intercedenteque *Francisco Foscaro* oratore
B *Veneto*, quinquaginta millibus aureorum Rhenensium *Veneti* bellicas ferias in decimum mensem extractas pacti sunt. Quæ dum in *Italia* Pontifex *Venetus*que pacis ineundæ diligentia, magnaque reconciliandi Cæsaris solicitudine peragunt, in *Hispania Britannia*que novi motus armorum agitari, contraque gentem *Gallicam*, ejusque regem *Ludovicum* nova conflari bella cœperunt. Nam & Pontifice *Julio* impulsore, nec minus instante *Veneto*, *Britannus* ad *Giennam*, *Hispanus* ad *Perpignanum*, asperrima finibus superatis arma *Gallis* inferebant. Tum & *Helvetii* semper infecti, divisisque suas per hæreses suffragiis ancipites, nunc ad *Britannum Hispanum*que, rursus ad Pontificem
C *Venetum*que spectare videbantur, dimissisque *Gallorum* legatis honorificentissimis amplissimisque viris, cum dictis ac pollicitis eorum ingentibus parum auscultantes, non obtemperassent, irrupturos in *Galliam*, contraque regem bella moturos interminati sunt. Quibus acriter districtus *Aureliensis*, cum undique difficultates, novaque bellorum finibus ductim emergentium discrimina consurgerent, procurare pacem, ambireque *Julium*, & adblandiri lenius cogebatur; sed multi doloris amaritudine, diuturnaque molestiarum anxietate confectus Pontifex, nec audire nec obsequi ullo modo
D poterat. Itaque tunc passim omnique robore militari contracto, comparatoque ad alendum exercitum commeatu, placuit *Atteſtinos*, *Bononienses*, omnesque *Gallicanarum* partium studiosos ingrassari, repetitisque præliis atrocioribus omnium fines invadere, populari, vastare, cunctaque perpetuis excursionibus & ardoribus incendiorum delere. Ergo nova classe *Venetorum* impendiis instructa, attunsisque subvecta *Pado* remigiis, tum & pontificalibus *Hispanicis*que legionibus explicitis, expositisque machinis cunctis bellorum, in *Ferrarianum* ac *Bononiensem* agrum impetus factus, tanta civium, agricolarum, circumjacentiumque pagorum
E omnium strage ac ruina ut bellicis adlambentibus flammis, ustrigo nulla major unquam eam gentem universam inusserit. *Argentinum* tunc oppidum expugnatum & captum est, repetitaque tunc bello sæviore *Mirandula*, postquam reciprocos pugnæ furentis æstus alternamque fato reluctante victoriam cum sustinere non posset, evicta succubuit. Ad hæc *Crispini* aggeres, extructaque molibus operosissimis ab *Alphonso* duce septa, castrensibus tormentis machinisque muralibus advallata sunt, effusioreque militum numero circumdata. Inibi quotidie graves assultus, pugnæque terribiles, ac cadaverum ingentes acervi conspecti sunt. Dum
F expugnandorum illorum foris, intus vero defendendorum obstinatissima militem obarmat pertinacia. Ergo post irritos labores multos, cum in cassum, diu fata sævivissent, staretque pro *Ferrariensi*, relisо militum furore, constabilito fortuna gradu prosperior, conversis stridore subito procellis, horrificoque sonitu pertonante cælo, *Bononiam* militaris turbo pulsavit, atque missilium undique profuso telorum nimbo, sparsaque præduri silicis grandine divexavit. Tunc adflictæ detritæque nationes & populi, eorumque principes & duces, a *Gallis* auxilium

xilium frequenter implorare. Quotidie nunciis & epiſtolis *Gallicanam* præfecturam interpellare; urgereque lenteſcentis & pigræ gentis ſegnitiem. Cum præſertim afflicta vulneribus corpora quæ *Brixiana* manus incuſſerat, curarent, elatique victoria licentius otiarentur. Sola in unius egregii magnique victoris patrocinio ſpes repoſita, una in *Ludovico* fortunæ filio, alumnoque *Veneris* recondita ſalus erat. Ergo poſt *Bergomates* ac *Brixianos* rigidiore cenſura, quanquam aliter & aliter mulctatos deplexoſque cives, cum ſuis pacata diſpendiis cuncta jacerent, maloque otio feriarentur, *Gallicæ* legiones alio traductæ ſunt. Certoque ſuſceptæ profectionis itinere, cum in alias ex aliis victorias promoverentur, in *Felcinios Ferrarianoſ*que fines, ac regionum earum collimitia perrexere. Incredibilis expectatio, magnique nominis adventus erat. Cum & ſcelera gregarii militis infanda, crudeli victos in omnes carnificio perpetrata, ipſorumque ductorum ſecundi præproſpera felicitate ſucceſſus, formidabilem hoſtibus adventum omnibus ſuum facerent. Itaque cum elati ſpiritu ſuaque ventoſi gloria *Galli* proceſſiſſent, intuliſſentque *Bononienſibus* arvis vexilla terrore omnium ſuſpicienda, ſuorum extemplo ſociorum aſtricta metu pectora relaxari miriſque modis hilareſcere cœperunt, ac tunc primum *Bononienſes*, *Ferrarienſes*, vicinorumque municipiorum omnes incolæ, cunctique procinctu ſubito milites in expeditionem exire. *Alphonſus* eductas repente copias, ſuoſque confligendi deſiderio cives accenſos in aciem producit; ſed & obſidio moleſtiore *Bononienſis* oppreſſus, ſubitariaque ſocialis adventus hilaritate refectus, inſtructo agmine, cum jam recincta civitas obſidiali zona, ſoluta foret, proſiluit. His permixtim omnibus injuncti, ſuiſque pariter obarmati telis agricolæ, quos indiſcretis populationibus excurſiones hoſtium aſſiduæ fregerant, quoſque repetendum ad pecus abactum, recuperandamque omni ablatam injuria prædam acrioribus incentivis iræ vehementiores inurebant procellere. Retrocedentes igitur *Hiſpani* ſenſim ad *Centum* oppidum caſtra poſuere, quid attentaturus hoſtis eſſet, tantoque ſucceſſu rerum emoliturus, explorabundi. *Galli* ſicuti frequenter propinquis copiis exercituque de proximo pedem conferente fieri ſolet, perluſtrare locos, hoſticas vires percunctari, levibuſque nonnunquam præliis decertare, mox inſidiis doloque cum *Hiſpanis* agere, verſarique diligentia ſed indiligentiore cœperunt, eorum cum excubiis conveniunt, intempeſtaque nocte facto aditu paciſcuntur in caſtra hoſtium proficiſci, ut conturbato omni exercitu captivitate, ferroque, victoriam nullo *Gallico* ſanguine cruentatam, pararent; ſed ingenio diſpari, longeque diſſimiles, diſciplinæ caſtrenſis eruditione, diſcordabant: *Galli* ſiquidem aperti, ſimplices, inconditi, ſed atrociter feroces agunt: contra, duplices, attenti, præſagaces *Hiſpani* ſimulando diſſimulandoque circumveniunt, nec quid mente concipiant, aut verſitent animo, niſi cum perfecerint, aperiunt. Ergo fraudibus invicem armatis, & ſuccinctis utrinque dolo, dum *Gallus* decipere tentat deceptus eſt. Initam *Hiſpano* cum vigile proditionis legem ratam *Gallus* habuerat, illæſam quam ſibi præſervari demens opinabatur, quod illibatam alteri ſincerus ipſe ſervaret; ſed *Hiſpanicis* impoſturis refixa eſt, doluſque cum dolo quanquam impari relatione compenſatus. Communicato quippe proceribus cum *Hiſpanis* conſilio, principiiſque tantam in conſultationem adhibitis, placuit, hora noctis concubiæ præſtituta, ſilentibus cunctis, extinctis facibus, dormitantibuſque vigiliis, adventantem *Gallum* præſtolari, ut ex lege dato aditu cum interiora caſtrorum penetraviſſet, opprimeretur. Conſilium non fraudante fortuna, cum ad tranſigendum facinus *Gal-*

A *lica* tarditate maturatum, *Lilinos* hora duces interpellaſſet, expediti equites ac pedites, pugnatorum quatuor millia fuiſſe traduntur, trajecto *Rheno*, ſeſe ad hoſtium caſtra nullo equorum fremitu nec tubarum ſono, ſed leniſſime ſuſpenſo gradu contulerunt. Mox præmiſſis exploratoribus qui hoſtium conſilia ſcrutarentur, qui longo circumambitu caſtra perluſtrarent, poſtquam infida conſtare fide ſingula cognoverunt, ſuperatis cuſtodibus ad interiora pervaſere; ubique projecti dormitanteſque paſſim milites, negligentiæ ſomniique profundioris ſpeciem dabant, ſed animo menteque pervigiles, ac connictantibus oculis excu-
B bantes, ad omen levis auræ motum ſurrigebantur, armaque contecto ferro ſubobſcura promptius omnes ad manum habuere. *Galli* cum hoſtiſtilium ſeſe caſtrorum potituros exiſtimarent, omnemque militiam *Hiſpanicam*que prædam arbitrio ſuo diſpartiendam opinarentur, clamore, impetu, ferro, turmatim invadunt, catervatimque diffuſi per hoſtium & tabernacula proſparguntur. E diverſo, *Hiſpani* qui concinnatas ad inſidias omnia diſpoſuerant, de improviſo prodeuntibus armatis, ac velut acie quadrata conflicturis agminibus, ictum ſubito terrore militem aggrediuntur, conſternatumque diſtringunt, egelidos omnes
C metu ſubitaque formidine dilanguentes capiunt, trucidant, perdunt: ad igniferum ſublatis omnibus ne quidem nuncius qui triſtem caſum gravemque fortunam referret, ſuperfuit: adeo plenis obſequiis lenocinante fato, ſors *Hiſpano* melior adblandita fuerat. Sed non ideo tamen ignavius aut negligentius victores in caſtris agere, non inſoleſcere, non gloriari, ſed ſolicitius cavere, ſingula diligentius præmetiri, cunctaque longius & acutius diſquirere: ne ſibi quod aliis impoſuerant pari clade parique jactura reponeretur. Tum *Galli* priſcis victoriarum inſignibus ſuarum ſuperbientes, ſed & recenti ſuorum cæde ſociorum exacerbati,
D collatis ſignis conflicturi caſtra movent, amneque trajecto, cum hoſtem omnino petituri, agmine certo progrederentur, adverſis ſignis appropinquabant. Tunc itaque *Veneticarum*, *Hiſpanicarum*, Pontificiarumque legionum egregii ſummique ductores, quanquam & militari robore, omnique tormentali inſtrumento, ac uberiore commeatu, pœne legionibus hoſticis compares eſſent, tum vero induſtria judicioque longe præſtantiores, nonnihil tamen adverſi prætimeſcebant. Proinde funem reducere, ſeque paulatim in tutiora receptare, ſtatuerunt. Etenim futuris omnibus proſpicientes addubitare ſubvererique non injuria
E cogebantur, ne hinc *Ferrarianis* illinc *Bononienſibus*, tum ex adverſo confluentibus *Gallis* obſepti cinctique undique vel improviſa rerum inopia, vel imminenti mortis diſcrimine laborarent. Quocirca refixis ſignis in *Cornelianum Forum* commigravere, mox alio provocante fato, cum vix intermiſſa viæ continentis profectione, deſequentibus *Gallis*, urgerentur, haud procul *Ravenna*, cum opportuniora locorum & legionibus commodiora ſuis præoptaſſent, caſtra locaverunt. Eam urbem delecto peditatu, ac ferentario cathaphractarioque munitam equitatu, ſed & ductoribus eximiis, reique militaris ſcientia peritiſſimis, qui ſuo pro ſtudio diligentiaque Rempubl. tueren-
F tur, firmaverant *Hiſpanorum* Principes, & exercitus Pontificalis arbitri. *Galli* vero, cum auxiliaribus copiis, ſuoque cum omni bellico apparatu inſtructi præcinctique conveniſſent, manumque cum hoſte ſubito conſerere, ſuoque de more confeſtim ancipitem fortunam experiri niterentur, ut ex caſtris hoſtem elicerent, quoniam eo locorum aggredi durum erat, expeditas alas leveſque manipulos *Ravennam* mittunt, qui obe-

qui-

quitent, circumagant, velitentur, ut his hostes escariis insidiarum illecti promotique, vallo protinus erumpant, moxque suggressi *Lilini* milites a latere, a tergo, a fronte medios interciperent: sed eorum consilia fefellit hostilis prudentia, omni quippe bellico usu frequenter exercitus hostis, omnique militari disciplina præditus, nihil omnino prætentandum, existimabat. Cumque suo præmunitam urbem præsidio non ignoraret, seque castris sui divelli non oportere, firmis omnibus tutisque rebus suis opinaretur, armis obtemperavit. Tunc *Galli* cum elusa consilia sua cognoscerent, nec ex insidiis cum hoste decertandum, sed aut ægre diuque sustentandum, aut manu iniquiore loco conserendam esse viderent, hostem aggredi, & ex æquo vel iniquo pugnare constituunt. Hos præter ingenitam temeritatem, naturaleque castrensis rei citius absolvendæ desiderium, cum laboris improbitate victi, castrensique duritia soluti penitus intabescant, urgebat *Britannicus* apparatus, & in *Hispania* ad *Perpignanum* ingens expeditio. Quarum *Aureliensis* districtus rerum curis, in *Italia* vel pace, vel repentina hominum internicione, res bellicas componere summo studio properabat. Contra vero Pontifex & *Venetus*, *Hispani*que ductores *Gallicanorum* non expertes consiliorum, modis omnibus sustentare, cavillari, prorogareque nitebantur: neve castris egrederentur armis hostilibus provocati, signisque collatis manum consererent, omni solertia & cautione procurabant. Quæ cum *Galli* graviter & moleste ferrent, toto *Ravennam* exercitu circumsidunt, in eamque totis viribus feruntur. Extremo constitutam in discrimine, summoque laborantem urbem excidio sublevare defendereque Pontificales ac *Venetæ* legiones, & his adjuncti milites *Hispani* coguntur. Itaque castra derepente movent, *Gallo*que propinquant, rati castrensibus urbicisque legionibus conduplicatis illum facile posse propelli. Ergo cum ad mille passuum spatia, hinc propriis præsidialibusque copiis omnibus *Galli* constitissent, illinc vero castris omnifariam aggere vallatis *Hispani* signa sua defixissent, pridie quam concurreretur, velut hostem aut urbem impetituri, transfacturique ferro, extrema sua cuncta disponere, animarumque suarum & corporum, quibus ultimus esset ille dies, curam obire, & quoniam mystica Christiano ritu dies instabat, sanctaque paschalibus solemnia ceremoniis invertebantur, religioni cultuique Deorum gens deditissima piis moribus & institutis sacra facere, confessione purgari, pœnitentia dolore: tum mactata edulii cœlestis hostia, sanctoque libamine lustrari: ad hæc suprema sua passim obsignare, testari, legare: mox equorum, armorum, telorumque suorum quæ propediem ad manum futura forent, spectaculis oblectari: clavam stilumque tractare: aciem explorare futuræ neci præludere. Imperator interea *Gallorum* exercitus *Nemoriensis* Princeps, cum suffervente juvenili calore, tum præsultante propinquantis victoriæ lætitia, moræ longioris impatiens, singulos quosque proceres, tribunos, centurionesque suos accersere, appellare, hortari, ut hoc ultimo præliorum conflictu, supremaque laborum omnium linea, sese tales exhiberent, quales viros semper omni sævientis belli discrimine præstiterant. Militares dehinc animos præteritarum memoria victoriarum accendere, exactique nuper prælii tanta cum gloria recordatione, singulos vehementius inflammare, prudenter suadere, multa largius polliceri. Denique cunctos admonere, hunc eum esse diem qui *Gallica* celebratus illustratusque victoria, *Ludovicum Aureliensem* terrarum orbis dominum, diversarumque gentium ac potentissimorum populorum brevi principem, ipsorum opera declararet. Qui *Hispanias* subigeret, *Britannias* percelleret, *Germanias* exscinderet, qui *Romam*, *Campaniam*, *Appuliam*, *Calabriam*, qui totam denique suis pedibus proterendam ab imo ad summum prosterneret *Italiam*: consisterent firmiter, viriliter agerent, acriter depugnarent: expositam, obviamque ad ipsos planiore clivo properare victoriam, quam nisi ipso præcurrente & antesignano lætanter exciperent, magnæ reos infamiæ magnique criminis sontes esse futuros. Hæc & hujuscemodi dum insomnes & anxii milites ducesque tota nocte peragunt, futuræque morti aut victoriæ expeditius accinguntur, funestam lugubremque prævius lucifer auroram agebat, quæ pallentem refugumque solem, suaque currum ab orbita retorquentem, ne tantæ hominum internecioni futuræ, luctificum exequialeque lumen præberet, impulit. Mihi quidem hæc fideli memoria repetenti, admiratione digna videntur: nullæ solem nubes obduxerant, tranquilloque polus æthere, ac perspicua claraque tempestaque fulgebat: & tamen nescio qua caligine subobscurus & hebes retusi luminis splendor illanguescebat: & scio multos stupore defixos, vitiumque lucis suspicientes, id adnotasse. Qui quanquam ignari rerum & quid eo temporis ageretur

A nescirent, funesta tamen & calamitosa eo solis defectu portendi non immerito prædicabant. Sed & *Ravennatibus* paucos ante menses quam *Hispanus Gallus*que tanta cæde, tantaque effusa strage concurrerent, monstrum horrendum, informe, ingens, enatum, formidinem ac terrorem omnibus incusserat. Monstri hujus effigies, publicis olim typis impressa, triviis ac quadriviis omnique foro promercalis, circumferebatur, modicoque ære vulgo divendita, ad manus pœne omnium nostrasque pervenit. Hominis speciem, tota corporis dispositio compagesque membrorum, sed ad visentium horrorem informium, præferebat, caput humana quidem effigie, sed assurgentibus geminis cornibus ac levigatis perhorridum, brachia more simiarum, manusque, sed in teretes digitos præacutosque ungues asperatæ, latum media pectoris crate lumen, *Argolici* clypei aut
B phæbeæ lampadis instar, illucere videbatur, naturæ secreta sed incerti sexus squammæ multiplices advellabant, ab ipsa alvo pubeque ad genu, velut hamis consertum pluribus corium propendebat: hirsuti poplites, hirsuta crura, hirsutique tali: pedes geminos, non ad hominis sed anseris modum, tribus interstincta cartilago nervis distendebat. Totum vero corpus obscurissimæ caliginis, intritique carbonis instar color teterrimus offuscabat. *Brixianam* cladem, sicuti quidam meminerunt, immensus cœli confligentis fragor auditus, quo pœne ruentem machinam discindere poli videbantur, præmonstravit. *Bergomensi Cremensi*que territorio magni cœlo lapides lapsi, complutique plures aspera duraque omnia protendebant. *Patavii* quoque, priusquam tanta belli moles incumberet, me etiam inibi degente, soles gemini vulgo conspecti sunt. Nec leviora quam
C toleraverint passuros cives præmonebant. Sed præsenti nullum hoc monstro terribilius stygiis sese extulit undis; nec graviora quidem vel ad eos usque dies admirabiliora portenta, tam manifesto conturbatæ naturæ argumento, mortalibus imminere maturas iras Deorum ostenderunt, ut non immerito una futuri clades excidii, unaque proximæ calamitatis ruina cæteris omnibus major & informior præsignaretur. Ergo cum mœsta lugubrique sublucente aurora infandum exterritus sol diem ostenderet, appetentemque *Gallum Hispanus* & ex æquo signa conferentem intueretur, ut cominus ferro decerneret, extremique fati duces aleam prætentarent, cum ipse prærogativa locorum ac militum præcelleret, prodeundum ratus, præsidium ex urbe citat, exercitum castris educit, instructam paratamque aciem e regione locat. Ephemeridarii, quique pugnam hanc
D humiliore stilo prosecuti sunt, annalibus suis meminere, *Petrum Navarrum* omni re bellica celebratissimum, ac tunc militiæ pedestris magistrum, mira arte, miroque ingenio currus compegisse, tanta præceleres mobilitate, tantoque in hostes impetu violentos, ut quoscunque militum globos, sisque phalanges telis arctissime restrictas ac constipatas irrumperent atque disjicerent. His insidentes septeni octonique milites, sagittarii, fusores, tormentarii, missilibus telis omnibus accincti, tanta volucrium pernicitate rotarum invehebantur, ut vix ægreque durissimi fortissimique milites proruentium vim, toto suo robore coacto repellerent, aut sustinerent. Igitur cum in aciem *Galli* descenderent, suis ordinibus suoque agminatim milite disposito, confestim ex adverso velut laxatæ carceribus furentes bigæ
E quadrigæque bellatoribus onustæ in obvios emittuntur, tanto terrore, spectaculoque novæ rei, ut pœne omnes primi agminis ordines conturbati, retusaque frontispicio cornua, tumultuantibus fereque confusis omnibus proscinderentur atque deficerent. Certamen impar erat longeque dissimilis telorum agitatio. Cum *Hispanus* velut ex alto, superioreque loco saxa, pilas, ferrum mittitaret atque dejiceret: contra *Gallus* ex imo niteretur atque subigeret. Ergo cum non levi *Gallorum* detrimento, magnaque suarum clade copiarum agitati vagique currus longis spatiis pererrassent, ac feriendo percellendoque consternatas fere primas acies retrivissent, successere & corporum agilitate strenui, & ingenii viribus acriores *Hispani*, tanta animorum alacritate, victoriæque sibi jam acclinantis fiducia, ut quasi eam manu tenerent ferocissime congrederentur, eaque furentes
F atrocitate pugnarent, ut quanquam collecti restitutique suis ducibus ac redintegratis viribus *Galli* fixo pede constitissent, acerrimeque depræliarentur, titubante tamen belli fortuna sæpius cederent, & urgente ferro reculcarentur. Assiduos conjectorum telorum nimbos, vehementemque pertinaciter incumbentis *Hispani* bellatoris pressuram, jam paulo ante attoniti pulsique loco *Lilini* milites sustinere non poterant. Et quanquam fugæ parcerent, pristinæque victoriæ memoria non averterentur, inclinabant tamen, detrusique sensim, quanquam corporibus ac telis omnibus prædirectis obsisterent, in posteriora rejectabantur. Utrinque pugna crudelis erat,

rat, multaque passim cadentium occidione præliatorum asperrima. Attentissimus & solers ubique rerum *Hispanus*, numero militum potens, valentissimorumque ductorum prudentia suorum, ad inferendos ictus ac propellendos, omniaque declinanda pericula semper habilior erat & promptior. *Gallus* pugnæ studio fervebat, totoque mentis ardore concitus in hostem vasta corporis mole ferebatur, *Andabatarum* more percutiens, ictuque plagarum indiscriminato diverberans, cujus tametsi non irrita tela forent, nec in cassum ejacularetur, nativa tamen agilitas *Hispano* consita, tum versuti callidique ductoris artes omni Martis casu paratæ, periclitantem *Hispanum* juvabant. Igitur aspirantis primo fortunæ præsidio, tum & propriis ductorum militumque suffragiis, cumulata virtus *Hispanica Gallum* loco propulerat, ipsumque fere prævium agmen, omnesque rorarios longe propulsatos usque profuderat; sed integri triarii, mediæque acies atque postremæ salvæ fuerant & incolumes, nulla confusione metuque turbatæ, sed integris viribus, & tranquillis animis, signum ducis imperiumque, surrectis auribus expectabant. Igitur exercitus imperator dux *Nemoriensis*, suis accitis proceribus, quorum ingenio virtutique maximis semper in rebus fidebat, pauca pro tempore locoque præfatus, cum ille dies esset & hora quæ cœlo *Gallicam* virtutem attolleret, quaque suis gradibus in altum hostilis provecta felicitas prosterneretur, & ad *Gallorum* dejecta pedes contemptaque jaceret, si ducem ipsum hoc temporis articulo præclara molientem subsequerentur, adacto violenter equo, suarumque distentis omnibus virium nervis, hostium in densissimas acies, confertissimisque telis conglobatas, incurrit. Hunc *Pellicianus*, hunc *Odetus*, hunc cæteri heroes, & duces eximii delectissimo cum peditatu, equitatuque strenuissimo prosecuti sunt, tanto impetu tantoque conflammati cordis incendio, ut cum equorum vasta mole concurrentium, tum armati corporis obice præduro collisi refractique hostes terrerentur & cederent. Et jam regradati suaque vestigia remetientes victoribus *Gallis* locum dabant. Cum hoc facto reaccensi graviter *Petrus Navarrus*, Marchione *Piscariensis*, ac nonnulli ductorum *Hispanorum* primarii rebullientibus iris, animisque præferventibus incensi, congestos armatorum valentissimorum cuneos, seque in primis & virium & mentis asperitate terribiles incursantibus objecere, laborantemque aciem pœneque disjectam instauratis animis, suorumque præsentia sociorum reparatis restituerunt. Inhorrescebant utrinque acies atrocissimo bello commissæ, ipsæque confertæ pugnatorum manus immanitate barbarica moreque ferino digladiabantur. Stabat truculentus truculentum contra militem miles, contraque aciem infensam infensior acies resurgebat, quas promiscua cæde fœdatas, mutuoque cruore dimadentes, non tam adipiscendæ victoriæ cupido, quam effusi sanguinis ulciscendi, infixusque vindictæ dolor inurebat. Ergo veluti leones aprique lustris suis venatorum retibus atque venabulis undique circumsepti, cum nullos ad incolumitatem exitus circumspiciant, omnesque præstructas salutis vias perimentur, ne pecora velut inertia damæque degeneres, ictæ solo procumbant, rugitu terrifico concitati, totaque perfusa rabie spumantes, qua maxime ferri districta riget acies, & acuminatis formidolosa cuspidibus exstat, perferuntur & ruunt, sævisque dentibus ac jubis, totaque corporis sui mole inter tela diversati, hæc & illa venatorum manu discutiunt, reculcant, confringunt. Sic dissipientes magnaque belli debacchantis insania milites alieni, gregarius egregius, tiro veteranus, omnesque ordinum ductores & primipili, præcipites in pugnam ferrumque trahuntur. Nulla consequendæ melioris vitæ dulcedo pugnantem adigit: nullus inferni dei metus periclitantem avocat, non laudis amor, non ipsa convectandæ prædæ libido decertantem accendit; sed solo gliscentis amentiæ spiritu, solaque infræna pugnandi cupiditate cæci omnes aguntur. Dumque invicem fortissimi concurrunt, tantoque invicem fragore commiscentur, neque pugnæ consistere, neque reciprocam vim illatam pugnando sufferre valent, ac velut rapido proflantes aquilone venti, austrique violenter ex adverso consurgentes, cum in floccos ac siliquas incumbunt, repentino aeris impulsi spiritu, sublata cœlo omnia volvunt atque revolvunt, intorquent atque retorquent: sic depræliantem vertigines assiduæ crebrique rotatus vexant atque divexant, inflectunt atque reflectunt, dum hac & illac impinguntur: dum hinc & inde perurgentur: dum his & illis adversa diversaque regione ruentibus diverberantur ac verberant, rursusque feriuntur atque referiunt: utrinque miserabilis & luctuosa cædes, utrinque lamentabili deplangentium cruciatu strages infandæ, vulnerati vulneratis adjacebant, semivivique semivivis adsternebantur, cadavera cadaveribus intermixta terribiliter insquallescebant. Cumque magnis acervis equi viros pressarent, majoribus tamen cumulis

A equi viris compressabantur. Horis pœne quinque, tamen atroci confligentium lucta, tamque impio dimicantium certamine, debacchata belli vis fuerat, cum levibus incerta vestigiis dubioque gradu titubans ab *Hispano* victoria stare videbatur: & quamquam in tanta præliatorum confusione, discerptisque pœne cunctis agminibus ægre victus a victore discerneretur, ea tamen sive falso sive ex re castris invaluerat opinio, ut in acie superior *Hispanus* fuisse putaretur. Cum *Ferrariæ* Princeps *Alphonsus*, qui semper a *Gallo* steterat, cum de re sua conclamatum esse videret, si *Lilinæ* phalanges consternatæ penitus disjectæque fuissent, magnum ingentemque tormentorum ordinem, non ex adverso sed e latere obliquoque reflexum collocatum, suum in rigorem numerumque disposuit, insufflatoque confestim igne prægravatos canales exonerat, ea lapidarie grandinis tempestas fumo flammaque torrente ruens,
B cum non a fronte sed a latere pulsaret, *Gallos Hispanosque* prælio consertos indiscriminatis ictibus percellebat. Verum *Hispanus* inopinato Martis fragore perterritus, cum jam adflictas multoque bello deficientes copias, novi ferroque duriores ictus flagellarent, referre pedem coactus est. In eum casum, præter vulgarem militum jacturam, *Hispanum* impulerant intercepti ferro vel captivitate summi ipsius ductores, magnoque ingenio præstantes viri, quos præter cæteros egregie dimicantes magnaque vi strenuos bellicus turbo, diesque fatalis abstulerat. Tunc itaque quamquam fessi tristesque laceris legionibus suis *Galli*, spe tamen ex integro suscitata victoriæ, redivivi subito coeunt, & in ordinem componuntur, desecutique pertinaciter hostem jam aversum & trepidantem fugant. Omnibus igitur *Hispanum* prægravantibus fatis, magnoque fasce *Gallum* allevantibus, longe pulsi profligatique dispalantes
C aguntur. Insistens a tergo victor, pertinaciore cursu profugum hostem ad *Ravennæ* mœnia compulit, unoque omnes concursu in attonitam miseramque urbem permixtis agminibus provolvuntur. Non satis fuit constratos late cadaveribus agros, sanguineis ubique restagnantibus rivis profluxisse: volatilia cœli miserando hominum carnificio pavisse: terræque feras latrante stomacho lustris suis exactas, pinguiore demortuorum edulio consaginasse: in cives etiam murorum septis inclusos, in omnem ordinem, sexum, ætatem, indiscriminatis plagarum & tormentorum ictibus immaniter & peracerbe sævitum est: jacturam militum, clademque depræliantium immensam, spoliata ferat æquo animo natura. Non illachryment agnati, atratique parentes non doleant, quando nullo coacti magi-
D stratus imperio, nullaque militaris disciplinæ censura compulsi, sed prædæ potius convectandæ desiderio, suaque jactantia ac temeritate promoti viles animas profundunt, stultaque laudum ambitione, non ulla præclari facinoris perpetrandi gloria sese ferro devovent, & addicunt. At quieti, mites tranquillique cives, qui sua militibus arma reliquere, suaque Principibus gubernacula non extorsere, quo insontes jure plectuntur, qua sententia alieni reatus pœnas luunt: *Ravennæ* quæso quid peccaverunt, ut tanto lachrymarum lavacro diffluerent? Quid pueri, quid infantes, quid valitudinarii, egelidique senes deliquerunt, ut una percussi omnes fortunæ procella ferirentur? non hæc quidem *Brixiana* clade qua millia hominum quindecim cæsa feruntur, levior fuit. Nam præter occisorum turbam militum innumerabilem, qua trecentis & am-
E plius ab hinc annis nulla detestabilior nec ærumnosior cædes traditur, ipsa plane civitas omnibus terroribus ac lamentis exagitata quassataque congemuit: atque eo perniciosius & exitialius præfocata, quod securi hostium cives, nec ullam populationem præveriti, cum ab urbe procul dimicaretur, oppressi sunt, inopinataque fati prolabentis molitione retriti. Ad hæc extincti ductores exercitus, aut certe adverso Marte captivi, rabidas hosticæ feritatis spumas latissime diffluentes laxaverant. *Gallorum* imperator ferocissime pugnans confossus est, elatusque civium calamitatem miserrimorum conduplicavit. Cum *Odetus*, quique cum eo superstites fuerant, gravissime consauciati suis potius curandis vulneribus, quam Reipub. salutique *Ravennatum* in-
F tenderent. Sed & qui in *Hispanico* exercitu vicariam regis potestatem agebat, ubique sævi Martis pertonante flagello, cum desperatæ rei præsidio esse non posset, profugit. Multi præterea militum ductores præstantissimi vel absumpti ferro, vel gravioribus vinculis præpediti, sicuti *Columellæ*, *Navarri*, *Piscarienses*, *Leivæ*, cæterique pœne omnes ingenio usque rerum præclari, dum custodiis coercentur, suarum colligere fragmenta copiarum, suasque reliquias ad signa revocare non valuerunt. Ergo prærabidæ veluti canes, infernisque sedibus erumpentes diræ, discordiosi prædones, semivivis enectis profugisque relictis hostibus, sese turbam in despicabilem, exarmatamque multitudinem perniciffimis

mis gradibus proripuere, per inconditas urbis ruinasque jacentes murorum, patentiaque per omnia catervatim immissi, stricto ferro strictisque mucronibus per trivia, per vicos, compitaque per omnia late sparguntur. Hærebant incerti, elingues, defixique cives, improvisique tumultus militiæque proruentis ignari, sua limina domosque tenebant. Ipsa urbis facies omni cultu suo deformata, cunctisque pallore novo cultuque squallentibus miserabiliter inhorrebat. Attoniti Summates infimisque natalibus humiles, primo violentium raptorum ingressu præstupidi novam inusitatæ rei speciem, armaturæque pervadentis vim insolitam admirabantur: nec quod albæ rubentibus cruces permixtæ tot ingruentibus globis diversarum partium inveherent, compertum habebant. Sed dubios & ancipites, ad cujusque miseri penates, ilico provolutus turbo militaris oppressit, evaginatique sanguinea manu gladii, tum & tela vibrantibus lacertis micantia, imminere civibus extrema omnia præmonebant. At postquam privatas ædes & publicas imperante nullo, nulloque præjubente magistro, sed indociles incompositique certatim omnes ut proxima quemque diripienda trahebant, invasere, non jam amplius conjecturis argumentoque, sed excidium re ipsa manifestarium deprehenderunt. Tunc itaque singultus & lachrymæ, gemitusque clamitantium & ejulantium omnium, elisas auras repercussere. Prostratæ solo matres pavidæque virgines, ipsisque permixti matrum nutricumque gremiis infantes, stillantibus madida per ora guttis veniam orabant. Passi crines, scissæ tunicæ, duplicesque cœlo manus elatæ, fœtas ab impetu tigrides, Pœnosque leones reprimere potuissent, mitigassentque truculentas & implacabiles inedia feras, tot planctus precesque profusis ac torrentibus lachrymis præcipitatæ; sed ipsa barbari sæviores sævitia, non ullo fletu precibusque moti, rupto statim aditu, per atria, per cellas, perque cubiculorum conclaviumque secreta feruntur, scrinia, cophinos, arcasque confringunt, gemmas, monilia, margaritas exportant, aurum, argentum pretiosaque omnia congerunt, vestem, mundum, supellectilem, vel si quid exornatum auro cultius enituisset, avectant. Quod si dignitas, hominisque species, aut domicilii majoris amplitudo, ditiora & opulentiora quam offendissent, promisisset, aut priori direpta prædone domus sedem omni ablato pretiosiore instrumento vacuam reliquisset, extemplo liberis conjugibus ac servis violentas manus injiciebant, ipsisque sævissime plagas ictusque per omnes divexatis intortisque recondita omnia disquirebant. Astricti tormentorum impietate parentes quibus immaniter dissecti filii lamentabantur, tum & ipsi diro carnifice sævisque fidiculis crudeliter affecti, si qua latebris secretioribus commendassent, eruta protinus præsentabant, & majora sæpe quam res familiaris & angustæ facultates præstare possent, offerre cogebantur. Aspera quidem erat omnium captivorum & peracerba conditio, cum diros per cruciatus ignitasque sartagines ac laminas obusti depromere cogebantur ea quæ promi fuerat impossibile. Itaque nonnulli sese puteis cisternisque recipere, plures sentinaria fœtentesque cloacas implorare, præsepulti scrobibus alii cuniculisque delitescere: præcipites nonnulli saltu furentis impetum barbari declinare: multi fame, dum latebris obscurioribus convelantur, protractaque rapinæ licentia, dum nullo naturam obsequio juvant, extabuerunt: alii tormentis, alii ferro, alii alio casu præfocati consumptique miserabiliter interierunt: nullos religionis propugnaculum, nullos delubra statuæque Deorum, nullos sacra divinaque, eo tempestatis infandæ diluvio protexerunt: primos ingrassantium assultus Basilicæ phanaque Deorum excepere, direptaque passim omnibus prophanatis altaria: tum & ipsi truculenter arrepti sacerdotes, excussique funibus, ac crudelem admodum appensi cœnobiorum latibulas arcanaque suorum reseravere: mox consecratæ virginitatis pudicitiæque suæ diligens omnis & pervigil custos execratus proscissusque est. Tanta impuritatis colluvie, tantoque reciprocæ fœditatis commercio, ut cum ipsarum quæ passæ sunt personarum, tum quorum officiis devotus uterque sexus fuit reverentia, magis hæc expunxisse stilo quam exarasse sanctius putem. Lamentabilia, detestabilia, miserabiliaque omnia tot sacrilegiis, cædibus, rapinis propolluta, omniaque nefario scelere conspurcata, unam insignem toto terrarum orbe calamitatem, unamque sæcula per omnia memorabilem ruinam fecerunt, quæ paschalem sacro sanctum diem, millesimi quingentesimi undecimique anni, tot cœli terræque prodigiis damnatum, totque cumulatis hominum cædibus ac miseriis notabilem, infamibusque portentis inauspicatissimum, futuro omni ævo perpetuæque hominum memoriæ consecraverunt. Hæc igitur tam varia facinorum specie, multiplicique flagitiorum omnium farragine congesta, ac in ipsas Deorum aras ministrosque templorum immaniter admissa, cœlestes (arbitror) iras excivere, avertereque Dei Optimi Maximi benignitatem, qua cum *Gallo* distentis prius velis aspiraret, subito conversis disjecit & obruit. Divini sane mira vis numinis, cœlestisque potentiæ virtus incognita. *Gallicana* fastigia, *Lilinæ*que magnificentiæ fastus, usque adeo processerant, eumque conscenderant & rerum apicem & admirationis locum, ut *Italia* pœne omnis concussa consternataque, famæ celebrioris, & illustrium gestarum rerum magnitudine contremisceret, omnesque fere *Europæ* nationes & populi ad quos *Ludovicus Gallorum* rex potentissimus facinorum claritate compatratorum penetrabat ejus signa vexillaque summissi revererentur. Nihil majus nec excelsius, nihil ea tempestate sublimius in terris aut dici poterat vel excogitari, parta maxime apud *Brixiam Ravennam*que tanto sanguine, tantaque de plangentium omnium strage, victoria. Quæ eo felicitatis successu, eaque hominum internicione *Romam* perlata *Julium* pontificem maximum, purpuratosque *Romani* senatus proceres usque adeo distrinxit & perculit, ut oborta justi metus formidine trepidantes omnes, de fuga cogitare vertereque solum omnino cogerentur, & ipsi summi consiliorum antistites, prudentiæque magistri principes *Veneti*, quorum exploratæ notæque vires erant imperii subhærere, molirique alia, aliaque versare, tam sævo importunoque communis jacturæ naufragio, compellerentur. *Mediolani* tranquilla securaque omnia, nihil ab hoste patriciis plebeisque timentibus, erant. Qui *Gallicanum* imperium *Transalpinæ*que potentiæ majestatem aversi & rebelles oderant, quique coito cum Pontifice *Veneto*que ac regibus fœdere, meliora deinceps & prosperiora conjiciebant, audita clade desperaverunt, omniaque pro *Gallo* conjurasse fata, quanquam indignissime molestissimeque ferrent, vociferabantur. Sed tunc demum divini numinis exercentur iræ cum placatas illas delenitasque ac maxime summitescentes putamus: cum nobis plenius indulgent, laxatisque velis propensius obsequuntur, tunc majoris concitati furoris flagella nobis attentissime præcavenda sunt, latioresque vulnerum plagæ validioribus telis ac viribus incussæ, proculdubio prudentibus sunt viris exspectandæ. Quod ut re ipsa *Ludovicus Aureliensis Francorum* rex impotens, ac felix infelixque præsenserit, ipsique communi malo publicisque cladibus experti *Galli* fuerint, exinde quam verissime potero brevibus absolvam: si prius tamen exacti voluminis lectione multa fatigatum lectorem, impolitique stili mei tædio captum, intermisso spatio laxiore, moraque benignius irrogata refecero.

LIBRI QUARTI FINIS.

BER-

BERNARDINI ARLUNI,
Jureconsulti, Patricii Mediolanensis,
DE
BELLO VENETO
LIBER QUINTUS.

CLariorem cæteris præsignemque victoriam, quam victor *Gallus* execrabili populatu lugubrem promiscuique sanguinis confusione cruentam fœdaverat, fuga, cædes & terror exceperunt. Conflictati quippe vulneribus multis Ductores, antesignanique pæne omnes suis curandis corporibus occupati, sublato præsertim exercitus Imperatore, sic mortalia convolventibus Parcis, illustrem victoriam, qua pæne subactus orbis *Gallicana* manu putabatur, fraudaverunt. Nec enim cuiquam in dubium venit, si *Nemoriensis* Ductor bello superfuisset, cum magni perficiendi facinoris alacritate, tum ipsius ingenii præferventis impatientia, raptis quam ocyssime signis *Romam* profecturum fuisse: mox in *Campania*, dehinc cæteris in regionibus dextro Marte castra metaturum. Sed hanc rerum seriem dispositam, expeditionemque propitiante fato perficiendam intercurrens unius mors viri non illaudata discussit: interturbavitque *Normandini* Quæstoris importunior avaritia. Hic siquidem post adeptam tanto sanguine tantaque cæde victoriam, cum adurgendi successus forent, percitoque felicitatis gradu milites in ulteriora promovendi, omnem fere peditatum æris inopiam causatus expunxit: cujus facti reus, cum apud Regem postularetur, ægre purgatus evasit. Milites ergo qui *Lilinis* antea signis gloriose meruerant, improbiore quæstoris facto stomachati, ne stipendio vacarent, in *Julii* Pontificis, omni lenocinio militem illectantis, verba juraverunt: suaque ejus in militiam nomina dedere. Qui suis alienisque omnibus collectis ex tanta strage militibus, reparatisque tumultuario supplemento copiis, ut in tam præcipiti ac pæne desperata re fieri potuit, *Matthæo Sedunensi* Episcopo dat in mandatis, ut festinantissime trans *Alpes* emigrans, peditatum ære profusius erogato conscribat: *Helveticos*que numeros majore stipendio, ac largitionibus amplissimis evictos, ad religionem *Romanam*que rem defendendam cis *Alpes* traducat. Qui magnis continuo confectis itineribus, omnique viarum anfractu superato, cum subitarios milites repentinoque procinctu semper in bellum pugnamque paratos expedivisset, in *Italiam* iter molitur: mox saltuum *Tridentinorum* angustos per tramites militem deducens, in *Veronensium* fines, ut explorato dehinc itinere contenderet ad Pontificem, ejusque fragmentis jungeretur, perrexit. Hæc dum in *Italia* tot castrensibus quassata ruinis agitantur, potentissimus Rex *Britannorum*, Julio Venetoque, sicuti supra memoravimus, impulsore, *Gallo* bellum intulerat; magnisque quotidie Regem cladibus apud *Balionam*, collimitaneasque regiones adfligebat: adeo quidem ut

A instaurare exercitum, revocareque suas ex *Italia* legiones, ac ex peregrino ad domesticum bellum regredi cogeretur. *Pellicianum* itaque ductorem, qui tunc in demortui *Nemoriensis* locum tumultuario militum consensu suffectus erat, literis emonet, ut incolumi præservato exercitu, suaque pro virili sospitibus alaudis, *Galliam* modis omnibus repetat: quoniam domi peragenda res sit; vicinoque cum hoste dimicandum. Literæ dum ad Ducem perferuntur, sive casu, sive destinato interceptæ sunt: earumque contextus omnis ab hoste recognitus. Equitatus siquidem magister ferentarii, *Mercurius*, dum *Veneticos* quotidie fi-
B nes magnis excursionibus peragrat, *Marcici*que imperii limites sua pro diligentia studioque tuetur, tabellarium cum literis incitatissimo cursu properantem cepit. Quem cum excussisset, apparuerunt e vestigio literæ: quibus ad Senatum *Venetum* transmissis, cum omnia palam facta forent, magno gaudio confestim omnes affecti sunt; deque recipienda *Italia*, barbarisque hostibus exigendis consilium iniere. Igitur *Julius* ante, sua de re defendenda solicitus, quique prius rem *Romanam* stirpitus eversam opinabatur, nunc ad inferendum bellum ulciscendasque injurias animatus, arma movere suamque fortunam remis ve-
C lisque propellere cœpit: ac primo quidem *Matthæum Sedunensem*, virum solertissimum, *Helveticique* peditatus ductorem, de his omnibus, quæ nuper innotuerant, certum facit; suadetque ut armato milite *Veronam* impetat; simuletque *Gallo* vim illaturum: quoniam sedato *Lilini* Martis æstu, refrigeratoque *Gallicanæ* felicitatis calore, nullo jam amplius metu prematur; armaque magis illaturum quam suscepturum, verso jam cardine rerum, existimet. Quibus ad numerum cognitis perpensisque omnibus, *Sedunensis*, qui super incolumi traducendo milite nuper angebatur, & ad declinandum hostem securos tramites quæ-
D ritabat, nunc se totum in eum contulit: ad *Gallum*que nostris finibus extrudendum conversus est. Alacriter itaque promoto exercitu fortunam tentare, petereque hostem, velut collatis signis conflicturus, audebat. *Galli*, quibus jam fortunæ præsidio destitutis in sinistrum cuncta vertebant, quod illius indulgentia nimis intemperanter abusi fuissent, cum exili permodicoque peditatu suo, sese longe dispares *Helvetiis*, quorum a pedibus fortissimum robur erat, intuerentur, & quia propediem emigrandum esse cognoverant, nullo prælio nulloque congressu cessere: retrogressique sensim, cum *Veronam Brixiam*que pro tempore,
E legitimisque militum custodiis munivissent, non ante fuga destitere quam commissis tantum levibus præliis, sese citra *Mincium*, conceptaculo tutiore reciperent. *Valegio* subsistentes, indeclinabili vestigio persequentibus *Venetis*, *Helvetiis*que fu-

fugam urgentibus, *Galli* desederant, *Brixianorum* finium oppido conterminali, libera omnia dispalantibus vagisque hostibus ultra fluvium relinquentes, cum excitis *Flaminia* pontificalibus copiis, omnique *Hispanico* exercitu contracto, tota in *Gallum* vis bellica confluxit; maturamque ejus in perniciem congesta est: donec ad *Abduæ* fluminis ripam, cum jam perfugum & in ulteriora dilabentem *Gallum* adegissent, hostilium consiliorum exploratores, percunctabundique Pontificis & *Veneti* milites subhæsere. Qua rerum difficultate dum *Gallica* res laborat, eliminatæque fortunæ domicilio *Lilinæ* phalanges exculcatæque pedibus atteruntur, *Jo. Jacobus Trivultius* barbaricam temeritatem insolentiamque perosus, cum & a *Gallis* illata patriæ suæ dispendia compendiaque reputaret, & ingravescente jam senio malæ pariter ætatis admoneretur, cuperetque naturali desiderio, cum excelsa dignitatum attigisset, compositis in patria rebus conquiescere, nobilitatem adversam, sibique magna ex parte repugnantem, conciliare studebat; alteriusque factionis summates, quos præcipue læsos, exindeque rebelles præsenserat, & his & illis artibus demulcere nitebatur: ut contritis simultatum antiquarum seminibus, omnique revulso stirpitus iræ succrescentis odio, benignæ pacis tranquillitate, amicitiæque mollioris lenimento mitescerent. Itaque *Vicecomitum* familiæ ejusque Primati *Baptistæ* viro insigni, salutandi appellandique hominis occasione perfunctus, sese primum insinuat. Cumque magnis sese damnis affectum vir ille conquereretur, emendata jactura benevolentiæ locum fecit: dehinc *Jo. Franciscum Marlianum*, acutissimum Jureconsultum, totoque ex Senatu ingenii perspicacis, acrimonia præligendum, cumque eo *Galeacium*, *Vicecomitem* vulgo dictum, donis ac meritis ingentibus delenitos in fœdus attraxit. Adscita mox *Ambrosii Maini* filia, quam *Camillo* filio suo desponsaverat, nuptialibus tædis amicitiæ vincula consancivit: quam & alterius adjectione nodi constrictam protinus adcopulavit. *Lauram* quippe vultu moribusque speciosam, *Theodori Trivultii* filiam, *Antonio Mariæ Cribello* in matrimonium collocat: alteramque deinceps justis nuptiis procreatam, magna constituta dote, *Francisco* nepoti suo nuptui dedit. Atque ita omni ex parte interna externaque recens cognatione munitus, multaque subnixus remoti sanguinis propinquitate, senectuti suæ otium requiemque parabat: civicamque concordiam diffidentibus bello superiore animis discordem, publicis privatisque commodis emoliebatur. Igitur fato vertente, cum res *Gallica* summum in discrimen incidisset, abscedendumque *Mediolano*, transmigrandumque bello sæviente, *Gallorum Mediolanensium*que Viri Principes esse cognoscerent, diversæ factionis Optimates, & quos præcipue beneficiis promeruerat, convenit: qui rerum status domi forisque sit, edocet; quid in *Italia*, quid in *Britannia*, quid in ultimis *Hispaniæ Galliæ*que finibus agatur, edisserit. Et quanquam *Ludovici* Gallorum Regis potentiam attolleret, *Transalpinæ*que rei majestatem tanta bene gestarum claritate rerum conspicuam admiraretur, urbis tamen nostræ libertatem peregrinis vinculis absolutam præferebat: quam amplectendam, totisque viribus ac sinu toto confovendam hortabatur. Atque ut eam facilius assererent, vel ut oblatam potius retinerent, *Helvetios* Reipublicæ *Mediolanensis* in tutelam acciturum pollicetur: daturumque, si placeret, operam, ut annuo ære, quod congrueret, erogato, paratum semper ad Reipublicæ vota peditatum exhiberent. Neque dubitare se, ajebat, quin illi jure fœderis a-

A stricti nobis obtemperarent: cum præsertim defensioni eorum, taxato semper intercurrente stipendio, sese civitas nostra dedidisset: tum equitium ferentarium cathaphrattariumque ex urbe *Mediolano*, cæterisque propinquis urbibus & oppidis delecturum, ut expeditam promptamque, si civitas armis provocaretur, defensionem haberet; & si contumeliis afficeretur, justum posset hosti lacessita bellum inferre; se eum interea militiæ locum eamque in urbe prærogativam habiturum, quam ipsi suo arbitrio decernendam illi esse putavissent. Ac ne quid usurpaturum eum ex publico vererentur, dolerentque suos eum in privatos B usus conversurum, quæ fisci fuissent, jam tum quæ tenebat oppida, ipsumque *Viglevanum* Mediolanensi resignabat imperio: modo frui tantum his per ipsos perque Rempublicam liceret, quæ aut ipse privato ære suo coëmpsitasset, aut quæ antiquitus patrimonii sui forent. Eaque præservaturum & exactissime custoditurum omnia persancte jurabat: modo exteri quoque cives pari jugo subjicerentur; quamque aliis legem fixissent, eam ipsi sibi non refigerent. Qui concioni præsentes interfuerant, assensere, quique cunctatioris ingenii maturitate cuncta ponderabant, non abhorruerunt: cum eximiæ laudis facinus atten- C taretur; idque nulla cum labe, notaque sugillatæ dignitatis nostræ, ad exitum perduci posse omnes existimarent. Cujus etenim culpæ rea civitas convinci poterat, si *Gallorum* abscedente exercitu, præsidio destituta succubuisset? rursus quam *Gallis* inferebat injuriam, si vexillis exempta barbaricis, externoque soluta jugo, suis legibus suoque jure viveret? sanxissetque pro commodo Reipublicæ salutares atque frugiferas cum hoste leges? Ergo cum hæc nonnullis inita Summatibus consilia placuissent, nulli prorsus de repellendis hostibus, deque præmunienda urbe tractatus agitati sunt: sed a barbaris ad barbaros D transmigrandum fuit; depulsoque advena cum advena peregrinandum. *Galli* quippe cum adversantibus fatis agerentur, incerti quo pergerent, ubi sisterent, quem sequerentur, præfixum animo non habebant; sed ab unius *Trivultii* voluntate nutuque pendere; ab eo consilium & opem, quoniam fortuna verterat, exquirere: qui quanquam incolumitati studeret eorum, ne quam Regis indignationem incurreret, improbioribus tamen omnium dictis factisque jugiter exacerbatus, marcescentem stomachum illibata fide sua repurgare quærebat. Itaque fatis adversantibus occurrere, reluctarique fortunæ sævienti cunctabatur; ven- E tisque suis circumflecti, ac contorqueri vela sinebat. Proinde *Galli*, qui ex *Ravenna*, *Verona*, *Brixia*, cæterisque relictis urbibus & oppidis *Mediolanum* confugerant, trepidare, timereque plebem, nec minus ab internis quam externis hostibus formidare cœperunt: quoniam cum sese jam fortunæ præsidio destitutos viderent, insolentia temeritateque sua detestabiles & omnibus invisos esse sentiebant; præcipue qui acriore ingenio perspicaces altiora metiebantur; sicuti *Normandini* Quæstor Ærarii, qui cum privatis ædibus parum fideret, insanæque plebis impetum vereretur, a *Trivultio* comiter invitatus apud ipsum F desedit. Quo cum postea diligenter summoque studio *Trivultius* egit, ut irrogata per ipsum Quæstorem populo venia Regis nomine deditio nobis indulgeretur: ne qua nos unquam defectionis macula labesque rebellionis inspergeret. Atque ita factum est, publicisque cautum documentis, ut abscedente Gallo, *Mediolanenses* illius imperio liberati, propinquis cum hostibus, ut vellent possentque, paciscerentur. Omnes interea milites, & qui eorum sectati partes erant, Nobiles at-

atque Patricii fugæ intenti viaticum parare; rei suæ familiari disponere; omnes in *Trivultii* basilicam confluere; motaque ductoris unius auspicio castra sequi. Hæc magno dum per urbem tumultu permiscentur, omnesque periclitanti vitæ suæ consulunt, Primates communiumque rerum arbitri delectos ad *Trivultium* Oratores destinant, enixissime comprecantes, ut dimisso exercitu, copiisque procul amandatis, ipse domi cum civibus, cum propinquis, omnique suo cum affectu maneret; non expedire *Mediolanensi* Reipublicæ in tanto gentium motu, barbarorumque fragore, *Trivultium* abesse: cum uno ejus nutu sedari componique possent quam plurima, quæ, ipso absente, non nisi magno cum tumultu quietis locum invenirent. Quibus ille, quanquam intrinsecus lætaretur, quod perbenigna salutatione, mollique affatu, civilis discordia, quæ intestinis odiis exarserat, sedata foret & complacata, respondit, se gratias omnibus immortales agere, quod eam socii civisque sui rationem haberent, tantique facerent, ut ingenitæ suæ humanitatis abundantia, cui imperare poterant, rogare dignarentur: verum non nisi magna cum infamia magnoque Reipublicæ detrimento, eorum precibus obsecuturum; succensurum sibi non injuria *Ludovicum Aureliensem*, si tam in evidenti manifestoque sui periclitantis exercitus discrimine domi resedisset; nec profugos & aberrantes *Gallos* gubernaculo regimineque suo in tuta reduxisset. Proinde modis omnibus emigrandum ajebat, ac primo quidem *Gallicas* phalanges, regio sibi nomine commendatas, tutis sedibus sua pro diligentia constituturum; mox cum ad Regem perrexisset, explicaturum omnia; seseque etiam, si alicujus culpæ aut delicti nomine *Gallis* accersentibus teneretur, expurgaturum: quoniam æquum non esset alieno admisso deplexum iri, seque negligentiæ alterius expensum ferre, quod præsentia mutuique sermonis collatione meliusque literis discuteretur. Quibus ex sensentia, sicut sperabat, absolutis, impetraturum a Rege commeatum, protinusque cives ac patriam revisurum pollicebatur: ut in ea, quam semper amaverat, imisque defixam medullis habuerat, consenesceret & immoreretur. His & hujusmodi, concionibus frequentatis, emergentibusque aliis atque aliis tam a plebe quam *Gallo* sermonibus, suspectatum est vehementer, & stulta vulgi quadam opinione concrebuit, cum hoste *Trivultium* convenisse. Ea plebem rerum ignaram, ac rudem crassamque barbariem argumenta fallebant: quod celebres assiduæque conciones secretaque colloquia *Trivultio* auctore frequentabantur: cumque cætera omnia in tanto tamque atroci bello languida frigidaque torperent, suisque tantum fatis emancipata relinquerentur, sola Procerum conciliabula fervebant, eaque sola magno Primatum studio cogebantur. Nec enim sibi tribules mediastinique cives persuadere poterant, virum sagacissimum, omnique bellica civicaque arte instructum, si de reprimendo hoste propellendoque cogitasset, tumultuario peditatu conscripto, aut aggeribus præcipiti festinatione reparatis, vel *Mincio*, vel *Abdua*, aut *Mediolani*, dubium & hæsitantem *Matthæum*, cum *Gallis* pæne cuncta, præter inanem peditatum, integra permanerent, non exclusurum, aut omnino non retardaturum fuisse: donec æstu Martis defervente, nova præsidia vel *Gallis*, vel *Liguribus*, aut *Helvetiis* advenissent. Sed ipsa re factoque leviores sunt hominum cogitatus; præconceptaque frequenter male respondent operi consilia nostra. Quod facile promptumque vulgus existimabat, id arduum atque difficile Præfecti rerum animo suo ducebant: cum Regis imperio præsertim evocati ad dome-

A stica bella properarent. Sed & cum hoste *Trivultium* convenisse super omnia perabsurdum est: cum aut literis, aut nuntiis, aut coram hac de re, fœdereque percutiendo tractandum fuisset; quæ tametsi multis advelata tenebrarum umbraculis delituissent, illa tamen aliquando rerum omnium index tempestas revelasset, retexissetque vel his vel illis indiculis, quæ prudentes & cauti suo taciturnitatis obruta conditorio pro tempore sepelivissent; quorum nihil unquam in lucem emersit, nec ulla hujusce rei hanc in diem argumenta, quanquam omnia solertissimis evestigantibus inimicis, & secreta discutientibus, apparuerunt.
B Hostilis præterea ductor exercitus *Sedunensis* Præsul, infensissimo *Trivultium* odio exitialique livore, persequebatur: ut circumspectissimum & prædiligentem virum in tanta re perficienda illius sese fidei commisisse, nequaquam credendum sit. Ad hæc quis vel mediocri præditus ingenio putet, si quo vel levi crimine subnotari potuisset ad Regem unquam profecturum fuisse: cum tamen ille nihil intentius ageret, nec anhelantius exoptaret, quam coram Rege de Republica differere; omnesque *Gallicanas* actiones, quarum omnino *Ludovicus* expers erat, ad numerum explicare: ut non ipsius *Trivultii* culpa dolove, sed ipsorum
C protervia *Gallorum*, nimiaque sui fastus arrogantia rem universam pessum isse cognosceret. Eo insuper *Gallicani* tumoris insolentia proruperat, ut omnem *Italicam* virtutem despectissimam haberet; ipsumque beneficiorum magnitudine collatorum, recolendum senem & virtutis excellentia suspiciendum omnes ut emeritum rudiariumque contemnerent atque despicerent; nihilque minus efficere niterentur, quam quod ipse perficiendum esse suaderet. Quibus indignissime stomachatus vir singularis & eximia virtute præstans cum nihil non iniquo Marte capessiturum, seque pugnaturum aversis equis animadverteret,
D abstinuit. Etenim si reparato exercitu redintegratisque supplemento copiis restitisset, cessissetque res in sinistrum, ut incerti semper bellorum exitus fluctuant, censuram subiturum certo sciebat. Rursus si bene vertentibus fatis, & obliquos cursus ad orbitam reducentibus, prospera gestis fortuna rebus arrisisset, se eo facto despicabiliorem futurum conjiciebat, quod non *Trivultiaco* ingenio suæque solicitudinis opera, sed ipsorum impendio ac labore *Gallorum* feliciter cuncta cessissent; quæ non nisi permoleste gravatimque vir insignis perlaturus erat: cum nihil homines quanquam lenes & suopte ingenio mansueti difficilius
E ferant, quam cum parta labore suo gloria fraudantur; & quod prudentia sua contexuerunt, id aliena usurpatum temeritate retexitur. His igitur intactus stimulis ductor egregius, multisque præterea cum privatis tum publicis lacessitus injuriis, ut sibi consuleret, ac ut patriæ laboranti parceretur, fato cessit: & quæ sui muneris suæque solicitudinis esse videbantur, exsecutus est; omnemque ex insidiis exercitum recepit. Hostis interea *Matthæus*, qui versutissimi senis astutissimique Ducis judicium expertus, insidias dolosque timebat, ne fugæ scilicet velamento specieque timoris imparatum *Sedunensem* opprimat, ad
F ripam *Abduæ* cunctabundus subhæserat; acerrimeque cuncta speculabatur: quid hostis strueret, quid in urbe, quid in castris ageretur; quæ *Gallorum* consilia forent, explorabat. Postquam multis compertum argumentis habuit, fugæ sese omnes mandare, nulla domi munimenta parari, nullos aggeres surrigi, disjecta cuncta jacere, subsutis illico consertisque pontibus flumen trajicit. His Junii dies erat undecimus, quo divi *Barnabæ* solennia celebrantur: qui primus operari, *Chri-*

*Christiano*que ritu sacra facere *Mediolani* cives edocuit. Intolerabilis æstus ferventissimique calores terram ac cœlum adurebant. Postquam in citeriora fluminis iter hostem moliri nuntiatum est, incredibili vertigine civitas contorqueri, agitarique immenso motu cuncta cœperunt: atque eo quidem vehementius, quod postquam ad fluvium Abduam *Helvetium* subhæsisse fama vulgaverat, de pace tractari, fœderisque transactione rem confici posse quidam æstimaverunt; alii fraudem *Trivultii* senis artificio concinnari, confingique dolos exquisitiore magni libratoris & structoris architectura putabant; alii alia, suo quisque pro ingenio, suæque mentis captu, conjectabantur; cum pauci admodum fugam, præter hos, qui publicis intererant, quique secretiora scrutabantur, timerent. Ergo cum dormitabundos & oscitantes ac stulta quadam opinione sua deceptos, improvisi casus acerbitas oppressisset, trepidare, fatigari, cursitare; multi in arcem velut tutissimum conceptaculum dilabi; alii cœnobiis hospitalibusque cubiculis delitescere; plures abeuntem exercitum, profugasque *Gallorum* copias subsequi; *Trivultio* ductori *Gallorum Italorum*que magna pars adhærere, ac velut in eo tota belli pacisque moles incumberet, unoque in viro reposita vitæ salutisque spes foret, adesse, comitari, stipare. Vix portas egressi Magistratus Principesque *Gallorum* erant, eosque Nobilitas omnis subsecuta vix pomeriis excesserat, cum barbarico soluta metu Civitas, ac Judiciorum legumque secura prædari, invadere, populari, suo malo pro more cœpit; & qui *Gallicas* secuti partes erant, velut majestatis, inexpiabilisque delicti sontes arcebantur, commutareque latebras ac sese e medio proripere, sanguinemque suum pecunia redimere cogebantur. Ipsorum vero *Gallorum*, qui emigrantis exercitus velut appendices & reliquiæ fuerant, conditio durior asperiorque fortuna fuit: quippe qui & ab arce cibariorum inopia summovebantur, & in urbe nonnullis ingrassantibus diversari non poterant; adeo quidem ut eorum vices multi civium dolerent & misererentur, seque pios esse non posse admodum pœniteret. Nam & plures humanitatis jure, naturæque commercio devincti, cum obsecrantibus incolumitatis fidem astrinxissent, violentæ plebis & ingrassantium impetu proturbati, latebris extractos prodere cogebantur: miserando crudelique supplicio divexatos, laceratosque per omnes tormentorum gradus, scelerati carnifices absumebant. Quorum facinoribus exacerbati Magnates & hi maxime, qui tacitas cum *Trivultio* leges iniverant, immitem efferatumque truculentæ plebis furorem compescere, moderarique suo cuncta temperamento nitebantur; sed eorum pietati sanguinariæ plebis impietas occursabat omni magisterio crudelitatis armata; ipsorumque sub ora Patriciorum exangues, mortisque metu præmortuos, victimarum more mactabant: donec perbacchantium immanitate ferarum impulsi Summates, suppliciorum comminatione censuræque gravioris sævitia, insanam vulgi despumantis rabiem armatorum manu retuderunt; suaque pro virili, ne *Gallus* juxtaque civis afficerentur injuria, providere. Tum ut in arcem liberi aditus, liberique ex arce in urbem reditus paterent, ac ut omnis sub area promercalis alimonia, venalitiæque merces exponerentur, ne *Galli* nos hostium loco vel haberent, aut a nobis haberentur, solicitudinem ac curam impensiorem adhibuerunt: donec introgressus hostis augustos penates sedisque regiæ domicilium occupavit. Tunc inversa jura, abrogatæ leges, distracta conventio: hostiumque loco publicati sunt, qui aut *Gallum* hospitio reciperent, aut delitescentem non proderent; rursus qui hostilium spoliorum repositæque supellectilis conscii fuerant, gravissimis pœnis astricti cuncta deferre cogebantur. Arx insuper *Jovia* sepimento densiore valloque circumdata ac arctissimis militaribus custodiis obsessa est. Quin & in mortuos sævitum, ipsæque defunctorum umbræ jugulatæ sunt: *Nemoriensis* quippe Ducis cadaver, qui proximo bello apud *Ravennam* decubuerat, Ducum nostrorum mausoleo, suis cum insignibus vexillisque repositum magnificentissime pendebat. Eo prorupit insolentis ira victoris, ut revulsa statim projectaque omnia divanescerent: administrationis civicæ curam, *Octavianus Sfortia* Laudensium sacrorum Præsul obibat, acri vir ingenio & eloquentia præditus; rem bellicam procurante *Matthæo Sedunensi*, totisque victoriam remis præcipitante. Hoc auctore suis promotos pagis *Helvetios* nostras in oras finesque transisse, hoc impulsore repentinis *Gallos* terroribus exagitatos emigravisse, hoc duce *Julium* castra movisse, & hoc auspice restitutam, sive vero sive falso rem *Romanam* accipimus. Asperrimo praeferocique vir ingenio fuit: literatura mediocri, sed usu rerum omnium exercitatissimus: vigiliarum, æstus, algoris, inediæ, patientissimus: diligentia, calliditate, solertia nullo pretio prorsus æstimanda: unus denique ad excitanda conturbandaque omnia, eademque componenda digerendaque natus: *Trivultiacæ* familiæ, ipsiusque præsertim *Jo. Jacobi* hostis infensissimus: civitati nostræ parum amicus, quod illius prægravata rapinis & extorsionibus mortem nonnunquam interminata fuerit. Uno hoc igitur hostem persequente, ac *Ticinum* ultra, dehinc *Padum*, mox in ulteriora, tot ex illustribus victoriis propellente, *Mediolani* Gubernator *Octavianus Sfortia* desedit. Ac tunc primum numulariæ frequentatæ sunt indictiones: & quanquam populo submussitante, dissimulantibusque pro tempore Patriciis, oneratæ sunt cervices nostræ sarcinis tributorum. Sed & his detestabilior execrabiliorque nova latrocinii rapinæque species, post sedatam plebem placatosque tumultus urbicos, incubuit: quam in urbe nonnulli, quoniam foris bello vacabant, deformiter exercuerunt. Collegerant sese quidam non infimis natalibus nec humili loco nati, facinoroso stipati satellitio, gladiatoriisque præcincti cohortibus armatorum. Hi sub intempestæ noctis conticinio, silentibus cunctis, eorum, quos egregie numatos, quorumque culminibus succubitare noctuas exploratum habebant, sive ab ima plebe deplorati, sive splendidis natalibus orti, sive mediocrem nacti locum forent, armatis latronibus prædonibusque nefariis domos circumdabant. Tum per imbrices & impluvia demissi, cubiculis stratisque suis quiescentes somnoque sopitos opprimebant: ac ne crepidantibus illis noscitarentur, adscititiam promissioremque barbam, peregrinos cultus ac larvas sumebant. Atque ita personati ementitique famosos latrones, indiscriminatæ nobilitatis opulentiorisque plebeculæ penates ingrassabantur, taxatique auri argentique summam extorquebant. Quod si miser ille detrectasset, excussis omnibus repente latibulis, scriniisque refractis numi promebantur. Verum si patrisfamilias cura diligentior speculatorem inquisitoremque sacrilegum frustrata foret, tunc sæva per tormenta districtos excruciatosque diris quæstionibus confiteri præsentareque pecuniam cogebant. Ac ne clamore stridoreque dentium excitati familiares & convicini repente concurrentes ad arma laborantibus præsidio forent, tomento palatum infulciebant; aut tanto hiatu fauces & ora distrahebant, ut nulli meatus nullaque

ad

ad vocem organa paterent. Post magnam affe-
ctorum turbam, unum & alterum his miseriis
pervexatum retulisse sufficiat. Nostra vir in
urbe degebat olim, *Andreas* nomine, natione
Græcus, disciplinis omnibus, præcipueque sa-
cris Literis ac Medicinæ studio vacans, octuage-
narius, emendatissimis inculpatisque moribus, ac
pæne vitam dolialem agens. Hic ut aliquo se-
nectuti suæ jam ingravescenti viaticulo succur-
reret, aureos quatuor centum suos in proprios
usus seposuerat. Explorantibus & evestigantibus
cuncta latrunculis delatus est: sed longe majori
quam re, præconditarum opinione pecuniarum.
Ergo præstituta noctis hora latrones cœnaculum
ingressi decumbentis lecticulæ circumfunduntur;
ac præstupentis miserique senis aurem divellunt
cachinnantes archipyratæ: ut si memoria loculus
repositæ pecuniæ forsitan excidisset, auris in-
tactæ vellicatu subito revocaretur. Pernegantem
ac nescientem, quid dicerent, flagellis cædunt;
mox asperiora veritatis eruendæ remedia cum ad-
moverent, dira capularis senex conterritus facie
tormentorum, omnique subsidio destitutus amico-
rum, de plano cuncta professus est. Debilis &
elanguens cum plagarum dolore, tum incussi ti-
moris sævitia, dies multos decubuit: ab amicis
identidem salutatus, nonnulloque deinceps ære
prorogato miseria sublevatus. Quem certe scio
patienter indoluisse, modesteque tulisse casum,
quanquam sane gravem & ærumnosum: cum
honestiore quæsticulo, nec ullo reprobo more lu-
cellum contraxisset, atque id solitum quotannis
decimare, dispensareque mendicantibus & ege-
nis, ex ipsa divinæ lectionis sententia, vir bonus
ajebat. Nec ulla tamen animi sic afflictus incan-
descentis impatientia vir mitissimus rumpebatur:
tametsi subtractum senectuti suæ refrigerium,
malæque ætatis interceptum sibi levamen non
inique doleret. Haud dissimili fato jactatus est,
& conflictatus alter, *Franciscus Gallus*, nonnulla
mihi familiaritate notissimus: qui cum margari-
tas, lapillos, gemmas, pretiosaque monilia di-
venditaret summis principibusque viris, exe-
cranda infamique pyratarum censura notatus est.
Ad hunc, adulta nocte, suis præcincti gladiis,
suisque pugionibus ac stilis obarmati prædones,
per tabulata secretaque domorum, perque posti-
cas & pseudotyra perrexere; levique incessu, ac
sublibratis gradibus in dormitoriam cellam in-
gressi, stragula cubileque nullo tumultu, nulla-
que elata voce circumsident. Expergefactus
illico non strepitu aut illata vi, sed emicantis
splendore luminis, invisam exitialemque turbam
admiratur; seque nocturnas & sepulchrales um-
bras videre existimans, nescire se ajebat, vigila-
ret utique vel dormitaret, an insomniis agitare-
tur: adeo res inopinata suspensum & exanimem
oppresserat. Extemplo siccariorum infelix turba
risus immodestos laxatis rictibus excutit, unoque
omnes ore confrementes, ut lapillos, gemmas,
omniaque pretiosa depromat, imperant. Illatam
sibi vim miser subito præsensit; & cum nulla sibi
paterent effugia, nullique diverticulorum exitus
auxilio forent, ne conceptum animo mœrorem
intorti corporis dolore cumularet, adversantibus
fatis concessit; reconditaque secretioribus armario-
lis, deflagitantibus exhibet. Indiscriminatis rapi-
nis, furtoque promiscuo debacchata diu pestis
atrox infandaque totam urbem incesserat; in-
festabatque quotidie majori formidinis metusque
flagello quam ipsa re: siquidem omnes boni mali-
que, divites egenique timebant, cum tamen suo
tantum ære suspecti vexarentur. Ergo frequentes
postulantium cœtus in publicum prodire; assi-
duæque permixtis querelis preces, coram Senatu

A coramque Proceribus jactatæ sunt. Sed irritæ
supplicantium voces, cassaque detestantium sce-
lus & exprobrantium desideria fuere: quoniam
arctissimo sanguinis jure, propinquioreque vin-
culo cognationis, Reipublicæ moderatoribus
obligabantur, qui facinorosorum detestabiles ho-
minum cœtus, execrabilemque turbam flagitiis
exercebant. Proinde cum in sanguinem sævire
non liceret, sæculi nostri moribus improbis, i-
psaque districti juris acies magno Nobilitatis um-
bone retunderetur, famosa conjurationis triarios,
summosque scelerum Proceres obtestari, orare-
que, ut asylum clauderent; summi rerum mo-
B deratores non desinebant; sed gustatis semel in-
testinis, unctoque corio canes illecti, temperare
non poterant. Itaque magis ac magis in dies cri-
minosorum hominum proterviente malitia, cum
ingrassantibus latrunculis cuncta paterent, nec
opportuna tantis malis adhiberi posse remedia vi-
derentur, ad vim & arma deventum est. De-
lecti sunt pedites trecenti suis ensibus ac pilis, or-
ganisque tormentalibus expediti, jussique ad
Octaviani Sfortiæ Producis prætorium statis horis
adesse: Quo *Baptista Vicecomes*, *Jo. Franciscus
Marlianus*, arbitri rerum, diebus singulis conve-
niebant. Cum præstituta conficiendæ rei dies
C advenisset, post senatusconsulta, postque pera-
ctam ex urna causarum cognitionem, cum jam in-
verso sole serior ad epulas hora interpellaret, con-
surrexere: præmissis ex ordine militibus, ipsi
medii destinatas ad ædes processere. Suspicie-
bant omnes, ignarique facinoris, quod milita-
ri manu Principes maturabant, cives plebejique
omnes admirabantur. Ergo cum ad prætorium
delitescentis domini perventum esset, extemplo
centurionum imperio jussuque ductorum antico
posticoque, ac omni latere domum dispositæ
cohortes percingunt: tanta diligentia atque silen-
tio, ut nunquam majore disciplina rem bellicam
D *Romana* juventus Martialeque commilitium exer-
cuerit; nec ulla major ullis unquam sacris taci-
turnitas, vel ab ipso *Pythagora* symmystis suis in-
dicta sit. Patefactis virginali modestia foribus,
factoque summa cum tranquillitate per ipsos mi-
lites aditu, Gubernator *Octavianus* adhærentibus
Patriciis, satellitioque præmisso domum ingredi-
tur: illico familiares vernæque latrunculi, cum
tutelæ cautionisque suæ, tum defendendi principis
sui studio, raptim tela capiunt; passimque ad ar-
ma discurritur; ac primo levi quidem impetu
consternata manus, mox ingruente densiori mi-
litia cum sese pugionibus undique circumseptos
E viderent, impressione victi cessere. Domestico
tumultu sedato, familiarique composita seditione,
in triclinium Viri principes militari stipante præ-
fectura processere: salutatoque comiter Archifla-
mine, quem indulgentem epulis ventrique va-
cantem oppresserant, assistentibus Tribunis ac
Centurionibus, interlocuti secretis multa sermo-
nibus esse feruntur. Vix raræque viri subqueren-
tis, multoque animi angore congementis voces
exceptæ sunt. Dolere se vehementer, ajebat, nec
unquam ulla perlaturum se modestia, quod tan-
to dedecore cognatum, tantaque proprium infa-
mia sanguinem affecissent; quod summi Patri-
F ciatus summique Sacerdotii prærogativa fultum,
ac tam egregia nobilitate munitum despectissimi
vilissimique mancipis ad morem tractavissent. Pro
tempore locoque prudenter & accurate respon-
sum est illi: relisaque sapienter omnia, quæ vir
præceps & inconsultus ingesserat. Tum rapinis
facinoribusque suis quantum per ipsos liceret, mo-
do sese statim urbe proriperet, venia data. Quod
cum ille metu, vel ignominia tactus exsequeretur,
urbici motus compressi sunt: ipsaque suam civi-

tas ad quietem pristinamque salutem redacta est. Hæc nonnulli forsitan moleste ferent; & quod vitia nobilitatis paulo severius & acrius, quam velint, stilo meo sim exsecutus, dolebunt: sed cum ego modestiore silentio nomen cognomenque suppresserim, qui primi contra me latrabunt aut procacius insurgent, suo se ipsos indicio prodent, seque proprio, me non accusante, judicio damnabunt. Ulcerati Medicum igne ferroque præcinctum timent: & cum integri lætentur, læsi papulas resecantem purulentiamque repurgantem insectantur & lapidant. Utinam civium nostrorum egregiæ virtutes magis quam vitia stilum meum acuerent. Nam cum utraque literis ex fide mandanda sint, maluerim illa cum animi voluptate lætitiaque referre, quam ista cum stomacho & dolore prosequi. Ergo dum ab urbe pestis hæc & lues nocentissima procul exigitur, *Gallum*que *Matthæus Sedunensis* trans *Alpes* fugat, *Mediolani* de summa rerum deque ejus imperio tractatum est. Qui *Trivultii* ductoris sententiæ propensius auscultaverant, ex præscripto formulaque judicii ejus, evocandos *Helvetiorum* Proceres, constitutisque stipendiis, ne deinceps nobis adversarentur, cum his paciscendum esse censebant: quoniam hoc facto nulli læderentur; illibataque cum *Gallo* fœdera permanerent. Contra vero, quibus invisum illius nomen erat, quique semper extorres insectati virum fuerant, omnino dissentire: neque a cive factioso elatique spiritus, & ingentis animi viro, passuros sibi legem ullam, aut servitutis jugum imponi; neque plane credendum, aut verisimile videri, cum hic *Mediolanum* advenisset, assuetus imperio privatum agere posse, qui semper affectatæ tyrannidis reus fuisset; qui *Galeacium Sfortiam* non tulisset; qui *Maurum* desprevisset; qui *Gallum* etiam infensius persequeretur: proinde deceptos Primates ipsos, astuti senis blandiloquio, perlitisque melle gladiis jugulatos iri, si virum publicæ quietis perturbatorem unquam in urbem receptassent; neque fieri posse, ut alliget quis in sinu ignem & non comburatur; aut domi serpentem alat, & non periclitetur. Itaque gentilitias in opes sedemque paratam evocandos eos enixissime contendebant, qui ejus opera ministerioque depulsi forent: ut quam aliis inique legem intulerat, ipse eandem æquissime pateretur. Horum dicta refellebant maturi consultique senes; virique ferocitatem edomitam discrimine rerum omnium, longævæque ætatis accessu mitigatum ingenium, disserebant: neque satis compertum illis esse, quales pueri Principis futuri mores essent, qui etiam in tenera ætate placuissent. Omnem certe pueritiam in Principe suspectam *Caligula Nero*que fecerunt: & cum plerumque viri voluptatum turbine jactentur, ipsa sane frequenter ætas infirmior, indiscreti sensus naufragio perit. Ad hæc in medium viri prudentes multa conferebant, quæ liberum hominem judiciique sanioris evincere potuissent, si communem potius quam propriam, publicamque magis quam privatam rem complexatus fuisset. Sed aberrant frequenter homines imbecillitate judicii; suorumque nimio desideriorum affectu prolabuntur; dumque sibi excelsa vendicant, humilia vix pertingunt: non amore quidem ullo Reipublicæ nec ulla libertatis asserendæ causa permoti, sed intestino implacabilique odio in civem animati, quem sive fortuna sive virtus sua provexisset, perferre non poterant, aliorum sententiis adversabantur; & quia novi Principis ingenium ad mores suos suamque sententiam reformaturos putabant, in diversa omnia protinus abiere. Accedebat *Matthæi Sedunensis* in exsequenda voluntate sua violentum & modis omni-

A bus pertinax ingenium, qui majus a Principe, quem se in regnum restituisse jactabat, quam a Republica, quam male promeruisset, consequi posse præmium opinabatur. Sed omnes capti sunt suorum malitia consiliorum, suaque perversissima voluntate delusi: Rempublicam alio provolventibus fatis, cunctaque more suo diversante fortuna. Discrepantibus ergo Patriciis, horumque sententiis Procerum invicem repugnantibus, medii, neutrarumque partium, & qui magis præconceptæ libertatis studio, vel *Gallicanæ* factionis amore tenebantur, rem ad populum rejiciebant: superque ardua atque difficili re Rem-

B publicam more majorum, ex ipsaque municipali lege consulendam censuere: ut indictis comitiis accersitisque in septa viris noningenta, & puncto atque suffragiis de re dubia liqueret: quod ægre, reluctantibus plurimis obtinuit. A foro mercatorio, ad portam urbis nostræ Novam progredienti, late patens, & amplioris area spatii diffunditur, *Franciscano* sodalitio possessa, cui educta cœlo Diisque dicata, ac interjecto frequenti arcu deflexa, moles ingens incumbit. Viretum vulgo dixerunt; sive quoniam herbida perpetuo gramine viret humus; sive quoniam amœnioris cœli clementia privatorum ædibus longe summo-

C tis propateat. Hac in æde campoque comitia nostra civibus noningenta viritim suffragia præferentibus celebrata sunt; omnesque rogati sententiam dicere: & quoniam laxius quam par esset, negotium extrahebatur, rogatio punctis decisa est; sed cum alio vota plurium inclinarent, suffragiorum confusione conturbata res est, & ex paucorum arbitrio pronuntiatum. Quapropter cum placuisset *Ludovici Sfortiæ* filios ex *Germania*, remotioreque domicilio barbarorum ad nos accire, imperiumque *Maximiliano*, qui prius *Hercules* dictus est, procurante *Matthæo*, suadente *Julio* Pontifice, plurimoque Patriciorum nostrorum

D conatu, decerni Jure legitimo sancitum esset, ad Cæsarem e vestigio, sub cujus tutela ditioneque *Maximilianus Sfortia Franciscus*que degebant, oratores deliguntur: quibus Patrum consensu mandatum erat, ut cum solennia de more prælocuti fuissent, impetrassentque a Cæsare, quæ Respublica *Mediolanensis* injunxisset, ad *Maximilianum Sfortiam* iter dirigerent; suamque illi felicitatem congratularentur; mox votis omnibus exoptatum, ac intensiore plebis juxtaque nobilitatis affectu desideratum in paternam sedem avitumque solum reducerent. Mira sane adolescentis expectatio fuit; & inenarrabilis excitata per

E *Insubres* nostramque per omnem *Galliam* Principis opinio: adeo perspicacis ingenii celeritas sua maturitate temperata, sobrietas, religio, castitas, fides, omnes denique nexu mutuo virtutes alligatæ, omnesque benignæ mentis mores emunctissimi in eo omnium admiratione splenduerant. Ingressus ejus in urbem per portam triumphalem, sive magna virtutis indole, sive revocata desideratissimi patris ejus memoria, cum exinde felicia nobis omnia adauguraremur, tanto plausu, tantaque omnium hilaritate exceptus est, ut pullus *Jovis* de cœlo datus nobis esse crederetur: & mehercule vulgo conceptam opinionem

F sustentaturum illum fuisse arbitrer, si quales assidere Principi debent, infirmumque latus ansancta probitatis incorruptæ custodia munire, præsto illi fuissent. Sed amara ingenia, pravisque moribus distortissima, expugnatam solidæ mentis constantiam obliquaverunt: inviolatumque puri animi candorem tetra labe, maculisque liventibus respersere. Hoc imperante, supra omnem numerum jus dicentes electi; ordinarii extraordinariique magistratus magno infinitoque litiga-

litigatorum sumptu atque dispendio; tum multiplicati Senatores, ordinesque Senatorum distincti; Justitiæ Secretique, & qui Conservatores vocabantur: adeo quidem ut nullus terminus, nullus causarum cognitioni finis esset. Nam quæ Senatus justitiæ perpendisset, secreti Patres recognoscebant; rursus ab his recognita Conservatorum ad examen majus devolvebantur: accumulatis scribularum sportulis, novoque semper accedente solicitatorum salario, ac multiplicatis constrepitantium advocatorum honorariis. Cumque stabilita tandem omnia, summaque confecta manu viderentur, protinus *Joannis Gonsagæ*, *Andreæ Burgii*, *Matthæi Sedunensis* intersonabant judicia: tanto æstu clientumque sudore, ut his allisi scopulis multi litigantium perirent. Ad hæc relaxata delictorum impunitas tam effusis spatiis vagabatur, ut *Matthæus Buxetus* urbis Præfectus, in sontes ac facinorosos sanguinarius, & ad veniam cum peccaretur inexorabilis, sibi vim inferri, comprimique justitiam exclamaret; & a Patribus nonnunquam corriperetur: cum circumscriptis eorum interdictis ad sumendum de scelere supplicium properaret. Villicum olim lictores trahebant in carcerem, ingredientes illos curiam egrediens *Matthæus* novis conservatorum jussis exacerbatus, obvios percunctatur: ecquid sceleris ille miser admisisset. In re vicini male versatum, ajebant, abegisse pecus, rem furto subtraxisse conquerebantur. Illico dissolvi, dimittique reum imperat: obstupente custodia, cur in noxium ex lege non statueret: *Demesticos*, inquit, *& familiares coërcere non possum, & vos extraneum & qui foris agit emendandum adducitis: æquæ sint omnibus leges, unoque tenore præscripta Matthæo jura: cum urbem purgare licuerit, adjacentia repurgabo.* Hunc scio, cum tanta scelerum ubique pestis erumperet, ad Principem accessisse, rogasseque eum, ut suo jure uti liceret: ipsumque benigne Ducem respondisse, nunquam per ipsum fieri quominus in facinorosos ex disciplina juris adnimadvertatur; sed legum laqueos intercidere distrahereque nonnullos, quibus imperare fas non esset. His accedebant aliæ super alias perpetuæ pecuniarum exactiones: vellicatuque perenni civium marsupia nostrorum inquietantes. Nam præter vectigalium publicorumque portoriorum impendia, quibus domi forisque cives assuetis sumptibus vexabantur, primo quidem, ut sæculi nostri vocabulis abutar, Feudatarii Donatariique omnes in tributum vocati, integrumque anni reditum, Annaticum vocitant, impræstare coacti sunt: tam severo promiscuæ incivilisque censuræ judicio, ut quæ longo diuturnioreque silentio sopita conquieverant, ea disquirentibus exactissime cuncta scelerum magistris excitarentur. Omnis obnoxia fisco nomenclatura discussa est: ipsaque cariosa exoletaque rationum tabularia, *Philippo* quondam Duce conscripta, quo imperante cum fiscus alieno pingui nitesceret, ad lienis modum cives macescebant, quæstorum manu revocata sunt: & ad illorum formulam atque rigorem sævis indictæ diribitoribus præstationes. Immunitates itaque, diplomata, prærogativæ, quotidie possessoribus anxiis, obsoletaque vetustate documenta quæritantibus, proferebantur: tribunalia, sellæque magistrales, clamitosis raucorum patrociniis advocatorum ubique confervebant. Et me tunc quidem his merere castris oportuit; forensisque militiæ vexilla, intempestivo commota prælio subsequi: siquidem cum amplius sexaginta annos *Melignani* Præfectura Præturaque fisco sequestrata, semperque nullo interpellante possessa, tranquillissime fruerer, satellitia manu, dum obsequia pecuniaria cessant, interturbatus sum: &

A cum apud delegatum Judicem *Franciscum Persicum*, censusque Magistros conquererer, & insignem injuriam expostularem, contractus tabulas multis sæculis antiquatas, ac pæne oblitas exhibere, inspiciendas, perlegendas, pensitandasque coactus sum; multoque fiscalium advocatorum examine, molestissimaque delicati nimium judicis cognitione fatigatus, dum picata lingua, viscidisque dentibus ægre difficulterque contra fiscum pronuntiatur, tandem resedi. Præterea salinarum, molarum, incilium, tum pratorum, tabernarum, stillicidiorum, exquisitissimorumque vectigalium omne genus pondera languidis

B infirmisque cervicibus nostris ingerebantur: anhelabundo sitibundoque *Matthæo Sedunensi* crumenis nostris semper inhiante, dum simulata Ducis *Maximiliani* defensione, susceptaque tutela nostræ urbis abutitur: adeo quidem ut plebi, civibus, omnibusque Patriciis, ipsi etiam Principi quanquam indulgentissimo odiosus, stomachum fecerit. Hæc dum apud nos magnis quotidie querelis agitantur, ac eradendo deglubendoque pecori periniqua manus diri pastoris incumbit, *Ludovicus* ex omni *Gallia*, omnibusque suæ sociæque ditionis gentibus *Alpinis*, contracto peditatu recuperandæ rei *Mediolanensis* amissæ solicitus in nos iter molitur. Exercitum ductabat

C *Gallicus* Imperator, *Jo. Jacobo Trivultio* Legatum agente, sed barbaris ejus semper mandata retractantibus & despectantibus, inviso. Qui quanquam eos parum gratos collatorumque beneficiorum immemores futuros esse cognosceret, cum tamen immenso repetendæ patriæ desiderio teneretur, atque eo magis quod elusa Patriciatu *Mediolanensi* consilia ejus effluxerant, diligentia solicitudineque sua cuncta procurabat: & primum quidem id in castris agebat, ut circumspecti omnique modestia compositi milites essent; ut omnibus viculis agroque, omnibusque oppidis ac urbibus non hostili nec impio, sed amico so-

D cialique more versarentur; neminem concuterent; nulli vim inferrent; nullas prædas agerent; in tabernaculis mites, in hospitiis modesti, in foro civiles essent. Et hæc adeo quidem observata sunt, tantoque rigore militum ac ductorum omnium exsecutioni data, ut exoptatus, ac supra; quam credibile sit, perjucundus *Cisalpinis* omnibus *Transalpinorum* adventus esset: ac non hostilia neque barbarica, sed nostra cognataque agmina esse putarentur. *Mediolani* vero, cum haud procul Novaria, *Gallicanæ* motu suo quietissimæ legiones abessent, procurante *Trivultio*, ac sive pa-

E ctionibus secretis, sive induciis mutuo consensu Procerum intercedentibus factum est, ut obsessi relaxarentur; ut in *Jovis* arcem immigrarent ac remigrarent; utilia importarent, exportarent inutilia; viserent ac inviserentur; salutarentur, appellarentur; invicemque salutarent & appellarent: tanto mutuæ dilectionis commercio, ut quodam affinitatis jure, vinculoque consanguinitatis copulati esse viderentur: plebeji gaudebant; mercatores lætabantur; patricii gestiebant; sub paucorum exceptione, quos intrinsecus acrior cura distorquebat, quique repetentibus *Gallis*, sive factionis adversæ dissidio, sive scelerum conscientia suorum, quietæ mentis vitæque tranquillita-

F tem desperaverant. Ipse etiam *Maximilianus Sfortia*, magnis regiæ largitionis conditionibus præhonestandus erat: ac non mediocrem ex personæ reique suæ prærogativa locum habiturus. Sed interstrepuit rebellis *Gallo* fortuna: complicatamque benevolentiæ fasciam, qua *Cisalpinum* Transalpino constrinxerat, intermedia disrupit. *Helvetii*, qui ære nostro merebant, præcipueque Ductor eorum *Matthæus Sedunensis*, qui *Viglevano*

no municipio lætissimisque prædiis fruebatur, a possessione detrudi pactoque stipendio defraudari molestissime ferebant. Accedebant nonnullorum obliquæ voluntates, eorumque maxime, qui cum *Gallo* beneficiis affecti fuissent, excedentem & profugum desecuti fuerant; quorum nomina, cum edicto publico Regis beneficio venia cunctis irrogaretur, salutaribus tabulis expuncta sunt. Igitur post primos bellorum motus contemptos, postquam in plana descendisse *Gallum* Helvetii compertum habuerunt, delecto peditatu, ac paucis adjunctis equitibus occurrere. Dictu quidem incredibile, tam parva manu *Helvetica*, eaque permodicis equitibus restricta, profligatas, priusquam confligerent, universas *Gallorum* copias fuisse, telisqe priusquam ferirentur intortis, præmortuas. Subsistendum *Trivultius*, ac moratoria cunctatione deludendum hostem admonebat: fatigandumque otio potius quam labore; mitigandamque rabiem, ac retundendum furentis impetum mitiore lenimento potius quam scopulis durioribus hortabatur. Sed pristino fortunæ secundioris afflatu prætumentes barbari, jussisque melioribus obtemperare semper indociles, in aciem elati frementesque descendunt, tumultuanter ordines explicant; discincteque procincti congrediuntur. *Helvetii* Gallicanæ temeritatis castigatores, qui jam pæne refugam ab hoste sublabentem ad sese victoriam præsenserant, repente suum in robur coacti, tumidas ventosasque cohortes irrumpunt: vixque levi collata manu, primoque telorum jactu permixti, cum adactas & vehementius imprimentes frameas gæsa non sustinerent, retrocessere. Armis, clamore, victoria, *Gallum* elumbem emasculatumque perurgentes *Helvetii*, confestim in fugam vertunt, tamque præcipiti fragore ac ruina perculere, ut celerius quam scripserim omnes fusi fugatique trans *Alpes*, magna cum clade, nec minore cum infamia fuerint. Divisa sane omnis militia, discrepantiumque inter sese ductorum animi cladem maturavere: sed & locorum offuvit iniquitas, cum & senticosi vepres lentæque paludes equestribus pedestribusque *Gallorum* copiis intercederent. Et quanquam nonnulla hominum occidione victores *Helvetii* fuerint, mirum tamen fuit, ingentes copias, eximios ductores, omnique munitum instrumento exercitum, exili permodicaque *Germanorum* manu confligente, amissis impedimentis, desideratis militibus, extinctisque priscæ laudis & gloriæ titulis, magno cum dedecore, notaque profugisse. Sed & mirabilius illud certe fuit, tanta volucris est famæ celeritas, incerto quodam præscioque futuri eventus Numine semper agitata, ut priusquam *Galli* vincerentur, victos esse *Mediolani* nuntiatum sit. Quod mihi cum narraretur, deque tempore modoque disquirerem, deque ipsius auctoris fide solicitus percunctarer, commentitium intercessisse, fictitiaque murmura subrepsisse conjiciebam. Et plane ita erat: hora quippe vix secunda dici, de victoria *Mediolani* submussitatum est, cum apud *Novariam*, ut postmodum innotuit, commissæ acies nondum transegissent. Mira sane nobis hujuscemodi commenta nescio quibus aëre cæloque pennis volitantia semper fuere: ut ipsum fama plerumque factum, pleniore veritatis spritu præcurrat: nuntiique certioris vocem auræ celeriores antevertant. Id usu rerum nonnunquam evenit, & a me sæpius animadversum: nam ut cætera, quæ tempestate nostra contigerunt, prætercam, certe *Bicoquinis* campis, quibus contra *Gallum*, superciliosumque ejus exercitus Imperatorem *Odetum*, jam sua victoriam manu prehensantem a nobis felicissime pugnatum est, priusquam collatis signis concurreretur, *Mediolani* de victoria

A succlamatum est. Tanta quidem inconstantis famæ constantia, incertique nuntii certitudine, ut priusquam a castris in urbem, ab ipsa urbe in castra lætæ exultantium voces pervenerint: exclamatumque sit: *Credo tibi, verum dicere, fama, soles.* Ergo cum rumusculis coalescentibus, frequentioreque mox fama concrebescente, de victoria *Maximiliani* Ducis *Helvetico* robore comparata colliquisset, tam repentina vertigine subitoque motu conversa sunt omnia, ut prædulcia prius cuncta, velut infusa aceti acrioris aspergine coacuerint: omnisque felicis agri lætitia propagante lolio, ac lappis tribulisque sulcos obsiden-B tibus sterilesceret. Horror, formido, lachrymæ, trepidantem *Gallum*, mortisque præsentis imagine conturbatum exagitabant: & qui partes illorum sequebantur, alternante navi, fortunæque reciprocantibus undis, in naufragium fluctuavere. Quo circa mœrentes alii sedere domi; alii dissimulato metu, fronteque perfricta, ridentibus arridere, gratulantibus adgratulari, plaudentibus applaudere, exercere togam, conventibus interesse, in curia monstrari, consulere, hortari; disponere, tanquam ex sententia votoque suo cuncta processissent. Sed hæc omnis in *Gallum* faba decussa est: ipseque manu sua omne intritum exe-C dit. Siquidem repente tanta formido, mortisque metus exanguem oppresserunt, ut multis asperior vitæ quam necis conditio putaretur: cumque terribilium omnium mors sit, vitæ tamen spiritum excruciatæ multi terribiliorem crederent. Ergo in arcem alii confugere; in delubra fanaque deorum alii; multi sese ad Primores honoratioresque Patricios tanquam ad statuas arasque recipere. Egrediebantur curia, dimisso Senatu, Patriciorum plurimi nostrorum; ad quos *Galli* sceleratam crudelis vulgi manum diffugientes, erepserant. Cumque circumfuso famulatu venerabiliumque reverentia personarum protegerentur, D irrumpere tamen medios, ac reclamantibus cunctis miseros ingrassari despectæ plebis impietas non obhorruit: & quoniam tenuiore cibatu alimoniaque parciore plures ab arce disclusi, tutum a vulgari impetu diversorium non habebant, e regione arcis flebiles, omnique præsidio destituti, veniam pietatemque comprecabantur, ac ut illis succurreremus, orabant. Sed in eos jacula velut in feras contorta sunt; excussisque missilibus crudeliter appetiti: alii protinus ut illos infensissimis hostibus iniquæ sortes objecerant, discruciati, excarnificati, diversissimoque genere mortis absumpti sunt. Sed non hi quidem inul-E to sanguine, quem nefaria manus nostra profudit, occubuere. Siquidem insecutæ calamitates, quibus tot annos divexati sumus, eo sævitiæ & immanitatis proruperunt, ut quos implacato inexpiabilique odio vulgaris insania plebejaque crudelitas persequebatur, eos suarum refrigerio miseriarum exoptaret; sed in cassum: quoniam atrocissimi sceleris admissi luere pœnas oportebat; & quem innoxium propollutæ manus nostræ sanguinem elicuerant, expiare nocentissimo feralique cruore fas fuit. Atque utinam hi tantum scelerum suorum suppliciis ingemuissent, quos suis gravioribus delictis pendere pœnas par fuit: tra-F cti sunt ad *Gemonias* boni malique omnes: indiscretisque laqueis omnes pariter strangulati. Hæc ergo dum apud nos aguntur, profligatique rursus *Italia* barbari cedunt, ac necdum integro vertente anno, reparatis viribus, *Insubres* oras repetentes, *Helvetica* manu propulsantur, *Cispadana Transpadana*que omnia novo motu, novisque coëuntium militum excursionibus, inquietata sunt, bellicoque tumultu passim exagitata. *Gallo* siquidem primum nostris finibus abscedente, *Joan-*

A *Joannes Maria, Fregosiorum* præsigni familia natus, qui regnante *Gallo*, patria procul extorris agebat, equitum peditumque levi manu *Venetis* ex castris comparata, tum majori suæ factionis hominum adjutus auxilio, *Genuam* lætitia mixtoque metu trepidantem ingressus est: obortoque diversarum factionum tumultu, more gentis ejus conturbavit. Tunc quoque *Feracis Montis* Dominus, velut carceribus claustrisque solutus, ac liber, subitario milite, repentinisque præsidiis finitimas urbes oppidaque *Gallicano* imperio vacantia, violentius ingrassabatur; perpetuisque tormentorum ictibus infestabat: ac, si qua ejus jussa B facessere, promulgatisque edictis obtemperare recusarent, excidium interminabatur: ruinæque minas exæquabant. Admoto siquidem omni protinus exercitu, *Gallicanis* procul agentibus copiis, nulloque viciniore præsidio suppetente, suæ voluntatis ad obsequium redigebat. Diversa quoque regione *Julius* Pontifex Maximus, cujus voto fortuna mitior aspirabat, *Ravennam* atque *Bononiam*, omnemque *Flaminiam*, Francisco Urbinate collectitios milites ductante, suam in ditionem præscriptumque trahebat. Tum *Placentia Parma*que suis cum oppidis ac subjacentibus vicis, quibus anhelantis *Julii* desideria jam C pridem inhiaverant, *Romanum* jugum Protoflaminisque potestatem subiere. Per hos quoque dies *Romæ* concilium & indictum & celebratum est; cum jam alterum ex *Pisis* Mediolanum, ac ex *Mediolano*, sicuti supra meminimus, in *Galliam* ulteriorem translatum, inauspicato parumque feliciter ageretur: Principibus ac rerum dominis invicem discrepantibus; ipsisque Pontificibus, ac divinorum magistris, eluxata solidi corporis membra distrahentibus. Itaque nec quieti tunc quies erat, nec religioni religio, nec securis ulla rebus securitas fuit: ipso Antistite sacrorumque Præpo- D sito suum ad arbitrium cuncta vertente. Sub idem quoque tempus *Ferrariæ* Princeps *Alphonsus*, Apostolica fide suscepta, velutique fœdera cum *Julio* percussurus, obsecuturusque mandatis ejus *Romam* perrexit: verum cum utrinque repugnantes animos dominandi libido commisisset, nec convenire possent in fœdera, magno disparatæ dissidio voluntates, exinde fugam Dux emolitur; commutatisque frequenter latebris, extemplo sese *Roma* proripiens, emendicatoque comitatu, cum Pontificales *Venetæ*que cohortes incitato cursu fugitantem persequerentur, ægre dispositas insidias evasit.

E Post exactos Italia *Gallos*, cum jam *Hispani*, *Veneti*, *Helvetii*, Summusque Pontifex eorum in perniciem coivissent, ac semel bisque communi hoste *Italia* depulso sanctissimum fœdus resanxissent, armis sese invicem odiisque lacessivere: *Hispano* pactorum leges, sicuti traditur, primum conturbante; *Helvetiis* autem ad emungendas exsugendasque pecunias nostras semper intentis; *Venetis* vero tanquam inter malleum & incudem, ac sacrum inter & saxum positis, infida maleque sancita conquerentibus omnia. Et prima quidem *Helvetiorum* odia adversus *Venetos* concitavere *Florentini* milites, qui cum *Gallicam* in militiam nomina dedissent, *Aureliensia*que primo signa se- F querentur, illis trans *Alpes* emigrantibus, in castra *Venetorum*, accepta Legati *Sedunensis* fide, profecti sunt. Quos cum *Leoninus* miles pedaria colluvie præsertim ingrassante læsisset, idque *Matthæus* indigne ferens stomacharetur, cæterique omnes *Helvetii* direptionem importunam in adventitium militem gravissime perferrent, sceleratioris facti pœnas ipsa *Venetorum* Respublica luere, crimenque purgare coacta est. Culpam quippe sex millibus numûm, sicut Andreas Mocenicus *in Historia* testatur, redemit: sive quoniam *Helvetius* non observatam militi fidem doleret, quod mihi persuadere vix possum; sive, quod vero proximius est, quoniam alii nimia celeritate prævenissent, & quam ipsi capere prædam sperabant, intercipientibus illam *Venetis* amisissent. Nec enim verisimile fuit, succensuisse barbarum, invisi militis populatu, quem ipse prius diripiendum mandaverat, quod a *Gallis* sero descivisset; tardioreque suscepto commeatu in diversa proficisceretur. Quapropter cum in *Suppadanum* oppidum (*Castellatio* nomen est) *Veneti* commigravissent, multaque disquisitione de contrahendis erogandisque pecuniis ageretur, *Paulum Capellam*, *Christorum*que *Mauram*, Legatos insignesque viros, cumque his *Andream Mocenicum* Protonotarium, sua nimis insolentia petulantes *Helvetii* traduxerunt. Et hos primo quidem ante ora *Jacobi Stepharii* militum Ductoris, dehinc ad *Matthæi Sedunensis* Pontificalis Legati conspectum statuere; quo etiam incœnante, stantes, aliter quam Patriciatus summæque dignitatis, quam obibant, excellentia pateretur, acerbioribusque dictis contaxatos, incivilius & immodestius habuere: donec ad aureorum sex millia, in exactæ prædæ compensationem, exsolvenda, *Veneti* fidem suam astrinxerunt. Quibus ea sub conditione dimissis, cum in castra sua rediissent, postridie *Vincentius Cavatius*, Matthæi Sedunensis nomine, prætaxatam importuna contentione summam deflagitabat: dehinc ad absolutum exacti mensis stipendium, quatuordecim millia, & quæ præsentem in mensem debita super excurrerent, septuaginta millia reposcebat. His oneratos Principes *Venetos* indictionibus, prægravabat duriore mandato: subsidiarium militem *Venetum* in expeditionem, quam *Helvetius* de proximo moliebatur, trahebat. Siquidem *Salucianum* Marchionem, Ducemque *Sabaudianum*, quod a *Gallis* starent, aut constantius stetisse crederentur oppugnare subigereque *Matthæus* properabat: quod adjuncta *Venetorum* manu, illorumque suffragantibus copiis perfici posse celerius opinabatur. Itaque ne castris excederent, ac ut proficiscentem sequerentur, mandabat. Eo autem insolentiæ temeritatisque provehebatur *Helvetica* fortuna, ut profligatis hostibus, deletisque *Gallorum* copiis, quas semel iterumque profuderant, *Helvetii* duriores & gnaviter armis exerciti, ad imperandum omnibus ac superbius & arrogantius edicendum insurgerent. Quæ circumspecti prudentesque *Venetorum* Legati, permoleste graviterque ferebant. Cum inter ipsos præsertim, & quos bello lacessere *Matthæus* præfixerat, nihil læsi fœderis intercessisset; cuperentque magis sua defendere *Veneti*, quam medios partiumque neutrarum armis provocare. Sed & illud iratis *Venetorum* animis indignius, longeque durius perferendum fuit, quod cum amplius, quam ex initi fœderis lege tenerentur, impendissent, adhuc tamen *Helveticus* plus æquo tumor inflatus exigeret; supraque legem extorquere piteretur. Accedebat, quod cum adhuc *Brixiam Cremam*que Lilinum jugum imprimeret, *Gallicis*que mandatis *Cenomani* parerent, eos asserere subigereque *Veneti* festinabant. Igitur quoniam prævalente barbaro, manu nequaquam audendum erat, cum super erogando stipendio refundendisque pecuniis dissimulanter, oculisque conniventibus transegissent, fugam parant: cumque alia factitando tractandoque, prudenter alia meditarentur & struerent, intempesta nocte, signo clandestine ductoribus militum dato castra movere: magnisque secundum *Padi* fluminis ripam itineribus confectis, *Placentiam* applicuerunt. Inibi terror & metus, no-

novæque rerum difficultates exortæ ſunt: quippe cum neſcio repugnanteque *Matthæo*, Venetæ procul legiones abſceſſiſſent, ſeſeque novis deluſum imposturis barbarus prædoleret, hoſtem *Venetum* pronuntiavit; perque urbes & oppida pagoſque omnes hoſtili odio fugientem inſecutus, adverſa infeſtaque omnia concitabat. Tulerat aſperrime vir callidus & ferox, quod præſentaneo ſubſidio deſtitueretur; nec occeptam conſummare poſſet ex ſententia ſua provinciam: ſed & perturbato animo longe altius illud inſederat, angebatque acrius ægram hominis mentem, quod, qui alios eluſiſſet, eluderetur; decipereturque unus, qui ſæpe multos ipſe decepiſſet. Sic etenim conſiliorum magiſter *Venetus* agebat, ut verſutus ſagaxque barbarus nihil ſuo minus animo quam dolum fugamque conciperet. Quibus ſeſe cum ex inopinato ſenſiſſet irretitum, vehementer excanduit: omnemque vim contractam in *Venetum* ira concitus & indignatione terribilis barbarus exercebat. Quocirca feſtinatione matura, conſultaque celeritate lembos fluvialeſque naviculas in pontem *Veneti* milites ſubligant: commiſſiſque tabulis, & ut ad manum fuerant, conſertis trabibus iter ſutile compactumque præſternunt. Mox vaſto amne ſuperato, omnique traducto exercitu, cum ſecuri hoſtium citra amnem agerent, pontem celerius quam conſuiſſent reſuunt. Partitis mox copiis, alii *Cremam*, *Brixiam* alii directis itineribus contendere: bellicis ubi cuncta fragoribus, caſtrenſibuſque ruinis agitabantur: obſtrepebantque circumquaque omnia perpetuis irrumpentium erumpentiumque militum excurſionibus. Oppidis præſepti hoſtes incluſique urbibus, devaſtando populandoque turmatim palantes ibant: & hos hodie pagulos illoſque poſtridie viculos, omneſque circum late tractus rapinis ac prædis infeſtare; demoliri inſulas, inflammare prætoria, unoque cuncta perdendi ſtudio ſubruere: e diverſo extorres, agricolæque, quique *Marcica* ſigna geſtabant, obſiſtere, reluctari, pugnare; frequenter hoſtem cædere, nonnunquam & cædi; capi capereque, mutuiſque vulneribus invicem confici. Igitur novo militum adventu, recentibuſque ſociorum adventantium copiis, alacres accinctique omnes *Veneti* milites, validius inſiſtere, ferocius oppugnare, pertinacius obſidere. Exceſſerant muris hoſtes, ſuoque de more populatum *Brixiam* exierant; omniaque *Paderni* rapinis & incendiis permiſcentes, nihil ſacrilegi nefariique ſceleris, quod excogitari poſſet, impietate ſævitiaque ſua prætermiſerant: adeo ſexum in omnem ætatemque debacchatus enſis hoſticus, craſſoque retuſus ſanguine permaduerat. Quod *Leonardus Hemus* admiſſum impune non tulit: cæterique *Venetorum* militum Ductores, qui truculentis & immanibus barbaris obvii, conferre pedem in tanta occaſione atrociſſimi ſceleris ulſciſcendi, manumque conſerere non refugerunt. Itaque primo omnes concurſu, illi quidem victoria prædaque feroces, hi vero indignatione juſta ſuccenſi exaſperatique, ſæviſſime conflixerunt. Æquo pæne militum numero, parique virium menſura, tum nec minore pugnandi ardore inflammatus uterque diu Marte dubio conſtiterat ac dimicaverat, cum ab hoſte relapſa ad *Venetum Divo* pro *Marco* victoria ſtetit. Cæſi, capti, fugatique ſunt omnes: ipſis etiam agreſtibus, qui duriora perpeſſi fuerant, fœde crudeliterque barbaricum in ſanguinem deſævientibus. Interea Civitas arctius obſidione premi, omnique diſcrimine atque periculo laborare cœpit. Jam omnes aquas mœnibus adlabentes, incilibus hoſtes averterant; perductiſque longius euripis aquatico deſtituta ſubſidio *Brixia* perarebat; niſi quatenus interni

A vernaculique fontes, humore perexiguo ſubſcatente, parcius irrigarent. Ad hæc ſuggreſſæ mœnibus armatorum copiæ, portaſque miſſilibus aſſiduis impulſantes, incluſum hoſtem omnique validiore præcinctum armatura, oppugnatione perpetua fatigabant. Mons arci, conſurgente paulo altius colle editior, imminebat: totamque e regione molem promuralibus ac foſſis circumvallatam, proſpectu liberiore poſſidebat. Huc præceleres expeditique milites *Leonini*, rotis funibusque tormenta provolventes ingentia, magno niſu, magnaque vi ſubigunt. Tum vaſtis ad perpendiculum foraminibus prolocatis, ignique ex
B arte conjecto, ſaxatili fœtu prægnantem alvum degravant; arcemque contortis prægrandibus pilis, aſperaque ferri grandine perquaſſatam, effringunt. Oppidani vero cuncta munire; aperta præcludere; cominus eminuſque telis omnibus injectis, hoſtem *Venetum* ſummovere. Summa ope, totoque conatu *Veneti* vel deditione vel armis urbem ſubigere, potirique rerum properabant: veriti ne propediem appetentibus *Hiſpanis*, vel ingruentibus aliorſum *Helvetiis*, retardata expeditione ſua prorſus avocarentur; aut ipſi coëuntes in unum barbari, ut ſimiles facile ſimilibus adhæreſcunt, & inſito quodam naturæ
C vinculo copulantur, *Venetos* omni ſpe ſua captos eluderent. Proinde quoniam nec prætentata deditio, nec pertinax obſidium, aut validior oppugnatio felicem cœptis exitum dabat, prudentiæ telis armiſque conſiliorum Urbem expugnare prænituntur. Magna pars muri frequentibus revulſa tormentis procubuerat; aditumque molliorem, magno proſtrata tractu mœnia, quanquam aggere ſubita celeritate repoſito, turmis aſſultantibus impræſtabant. Hic impetum facere, hic hoſtem adoriri Ductores animo præfixerunt. Sed & diverſa urbis regione, toto delectam exercitu juventutem immittere, nocteque
D concubia, & hinc & inde, palam & clanculum, ancipites aggredi oppugnareque conſtituunt: ut in directas oppoſitaſque acies, aperto Marte frontiſpicioque concurrentibus oppidanis, occipitio deſtituta mœnia ſilentem & tacitum, alioque bellatoribus intentis, *Venetum* militem in civitatis ſecreta reciperent. Ergo portæ ad id opus habilioris cuſtodem præfectumque conciliant; muneribus doniſque corrumpunt: paciſcuntur, inque præſtitutam noctis horam ſymbolum præbent. Diſpoſitis ac in pugnam paratis omnibus, dum exitus præconceptæ rei maturatur, conſilia diſcuſſa ſunt: emergentibus ſiqui-
E dem inſidiarum indiculis, revelataque ſenſim, dum male contecta detegitur, conjuratio, quæſtioni locum fecit; delatique repente conſpiratores, ac ſubito deprehenſi, dum evidentibus argumentis urgentur, calenti ſuſpendio ſtrangulati conatus omnes irritos fecerunt. Diſſimilares exitus diſparemque fortunam *Cremenſe* negotium, prætentataque non infirmioris oppidi deditio ſortita eſt. *Gallicanorum* Procerum, nomine reque non ultimus heros *Duraſius*, mihi familiæque meæ ſua quondam iniquitate, ſuaque protervia moleſtiſſimus, arcem tenebat: cum præfecturam urbis *Benedictus Cribellus* Mediolanenſis, eam in
F provinciam *Gallicano* judicio promotus ageret. Hunc multo hortatu magniſque muneribus illectum, *Veneti* circumveniunt & opprimunt; extrema *Gallorum* fata, deſtitutamque ſuppetiis omnibus eorum fortunam, tum ſociorum, fœderatorumque ſecreta, quibus merito prolapſam rem barbaricam redintegrari poſſe diffideret, repetito longius exordio denudant; hortantur, ut conclamatis rebus *Gallicis* poſtquam auxiliorum nulla ſpes ſubſit, ſibi ſuæque Reipublicæ conſulat;

lat; cumque vel oppugnatu multo vel obsidione cedendum sit, satius esse civium incolumitati, suæque sospitati prospicere, quam geminatis cladibus in perniciem cuncta dari; tot ingruentibus *Venetorum*, *Helveticorum*, *Hispanorum*que copiis, quas in dies adventare compertum erat, urbem diu non posse defendi, nec mole sua posse diu subsistere, præmonebant; ac cum omnino succumbendum foret, expedire veterem dominum promereri, quam inutilis cassæque virtutis exercitio perire: cum præsertim ea sit inclyta *Venetorum* Respublica, quæ collatorum memoriam officiorum, ac tam benigni erga se animi magnitudinem nunquam sit obliteratura. Ad hæc ut præsentis meriti gratiam munere cumularent, ingentia dona pollicentur: in civem suum adsciscunt, *Veneto*que Patriciatu donant. Oppidi competitor erat *Octavianus Sfortia* Laudensium Antistes sacrorum, qui *Maximiliani* Ducis reique *Mediolanensis* nomine, sicut a nonnullis traditum est, quamvis id mihi parum liquido compertum sit, oppidum enixius asserere conabatur: subornabatque virum summo studio, quem largitionibus ac donativis ingentibus expugnare pervincereque cupiebat. Sed *Laurentio Cerinate* blandius, efficaciusque perorante Veneto, *Cribellus* Leoni cessit: firmissimam exterorum potius quam dubiam interorum fidem secutus. Urbis deditione, barbarus qui arcem tenebat conterritus, in eam haud difficulter sententiam perductus est, ut arcem *Veneto*, cautione incolumitatis præstita, resignaret. Urbe recepta, cum aggeribus & armis omnia *Veneti* præmunivissent, *Cerinatem*, Helvetiis properantibus, congruo cum ferentariorum comitatu obvium emiserunt. Hi concito gradu in eam expeditionem festinabant, ut oppido *Venetum* introverterent: & effectum sane sortitura res erat, nisi volucri provolantem *Helvetium* pernicitate præcoqua *Venetorum* maturitas consiliorum prævenisset. Qua de re cum Urbem ingressi potitique rerum pronutantia cuncta stabilissent, pacatæque res urbicæ moderatiore vetustioris domini gubernaculo regerentur, *Helvetii* pedem repressere: cumque se in cassum oppugnaturos obsessurosque municipium existimarent, omnibus suum ad rigorem formamque redactis, unde discesserant, conversis signis regressi sunt. Hæc dum in *Cenomanis* aguntur, sparsaque inter *Venetos Helvetios*que discordiarum seminaria, parum quietas pacatasque res habent, ac dum Pontifex & Cæsar, & his adjuncti *Britannorum Hispanorum*que Reges, publicæ tranquillitatis otia perturbant, *Hispani* jam ex strage proxima præteritisque cladibus instaurati, in *Flaminiam* iter parant: Pontifex voti sui magna jam ex parte compos exacto *Francorum* Rege *Ludovico*, cum *Hispano* milite non esset opus, id sua pro virili tractabat, ut honestiore causa missum faceret. Itaque devastatæ provinciæ sterilitatem causabatur; ac commeatus inopiam excusabat: verum cum *Hispanus* vim facturus esse videretur, ne bella Pontifex ex bellis sereret, & armis arma suo majore dispendio conflarentur, incolatum ea lege permisit, ut stipendiis suis contenti provincialibus parcerent; suoque impendio, non indigenarum, alerentur. In interiora *Italiæ* dilapsus acer *Hispanus*, nihil intentius agebat, quam exagitata cuncta perturbare, suo improbo more populari, cives agrestesque molestissimis fascibus tributorum prægravare. Placuerat *Helvetiis*, eaque *Venetorum* ac Pontificis mens erat, ut Helvetio *Telina* vallis *Domosula*que cederet, cum jam suo jure *Clavenam* atque *Lecarnum* usurparent; tum ut Pontifex *Parmam* atque *Placentiam*, quas ut Pontificali jugo jam pridem obnoxias occuparat, teneret; ipsi

A vero interruptam oppidorum urbiumque suarum *Veneti* possessionem redintegrarent; *Maximilianus* autem *Sfortia* Dux *Mediolani* publico communique consensu declaratus, re sua quanquam paulo restricta frueretur. Contra vero *Hispani*, qui suo alia animo conceperant, intercedere; transacta recognoscere, suoque arbitrari jure cuncta volebant: ac primo quidem ut *Brixiana* Venetus expugnatione desisteret, aut in sequestro ea urbe deposita, ut ad Pontificem iretur, donec omnes unius viri judicio consopitæ lites controversiæque diremptæ forent, summo studio nitebantur; nonnunquam etiam *Romæ*, *Tridenti*, *Mantuæ*,
B per internuntios oratoresque suos agere, ut *Gurgensis* Episcopus, qui Cæsaris nomine causam ejus tractabat, *Mediolani* Rempublicam moderaretur, eaque *Germanicam* in administrationem procuratio cederet; tum ut urbes, quæ prisco jure *Venetis* addictæ forent, ipse suo regeret ac temperaret arbitrio. Quapropter & Summi Pontificis odium, & *Venetorum* iras, & ipsam *Helvetii* stomachantis indignationem incurrerunt: adeo quidem ut truculentus præcepsque barbarus sese manum cum *Hispano* conserturum jactaret; illiusque propediem insolentiam ferro repressurum vociferaretur. Quotidie pacis & hic & illic fœ-
C dera tractari; quotidie pactiones novæque leges cum Cæsare *Venetis*que, rursus cum *Helvetiis* atque Pontifice alio atque alio modo conscribi, dispungi, reformari. *Hispanis* nunquam una certaque præfixæ voluntatis sententia fuit: cum tamen omnibus exploratum & compertum esset, eam illi mentem fuisse, ut omnium attritis opibus Regulorum, eorumque præsertim, quæ cæteris viribus prævalerent, ad unius Cæsaris potestatem *Italia* redigeretur. Itaque nunquam uno eodemque præscriptæ legis rigore contineri; antiqua discutere, alia atque alia, suo ut ex usu foret, inducere, subrogare, invertere, delere;
D sæpe diversa Pontifici fœdera suadere; nonnunquam etiam præscribere; *Veneto* novas leges indicere; veteribusque semper antiquatis cum parum ex re sua cederent, alias ac rursus alias substituere; tum *Maximiliani Sfortiæ* cæterorumque *Italiæ* Regulorum rationes diligentius, quam par esset, & exactius disquirere: tanta omnium indignatione & stomacho, ut *Hispani* ipsis pæne jam *Gallis* omnibus invisiores Principibus essent. Interea ne nihil agerent, suaque nihil intactum manu relictum foret, diversarum maxime factionum civibus, vota Principum pestilentibus nutrimentis alentibus, *Florentiam* deflexere: & pri-
E mo quidem apud *Pratum* Fesulanæ ditionis oppidum, collatis signis hostes obvii concurrerunt. Non modica cæde patrata, fusisque hostibus, ac oppido vi capto direptoque victores *Hispani* rerum potiuntur. Mox excitatis in urbe *Florentia* seditionibus, factiosisque civibus, in dies gliscente discordia, semper altercantibus, cum jam *Lucas Sabellus* Ductor, magna cum cohorte in hostium potestatem venisset, *Petrus Sodorinus* gubernaculis vertente fato dejectus excessit; *Julianus*que *Medices* suffectus est. His angusto brevique confectis tempore rebus, in *Venetos Brixianam*que totis contractis viribus expeditionem, *Hispani* contenderunt; e diverso *Veneti*, concur-
F rentibus, ut fieri potuit, *Helvetiis*, in deditionem urbis intenti festinabant: *Veneti* quidem præter æquitatis jurisque rigorem, consiliorum & æris ope civitatem asserebant; *Helvetii* vero contra jus fasque telis ac tormentis armati nitebantur. Haud procul urbe, castra posuerant *Hispani*: & cum hinc inde oratores irent atque redirent, hicque *Venetorum*, illi *Helvetiorum*, alii vero causam *Hispanorum* perorarent, intra paucos dies *Gal-*

lus obsidione pressus, cum oblatas cæterorum conditiones sprevisset, *Hispanum* prætulit: pactaque rerum militumque suorum incolumitate, *Brixiam* Hispano magna cum *Venetorum* indignatione resignat ac dedit. *Andreas Mocenicus*, qui hæc stilo exactiore complexus est, subiratus conqueritur, quod fatigati diuturniore bello *Veneti*, magnoque labore ac sudore diffluentes, *Hispano* corrivale victi sint: doloque malo factum contendit, ut *Venetus* Hispano commissus succumberet. Non abnuerim quidem exquisitis artibus & insidiis *Gallum* extortam a *Veneto* Brixiam *Hispano* relaxasse; sive intestino livore, quo perfusus in *Venetum* Gallus ferebatur; sive quoniam inter extraneos ad internorum perniciem facile conveniat; cohærentesque invicem tenaciore glutino barbari, nostras ad perdendas opes facile barbaris conjungantur: verum hac in re compertum hoc habeo, *Ludovicum* Gallorum Regem, cum in ipsum asperior vultum fortuna retorsisset, urbium arciumque præfectos literis emonuisse, ut cum urgentibus fatis succumbendum esset, *Hispano* potius quam *Veneto* cederent: sive quoniam ab illo possessa facilius recuperaturum putaret; sive quod esset æquiore animo perlaturus, ut a barbaris ad barbaros ablata transirent; *Transalpino*que semper jugo retrita cervix nostra ruberet. Addunt Ephemeridarii, *Venetos* cum præsidente Gallo *Brixiam* adepturos diffiderent, cum *Hispano*, quem urbis potiturum animadvertebant, convenisse, ut receptam eam cum prisco jure, tum recenti fœdere *Veneto* debitam, redderet; *Hispanum*que perlibenter, ne dispositæ jam rei *Venetus* intercurreret, durioremque deinceps ab illo controversiam pateretur, assensisse; mox ut fidem agnosceret ac nomen exsolveret, cum interpellaretur, multa causantem distulisse; ac tandem pernegasse: qua de re periratos Principes *Venetos* excanduisse, renuntiasseque fœderi; quoniam & prisca & recens inita pactorum lege omnique jure gentium violato, fraudarentur. Etenim quanquam parum firmis antea vinculis copulati, sese invicem tenui fragilioris amicitiæ fascia colligassent, nunc vero refractis penitus diruptisque nexibus, in diversa prorsus omnes abiere. Affectus igitur non levi Princeps Senatusque *Venetus* injuria, cum nullam fœderum pactorumque suorum rationem habitam viderent, propriæque rei studiosos omnes, parumque communi in re defendenda solicitos ac constantes intuerentur, vela verterunt: & quos in *Italiam* prius evocaverant, moxque demeritis ipsorum expulerant, iterum revocare, Diis fœderum læsis, fideque refracta coacti sunt. Quapropter ne majores bellorum motus insurgerent, conversaque violenter arma sociorum in *Venetos* retorquerentur, si ad communis hostis auxilium regressi palam confugissent, clandestino fœdere secretisque pactionibus cum *Ludovico* Gallorum Rege coëunt; *Jo. Jacobo Trivultio* procurante, suaque pro virili semper adnitente, ut horum præfulta suffragio *Lilina* manus *Insubriam Liguriam*que repeteret: quippe cum sese a nonnullis Patriciorum *Mediolanensium* Summatibus delusum gravaretur, nec *Maximiliano Sfortia* regnante tuti regressus in patriam, cujus perfruendæ desiderio tenebatur, paterent, impendio Regem cohortatus est, ut si quam recuperandæ *Italiæ* spem suo corde sitam haberet, eam arctius *Venetæ* potestatis adminiculo complexaretur. Etenim ductor insignis, rerumque præsertim *Italicarum* omnium experimento præclarus, conjiciebat, ægre fieri posse, ut *Ludovicus* in *Italiam* quanquam magnis prævalidisque legionibus comparatis descenderet, si non aliquo Principum nostrorum præsidio juvaretur:

A cum & Pontifex Summus ab *Hispano* Cæsareque, magis quam a *Gallo* staret; & rem *Helvetii* Mediolanam ope summa tuerentur; cæteri vero Principes *Italiæ* populique Summatibus facile consensuri forent. Itaque suam communemque causam apud Regem sæpius dicere, perhortari, suadereque, ne *Venetorum* oblatam reconciliandorum occasionem contemneret: pendere *Venetos*, præsignique læsos injuria fluctuare, dum incerto nutarent ac labarent animo, huc & illuc facile posse propelli; cum vero alterutri partium adhæsissent, nunquam lentescente glutino revelli posse; dictamque semel fœdere legem non expun-

B cturos ajebat. Mansuescere flectique non poterant *Gallicani* fastus, ut his alligarentur, quibus antea rescissis ingentibus nodis ablaqueati fuerant; & hos in capessenda re tanta suffragatores haberent, quos invisissimos antea supraque omnes odiosos habuerant: & tamen acclinare, frænumque mordere, sic urgente fato, cogebantur. Ergo cum omnium incommodis commodisque recte pensatis, placuisset togæ sagulum subjicere, barbaricamque strenuitatem cunctatione *Veneta* moderari suam in rem fore omnes arbitrarentur, coiverunt. Inter cætera *Andreæ Gritti*, *Liviani*que libertatem, quorum alterum *Brixiana*, alterum *Agni-*

C *dilina* clade *Galli* captivos fecerant, paciscuntur; dehinc libera urbium suarum imperia, territoriique præsertim *Brixiani* recuperationem *Gallico* impendio, manuque regia præstandam, suorum in formulam pactorum redegere. Cum fœderalibus tabulis subscripsissent, dissimulata res est, nubeque taciturnitatis obumbrata: donec omnia suo tempore promulgata cunctis admirantibus innotuerunt. Quibus ex sententia confectis, ad *Helvetios* pari fœderum nexu constringendos itum est. Horum etenim adjuncto peditatu fortissimo, rem haud dubie sibi factam pollicebantur, qui *Gallicam* expeditionem procurabant. Et id sane factu prom-

D ptum erat, si ad *Venetorum Gallorum*que societatem conservandam supererogatis majoribus stipendiis, novisque largitionibus perlici gens dura potuisset. Proinde summi Procerum *Gallicanorum*, Oratores delecti, *Ludovicus Tremellius*, Massiliensis Præsul, *Jo. Jacobus Trivultius*, *Britanniæ*que insuper, ut ajunt, Admiratus. Hi profusissimis ingentibusque donativis *Helvetiorum* Primates circumvenere, suamque in sententiam attraxere devictas auro mentes eorum: cæteram facile subactam iri multitudinem horum assensu ductuque Procerum rati. Sic etenim actu rerum frequenter agi palam est; & hos per gradus summa difficul-

E tatum fastigia semper evinci nemo nescit: cum ardua duraque tentantur, concionis præsides atque triarios pollicitationibus ac congiariis evertunt; ut ipsi mox reliquos hortando suadendoque vincant & cogant. Sed plerique nonnunquam opinione sua labuntur: concitatique interdum humiliores coacto globo suos adversus Principes consistunt, intercedentesque violentius suorum placita Procerum rescindunt & lacerant. Quod & præsentibus *Helvetiorum* conciliis factitatum accipimus: quippe cum obsessi Magnates, expugnatique muneribus facile cessissent, turba subinde crassior atque pannosior conquesta est;

F suosque in Principes acrius animata sævivit; exauctoratisque pluribus, cum alios Senatu movisset, rursus alios suffecisset, *Gallos* nequaquam voti sui compotes demisit. Interea senio morboque prægravante, *Julius* Pontifex Maximus extremis suis fungitur: cui *Leo Medices* Gallicanis nuper vinculis exsolutus, duraque redemptus captivitate suffectus est. Hic magis consilio nutuque nepotis quam suo rem gerebat: & uterque summo nisu contendebant, ut *Hispanis Germanis*que *Vene-*

ti consentirent. Quod arduum erat omnino, fa- A
ctuque difficile: summa siquidem ope *Veneti* ma-
gnoque conatu suis recuperandis urbibus (ut par
erat) intendebant; cum alii potius, ut renun-
tiarent abdicarentque sese, pro virili sua niteren-
tur. Intercedebat *Leo* Pontifex Summus, &
quantum illi fas fuit, suæque dignitatis sanctitas
& amplitudo patiebatur, instaurandæ amicitiæ,
reconciliandorumque animorum omnium non le-
vem operam obibat, ut longe *Gallum* ab *Italia*,
nostrisque procul finibus arceret: sive quoniam
illius potentia suis consiliis suspecta videretur; si-
ve quod ab *Hispano Germano*que majora quam a
Gallo consecuturum speraret; aut quod *Gallicano* B
imperio detentus in vinculis, contra personæ di-
gnitatisque suæ decorum, *Gallicam* factionem pe-
nitus abhorreret. Sed omnes longe fœderis per-
cussione distrahebantur; nec æquis coire Princi-
pes animis poterant: *Venetis* ex lege sua repeten-
tibus; cæteris vero pertinaciore duritia, insupe-
rabilique proposito retractantibus. Colluctaba-
tur itaque *Leo Leoni*: & cum uterque suis justam
meritis causam prætenderet, constantissime repu-
gnabant. Pontifex quidem *Venetum* & suadendo
& hortando, quantoque poterat lepore verborum
demulcebat, sed in cassum; irritique conatus
omnes erant: cum jam *Leonina* Lilinis vexilla ne- C
xibus alligata cohæsissent. Quod cum certiore
exploratu Pontifici Maximo perliquisset, Orato-
ri Veneto *Francisco Foscaro*, qui tunc *Romæ* Le-
gatum agebat, *Leonem* graviter succensuisse fe-
runt: quoniam eo facto, *Veneti* publicæ quietis
perturbatores arguebantur. Sed prudenter matu-
reque *Venetus* Orator, ut objecta cætera omnia
sic & præsentia diluebat: quoniam olim inter *Ju-
lium* decessorem suum *Venetum*que convenisset,
ut omni repurgata sordibus externis *Italia*, sin-
guli Principes sua vendicarent & possiderent;
proinde *Venetam* Rempublicam ære, milite,
commeatu, semper præsto fuisse; rem commu- D
nem juvisse; præcipuaque ipsius opera, finibus
Gallum Italicis exactum asserebat. Sed interlitam
a sociis violatamque fidem querebatur; pollutum-
que jus gentium perfidia sociorum dolebat: cum
per ipsos possidere non liceret, quæ *Venetis* omni
jure debebantur: itaque quos abegerant, tanto-
que trans *Alpes* fragore protruderant, appellare,
revocareque coactos fuisse; ut quando familiaris
domesticæque fidei nulla spes esset, peregrina fir-
mior & sanctior aliunde quæreretur. Expedit e-
nim foris religionem experiri, magis quam domi
scelus & flagitum tolerare. Sed & identidem
Foscarus Orator amplificando commendandoque E
Gallicas copias efferebat: *Leonem*que Protoflami-
nem impensius hortabatur, ut *Aurelienses* magis
quam *Germanicas Hispanicas*que partes confoveret.
Sic etenim propediem futurum ajebat, ut omnis
juri suo reddatur *Italia*, firmioreque basi conso-
lidata diuturniore pacis otio perfruatur. Sed exæ-
quandæ voluntati suæ mentes hominum obnoxiæ,
suisque rebellibus desideriis expugnatæ, plerum-
que consilia respuunt; atque illis ægre semper
obtemperant: quæ quanquam ex fide candoreque a-
nimi proposita sint, cæcis tamen affectibus nostris
adversantur. Quapropter cum neque Pontificem F
Foscarus, neque *Foscarum* Pontifex dejicere senten-
tia potuisset, suas quisque partes largiore sinu
complectebatur: suaque concordi voluntate, dis-
cordes invicem affectus omnes alebant. Solutus
interea vinculis *Livianus*, Venetiasque postliminio
reversus, gaudente Patricio, lætoque Principe,
ac plenis exultabundæ Reipublicæ votis, exce-
ptus est: quoniam nullus in eo viro dolus, aut
castra metando, aut exercitum ductando, aut
fortiter pugnando repertus erat. Quod & sta-
tim collatæ dignitatis prærogativa, suisque cum
fascibus honores adscripti declaraverunt: quippe
Principis Patrumque decreto, castrensium rerum
arbiter, Ductorque militum creatus, præsigni
cum potestate *Veronam* profectus est. Affecti tæ-
dio *Veronenses*, exoticique jugi pressura suffocati,
laxiores habenas, lenioremque domini mitioris
virgam deposcebant. Hinc nonnullorum con-
spiratione civium *Veneti* Principes evocati, his
adesse suffragarique desideriis honestioribus nite-
bantur: quorum ut consilia maturaret, hisque
præsto foret, militari manu *Livianus* occurrebat.
Sed detecta priusquam ad exitum perduceretur,
(ut plerumque fit) conjuratio Ductorem avertit:
compulitque alio paratas copias, expeditione *Ve-
ronensi* parum feliciter attentata, traducere. De-
jectus ergo tanta præconcepta spei ansa Livianus,
Cremonam iter parat: inter eundumque *Pischeriam*
atque *Vallegium* parvo negotio subigit. Vix emi-
graverat, cum *Verona* moventes barbari persecu-
tique *Livianum* abeuntem, conflixere. Cum
utrinque jacta primo tela subrorassent, levique
præludio vix imbuta prima acies irrubuisset, in-
terlucentes rariore numero *Veneti*, Coloniam us-
que fugati sunt: obtentoque deditione oppido,
cum & anceps fortuna vicibus interlusisset, *Si-
gismundus*, *Joannes*que ductores, hosticam sub di-
tionem iere. Tunc & *Vicentiæ* trepidatum est
magno metu: cum *Paulo* militaris rei Præfecto,
velites, cathaphratti, pedites, angustiore omnes
numero restricti, civitatem tuerentur. Itaque
subsidiis alienis innitendum fuit; adventitiæque
opis imploranda remedia: proinde repentina ce-
leritate, suisque telis obarmati certatim agricolæ,
præsidio fuere. Quorum auxilio repressa vis ho-
stilis urbem urbicosque defensores omni statim
metu liberos absolvit. Exinde quoniam res no-
vas *Cremonenses* moliebantur, novique bellorum
motus ad *Venetos* spectabant, Livianus *Gambara*
movit: sed vota *Cremonensium* anteverterunt *Pal-
lavicini*, prævia celeritate tumultuanter urbem
ingressi. Quos haud multo post *Livianus* adve-
niens auxilio validiore profudit: urbemque con-
festim ingrassatus hostili more populatus est; pro-
miscuaque direptione turbulenter affecit. Diver-
sa regione, *Laurentio* ductante, *Venetæ* legiones
Brixiam deflexere: conflictatamque urbem mul-
tisque miseriis oppressam, modico pulvere *Venetis*
asseruerunt. Militibus militumque ductoribus dif-
ficultatem ingerebat arcis oppugnatio: quam &
perexigua *Leonina* manus, prævallataque muni-
mentis omnibus moles ingens augebat. Itaque
cum & urbem & arcem pari virium nexu comple-
cti non possent, majoraque ex arcis obsidio detri-
menta vererentur, quam ex urbis possessione conse-
qui posse sperarent, relicta Brixia, *Cremam* cum u-
trique impares essent, ope summa tutati sunt. Per
hos quoque dies *Genuæ* tumultuantibus civibus non
levis exorta seditio: cum *Fliscum* Comitem Du-
calis satelles cohorsque prætoria ferro sustulisset.
Quo facto sua cum manu *Flisci* protinus in mon-
tem secessere, adversus Ducem asseclasque Ducis
vires reparaturi. Quod cum non levi conjectura
futurum Dux suspicaretur, ne ipsum imparatum
hostes opprimerent, ab *Hispano* suppetias implo-
rabat. Quibus laxiore mora lentescentibus, i-
psoque tardius appetente præsidio, *Flisci* collectitia
manu statim advocata, improvisi violenter urbem
armorum fragore conterritam invadunt: cum
aliunde *Adorni* Fliscis adhærentes impetu facto
pariter irrumperent: diversos igitur per tramites,
angustaque viarum diverticula confluentes armati
in forum coiere: ubi factionis adversa cohors,
armisque præcincta multitudo stabat. Extem-
plo conserta manus, omnique telorum ingruente
nim-

nimbo, sævissime fortissimeque decertatum. Ægre Dux parvo comitatu, periculoque subducti fratres ejus vim hosticam evasere: navimque præcipiti festinatione conscendentes solverunt. Igitur adversantium civium propulso metu, *Adorni Fliscique* Gallicana signa secuti rerum potiuntur: sed haud diuturno rerum statu conquievere. Quippe paulo post audita clade fugaque Gallorum, *Hispanicis* adjuti subsidiis, extorres profugique cives urbem ingrassantur: suamque pristinam in sedem *Hispano* suffragante restituti, diversæque factionis civibus eliminatis, ac *Octaviano Fregosio* in Ducem promoto tranquillius desedere. Ergo dum *Ligures*, *Cenomanos*, *Insubres*, perpetua bellorum tempestas adfligit, unoque communis hostis abscessu propagati plures, enatique multiplicato discordiarum semine, unius in *Leonini* militis perniciem exitiumque laborant, extemplo *Venetæ* militiæ ductores omnibus contractis legionibus sese in tutiora recepere. *Athesim*que profecti super agendis exsequendisque rebus bellicis consultant: & primo quidem e Republica visum fuit, *Veronensem* agrum omnem devastare; præsectasque segetes maturas immaturas omnes *Tarvisium* atque *Patavium* importare: præformidatæ famis & impendentis inediæ futura solatia. Tum si *Lemniacum* oblata de improviso fortuna expugnare potuissent, id subegisse non ab re futurum existimabant. Ergo vastatitia manu per universos *Veronensium* fines, collimitaneasque regiones dimissa, messore multo segetes ablatæ sunt; prædatoriisque maniplis statim omnis divastatus ager; abactum pecus; incensum stramen, avecta pabula; lignorum utensiliumque omnium, quæ castrensem in rem forent, constricti sunt & translati fasces, aut immissis ignibus inflammati. Interea *Lemniacum*, cum suggressæ propius *Venetæ* legiones appulissent, *Leoninis* signis parvo motu cessit: & quoniam infirmiore custodia tenebatur, levesque propugnaculorum obices municipium defendebant, brevi mora pæneque ultronea deditione subactum est. Sed operæ majoris erat, provinciæque difficilioris arcem ipsam evincere: quoniam *Hispanici Germanici*que peditatus robur validiore munimento pro muris stabat. Proinde circumfusi milites *Veneti*, vastamque molem densiore limbo militiæ circumsidentes, expugnationi protinus accinguntur; eaque primum oppidi parte deoptata, quæ majore detrimento murales machinas fuerat exceptura, ipsius e regione militaria tormenta locant; latamque congeminatis ictibus fenestram, ac collabentibus ruinis ingentibus dispatentem aperiunt. Mox expediti præcinctique gladiis ac pugionibus *Leonini* milites stataria pugna congrediuntur; ancipitique telorum jactu strenuissime ferocissimeque rem gerunt: & hinc & illinc omnes summa vi magnaque milites ope decertabant. *Veneti* tormentis, impetu, ferro, viam in arcem aditumque moliebantur: contra vero corporum vastitate *Germanus*, omnique levis agilitate corporis *Hispanus* obsistebat, reluctabatur, propugnabat. Emissititia jaculatitiaque omnia cominus eminusque frequenti crebroque vulnere jactitata sunt: sulphure medicatas piceque perlitas ubique tædas *Hispanus* spargebat; e diverso tenacem infixumque *Venetus* ignem excutiebat, sensimque progrediebatur: mox cum utrinque cadentibus fortissimis pugnatoribus asperiore diu prælio dimicatum foret, indignati validioris armaturæ *Veneti* Proceres victoriam retardari, collectis, omnibusque contractis in cuneos viribus, impetum faciunt: telorum bellatorumque suffragiis confestim omnibus advocatis, adversam toto turbine violenter aciem impingunt, exculcant, proterunt. Elanguidi debilesque longo certamine *Germani* loco cessere: hinc aliis super alias ingruentibus *Venetorum* copiis, cum duplicatam vim non sustinerent, in fugam compelluntur. Alacritate promoti victores fugitantem exagitant; arcem capiunt; rerum potiuntur. Capto *Lemniaco*, arceque ejus fortiter expugnata, cum majoribus capessendis rebus fortuna melior aspiraret, *Livianus* asserendæ urbis *Veronæ* sollicitus, cum Mars Herculesque felicior occeptis assensissent, eductas copias, mœnibus admovet. Non magno nec valido munita præsidio civitas, tum ingentia affectorum civium desideria, *Venetis Liviano*que spem magnam obtinendæ urbis erexerant. Sed ea omnes dilapsi sunt: dum exsequendæ rei perficiendoque negotio *Livianus* promptique milites ejus omnes accinguntur. Trecenti quippe equites *Germani*, pedites vero duo mille sic oppressam urbem obsederant, ut nihil intus civis attentare, foris vero non nisi difficulter & ægre milites auderent. Ergo quoniam irrita spes omnis erat, votaque tantæ consequendæ rei reposita in armis erant, tormenta *Livianus* ad urbem impingit: opportunaque cuncta diligentius explicat; tum assidua perennique saxatilis ferreique imbris tempestate mœnia quassat & disjicit. Magna prostrata muri parte, retritaque, cum ruderibus coctiliumque laterculorum ruinis, præruptus inæqualisque aditus in pugnam ægre militem admitteret, circumquaque tamen conglobati præstipatique maniplis densioribus *Veneti* Germanum fortissime repugnantem summovent; propellunt ac propelluntur; rursus cæduntur ac cædunt. Mutuæ plagæ, mutua vulnera, reciprocæque depræliantium vices incertam rem diu fecerant. Verum postquam exacerbati perfuso cruore animi, conduplicatisque cædibus crudeliter hinc & illinc acies conflixere, melior ab oppidano sors stare visa est: exstinctisque *Germanorum* paucis, vulnerati cæsique super alios alii milites *Leonini*, fossas aggeresque replebant. Quæ cum *Liviani* oculis substernerentur, ipseque non nisi magna suarum strage copiarum obtineri posse rem animadverteret, e vestigio receptui cecinit; *Athesim*que suum, unde dimoverat, reversus est. Quæ cum majore etiam quam gesta forent ad *Hispanos* fama perferrentur, suo vetustiore odio concitati, stimulisque pontificalibus accensi, *Bergomum* petunt: parvoque subactum prælio tenent. Dehinc regressi *Pischeriam*, eodem iniquæ sortis flagello percussam, confestim expugnant: subrutaque tormentis mole murorum, cum fossa sarmentis concædibusque repleta, bellatori viam quanquam inæqualem & salebrosam aperiret, atrocissimo tamen prælio digladiatæ sunt, sævissimisque vulneribus utrinque acies conflictatæ. Implacabilibus odiis incitatissimoque furore debacchantes *Hispani*, *Veneti*que invicem concursabant: tantaque ferri rabie mortisque contemptu præliabantur, ut bis terque rejectati rejectarent; nunc ingressi, modo regressi; nunc oppidum tenentes, rursus oppido dejecti, magno varioque rebullientis æstu victoriæ confervebant. Mirum sane, tam vicinæ mortis impendentisque fati securos pugnatores, in ipsam ferri districtam aciem ruere: acuminatoque telorum rigori suorum corporum objectu, confractisque pectoribus pertinaciter involvi. Barbarus cum *Italicam* virtutem obduratam labore multo, multisque periculis infractam, sui roboris obice non inflecti nec retundi posse videret, ad subterranea remedia secretæque fraudem expugnationis convertitur. Defossis ergo profundiore fastigio scrobibus, occultisque cuniculis ad ima penetrantes, mœnia succutiunt, fodiculant, eruunt. Illico tanta consternatio timor-

morque militem incessit, ut hebetes languidæque manus omnes frigore subito correptæ prorsus intorpescerent. Flaccescentibus ac præ timore pigris offecere secreta sociorum colloquia, quæ diversa municipii regione, cum hostibus Præfecti militum contulerant. Hi desperatis pæne rebus super defensorum sospitate paciscebantur: sed importuni metus inconsultiorisque fugæ præcipitia, suorum consilia ductorum anteverterunt. Itaque dubios oborto per ordines tumultu, novoque pavore propugnatoria trepidante militia, derelictum, captum, direptumque est ipsa cum arce oppidum: tantaque subinde formido protinus irrepsit, ut qui *Veronam* prius expugnare præsumpserant, nunc & *Pischeriam* & *Lemniacum* atque *Rhodigium* uno conclamatæ desperationis fato desererent; ac ne bellici hujus incendii provolutæ longius flammæ, suisque sequaces vaporibus insufflante vento profugos corriperent, *Athesi* perniciissima celeritate trajecto, sese *Montignanam* contulerunt. Quo cum *Hispani* victoriæ secundioris aura provecti contendissent, tunc *Veneti* nihil animo suo melius nec sanctius esse duxerunt, quam *Tarvisium* atque *Patavium* ab imminentibus bellorum procellis defendere. Quo circa magnam copiarum partem alio destinant, rursus ipsimet alio reliquis cum legionibus proficiscuntur: & quidem *Tarvisium* cataphratti equites ducenti, trecenti levites, duoque peditum millia, congruo præsidio tutabantur; cum *Patavium* reliqua supplemento redintegrati exercitus fortitudo defensaret, quam & multa Patriciatus *Veneti* Nobilitas, & ad protegendam urbem conjurata præfixæ mentis intentio, constantiumque stabilitas animorum augebat. Adminiculum quoque præstabant, obsidione pristina periculis omnibus artes exercitæ: sed & olim jacta propugnaculorum interjacentibus fossis, promuraliumque suorum fundamenta, quæstuariam ministri durioris operam allevabant. Quæ cum intentis alio Principibus *Venetis* interrupta fuissent, nunc improbo labore restituta surgebant. Ad hæc excitati vigiles, dispositæque passim excubiæ: dispartita pabula, divisi commeatus: stationariique milites suis cum Ductoribus per infirma suspecta omnia distributi. Tum grandia leviaque omne genus tormenta, longius propiusque, ut in re fuerat, prolocata sunt: & e regione transversoque detorquenda, suis lineis constitere. Evocatæ præterea, *Vincentio Capella* procurante, ex omni maritimo tractu, militibus onustæ naves innumeræ: quæ periclitantibus fessisque rebus cunctis succurrerent; juvarentque, cum opus esset, *Patavinas* terrestresque omnes copias, quas ad suarum tutelam urbium civica castrensisque solicitudo conciverat. Jam *Hispanicus Germanicus*que omnis exercitus, ut *Patavium* obsideret, assereretque Cæsari desideratam votis omnibus urbem, coiverat: castraque non procul urbe posuerant summi Procerum militumque Ductores: cum & præsidiaria manu *Gurgensis* Episcopus, auxiliaresque Pontificis copiæ præsto fuerunt. *Patavium* omnino debellare capereque, si fortuna desideriis obsidentium aspirasset, hostes animo conceperant. Quod si voto contumax fortuna non respondisset, illud identidem agebatur, ut bellicis conflictati dispendiis *Veneti*, exhaustique perpetuo sumptu castrorum pacem quærerent: ac Pontificalibus Cæsareisque fœderibus propensiores, vellent, nollent, assentirentur. Sed in diversum utrumque cessit: nam *Veneti* neque contracto cum *Gallis* fœdere resiluerunt, & ipsi milites cum magno damno *Patavium* obsiderent, majoreque cum jactura debellaturi esse viderentur, obsidium solverunt. Quippe frequenter, erumpentes oppido *Veneti* Ger-

A manos oscitantes & ad arma nonnunquam imparatos percellebant: sæpius etiam dispalantes & vagos commissis levibus præliis adoriebantur. Præterea commeatum per *Athesim* perque devios sylvarum calles, & invia montium lustra, rapinis intentus utique *Leoninus* miles intercipiebat: adeo quidem ut nec intus nec foris tuti quicquam hostibus fieret. Itaque castra movere, seque intra *Bacchilionis* amnis divortia recipere, coacti sunt; ac mox quadrato agmine *Vicentiam* petere compulsi: ubi dies aliquot commorantes licentius desedere. Nec minus interea *Bergomi* quietæ res erant: *Laurentio Cerinate*, cui demandata *Cremensis* erat custodia, de proximo semper

B hostem infestante; dum rapit, vastat, populatur; omnique profuso militari præsidio, post intercepta decem numûm millia, quæ barbarico stipendio debebantur, urbem capit; mox ablato reconditoque auro, ne quid intercideret, *Cremam* profectus est. Incustoditam ergo vacantemque milite civitatem *Hispani Germani*que continuo repetentes subigunt: colligendisque viritim pecuniis, omnibusque miseris civibus expilandis vacant. Quod cum acriore studio diligentiaque facesserent, ecce de improviso *Leonini* milites, velut harpiæ, alia atque alia cæli regione devolantes adsunt; incursant; populantur. *Hispanus*

C demuncti auri, suique congesti æris conscius, ne male ablata cito laberentur, in arcem concito gradu profugit: omnique translato numismate, statim in tuta dilapsus est. Contra *Venetus* ex jam præteritis meliora sperans, instare, persequi, arcem circumsidere, scandere muros, in hostem desilire. *Hispani* sua pro virili trepidanter adesse: ac tela jaculando, saxa torquendo, cominus pugnando, cunctis occurrere. Verum arcis infirmitas exarmatæ, ipsaque defensorum corona rarior, ardentem consequendique auri dulcedine captum militem *Venetum*, in possessionem arcis in-

D duxit. Igitur arce oppidoque captis, ac cum cæde tum captura dissipatis militibus, qui præsidio fuerant, præmunire oppidum, majoribusque circumvallare custodiis, e Republica futurum, castrensis urbicæque procurationis Præsides æstimaverunt. Itaque peditatu velitatuque majore in urbem immisso, tum quibus potuerunt exstructis admotisque propugnaculorum ac tormentorum machinis, eluxatum dispactumque membris omnibus oppidum compingunt & solidant. Hæc inibi dum aguntur, *Mediolano* digrediens *Sylvius Sabellus*, equitum peditumque copiis instructus, in ipsam *Bergomensem* expeditionem

E proficiscitur. Exciti novo belli motu *Cremenses*, trepidantibus, magnaque adventantium copiarum formidine correptis *Bergomatibus* adjuncti, protinus occurrere: obviæque invicem armatæ acies collatis signis commissæ sunt; peditatui peditatus & equitatus equitatui, consertis utrinque globis armatorum permixtus, per exertos enses telaque districta pertrahitur. Atrox utrinque prælium, & utrinque sæva cædes exorta: horror fremitus plangorque cadentium, tum accensi ferocientium militum animi, bellicoque æstu præstruentes, omnia circumquaque pavoribus ac formidine replebant. Cum sauciati cæsique

F plures *Veneti* Rempublicam dubiam mox inclinantem facerent, eorum Ductor impiger collectis fragmentorum reliquiis, sese in arcem *Capellam* paulo monti acclivem tuto cum præsidio recepit. Quam cum expugnare debellareque victor frustra tentasset, quod omni robore munimentoque præcincta, difficilis obsessu, sed expugnatu difficilior erat, ab armis belloque militibus requiem dedit. At non iccirco *Germanæ Hispanæ*que phalanges, quæ relicto *Patavio*, quod inutiliter ver-

verſarentur ; *Vicentiam* abſceſſerant, bello temperaverunt. Quippe cum aliquot *Vicentiæ* dies feriantibus armis otiati, mentes animoſque ſceleribus compatrandis omnibus effinxiſſent, *Alboretum* emigrantes, dehinc *Coloniam* transgreſſi, protinus *Montignanam*, exinde *Meſtrum*, cætera deinceps oppida pagoſque omnes miſerabiliter depopulati, ad uſque ſupremos *Adriæ* margines, æſtuariaque *Veneta* cæde ſemper & incendio, rapiniſque furentes, pervaſerunt: tanta flagitiorum omnium impietate, tantaque immanis execratique facinoris audacia, ut, ſicuti quidam ſcripſerunt, qui hæc adamuſſim literis exſequuntur, *Livianus* edicto proclamaverit, ne quis hoſtem captivum faceret; ſed quotquot in manus incidiſſent, morti darentur. Etenim tam ardens facinorum omnium ſitis, tamque effera nefarii cujuſque criminis invadendi rabies hoſticum agmen inceſſerat, ut non rapinis modo prædæque ſtuderet, ſed diſcruciandis perdendiſque captivis, unaque ruina crudeli ſacrilegoque conatu ſubvertendis omnibus niteretur. Non ætas, non ſexus, non religio, propollutas impuraſque debacchantes ac igni ferroque ſævientes manus, ab ipſa omnium compatrandorum atrocitate delictorum, coërcebant. Qua proficiſcerentur, quaque palantes irent hoſtium inviſiſſimi, non hominem pergere vel *Cyclopem* putares, ſed velut ruptis æterna lege diſpoſiti orbis carceribus, indignatum *Plutonem*, diraſque ſcelerum ultrices noſtram in lucem erumpere: peſtilentique afflatu corruptis omnibus, mundi ruentis in perniciem terram mari, & mare cælo permiſcere. Ubique luctus, fuga, terror; ubique flammæ, cruor, ruinæ; ubique gemitus, mors, deſperatio. Hinc protinus agreſtes miſeri vagique cives, & quibus nulla de proximo tutæ ſedis conceptacula patebant, ſarcinas colligere, pecus cogere, *Venetias* confugere; tum quibus ruſticari paſcereque in animo erat, ex omni agro, omnibuſque deſertis mapalibus ac tuguriis emigrare; municipia, ſi qua propinquis finibus feritatis hoſticæ ſecura viderentur, infugere: quod ſi barbaricæ ſuſpecta forent immanitatis, tum nulla mora raptim *Venetias*, *Veneticas*que paludes confluere: ibi diligentiores cuſtodiæ, magnaque parata claſſis, inſtructa viris armiſque, ac ex omni numero trecenta navigia trepidantes tantoque metu conterritos advenas, velutque meticuloſas oves ab irruentium incurſu luporum defenſabant. Itaque foris inculta deformataque omnia, tum peruſta circumquaque prolapſiſque contignationibus ac tabulatis ruinoſa cuncta ſquallebant; ubique terribilis & aſpera rerum omnium facies, ſed ipſorum hominum miſerabilior longeque lachrymabilior inhorrebat; amiſſas fortunas ſuas municipes, ipſique mœrentes agricolæ, tum primarii ſecundariique cives plus æquo digladiantis fortunæ telis omnibus appetiti, vulneratique lætaliter, lamentabantur; & magis ipſa quidem *Germanorum Hiſpanorum*que cæde flammiſque cuncta divaſtantium detrimenta, quam concurſantium armis *Gallorum* diſpendia prægravabant. Tumultuaria, præceps, inſolenſque *Gallicana* manus violentiſſimo turbine perſtrepebat: ipſique cæteris præferoces velitando decimandoque terrificis omnia ſonoribus inquietabant: verum cum craſſa ſtoliditate ſua deferbuiſſent eorum infrænes impetus, irarumque ſubducto fomite flamma reſediſſet, reluctante nullo ferocitas retuſa miteſcebat. At *Hiſpanorum* ſagacitas acerrima, diveſtigandiſque rebus cunctis exactior cæteris inquiſitio, cum ſeſe placidam ac mitem oſtendiſſet, reflexa violentius inſæviebat: crocodilique lachrymas imitata cum miſereretur pietatem, crudelius impia-

A bat. Huic accedebat *Germanicæ* fecis colluvies, pedariique contagii purulentia, omni quidem barbarie barbarior. Diverſiſſimas inter ſe gentes, intemperantiaque cæli diſcrepantis, longe rebellibus inter ſe ſtudiis abhorrentes, exitiali *Venetorum* damno natura conjunxerat. Siquidem obtuſus ſtupore mentis, egelida ſeptentrionis plaga *Germanus*, frigoreque nativum duri corporis calorem conſtipante, lati pectoris robur hoſtibus objectabat: contra puſilli homunciones, exuſtique cadentis ardore ſolis *Hiſpani*, ſed ingenii capacis omnium, acrimonia ſolertes & vegeti, *Germanicam* fortitudinem indoctaſque vires, ſua in B omne ſcelus diſciplina flagitiorum erudiebant. Et quanquam ipſa barbarica feritas exercendæ ſævitiæ magiſtro non egeret, nec inſtruendus eſſet in prædam lupus, præoptando tamen tempori, deligendoque loco, cunctiſque majore cautela ſuis artibus exercendis, eruditi præceptoris, artificiſque prædocti magiſterio, egens erat; *Hiſpanus* vero quanquam nulla debilium infirmitate membrorum ægreſceret, nec ulla morbi contabeſcentis lue rumperetur, *Germanico* tamen umbone prævallatus, nodoſoque prænixus ſcipioni potentius in hoſtem atque validius conſiſtebat. Itaque crudeles ſuapteque natura feræ nationes, a-C culeis ſævitiæ conduplicatis aſperatæ, tam longe lateque provinciam omnem immaniter adfligebant, ut omnis ante actæ fortunæ gravitas huic collata levior eſſe videretur. Et ſane niſi magna, pæneque ſic dicam inſuperabilis *Venetæ* potentiæ amplitudo fuiſſet, tum divina tum humana manu gubernata, totque prudentum conſiliis defenſata, actum erat. Adeo præpotentes validæque nationes, devaſtatis finibus, omnibuſque fœde miſerabiliterque direptis, unius in interitum Reipublicæ perſanctique Senatus *Veneti* perniciem ultimam incubuerant: & ipſi Reges quanquam invicem averſi, uno tamen conſenſu pernicioſæ voluntatis D ſuæ conſpirantes, nihil animo moliebantur intentius, quam a ſtirpe *Venetam* Rempublicam evertere. Itaque non hoſtili ſed ferino paſſim omnes more verſari; ſupraque irati hominis ſpeciem in *Venetum* truculentius debacchari; ac tormentis, ferro, flammis omnia perdere. *Livianus* ergo, cui præcipua caſtrenſium cura rerum incumbebat, in tanta deſolati orbis ruina, tantoque bellicæ tempeſtatis diluvio, penſitare, metiri, factitareque omnia, quæ *Venetæ* Reipublicæ ſalutem & hoſtis interitum reſpicerent: ac primo quidem ex omni agro, urbe, oppido, militem contrahere; vaſtatitiam ubique manum cogere; duros E agricolas & in militiam habiliores conſcribere; luſtrare exercitum; iter explorare; copias diſpartiri; tum ex *Veneto* locupletiſſimo omnium horreo, ſupplementum, commeatum, ſtipendium adgerere; exindeque *Tarviſio Patavio*que legionibus accerſitis, earumque ductoribus atque Legatis *Andrea Gritto*, *Chriſtophoro Mauro*, *Hieronymo Contareno*, *Joanne*que *Paulo Balionio*, prædabundis hoſtibus occurrere ſtatuit. Jam etenim ex omni diſſipato retritoque ſolo ad uſque *Venetas* paludes, ſuis accincti facibus hoſtes in interiora terræ repedabant; *Brintam*que amnem ad urbiculæ vadum trajecturi eſſe videbantur; eaque ſe-F ſe fluvium regione ſuperaturos, progreſſum ſpectantibus connivebant: cum quia eo loci tenuior exiliorque vado fluctus erat; tum quia illo ductores aciem, omni ex tramite clivoque prædatorios ordines dirigebant. *Livianus* igitur militum numero parique in pugnam exultantium ardore animorum, barbaro non inferior, ſuas omnes citra amnem copias diſponit, funditoria tormenta, fuſoriaſque cohortes, ex tranſverſo directoque, ut diſcriminatis pericula vicibus præpoſitum admo-

monebant, locat; tum præsidium, subsidium, A omnemque prævalidam medii roboris armaturam suis regionibus locisque præscribit. Ad hæc urbiculam, quoniam id in re esse videbatur, firmiore custodia, suis cum machinis, instrumentisque omnibus emunit. Lembos præterea naviculasque, omni ex parte fluminis subvectas ripæ suæ proximiori subigit: ne quam consuendi consertandique pontis materiam transituris hostibus relinqueret. Reliquos enim pontes, ne contabulato solo militem trajicere properantem invitarent, resciderat atque confregerat. Stabant animis omnes armisque milites intenti, unoque confligendi desiderio pariter incensi *Germanum* B *Hispanum*que sibi obvium dari perardenter optabant: sed illi ductante *Hispano* prudentes & cauti, cum illis omnia viloribus suis explorata forent, impostura *Livianum* elusere. Quippe cum ad inferiora transitum simularent, controverso itinere, triumque spatio milliarium interjacente, ad superiora fluminis properantes, intempestaque nocte transgressi, protinus evasere; tum præcipiti celeritate, fido tenebrarum silentio securi, *Vicentiam* agmine facto contendunt. Quod *Liviano* cum innotuisset, e vestigio prævenit: seseque diverso *Bacchilionis* amnis objectu tutatus est. Quod enim *Brintinis* vadis acerrimi hostis præ- C cavente solertia præstare non potuerat, ad *Bacchilionis* ripam id exsecuturum opinabatur. Itaque parare instruereque trepidanter omnia, quæ eam in rem essent, festinat: nihil sibi quietis & otii, nihil suis laxamenti militibus impartitur. Et primo quidem *Vicentinæ* sedis domicilium a barbaris frustra prætentatum est: validis *Venetorum* copiis urbem præcingentibus; aliisque de proximo, si discrimen incidisset, auxilio futuris; cum & *Andreas Grittus*, Gubernatorque *Balionius* in castra suis cum legionibus subsidiariis advenissent. Ad hæc si directum *Germanus* iter, quod *Montichium* perducebat, insisteret, *Paulus Manfronus*, cui ejus lo- D ci sedes commendabatur, interrupturus erat; si vero transverso obliquoque pergerent, *Patavini* ageres, fossæque profundius excavatæ hostilem impetum repressuræ erant: cum & utrobique *Livianus* justo suo cum exercitu peragrabundus, opem cunctis derepente laturus esset. Una igitur fugæ semita callisque restrictior, vergenti terga barbaro relinquebatur: quam *Livinani* Ductoris imperio exciti monticolæ, turbaque suis agrestibus armis instructa passim obsederat. Quippe cum monti paulo suggressus hostis, illo sese facturum iter ostenderet, edictis omnes admoniti sunt, jussique præsto suis armis adesse: ut per ardua progressurum E hostem, omni calle circumfusa cohors obseperet. *Livianus* ergo cum iter a fronte, ancipitique bivio dispositis copiis interclusisset, tum a dextra lævaque omnes intenti, deflectentes *Hispanos Germanos*que distentis telis tormentisque prægnantibus excepturi forent, exultabundus victoriæque securus expedito cum equitatu a tergo hostem insequitur: cæteris ex ordine gradatimque subsequentibus turmis. Barbari velut desperatione rerum attoniti, cum sese circumdatos, ac infra supraque præcinctos armis viderent, nec spes opis ulla daretur, congressuros simulant, seque per gladios F & infesta tela concito gradu *Vicentiam* prorupturos ostendunt. Tunc *Livianus* Vicentinos milites eorumque Ductores hosticæ profectionis & incursionis admonet. Extemplo certiores facti Duces promptam omnem urbe militiam educunt; ad secundumque lapidem, (*Crematio* nomen est) castra locant. Editiores colliculi, pauloque sese sublimius attollentes, depressam convallem interspersoque gramine subvirentem convestiebant; via secundum montem angustior, cum hinc educta moles assurgeret, hinc latius effusa palus displicaretur, in umbrosam vallem perducebat. *Livianus* regiones situsque locorum speculatus montem tormentis militaribus prætexit: ut in declivia devoluti ictus ex alto, facilius hostem, si illo pergeret, excussa grandine flagellarent. Convallis aditum peropacæ, vestibulumque tenebat antesignanus ordo: cum subsignanus, intermediique robore suo præstantes triarii, vallis exitum clauderent. His accedebat *Balionius* Gubernator, qui *Tarvisiano* cum subsidio *Vicentina* suburbana procinctus observabat: adeo quidem, ut ingressus difficilis, egressus vero difficilior hosti progressuro redderetur; asperrimaque omnia, tot circumquaque dispositis & obsidentibus iter armatis apparerent. Descendere tum in aciem pedemque conferre, quanquam armis tormentis paludeque circumdati non immerito timerent, præsumpserunt hostiles animi: ac primo dissimulanter anterius agmen aggressi, mox irrorando velitandoque levia prætentati Martis discrimina subeuntes, circumductis valle copiis, in *Vicentina* suburbana, *Venetum*que militem promoti sunt. His ferentarius eques obvius occurrit: manuque conserta deprædantes invicem atrocissime conflixerunt. Et cedere primo quidem barbari videbantur: protinus vero restituti collectique ferocius impetum fecere. Præfurente barbarorum impetu rejectati milites *Leonini*, pulsique loco succubituri fuerant; nisi repente degravata ventriculis suis organa chalybinos silicinosque fœtus innumeros expressissent, quibus allisi consternatique hostes, longe retrusi sunt. Hæc dum telis manibusque consertis aguntur, inflammatique Martis ardore militares in pugnam æstuant animi, per exploratores hostiliumque rerum conscios *Liviano* Legatisque nuntiatur, temperandum, belloque parcendum esse: quoniam non cum barbaro, sed cum *Prospero Columella* viro accuratissimo bellicæque artis scientissimo res ageretur, qui cunctando, prorogando, dissimulandoque semper vinceret; præterea desperatione victos hostes, astrictosque invicem sacramenti religione, toto passim exercitu vociferari, sese quam ocyssime generosam mortem obituros, aut gloriosam manu sua victoriam paraturos. Itaque non lacessendos, neque sua satis irritatos rabie canes provocandos admonebant; sed differendum sustentandumque diem unum: cum inopia commeatus omnique alimonia destitutus hostis, aut mortem inedia, aut deditione vitam appetiturus esset. Bene consulentium beneque monentium salubres hortatus contempsere juveniles animi: victoriæque properantis alacritate studioque commoti, toto in hostem impetu feruntur; hos cæteri omnes subsecuti, velut habenis excurrenti promissis equo medias in hostium acies provolant; magnoque pavore conturbatas feriunt atque percellunt. Barbari velut amentes atque conterriti simulare fugam: quam ut fide veri confirmatam testarentur, impedimenta reliquerunt. Illico credita res: captique dolis omnes; nullo ordine, nullis signis, incompositi dispalantesque persequuntur. Tunc *Hispani* atque *Germani*, quibus ex voto præmeditata successerant, eo usque posthabitis fugam impedimentis intendere, donec simulati metus illecebris pellectos hostes ad iniqua locorum *Crematiam*que paludem attraxere. Tunc subito conversi omnes, signoque dato suos in cuneos suasque phalanges constipati violenter irruere, consternatosque vertigine repentina *Venetos* milites adoriri cœperunt. Illi metu alieni, signisque longe relictis aberrantes & vagi, cum lubrica victoriæ nutantis ansa, tantæque spei domicilio laberentur, fusi fugatique omnes in diversa sese proripuerunt; multi fluminis rapidi vor-

vorticibus absumpti; capti alii, alii cæsi, plures in paludem devoluti sunt; nonnulli sentibus dumisque contecti, per inculta sylvarum & avia locorum delituere. Pauci Ductorum egregii, viribus ingenioque præstantes, quibus in prælio mori vita fuit, coactis de improviso, quos poterant in tanta confusione rerum, militibus, concitis in barbaros equis irruperunt: ingrassatique ferociter obvios & reluctantes mirum in modum impressere. Tum summa ope studioque sparsos ordines componere, reparare aciem, promovere gradum, adnixi sunt: sed ægre virtus omnis adversante fato splendescit; spectatissimique mortalium, obsistente fortuna, vix in ipso refulgentis lumine virtutis inclarescunt; egregiique labores eorum ipsomet nonnunquam labore nimio diluti prolabuntur & pereunt. Dabant in cassum operam valentissimi Ductores, adversoque Marte probatas ingenii corporisque sui vires inutiler exercebant. *Paulus Santangelus*, *Julius Manfronus*, Gubernator *Balionius*, multique præterea fortissimi magnoque ingenio Viri, cum bello strenuissime totisque viribus incubuissent, aut in ipso conflictu miserabiliter ceciderunt, aut miserabilius in nervum ierunt. *Andreas Lauretanus*, qui Legatum agebat, cum in manus hostium incidisset, oborta seditiosos inter milites de ejus captivitate rixa, transfixus interiit. Impedimenta tormentaque omnia dissipati profusique exercitus, dum pro sua quisque solicitus incolumitate laborat, victoribus barbaris lucro cessere. *Andreas Grittus*, *Livianus*que, collectis, quæ superfuerant ex tanta strage, militaribus reliquiis, *Tarvisium* atque *Patavium* contenderunt. Et quoniam incerta hostium consilia ferebantur, cum in hyberna profecturos alii, rursus alii *Patavium* oppugnaturos assererent, ne cladi clades accederet, ruinæque ruinis advolverentur, eas urbes de integro præmunire, novaque *Venetiis* auxilia contrahere, soliciti rerum Provisores omni celeritate studioque parabant. Igitur quanquam hac de re tristes mœstique Patres, tot invectis ex diverso malorum navibus, tantaque de improviso profligati exercitus calamitate, ut præteritis mederentur, futurisque gravioribus malis occurrerent, ex omni maritimo terrestrique ditionis suæ tractu, militem accersere, novum militiæ delectum habere; esculenta poculentaque ex omni propinquo remotioreque cellario, largioremque commeatum exercitui præparare; stipendiorum præterea sumptus infinitos conflato ære, mensisque numulariorum omnium excussis, adæquare; ubique locorum, ubique temporum, domi foris, die nocteque, publicis intendere semperque navare negotiis. Hostes interea *Veronæ*, post adeptam ex insperato victoriam, excisasque tanto bellico fragore res *Venetas*, elati suoque de more tumentes in quæstionem verterunt, num bello vacare, commeatumque militibus dare, an legionibus instauratis, expugnare obsidereque *Patavium* expediret: unaque *Tarvisium* armatis copiis impetere, admovereque victorem exercitum in re foret. Et quidem Episcopi *Gurgensis*, ac Proregis *Hispanici* mens erat, afflictam, necdum ab impressa clade restitutam rem de integro *Venetam* adfligere: ut undique plagis accisa, geminatisque confecta vulneribus irreparabiliter consternaretur. Tunc *Prosperum Columellam* juvisse rem *Venetam* consulendo ferunt: tantumque lingua profecisse, quantum manu prius offecisset. Hic siquidem & ingenio pollens, & bellica virtute clarus, tum & recens partis honoribus insignis, suam facile cæteros in sententiam deduxit. Suadebat enim accurate prudenterque bellici concursus pulverem excutiendum, abstergendumque la-

A boris exhausti sudorem, quem atrocissimo superiori certamine milites summa cum laude & gloria contraxissent: ne, si perpetua castrorum molestia fatigarentur, aut attenuati fractique deficerent, aut indignatione justa stomachati ab ipsa re gerenda suorum magna cum pernicie ductorum averterentur; adventante præsertim autumni pluvialis, hyemisque nimbosæ malitia, quam tempestate sua permolestam, continuis exercciti bellorum difficultatibus, & discrimine præliorum, ægrius milites perlaturi forent, quando tot præjacentibus aggerum molibus, fossarumque voraginibus interjacentium, expugnatio periculosa

B redderetur; ipsum vero perenniores moras obsidium, magno militum cum tædio fastidioque Ductorum, propugnantibus & semper in obsidentium jacturam erumpentibus oppidanis, in cassum extraheret. Itaque ut hyematum dimitterent, darentque militibus per municipia distribuendis commeatum, hortabatur: sic enim instauratis refectisque viribus, sub ipsam verni temporis opportuniorem horam in bella consurgerent. Æquis animis audita admissaque Ductoris eximii sententia: soluta concio, soluti milites, solutus labor; dataque *Veneto* consarciendæ, reparandæque rei suæ, ac urbium oppidorumque validius commu-

C niendorum mora diffusior & laxior. Sed non iccirco placida civem quies agrestemque fovebat; nec ipsum sub pellibus agentem otiosumque sub bruma militem complexabatur: quippe quotidie *Verona*, *Patavio*, *Vicentia*, *Tarvisio*, cæterisque circumjacentibus oppidis erumpentes, hinc *Hispani Germani*que, illinc *Veneti*, militaresque copiæ eorum assiduo populatu diuturnisque direptionibus omnia pervastabant. Ubique cædes, præda, captivitas, ubique fuga, terror, incendium; obvii nonnunquam ipsi turmatim invicem milites dum hostili more pervagati late fines peragrant, afflicti, cæsi, captique sunt. Et quanquam levi

D prælio tenuique manu committerentur, infensis tamen animis inexpiabilique odio confligentes, sui frequenter desiderium reliquere. Agrestes vero casis tuguriisque suis jugiter exagitati, neque cæli tepentis clementia, neque rigentis asperitate, requiem habebant; amissas opes, ruralesque copias eversis omnibus ablatas, urbici juxtaque rustici conquerebantur. Exacta præteritæ pacis otia, amœnamque sæculi melioris umbram, dum nunc bellico terrentur incendio, summis, sed in cassum, votis exoptabant: adeo carendo quisque potius quam fruendo, quæ commoda sua sint, melius æstimat atque perpendit. Hæc dum in *Venetia*, *Japidia*,

E totoque *Julii foro* turbulenter exagitantur, non minora *Cenomanos Insubres*que dispendia conflictabant: *Hispanis Hispanicarum*que partium asseclis *Cremam* obsidentibus; *Helvetiis* vero *Sabellianis*que, *Bergomates*, orasque convicinales cædibus ac latrociniis infestantibus. Inexpugnabile oppidum, si dici fas est, Cremam, *Laurentius Cerinas* castrorum Præfectus, tenebat: vir impendio sagax & impiger. Hic quanquam barbarico premeretur obsidio, *Hispanica*que circumvallatus custodia cingeretur, frequenti tamen eruptione, tempestivoque semper assultu, magnis hostem cladibus afficiebat. Nunc diluculo, mo-

F do vesperi, sæpius intempesta nocte, solutos, nihilque minus quam *Laurentium Cerinatem* timentes hostes, improvisus interturbabat: ingrassabaturque vehementer vir strenuus, dum ex desiderii naturalis otio cœnitantem, pransitantem, cubitantemque eum hostes existimant. Sed improbo Dux labore semper exercitus, curisque perpetuis acer & infractus, *Calcinio*, *Quinzanio*, *Pandino*, *Umbriano*, circumque sparsis & interjacentibus oppidis hostem incessebat, desequebatur, omni-

A omnique certaminis specie fatigabat: sæpe dum illi negligentius excubant, aut curando corpori licentius indulgent, infessi militis duritiem, prætrenuique Ductoris acrimoniam, magno damno suo sensere: horumque vim ac robur ferocientium, *Philippinus*, *Sylvius*, *Marcus Antonius*, nonnullique præterea Centuriones ac Primipili præpotentes ac validi dum fugantur, cæduntur, capiuntur, propriis ingentibusque suorum ordinum detrimentis experti sunt. Laborabatur penuria commeatus, correptaque populari morbo, tetraque lue Civitas intus illanguescebat, dum obsidente *Hispano* Veneti *Cremensibus* difficulter opitulantur: nec nisi magno cum discrimine deficientibus & exhaustis suppetias ferunt. Præterea milites stipendia deflagitare, ac si paulo tardius erogarentur, prætorio obstrepere, militiam detestari, signis inspuere, Ductoribus interminari non desinebant. Igitur procurante *Bartholomæo Contareno*, pro cujusque municipis censu lucroque omnes contaxati sunt: excussisque privatorum marsupiis, sub publicæ fidei cautela pecuniæ mutuo sumptæ: donec vel obsidii solutione, vel fœderis percussione quiescentibus armis, ærario *Veneto* refusa omnia suis syngraphis redderentur. Ipse ductor interea *Cerinas* populationibus ac rapipis quotidie victum quærere: parareque militaribus jejuniis escas & inediæ castrensi cibaria. Et quoniam tam internis quam externis deserta raptoribus omnia consquallebant, evagari latius ferentarios equites, excurrereque longius oportebat. Igitur ab oppido Cremensi, *Laudem* usque *Pompejam*, pernicissimo concita levis armatura cursu, perque latiores agros transgressa, prædam agendo penetrabat. Sed magno ambitu præcincta, magnisque circumvallata castra hostium aggeribus interjacebant, quæ ferro modis omnibus aggredi, plaudentemque nonnunquam sibi votisque suis obsequentem fortunam tentare statuit. Protinus ergo visoribus amandatis, qui castrorum hostilium munimenta diligentius explorarent, ac firmiora debilioraque valli latera scrutarentur, tum examinatissime diligentissimeque comperta omnia referrent, edoctus est, qua parte *Laudem* Hispanica castra respiciebant, ea leviori solidata compage, *Cerinatis* assultum facilius exceptura fore: quod & ipse congrua ratione metitus comprobabat. Quippe cum *Venetus* a fronte castris obvius objiceretur, obarmanda superciliorum promontoria fuerant: occipitiique posthabita segniore cura, sincipitio major impendenda fuit. Ergo ut imposturis imposturas attexeret, pervigilique *Cerinatis* diligentia, altius præsopita *Germanicæ* custodiæ negligentia plecteretur, adulta nocte, multoque solutis languore corporibus, quanta fieri poterat silentii tranquillitate oppido militem educit: obliquoque circumductum itinere, ac conferendæ opis specie properantem, a tergo posticis admovet. Decepti symbolo vigiles, cum & obliquo tramite viæ socialis eluderentur, ipseque *Laurentianus* miles lenocinio noctis amicum ementitus acclamaret & plauderet, appositissime concinnatos dolos, imprudentia sua sopitis & quiescentibus sociis adnexuerunt. Nec enim umbraculo noctis advelatas & sublatentes insidias præsensere, donec appetentibus valloque suggressis hostibus, trepidanter ad arma discursum est. Tunc erecti consternatique uno omnes impetu, unoque suborti metus stupore defixi, strepitare, minitari, fremitare: offensos hospitales Deos, læsam fidem, violata jura, vociferari, objectare, conqueri; nec minus tamen arma capere; proque valli castrorumque suorum tutela congredi, securiterque pugnare: *Cerinanæ* autem acies suis ordinibus signisque dispositæ, quibus ex voto cuncta quadrabant, assilire hostes, ingrassarique vehementer, ac suum illis stuporem ignaviamque vino somnoque gravatis exprobrare. Itaque provocati dictis invicem amarioribus ac injuriis lacessiti, omni genere telorum acerrime violentissimeque decertabant: & quanquam hinc inde demorientium, lætalibusque plagis cadentium acervi grandibus cumulis increscerent, majori tamen intus numero cæsi prostratique ruebant. *Venetos* adjuvabat animorum alacritas, perductæque feliciter ad exitum insidiæ, quibus prosperiora omnia suo animo futura ducebant: *Hispanum* vero quanquam alioquin acrem & cautum, improvisæ rei metus, sub adversa præsertim obscuræ
B noctis caligine, perturbabat. Igitur cum magno discrimine magnaque diu militum jactura utrinque acies sævissime conflixissent, inflammatus animo vehementer, præstrenuaque collecta manu, densissimum agmen *Venetus* irrumpit: aliique post alios examine longo castra tenentes lapsitantem *Sabellum* protrudunt, exculcant, fodiunt. Equitum alæ ferentariorum, cataphrattorumque cohortes, cum intra vallum hostes viderent, ac conflictatis omnibus, pæneque desperatis, victores esse futuros, castris excessere. Audito fremitu cum viriliter & acriter ferro dimicantes pedarii milites, abscedente equitatu, nullam opem nec subsidium expectarent, terga verterunt. Insisten-
C tes *Veneti* desecutique profugos urgente ferro vestigia sublegunt: palantes exagitant; mox indefensa castra diripiunt. Egregio facinore comparato, tamque præsigni parta ex hoste victoria, cum *Laurentius* alia moliretur, novamque in *Prosperum Columellam* expeditionem vel hoc vel simili stratagemate præstrueret, ut invehendi commeatus in oppidum summoto longius hoste liberiores aditus paterent, benigniore fato præventus est: & quiescente gladio victoriam permitem adeptus. Quippe *Sabelliana* clade, fugaque majore cum infamia, perceptis, sive quoniam diuturnæ
D Ducem obsidionis tæderet, sive quod pari filo pendentia castris fata suis imminerent, obsidium solvit: eaque castrorum molestia *Cerinas* nullo congressu pugnaque levatus est. Interea *Leo* Pontifex Maximus, omni diligentia studioque pacem procurare: Cæsarem hortari; *Venetum* ambire; & hos & illos Principes omni verborum lenimento demulcere suadereque, ut induciarum vel pacis vinculo meliore coirent. Sed his ægre nodis astringi poterant aversi & discordes animi, cum sua repetente *Veneto*, *Maximiliano* autem modis omnibus pernegante, distraherentur. Cum multa diu hac de re prolixioreque tractatu invi-
E cem prælocuti forent, diversisque res agitata sententiis fluctuaret, convenit, ut sequester *Leo* Ponfex Summus adiretur, ipseque disceptator inter partes assumptus, earum controversiam ex arbitrio suo dirimeret. Semotis autem testibus, subsignataque secretiore syngrapha, divinæ rei Magister seorsum pollicebatur, se nihil omnino judicaturum, nisi quod prius astipulantibus ipsis partibus collibuisset: dum tamen interim omnes bello discederent, reconditoque vagina gladio feriarentur. Id autem attentissime supraque omnium opinionem solicitus Pontifex agebat; ut divexatis retritisque diuturniore bello Principibus, pax tandem
F redderetur; ipse interim dissimulando causandoque protraheret: donec affecti tædio pressique molestiis diuturnioribus animi deflexissent; aut ex insperato Deus fortunaque melior rem transegisset. Igitur cum hac de re frequenter, atque iterum multa tractassent, ne pacis ineundæ legem expungere, detestarique fœdera viderentur, quorum ipsi præ cæteris appetentes erant, acclinavere *Veneti*, in eamque sententiam coivere, ut urbe *Verona* prorsus abstinerent. Sed horum avertit animos

mos importuna *Germanorum* efflagitatio, dum & *Vicentiam* repoſcunt, eamque ſibi vendicant: quorum improba petitione ſtomachati Principes *Veneti*, reſilire pacto conventâque reſcindere coacti ſunt. Tunc itaque quoniam pacis deſperata ſalus erat, ad inducias deflexere: quæ pacis obliquo nexu ſubligatæ, hunc in modum longo poſt tempore promulgatæ ſunt.

Pax inter Cæſarem Venetam*que Rempublicam edicto perpetuo declaratur: intra annum* Leone *Pontifice Maximo de litibus eorum ac controverſiis arbitrante.*

Interim Verona, Brixia, Bergomum *Cæſari; Patavium autem atque* Tarviſium *Veneto cedant;* Vicentia, Crema*que apud* Leonem *Romanum Protoſlaminem in ſequeſtrum depoſitis; tum cætera omnia, ut ea quiſque poſſidet, ita poſſideat.*

Ad deliberandum ratificandumque utrique partium menſis præſcribitur: ſi non aſſenſerint abrogata ſint omnia; ſi ratum habeant, proximum in menſem quindecim aureorum millia Cæſari Venetus *impendito; exactoque trimeſtri totidem ſuperexſolvito.*

Ea *Venetus* Orator *Petrus Landus* permoleſte tulit: quoniam his legibus plus æquo Reſpublica gravabatur; & inſinuatæ poſſeſſionis legitimæ ſpeciem Cæſari præferebant. Contra vero jure ſuo feciſſe ſatis ſibi Pontifex videbatur: quoniam eo facto nec enormiter Rempublicam lædebat; cum non aſſenſurum his legibus *Venetum* putaret; & interim Marte ſuſpenſo Cæſari gratificaretur, cum illi potiora collata forent. Quibus a Cæſare, dum meliora ſperat, diſpretis, redempturum eum diruptæ pacis invidiam, ſolumque ſiniſtræ famam opinionis ſubiturum arbitrabatur. Nec quidem eventu præcogitato res caruit: quippe dum *Venetus* interpellante nullo ceſſat, *Maximilianus* vero ratum non habet, dum ſibi præjudicium putat inferri, caſſa ſunt & interlita *Leonis* edicta. Atque ita circumacto præfixi temporis ſpatio, ſpe rei melioris potiundæ, Cæſar dilapſus eſt: *Gurgenſis*que Præſul, qui *Romæ* Germanicas partes obibat, dum nimis accurate, ne dicam negligenter, rem ſuam & Cæſaris agit, oblatis excluſus eſt; periratuſque vehementer, dum nimia ſapientiam ſapientia, nimiaque ſedulitate diligentiam eludere ſperat, *Roma* ſtomachatus exceſſit. Protinus ergo recrudeſcere bellum, exacerbatiſque Principum animis, ſævire acrius invicem milites infenſiuſque conſiſtere ferro cœperunt. *Maranium* eſt ad mare ſitum haud longe *Aquileja*, paluſtri loco, glebiſque cunctantibus uliginoſo: proinde obſeſſu expugnatuque cæteris longe difficilius. Barbari ſive dolo, ſive caſu, ne reſupinis & oſcitantibus oppidanis obvia ſibi periret occaſio, cum jam exarmatum diſcinctumque militaris zona municipium relaxaſſet, levique *Venetæ* manus præſidio teneretur, validis cohortibus invadentes, introgreſſique præcinxerunt: ablaqueatumque jugo *Venetorum* barbaricis præſepibus alligavere. Mox cum depaſcendis cuſtodibus, oppidaniſque militibus alendis, barbari commeatum eduliaque largiora in oppidum inferrent, *Muzanici* ſubagreſtis paguli plebecula *Venetum* antiqua poſſeſſione ſua detruſum moleſte ferens, interceſſit: avertitque fercularios equiſones, ac impedimenta ſarcinalia ipſis cum agaſonibus intercepit. Cujus facto prægravatus inſolens victor, ruſticam ſimplicitatem vilemque turbelam blandiloquio pellectam, ac barbaricæ fidei pignore ſeductam, decepit. Has quippe per inſidias cum ſuum in jus poteſtatemque redegiſſet, nec enim aliter evinci poterat nec ſubigi, ſingulos præciſo pollice mutilos, evulſiſque crudeliter oculis eluſcatos omni Jure violato Gentium atque Deorum, innoxios & inſontes affecit: atque

A ut infandi facinoris atrocitatem, ſuperaddito non leviore flagitio cumularet, illorum omnia viculi gurguſtiola, tuguriaque miſerorum, ne, quo reciperentur, haberentur, correptis flammis, igniquc tectis agreſtibus impoſito, repente concremavit. Evulgata funeſti dirique facinoris impietate, cum *Veneti* Senatus aures hoſtilis perfidia, agglutinata tanti criminis immanitate penetraviſſet, commoti ſunt omnes vehementer, & ad ſumendas pœnas, infligendumque ex piaculo ſupplicium accenſis animis exarſere. Sunt enim incitatiſſima, ſed & juſta, in deplectendis criminibus ulciſcendiſque injuriis ſupra quam credibile

B ſit, ſupraque omnium opinionem ingenia. Igitur extemplo terra marique copiis omnibus accerſitis, ac bellicis muralibuſque machinis, inſtrumentiſque omnibus apparatis, expugnationi, perdendiſque infidis hoſtibus accinguntur. Confeſtim magna mari claſſis advecta: buccinatoriæ, triremes, biremes, lembi, cymbæ, & id genus navigia omnia, viris, armis, tormentis inſtructa; tum magnæ terreſtreſque copiæ ſubitario undique congreſſu promotæ, circumſidenteſque trepidantem ac tanta conflati belli magnitudine perterritum hoſtem adfligebant. Etenim alieni delicti pœnam ſubituros, repenſuroſque tergo ſuo

C nefarii Ductoris crudelitatem non injuria præcluſi milites verebantur: & plerumque ita fit, ut aliena temeritate caſtigetur aliorum prudentia; alienique flagitii pœnas innocentia luat. Itaque quoniam non de amittendo dedendoque oppido, ſed redimendo ſanguine ſuo, deque carnificinis ac devitandis lanionibus agebatur, ſua omnes pro virili, ſummoque conatu municipium vallare, propugnaculis, aggeribus, foſſis percingere: militaribus tormentis, validioribuſque cuſtodiis emunire. Tum de proximo, omnique ſociorum convicinio ſubſidium implorare: majores copias accerſere, commeatum uberiorem congerere, ſa-

D tagere, factitareque omnia, quæ ruinam impendentem declinare ab oppido ejuſque defenſoribus avertere poſſent. Contra vero *Leonini* milites, eorumque Ductores atro felle perfuſi, quos & introverſi oppidi dolor, & afflictorum injuriæ ſociorum exacerbabant, prompta omnia habere: expedire arma, tormenta locare, terra marique infenſiores eſſe. Verum humida circumjacentiaque omnia, lubricis labentibuſque veſtigiis infida, molibus ſubruendis, disjiciendiſque mœnibus officiebant: itaque ſumma ope divertendis aquis, exſiccandiſque ſtagnis Lacuniſque, tum paviendo ſolidandoque ſolo, milites enixiſſime præluctari;

E euripos circumducere, incilibus attenuare, ſabulum adgerere. Mox cum defixa firmataque peſulis ac pedamentis omnibus tormenta forent, quantum ſoli maligníoris iniquitas admiſiſſet, incredibili tonitru ſonoque, ac magno terræ cælique plangore degravata congemuerunt: alliſaque mœnibus ſummos murorum apices minaſque dejecere. Tum alio alioque pulſu ſilicinarum grando pilularum multiplicata, refractis murorum obicibus, latas prætentantibus aditum ingenteſque feneſtras dabat. Illico contractis utrinque cornibus, unumque in cuneum aſperatis, ancipiti ferro diſtrictiſque mucronibus atrocior & fœ-

F dior pugna recruduit. Sæviebant ardentes animi, magniſque utrinque flammis accenſi crudelem in modum aſperrimeque dimicabant. *Venecticos* impetus valide firmiterque ſuſtentabant compacta reſtrictaque pectora barbarorum: quibus reliſa *Marcicorum* telorum acies reſultabat. Inſtare tamen ardenter & acriter *Leoninus* furor, in ipſamque ferri ſegetem denſiſſimam omnibus incentivis exagitatus ruebat. Sordidati magnoque ſudore diffluentes utrinque bellatores ferociter arma contu-

tu-

tulerant: consliterantque pugnæ fluctibus alternis æstuantes, æquo diu Marte, paribusque lineis phalanges statariæ, cum appetentis præsidii voces elatæ, sive quia jam præsto forent, sive quia propediem affuturæ putarentur, molestiore nuntio depræliantem *Venetum* conterruerunt; oppidanos vero tanta prorsus affecere lætitia, ut collectis animis, totaque cohorte confestim advocata turbulenter erumperent, majoreque impetu quam unquam antea *Venetum* ingrassarentur. Omnis extemplo debilitata manus, emasculatique viriles animi, languore multo refrixere: versique in fugam omnes instantibus a tergo barbaris, ne requiem haberent, *Utinum* usque magno metu profugerunt. Diversa *Maranii* regione, quæ maritimis obnoxia fluctibus, advecta classe, multisque circumsessa militibus oppugnabatur, fortuna melior belloque secundiore prosperior agebat. Quippe cum tormentis castrensibus omnique missilium genere perquassata, disjectaque ruinis ingentibus mœnia procidissent, excepissentque vasto dilaxatis foraminibus hostem hiatu, e vestigio alacres erectique fortunæ adridentis plausu pugnatores *Veneti* magno agmine confluxere: rejectosque barbaros tanta vi tantaque præferventium animorum strenuitate perculerunt, ut jam oppidum ingressi victoriæ spem magnam attollerent, sanctioreque omnium judicio potiti rerum fuissent, si subsidio miles, ut par erat, instauratus, properantia fata compulisset. Sed hinc auxilio destitutus oppugnator, illinc adventitia propugnator ope restitutus, inhærentem conclusamque *Venetorum* manu victoriam excusserunt. Uno quippe impetu conglobati municipes, cum jam subsidiariæ legiones adventassent, in *Venetum* proruere: tantoque prosilientes invecti sunt ardore, ut quanquam multo Marte, magnisque invicem præliis conflictati detritique fuissent, post tamen intercepta *Venetis* tormenta, fugatam classem, absumptosque magna clade paludum fluminumque vorticibus hostes, oppidani victores evaserint. Insperata tunc itaque *Germani* milites præsignique victoria potiti, cum eorum supra spem, opinionemque omnium, suis indulgentior fortuna votis aspiravisset, elati animo dulcioreque felicitatis musto temulenti, gradum promovere: *Monfalconium*que petentes infestis animis cum omnia cessura sibi, nulloque obice retardatura properantes existimarent, eo temeritatis & arrogantiæ processerunt, ut nisi deditione cives expugnationem præverterent, repentinum illis excidium interminarentur. Quocirca municipes multa causari, excusareque spatium honestioris moræ: quam cum non impetrassent, illico terrificos ululantium luporum fremitus, excepere; circumcinctique famelico rabidarum examine ferarum oppressi sunt; discerptique crudeliter, ac miserabilem in modum dilaniati. Tunc rapinis, cædibus, incendiis, divastata circumquaque, dissipataque sunt omnia. Intumuerant ventosæ nationis insolentes spiritus, cum nihil desideriis eorum officeret: excisaque manu sua cuncta paterent. Itaque cum auctis tam suo quam superaddito peditum equitumque subsidio copiis, justum *Germanicæ* phalanges exercitum supplevissent, *Vicentiam* commigrantes, exinde *Forum Julii* una clade, iisdemque bellorum facibus subruendo contorrendoque omnia protinus irrupere. Quæ cum *Veneti* Ductores animadverterent, scirentque copias eorum amplioribus perexigua tenuique manu sua resisti non posse, collectis militibus, & his præsertim, quos *Maranio* Germanus *Utinum* compulerat, *Liquentiam* trajecerunt: munitisque præsentiore auxilio municipiis omnibus, tutelæ defensionique sociorum oppidanorumque suorum accuratissime solicitissimeque providebant. Hostes interea *Cadubrium*, *Feltrum*, circumque omnia late oppida oppugnare

A evertereque stirpitus magnis collabentium ruinis cœperunt: cumque parvo tempore repulsis hostibus, magnaque sub incussa formidine prostratis *Feltrum* subegissent, prædabundi dispalantesque contemptim ibant; tum longe signis abstracti, pervadentesque diversa per omnia vagabantur. Itaque tunc *Venetus* occasione sumpta, cum ad *Bassianum* coactum agmen suum impegisset, hostem vagum & oberrantem adortus, indisciplinatæ libertatis suæ, suique petulci commeatus admonuit: quippe non parva clade coërcitum, castigatumque censura gladii severioris, dum pauciores pluribus opprimuntur, deplexuit; exinde castra reverti, suasque stationes repetere, diversarique

B suis cum frequentioribus sociis coacti sunt. Sed hac cæde truculentior hostis concitatus, accensusque majore rebullientium irarum incendio post exusta flammis omnia protinus *Osopium* deflexit. Excelso præruptoque monte situm, ac omni militia bellicisque munitum instrumentis erat: cui cum propius appropinquassent hostiles turmæ, *Germanorum*que phalanges invisæ municipium obsepsissent, confestim tormenta machinasque murales opportunis locis disposuere. Tunc arcem primum oppugnare, grandibusque pilarum intortis ponderibus, disjicere, confringereque cœpe-

C runt. Cum assiduis ictibus retrita muri pars magna jacuisset, ingentique fauces hiatu patefactæ, prorumpentibus aditum cuneis armatorum dedissent, *Germani* per rudera, perque maceriem ægre suggressi, frameis tormentulisque suis protinus affuere. *Osopini*, contra, paribus telis congruoque pectorum robore fortissimorum oppositi circumstiterunt, contulereque pedem, reciprocoque telorum ictu consertas invicem manus suas permiscuere. Post excussam hinc inde fistulis æneis ferream grandinem, cædemque passim, igni ferroque per militum ora decertantium circum-

D volante, patratam, propius omnes congressi sunt. Pugna quidem atrox & cruenta fuit, omnique sævitatis specie truculenta; sed & virium parilitate & animorum immanitate crudelis. Salebrosi ac subnutantis inconstantia pavimenti, tum & fragmenta murorum crustis rudioribus asperata, vacillantium lubrica *Germanorum* vestigia deludebant: sed prænitentem suaque mole defixum præliatorem retentabat genuina ferocitas, ipsaque sinu fortuna laxiore, toto bellico decursu complexata victorem sistebat. Sed & vicinæ mortis instantia, patriique soli charitas insuperabilis, tum nativa propinqui sanguinis tenaxque dulcedo totis municipem viribus armatum in bella provoca-

E cabat: confirmabatque dimicandi studio præfurentem oppidanum. Itaque stimulis acrioribus & hic & ille ferociter animatus in pugnam accendebatur. Sæpe propulsi disjectique municipes ingruente nimbo telorum loco cessere. Sæpe Martis ira mitescente revocati restitutique, rursus amissa recuperavere. Nutabat anceps & varia belli fortuna: reciprocoque fluctu confligentium exagitata fervebat. Nunc *Germanis* applaudere, nonnunquam & oppidanis arridere videbatur, cum susceptæ Princeps expeditionis, *Hieronymus* impiger & strenuus intercurrit; excitatisque omnibus jam multo labore fessis militibus, tum præsentia,

F hortatu, voceque Ductoris sui recreatis in pugnam concito gradu provectus est; tantaque vi subsequentium militum alacritate *Germanicam* duritiem impressit, ut oppido longe propelleret; obsessumque militem civemque, cum metu tum alimonia defectum, redivivo spiritu vegetaret, suaque confotum libertate complecteretur. In vesperam certamen protraxerant, hinc singularis & egregia pertinacissimi defensoris obstinatio, illinc contumacis elatique victoris odiosa intractabilisque su-

perbia: adeo quidem ut jam finis esse putaretur, cum redintegrato Marte sævius & asperius dimicandum fuit. Indignata siquidem rabies barbarica, quod frustra conspumasset, omnem vim subito contractam, viresque suas omnes distentis nervis productas, inopinato assultu, dextra lævaque, infra supraque violenter impegit. Actutum omnes erecti, revocatique in pugnam *Leonini* milites, circumfusique muris, ac suis e vestigio dispositi stationibus emicuere: ardentes, infracti, recentes, tanta benigni Martis præsumptione, certiorisque victoriæ prærogativa, ut quasi palmam tenerent congrederentur. Oppugnatores non absurde conjiciebant, oppidanos priore bello fatigatos, cum totam pæne diem depugnassent, parvo temporis spatio cessuros; & quoniam commutare custodias alternareque vigiles numero rariore non poterant obsessi milites, eos facile succubituros opinabantur. Itaque summa ope, summaque vi civem adorti, omni regione latereque montis arcisque perfusi, municipem telis infestis, sed infestioribus animis impetivere; tormentisque præsertim missilique Vulcano, quem sulphure piceque perlitum, tanta arte condiderant, ut geminatam duplicato vulnere mortem afferret: *Osopini* vero paratis omnibus lymphis adesse; aquiminario largiore purgari; suffragari invicem, sibique mutuis invicem præsidiis opitulari. Ductor militum acerrimus, omnibusque cæteris attentior & promptior, semper & ubique locorum, ibique præsertim adesse, ubi præ cæteris angustia rerumque difficultate laboraretur; socios commilitonesque suos omnes, quibus obvius obequitando fuisset, interpellare, hortari, animare; sæpe de improviso militem affectum reficere, cadentem erigere, pugnantem adjuvare. Jam diu decertando constiterant oppidani, multaque sævi Martis discrimina ferociter, ardenterque pertulerant, cum desperatione victus oppugnator, civica perurgente *Germanum* armatura, repulsus est & in castra fugatus. Extemplo victoris cælo clamor elatus, exultantiumque omnium hilares jucundique sonores, tanta civem voluptate juxtaque militem affecere, ut omnem bellici pulveris sudorem, omnesque castrensium ærumnarum angustias perlaturos, eximiaque virtute sua deinceps evicturos confiderent. Et mehercule in tanto belli præferventis æstuario, non minorem animi quam corporis vim inesse præliatoribus oportebat. Præterita siquidem exegisse cum laude, præsentia quoque cum gloria devicisse parvi ponderis pensique fuit, nisi & futuris superesse periculis propugnatores, parique corporum & animorum robore cæteris omnibus sufficere potuissent. Ea est quippe bellorum Martisque conditio, ut præterito præsentique discrimine superato, nisi futuros quoque casus perpetui vigoris igne succensa virtus excoquat, contemptui sit: præclareque facta, nisi præsentia quoque futuris illustrentur, suborta dedecoris caligine contenebrescant. Ergo cum ab hostibus non levi propulsis infamia, quietem otiumque sibi municipes usurpavissent, & ad curanda obsequio naturali corpora milites castris avocarentur, improviso iterum assultu lacessiti sunt, obstinacioreque barbarici furoris pertinacia provocati: nec maniplis quidem levibus, tenuique militia; sed toto agmine, totisque cohortibus admotis atrocissime violentissimeque competiti. At non oscitantes neque supini propugnatores, æquatis tot præteritis casibus, totque superatis fortunæ periculis expergefacti, actutum inclamare, prosilire, concurrere: arma, ignem, aquam, saxa, omneque missile telorum genus expedire, intorquere, profundere; tota vi, totoque suarum ardore virium incitari, confligere, depræliari;

A hos & illos acriter ferire, alios & alios turbulenter extrudere, reculcare, proterere. Hostes e regione pilas ignesque subnexo sulphuris picisque nutrimento jaculari spargereque; infra supraque montem, & his & illis antibus, alio atque alio latere circumfundi, pererrare, circumagi: ire redire, progredi regredi, assilire resilire; nihil inexpertum, nihil inausum, nihil his tantis periculis intentatum relinquere. Longo diuturnoque certamine debilitati omnes, crassoque retusis sanguine gladiis cruentati, cum majori strage barbaries in necem provoluta jaceret, majorique cadentium jactura militum oppugnatores quam propugnatores

B deplecterentur, inglorii, multoque cum dedecore *Germani* tandem abscedere coacti sunt. Tunc itaque de fœdere cœptum agi, ipsaque molliter, sed in cassum prætentata deditio. Felici quippe plurimoque successu recreati municipes, instauratique fortunæ pinguioris edulio pugnatores *Veneti*, majora capessere, deditionis fœderumque lege contempta præsumpserunt. Nam cum sese extra muros efferre non auderent, quod rariore numero corona militaris interluceret, in suppositas humilesque paguli subjacentis casas, sparsaque copiarum hostilium tabernacula, ignem subitario volucrem insufflatu jaculati sunt;

C aridisque tuguriorum culmis ardentes rapidasque faces intorsere. Illico pernicissima proflantis venti celeritate, cum in incendium cuncta raperentur, indociles summaque tectorum lambitantes flammæ, tanto rogo tantaque militum clade conflagraverunt, ut de relinquendo oppido consilium obsessores inierint: sed obsidionis sententia velut tutior, remediique celerioris ad excidium, certioremque municipum internecionem, prævaluit. Tunc itaque difficultate rerum inter obsessos cives militesque, commeatus inopia laborantes, disceptatum est: cum ardentissima præsertim siti perarerent omnia, magnoque pugnatorum dis-

D pendio generosi & præstantes equi demorerentur. Discrepabant invicem Proceres, variæque deditionis inter plebem militemque sententiæ fluctuabant: cum alii cedendum esse censerent, alii rursus majore dissidio, majoribusque suffragiorum calculis sustentandum & evincendum esse contenderent. Horum igitur intempestivos altercantium tumultus peropportunæ *Veneti* Senatus ad cives conscriptæ in hanc fere sententiam literæ sedaverunt:

Magna fidei, vestræque virtutis exempla, proximis diebus, Osopini, *nobis præluxere: quibus abunde vestra Respublica quanta Principi Senatuique*

E Veneto *benevolentia ac pietate prorsus astringatur, quantoque animi robore prædita castrensis bellicæque tempestatis procellas tulerit ac perferat, illustri documento magnificentissime declaravit. Ea plane nobis omnia grata sunt & jucunda: sed longe quidem gratiora jucundioraque futura sunt, si peroptati exitus bellorum vestrique certaminis supremi conatus, his, quæ feliciter & auspicato cœpistis, exæquati fuerint; si pari animorum tenore, parique virtutis constantia non dissimilis principio finis, eademque facinorum claritate perspicuus, respondeat. At hoc grande, arduum, difficile; sed & magna sunt præmia. Princeps Senatusque* Venetus, *his ingratus ædepol nun-*

F *quam futurus, qui suæ sanctioris Reipublicæ sacrosanctamque augustioris Imperii majestatem promeruerint. Quanta vos omnes, quæso, in tanta difficultate discrimineque rerum laborantes & invictos, benevolentia complectetur? Quibus officiis singulos cives, quibus prærogativis universam Rempublicam affecturus est & prosecuturus? si modo vos eos hac in re præstetis, ut conferendorum in vos beneficiorum occasione non fraudetur. Etenim quibus vos poterit vestramque Rempublicam meritis provexisse, si quibus*

bus conferat non habebit? inanis eſt gratæ mentis futura benignitas, quam qui ſuſcepturi fuerant, dum moriuntur, extinxerint. Elaborandum eſt igitur ſumma ope totaque pro virili vobis enitendum, ne tanta ſuſcepti felicitate labores irriti fluxique labantur; ut ærumnis curiſque veſtris condigna manus noſtræ præmia quam cumulatiſſime proferant: ut nos gratos horumque non oblitos officiorum vos liberique veſtri ſempiterna memoria recolatis. Quod ſi tanta forſitan ditioris fortunæ veſtræ largitas eſt & opulentia, ac felicitatis humanæ divitiarumque contemptus, ut ea prorſus refutetis & aſpernamini, quæ vobis virtutis jure debentur, eaque manu quadam conſtantiæ repudietis, quæ ſuperatis diligentia ſtudioque veſtro tot difficultatibus Herculeiſque laboribus, ſudores veſtri promeruerunt: at patriam, liberos, parentes, fortunaſque veſtras omnes, quæ ſub incerta Martis alea jactantur, reſpicite. Ea omnia nitido labilique pavimento, gloriæ veſtræ, veſtræque laudis invida belli fortuna repoſuit. Circumſtant avariſſimi prædones, harpiæque rapaces circumvolant; ingraſſantur archipyratæ; Spartaci *ſævique latrones invadunt. Veſtram ſolitam præſtate virtutem: non nobis, qui veſtræ magnanimitatis ſpectatores propenſiſſimique fautores ſumus, ſed vobis, liberiſque veſtris, quorum res agitur, quorum periculo luditur, quorumque de filo omnia pendent, exhibete. Neque vero barbaricæ vos fidei dedendos, aut illorum ſacramento religionique concredendos vos eſſe putetis: illa quidem inter domeſticos rara eſt; inter peregrinos vero rarior; at inter hoſtes rariſſima. Vidiſtis* Maranianæ *perfidiæ ac plus quam* Punicæ *deteſtabilis, infandum & execrabile proximis diebus exemplum; ne vos iiſdem laqueis, quibus illos inſontes & credulos ſtrangulaverunt, præpediant, cavete. Semper exoticæ gentis nequitia, contexendo ſceleri pronior habiliorque, vitio magis quam virtuti prænititur; poeticumque illud perlibenter uſurpat:* Dolus an virtus quis in hoſte requirat? *Senatus certe* Venetus *eximia fidei veſtræque præſignis conſtantiæ laudator eximius & prædicator, cum præclara virtutis animorumque veſtrorum facinora, congiariis, ſi non paribus, at plane debitis, commendaverit, parem gratiam vobis veſtræque Reipublicæ, quocunque dabunt ſe tempore vires, omnino relaturus eſt: egregiamque ſemper ac ſingularem tanto diffuſi nominis veſtri candore laudem, partamque manu veſtra, tam ſublimi devictæ gentis indomitæ triumpho, gloriam, æternis præconiis, inextinctæque celebritatis fama promulgaturus. Vos illud tantum efficite, ut excitatum decoris veſtri veſtræque virtutis ſplendorem, ingenitus vigor, nativæque faces, perpetua ſuarum claritate flammarum illuſtrent.*

Allatis atque perlectis *Oſopinatum* conſenſu publico literis, quas *Veneti* ſtili temperatura ceris ſuis exaraverat, confeſtim exundante lætitia, fluctuque reſtagnante gaudiorum, reaccenſi omnes, tantoque ardore vehementer inflammati ſunt, ut deditionis legem, fœderumque ſagmina deſpicerent, tolerarentque difficilem obſidionis preſſuram, ac oppugnari iterum atque iterum non gravarentur. Aquarum penuria ſitientes equos adeo contorrebat, ut cum fontanus humor & pluvius exſiccatas fibras, deſtitutaque genitali madido viſcera defereret, vinum, ſicut *Andreas Mocenicus* ſcribit, arentibus equis milites propinarent. Hoſtis interea cum motam ſiniſtris avibus ineundi fœderis mentionem præſentiſceret, oppido rurſus agmen infenſiſſimum admovet: & quoniam ſuperno debilitata militaris virtus oppugnatu delanguerat, eam inferno clandeſtinoque ſeceſſu prætentare molitur. Igitur immani ſaxo prægrandique, foſſoribus aſſiduis excavato, cuniculos calleſque ſecretos in ſuperiora perducit: ſed præ-

A rigentis & infeſtæ rupis aſperitas, impacta ferri acie vix exſcalpenda, violenter impreſſos ictus excludebat; acuminatique ſtilum cæli retundebant impenetrabili malitia multo ævo cautes obduratæ. Proinde cum irrito conatu multus diu ſudor effluxiſſet, lapidicinæque multis agitatæ malleolis, retuſo fruſtra diu ſaxo concrepuiſſent, alio deflexerunt improba delendi municipii barbarorum deſideria. Advocatis itaque majoribus præliatorum turmis, ac omni fuſorum agmine concitato, quanto poſſunt impetu rabieque furentes oppidum hoſtes invadunt. Turris erat, multo fornice concamerata: convexæque teſtudinis umbone cælo altius educta, ſtabat. In eam ſe-
B ſe milites receptabant: quoniam indiſcriminato belli paciſque tempore ſemper uſui fuit: & ut inde ſpecularentur, & ut in hoſtem acrius inde miſſilia contorquerent. Hanc incuſſis exſcindere ſolo tormentis, ſubruereque radicitus hoſtici jaculatores prænitebantur. Itaque dilaxato ſaxatili nimbo, cum undique ſilicis ferrique tempeſtas crudiori grandine pertuſa complueret, turrim tot imparem ictibus ſufferendis evertit. Illa immenſo fragore procidens, ſua propugnaculum ruina præſtruxit: ſubitarioſque aggeres, magna ruderum cæmentorumque congerie ſuorum excitavit.
C Extemplo milites utrinque perniciſſimi concurrere, tormentis, ignibus, omnibuſque telis obarmati: ſeſeque invicem atrociſſimo conflictu pugnaque terribili, *Venetæ* Barbaræque acies impreſſerunt. Nunquam ſubigendis civibus delendoque oppido *Germani* propius acceſſere, nec *Oſopini* defendendo longius abſceſſerunt. In ipſo mors limine vitaque pendebat. Ergo pertinaciſſimis animis totiſque viribus utrinque decertatur: igni, ferro, omnique miſſilium genere barbari municipem loco ſummovebant; ille contra defenſaculis, propugnaculiſque omnibus ardenter inſiſtere, audacter colluctari, fortiter pugnare. Dabant ani-
D mos præteritarum inſignia victoriarum: conſcriptaque recens ab Senatu *Veneto* literæ civium militumque mentes in pugnam vehementius accendebant: ubique præterea *Hieronymus* Ductor erat, & hos hortando, & illos adurgendo, hoſtemque terrendo, miris omnibus modis ſuccurrebat: ferire, minitari, percellere; veſculos graciloſque ſummovere, robuſtos prævalenteſque ſufficere; aliis alios, ut in re fuerat, ſubſtituere. Cum indomitas vires ſuas omnes, in idque diſcrimen coactas *Germani* deprompſiſſent, contraque ferociter & ſtrenue conſtitiſſent oppidani, nec propelli loco, ſtationeque ſua dejici, tot conjectis in
E ipſos telis potuiſſent, certaminis pugnæque tædio durioris affecti, tum vulneratorum ac necatorum jacturam ſociorum ſuorum pertæſi, tandem hoſtes ceſſere. Mox cum reſolutæ cælo nubes affatim aquas infudiſſent, exſuccaque jumentorum viſcera pluvius ubertim humor irrigaſſet, indeque etiam abnegante victoriam elemento deſperaviſſent, obſcurioris famæ, rerumque ſuarum detrimenta perpeſſi, moleſtiſſimum obſidium degeneres illaudatique ſolverunt. Tunc illico recreati milites, ipſoque ab interitu cives omnes reſtituti, promiſcuis gaudiis tripudiiſque ſoliſtimis lætari, exultare, gloriari; hilarem jucundamque ludicris jociſque
F omnibus vitam agere; præteritarum moleſtiarum oblivisci; futuraque omnia proſperiora conjicere. *Hieronymus* partæ laudis oſtentator, glorioſus, cum *Venetias* appuliſſet, hilariter exceptus eſt; appellatuſque perbenigne; tum donativis ingentibus ac prærogativis ampliſſime cumulatus: ut cognoſcerent omnes, ſi quis Senatum *Venetam*que Rempublicam promeruiſſet, hunc æqua virtuti ſuæ præmia percepturum eſſe.

Hæc dum *Hieronymo* ductante feliciter, Diiſque

que faventibus ad *Osopium* aguntur, Principi Senatuique *Veneto* placuit, *Forum Julii* recipere: devastatamque *Germanica* lue provinciam, ac infandis tot cladibus affectam recuperare. Ergo quoniam celebre famigeratumque *Liviani* nomen ubique percrebuerat, in eoque reposita salus & præsidia sociorum erant, velitibus, cataphrattis, peditibus adscitis in eam expeditionem ire jubent: cui ad *Navonis* portum occursu primo *Ricianus* militum Præfectus hostilium, validis cum copiis obvius fuit. Utrinque magno impetu collatis signis concursum est: manuque conserta sævissime dimicatum. Arctiore pressura rejectati primo levites *Leonini* cessere; nec *Germanicam* vim perlaturi esse videbantur: donec *Liviani* Ducis imperio suffectæ cataphrattorum cohortes validioribus munimentis intercesserunt. Tum æquo diu Marte depugnatum est; incertæque sortis fluxu refluxuque bellica navis jactata pependit; sustentataque fortiter utrinque colludentis fortunæ vicissitudo. Solertes impigrique Ductores *Livianus Ricianus*que, solicitis hinc & illinc animis cuncta peragrabant; suoque pro exercitu suisque pro copiis uterque paribus victoriæ stimulis inflammatus accendebatur. Dum concursant, obeunt, factitant, *Ricianus* in ora telo penetrante saucius plectitur: circumseptusque repente magno pugnatorum globo capitur. Illico tumultus, fuga, trepidatio: conturbatique circum omnes mox fusi fugatique cesserunt. Cumque sese in oppidum ex fuga receptassent, insequente *Veneto*, vibratumque cervicibus gladium incutiente, cuncta rapinis, cædibus, flammisque dedere. Profugitantium metus repentinosque terrores, *Christophorus* ex barbaris ductoribus insignis, excepit: nec quidem demorandum ratus, eductis copiis, adactisque sarcinalibus jumentis sese in abdita montium secretasque latibulas concito cursu proripuit. Insecuti victores hac & illac vagos & dispalantes exagitant: alii vinculis præpediti, plures injectis telis præventi, nonnulli celeriore fuga præcipites, relictis impedimentis in ulteriora *Germaniæ* profecti sunt. Quibus brevi fortuna peractis, Livianus *Goritiam*, ne quid non ageretur, oppugnare constituit. Quam cum obsidio præcinxisset, eamque omni munimine tormentorum, aggerum, militumque numero præditam intueretur, nec nisi magna cum jactura militum suorum obsideri oppugnarique posse prospiceret, alio vertit. Indeque *Tarvisium* atque *Patavium* suis integris cum legionibus, incolumique cum exercitu profectus est: non inutilem *Venetæ* Reipublicæ operam navasse ratus, quod fuso fugatoque longius hoste, ac *Foro Julii* manu sua recepto, omnem fere provinciam juri suo reddidisset. Illo igitur abscedente, circumque diversos fines peragrante, ecce velut diversa regione cæli consurgente procella, restridentibusque majori turbine nimbis, *Germani* protinus hostes irrumpunt: celeberrimisque omnium oppidis *Monfalconio*, *Cromonio*que captis, sive casu, sive negligentis militis incuria, quo properante fato amiserant, eodem etiam festinante recuperaverunt. Mira sane tam repentina tamque horum improvisa municipiorum deditio fuit: siquidem cum ferentarii equites peditumque numeri præter eos, qui secundum amnem *Liquentiam* castra posuerant, supra mille subsidio provinciæ starent, quadraginta tamen equites peditesque ducenti, perexigua quidem & angusta manus, totam fere provinciam, hinc primum dilabente malo, hisque procidente ruina municipiis, constraverunt. Etenim his captis duobus oppidis, sive hoc ex fide veri descenderet, sive, majora, conturbatis præsertim animis, præferente fama, jactaretur, innu-

A meras *Germanorum* phalanges adventare nuntiatum est: tanto omnium terrore, ut majore tunc metu trepidaretur, quam cum in ipso provinciæ umbilico, penitissimisque regionum visceribus hostes soluti licentius agerent. Itaque de integro magni, ingentesque bellorum apparatus, majoresque in diem aucti rumores, novas copias novaque præsidia desiderabant. Tunc itaque finibus universis, omnique provincia *Venetæ* ditionis habiti militum delectus; equitum peditumque novæ cohortes conscriptæ sunt; utensilia, commeatus, opportunaque ad exercitum omnia suggerente *Veneto* largiter invecta. Mox quoniam suis
B Ducibus, ordinibusque suis, jam justo consistente exercitu, res novas aggredi castrorum Principes posse videbantur, in *Maranianam* expeditionem itum est: dumque eo loci instructæ acies diriguntur, ex itinere hostes invicem obvii commisso duriore prælio conflixere. *Hieronymus* pristinæ laudis suæ, perpetratique nuper egregii facinoris non immemor, ut specimen virtutis suæ cæteris omnibus spectandum exhiberet, admisso violenter equo medium intrepidus agmen intercurrit. Hunc subsecuti ordines cæteri, vehementiore pressura, confertissimam hostium aciem, velut adactis in intima cuneis ferocissime proscin-
C dunt. Tum pugnando, feriendo, percellendoque, cum hostiles impetum turmæ non sustinerent, referre pedem coactæ sunt: *Hieronymiana*que constantius adurgente ferocia, propulsatæ fugatæque longius sese confestim in oppidum receperunt. Tunc quoniam hoc feliciore tyrocinio *Hieronymus* pugnam auspicatus erat, ut prosequeretur, dextroque rem Marte perficeret, *Veneti* Senatus imperia mandaverunt. Ille ergo quæstuarios omnes agricolas, omnemque vastatitiam manum, excavandis surrigendisque sensim aggeribus, edicto severiore cogit: cumque sabulosam ingenti diuturnioreque opera molem oppido paulatim
D suggrediens admovisset, tormenta, machinasque murales immensas prolocat; omnemque suam circum militiam disponit. Tum innumero pilarum jactu die nocteque municipium municipiique defensorem flagellat: quantoque potest imbre telorum summovet, ingravat, disjicit. Propugnatores acriter ubique consistere, viriliter obluctari, fathiscentia committere, lapsantia firmare: mox cum semper & ubique vigilantibus & attentis sese melior inter agendum obtulisset occasio, conticinio noctis eruptione facta, aggeres septaque *Hieronymianis* consolidata trabibus & pedamentis agminatim invadunt ac superant. Improviso as-
E sultu conterriti milites *Veneti* arma conclamant; tela capiunt; hosti obviam properant: nullo otio, nulla mora, impigri omnes provolare, digladiari, consistere. Prælium atrox, pugnamque difficilem faciebat barbarorum præceps indignatio: ipsiusque noctis intempestæ caligo peropaca. Vix siquidem socius ab hoste discerni, vixque decertantium ictus inferri declinarique eo tenebrarum sub obscuro poterant. Itaque singulas per mansiones singulosque per gradus efferata dimicantium agmina præliabantur: Andabatarumque more plagis utrinque personantibus ac magna pugnatorum cum pernicie cruentis confligebant.
F Distringebat exculcabatque *Venetum* infensissime truculenta barbaries, pæneque superior adversa *Germanorum* cohors lassitantem *Marcicum* agmen extruserat: cum percitæ mentis correptus furore *Hieronymus*, acrioribusque subditis gloriæ stimulis exagitatus intervenit; tantaque invicti animi sublimitate strenuitateque corporis multa per prælia condurati, hortando, terrendo, pugnando, socios inter & hostes versatus est, ut inclinatam aciem fereque consternatam erexerit ac restituerit.

Eo temporis articulo mentis animique faces tanto Martis indomiti concussæ studio reluxerunt, ut cum debilitata retusaque dimicantis unius viri furore, vim acies adversa non sustineret, terga verterit: relictisque *Venetorum* munimentis, quæ sua jam manu tenebant, in oppidum præcipites attonitique omnes profugerint. Nec tamen interea *Venetis Germanis*que ulla quies erat, aliis atque aliis in dies adventantibus copiis, auxiliaque sibi, mutuasque suppetias invicem afferentibus. Præferoces *Veneti* Ductores, eorumque prævalidi pugnatores, in hostem continenter agi, lacessere, ingrassari: e diverso, ille *Venetum*, ubi consisteret, quaque diverteret, exagitare, insequi, perdere. Mox, qua dispalantes errabundique omnes pervaderent, quaque restricti, justoque agmine compositi progrederentur, rapinæ, cædes, & fletus erant; squallida desolataque omnia terroribus ac lachrymis funestabantur. Ubique locorum gemitus, ubique regionum pavores, ubique temporum ejulatus sæva per tormenta cruciatorum expressi, cuncta miserabiliter atque crudeliter incestabant. Dum inconsulto temereque *Venetum* vaga *Germanorum* agmina persequuntur, sesèque in *Jo. Victorii* cohortem improspecte negligenterque præcipitant, intercepti sunt, levique prælio defracti Ducem amisere: siquidem *Christophorus*, qui barbaricos ordines ducebat, insigni vir perfidia non ignotus, cum parum caute sibi militibusque suis prospexisset, circumcinctus, captus, magnaque exultantium alacritate omnium *Venetias* perductus est. Interea tamen *Maraniana* oppugnatio terra marique fervere; continuis tormentorum missiliumque telis implecti; nullam requiem, nullum otium, oppidano *Hieronymus* dare. Jam propugnaculum assiduo funditorum jactu perquassatum conciderat; patebantque aditus in municipium quanquam perdifficiles & angusti. Ergo cum pedarias *Hieronymus* turmas impegisset, impetuque facto præmissa cohors in ulteriora proveheretur, dum subsidium expectat, in ipsaque pæne capti oppidi possessione cohæret, defraudata est: & diffidentibus invicem militiæ Præfectis, dum procedere sperat, occulto simultatis & invidiæ seminario, retrocedere cogitur; quodque prius ardenter & gnaviter acquisiverat, id algenter & frigide protinus amisit. Quippe cum loco rejectata foret, paulo post accersitis *Germanorum* auxiliaribus copiis, cum jam fere paribus æquisque viribus constitissent, eruptione facta conglobatim in *Venetum* prosiluerunt: tantaque secundi Martis alea usi sunt, ut fusos illico fugatosque omnes *Venetos* in diversa propulerint. Alii alio commigravere; magna pars *Utinum*, nonnulli propinquas urbes perrexere: rati satis esse, si eas ab imminenti hostium periculo civitates defensare potuissent. Expulsis igitur *Maranio* longeque fugatis militibus Leoninis, *Germani* obsidionis metu soluti, licentius interim agere: longe lateque prædari; nihil in victos sceleris intentati relinquere; obscena fœdaque omnia, indiscriminato sexus & ætatis usu, crudeliter & impure propollutis omnibus exsequi. Tunc Principes *Veneti* conservandæ Reipublicæ studiosissimi, sua rem communem pro diligentia solertiaque juvare; ubique sociis, ubique provincialibus suis cavere; hostes insequi; vagosque dispositis ubique cassibus intercludere: sed dum parum sedulo per exploratores, perque castrorum hostilium conscios de viribus eorum, deque omni militia disquiritur, & nuntiatur, *Joannes Victorius*, qui Legatum foris agebat, in hostem improvide dilapsus est. Etenim dum parva superaturum manu *Germanum* adventantem infida speculatorum relatione sperat, magna ex parte

A velitatu peditatuque dimisso, fusis primo cæsisque copiis suis, oppressus est: & hostilibus vinculis irretitus. Quo capto reliqui mox omnes, qui *Utinum* confugiebant, profligati captique, non levem exercitui *Veneto* jacturam attulerunt. Victorio *Petrus Marcellus* suffectus est: Duceque cum *Vulpensi* castra *Veneta Forum*que *Julii* procuravit; suaque quantum industria, bellicisque suis artibus poterat, ab incursione prædaque, vicos, oppida, pagosque tutabatur. *Prædomanum*, *Latisanium*, omneisque circa tractus finitimos, infestissima quotidie prædatorum agmina pererrabant; lateque per omnes oras hac & illac indiscretis excur-

B sionibus pervagata, rapinis plus quam hostilibus populabantur; universumque *Forum Julii*, coactis agminibus, totisque condensatis viribus circumcursabant: facturaque propius impetum videbantur, nisi dispositæ passim *Venetorum* custodiæ coërcuissent; quin & Aries debellatura fuerant, ingruebantque violentissimi penetrantibus jam cuneis ingrassatores. Sed oppositi *Venetorum* manipli, dum obnixius reluctantur, hostilemque pressuram validius elidunt, proscidere acies, in diversaque dispalantes protinus adegere. Quæ dum magnis ubique cladibus omnium peraguntur, tantoque bellorum æstu terræ mariaque confervent,

C *Hispani*, qui *Coloniam*, *Atteste*, *Montignanam*, æstivorum hybernorumque perpetuo incolatu detriverant, egressi sunt, ut exinde *Germanicis* adjuncti copiis ruinas ingentes, nec sine luctu spectandas conduplicarent. Et jam celebris magnique nominis Ductor Hispanus *Alarcon*, ex Montignana *Bibaquiam*, mox *Vicentiam*, dehinc *Forum Julii* trajecturus perrexerat: permixtæque acies barbarorum, quantis poterant dispendiis quantoque populatu, infra supraque, dextrorsum atque lævorsum, omnique latissimo *Venetæ* ditionis ambitu cuncta pervastabant. Quæ cum militaris Præfectura cognovisset, armaturæque ca-

D strensis *Venetæ* Magistri præsentirent, legionibus illico præmissis, præcinctisque *Vicentia*, *Marosticaque*, præsidio quamprimum opportuniore disposito, saltus omnes occupant: interceptoque properantem hostem tramite discludunt. Quod *Hispani* cum præsensissent majores copias expectandas rati, Proregem ipsorum Ductorem præstolantur. Qui cum validiore propinquasset exercitu, sesèque præventum hostili pernicitate cognosceret, *Vicentiæ* subsedit: consultabundus ac solicite disquirens, quæ promptior & melior occupanda foret ad perdendum hostem occasio; multisque consultantium more sententias in diversa trahentibus, eorum animo sedit, inter *Bellumnum*

E Montem atque *Tarvisium* ad *Palvinas* ripas subsistere. Quod cum ex sententia parum cederet, legionibus dispartitis, *Montignanam* regressi sunt. *Livianus* ergo tam *Venetæ* rei defendendæ, quam hostilis exercitus evertendi solicitus, *Montignanam* inter *Attesteque* diversantes *Hispanos*, prolaxato largiore fluctu demergere, restagnantibusque circum undis obruere tentabat: sed quoniam id opus magnitudine sua, multoque labore quæstuario dispatuit, nec celari poterant, ad rei consummationem opusque perficiendum dispositi circum apparatus, cum id hostes resciviissent, supersedit.

F Illi igitur, quibus excidium impendebat, signis repente sublatis, castra movent: meretricioque omni præmisso examine, suis cum muliebribus mundis, equisonibus, impedimentisque omnibus, *Veronam* contendunt; ad *Vicentiæque* turres castra locant; mox hostem eruptione frequentiori lacessunt; tumultuariisque præliis assultuque perpetuo defatigant. *Bernardinus Antignolius*, *Annibalque Lentius* id temporis *Marcicos* ordines ductabant: agebantque solutius *Cividalis* custodias.

dias. Ea occasione protinus utentes *Hispani* locum invadunt: totisque viribus ingrassantur. Magna cæde cruentatos, multisque confectos vulneribus barbaros, oppidani primo felicibus auspiciis dimicantes propulerunt. Exinde grandioribus admotis tormentorum organis, cum iter ingentium disjectæ moles murorum aperuissent, tota vi derepente coacta, validisque defensorem impingentibus cuneis, immissi hostes proruunt, intrant, invadunt: sauciati, capti, enecti alii atque alii; nonnulli etiam fuga perniciore redempti sunt. Potiti hostes oppido, ignibus, ferro, vinculis, nullo ætatis, meriti, religionis discrimine cuncta dedere. Tunc itaque magno ubique metu trepidatum: omnes effugio mansiones inquietatæ; conscensæ naves; superati montes; antra, sylvæ, inviaque omnia profugos & errantes hospitio miserabili conceptaverunt. Ea igitur deserta regione, omnique destituta latis finibus provincia, cum nullum pabulo prædæque locum victor victusque reliquissent, mutare castra *Venetus* cogitur: interque *Montigaldam* ac *Bacchilionem*, tutissima cum aprici montis, tum amnis irrigui statione consedit. *Livianus* oppido diligens & jugiter intentus, hæc & illa quotidie perlustrare, huc & illuc suis cum legionibus circumferri, hac & illac expeditis cum agminibus oberrare; ad *Medoacum* ipse tunc fluvium, vallo, fossis aggeribusque præmunitum contineri; cunctando velitandoque semper hostem eludere; ac suis expeditioribus cum turmis semper & ubique præsto esse. *Hispani* cum *Livianorum* inexpugnabiles castrorum aggeres animadverterent, nec nisi suo cum majore detrimento superari & evinci posse conjectarentur, assiduisque provinciam excursionibus, continuoque prædonum ac latrunculorum populatu devastatam, non posse commeatum alimoniamque militi suppeditare, refixis iterum aquilis, *Coloniam*, *Atteste*, *Montignanam*que regressi sunt: loca cibariorum largitate, copiaque rerum opulentissima; *Rhodigio* præsertim omne cellarium horreumque replente. Tunc ad rapinas ac populationes hostico more conversi, terra flumineque cuncta turbare; quosque de improviso hostes offendissent, ingrassari: & quidem ad Caput Aggeris duriore tunc prælio decertatum est; commixtæque acriter hostiles manus, cum defensorum alacritate, studioque vincendi propulsati longius hostes forent. Qui tunc, ne quid inviolatum manu sua maneret, in *Candiana* septa digressi sunt; ibique Deorum atque Dearum religione pessundata, conspurcatoque vitæ sanctioris candore, fœdissime cuncta propolluerunt. Quapropter, ut ex æquo parique mensura prophananti cuncta dilapidantique barbaro reponeretur, *Mercurius Nicolaus*que Venetorum militum Præfecti, diversis finibus, disparatasque per regiones infestare omnia; expeditisque copiis ac ferentariorum excursionibus incitatissimis, cuncta infande atque crudeliter agitare: donec longis ac spatiosis evictis itineribus, per ardua montium valliumque *Tridentum* usque penetraverunt. Mox ex *Corytia* insula provecta classis, instrumentisque bellicis omnibus instructa, *Frangipanorum* oras, longeque summotos tractus omnes percingere: quaque iret atque rediret, quove progrederetur atque regrederetur, flamma, cæde, vinculis omnia miserabilem ad modum involvere. Contra vero accolæ omnes deformiter ac diriter conflicti, tantaque miseriarum effusa tempestate mœrentes, quibus possent, illata damna viribus retaliabant: susceptasque crudeliter injurias crudelius & immanius ulciscebantur. Atque ita invicem mutuis vulneribus, alternaque reciproci Martis fustigatione deplecti: donec per inducias maleque constricta pactorum vincula feriatum est, & ab exitiali parumper bello temperatum. Nec minori tamen interea discrimine armorum apud *Patavium* agebatur: anxiis hostibus, & ad *Venetam* Rempublicam evertendam semper intentis; contra, *Liviano* Ductore omnium valentissimo, diligenti custodia curaque solertiore, obiter & strenue cuncta procurante. Hic siquidem ex aperto nonnunquam, sæpius ex insidiis, *Germanum* circumvenire, stratagematisque suis *Hispanicam* calliditatem eludere, ac ex tempore locoque captis hostibus imposturas facere. Dumque hic peragrando cunctaque revisendo suos per exploratores hostium consilia perscrutatur, onustas commeatu mercimoniisque naves, *Attestinis* stationibus commorantes repperit; indisciplinatumque militem, ac languentibus excubiis oscitabundum, oppidi custodiam negligenter agere. Quapropter, ne, oblata bene feliciterque gerendæ rei occasione, successus obvios fraudaret, *Antonio* mandat, ut congrua peditatus & equitatus accersita manu proficiscatur *Atteste*: eamque bello navet operam, quam & hostilis temeritas, & resupina custodiarum negligentia deposceret. Ille Imperatoris edicto ocyus audiens, *Atteste* præscriptis cum copiis appulit: adultaque nocte, præmisso expeditiore peditatu, cunctisque silentibus oppidum invadit. Circumfusa cohors armata, suggressaque gradatim muris, quanta fieri poterat mussitantium taciturnitate, ac lenitate trepidantium, scalas admovet, saltuque præcipiti confestim ex alto in subjecta desilit; mox portarum vigiles, inopinatæ rei formidine pressos necat; reseratisque foribus, cum silentes & taciti circumstarent, equites admittit. Illico vociferantium dissoni clamores, effusique strepitantium crepitus, somno vinoque sepultos hostes exterruerunt. Expergefacti subitoque consurgentes arma conclamant; tela capiunt, suasque statim in phalanges conglomerantur. Sed dum expediti præcinctique omnes in aciem provolant, obsistentibus *Leoninis* militibus repressi sunt: nonnulli quoque dum innata ferocitate repugnant, stilis pugionibusque suffossi cecidere; alii laqueis innexi implexique vinculis hostilibus inhæserunt; pauci sese posticis efferentes, post latebras abditaque diverticula vitam ægre suffugio redemerunt. Exultantes igitur prædabundique victores cuncta flammis ferroque dabant; abactum pecus; ablatæ merces; naves incensæ; quod exportari non poterat, vel corruptum igni vel profusione consumptum est; tracti captivi; inutiles confecti; & arente solo pretiosissimi liquores ebibiti. Hac ex luctuosa lachrymabilique victoria digressi milites *Veneti* protinus in alia deflexere: dispartitisque in obeundas provincias copiis, aliæ *Fraxinum*, aliæ *Bovolenum*, nonnullæ *Saletum*, plures *Bibaquiam*, suis cum ductoribus commigraverunt. Et mehercule sententia omnium ea die parta foret insignis *Veneto* pugnatori laus & gloria, si dispositas insidias ad exitum castrensis armatura perduxisset: verum dum incauti parumque viæ conscii speculatores aberrant, destinatoque itinere vel commeantium fremitu, vel umbra peropacæ noctis avertuntur, insidiæ manifestius inclaruerunt; resutisque dolis, quos appositissime conserto filo prætexuerant, accepta expeditione revocati sunt. *Livianus* tamen ad Bibaquiam, *Moriliono* Ductore, propugnaculoque validiore captis, ac cum cæso tum captivo reliquo milite, ea expeditione non inglorius evasit: auxitque gloriæ suæ magnitudinem bellica opera cumulatam, dum præpropere *Montignanam* immigrans *Hispanum* Proregem suis cum copiis in certamen provocat; nec ille dictis jocularibus ullis aut convitiis amariori-

rioribus, ut pedem castris efferret, perlici potuit. Explorata quippe viri ferocitas erat, omnibusque Ductoris eximii comperti spiritus ingentes erant: ut *Hispanus* non immerito lacessentem eum, suoque cum exercitu spectatas vires ostentantem justa formidine prætimeret. Igitur *Hispani Germani*que, cum his parum tutis regionibus diffiderent, sese *Rhodigium* cæteris opulentius domicilium contulerunt. Verum cum in urbe Verona, *Baliono Mercurio*que nova cæde cladeque barbarum adfligentibus, tumultuaretur, *Alarcon* Hispanicus Ductor insignis, pauloque post eum *Carolus*, qui vicariam Regis potestatem in castris agebat, ex Rhodigio *Veronam* suis cum cohortibus profecti sunt: relictisque trecentis equitibus, ac mille peditibus ad *Rhodigianam* custodiam securi rerum abiere. At non eam occasionem *Livianus* omittendam ratus, fretusque suarum robore copiarum, extemplo *Rhodigium* petit; tantaque proficiscentium alacritate, faventiumque silentio cunctorum usus est, ut priusquam resupini militis aurem fama penetraret, hostis oppidum armatus tenuerit. Consternati omnes e vestigio, cum sese circumventos insidiis opinarentur, coactis globis constipati sese patentem in aream fori proripuerunt: ibique distentis ubique ferro prærigentibus telis in cuneos compacti *Livianum* hostem omni regione vicoque confluentem expectant. Ille protinus instantis victoriæ lætitia exultabundus, proprioque impetu ferox barbarum aggreditur. Commissi pedes; commixtæ manus; conserta tela: tantoque utrinque depugnantium ardore coitum est, ut validissime fortissimeque congressu primo sisteretur; dimicationeque stataria proruentium impetus Venetorum *Hispani Germani*que sustinerent. At postquam undique circumfusa agmina *Livianorum* ingruerunt, a fronte, a tergo, omnique ab angulo, latereque *Leonina* signa circumfulsere, profusi, cæsi, retritique sunt: paucique superstites captivi facti. Devicto fractoque milite, violenter in prædam rapinamque de more conversa manus: oppidanorum ejulatu gemituque singultantium cuncta plangere; horrificis omnia sonoribus ac lachrymis exterreri; deformati pallore vultus captivorum, ipsaque vulneratorum exanguis & tetra facies, tum & ingrassantis pyratæ furor implacabilis, miserabilem attonitis omnibus mortis speciem ingerebant. *Cælius* patriæ quidem suæ casum merito deplorat; acerbioremque fortunam justis lachrymis lamentatur: nam cum satis superque sit semel capi, iterum atque iterum capi exscindique *Rhodigio* parum fuit. Quicquid *Hispanorum*, quicquid manus horrida *Germanorum* reliquerat, id asperrima stridentibus procellis *Liviana* tempestas depopulata est: & congeminatis ictibus impressa calamitate prostravit. Sed illi merito conquerenti veniam demus: quoniam viro bono patriæ suæ magis quam alterius meminisse par est. Sed existimo querelas ejus modestiores futuras, doloremque suum patientius perlaturum, si, cunctas *Italiæ* regiones, quanto æstu pelagoque malorum adobrutæ fuerint, miserabiliterque jactatæ, secum pensitaverit. Quod si forsitan ad ea omnia singulatim disquirenda latior campus effunditur, lutulentaque majores hæc in tractus area patescit, quam ægri pedes uligine miseriarum retentati peragrare possint, confinia, quæso, *Venetorum*, *Cenomanorum*, *Insubrium*, *Ligurum*que cogitatu mentis intensiore convolvat, pensiculatimque reputet, & suas tunc, credo, querelas mitigabit. Quod si majoris hæc luctus lamentique flebilioris fuerint, quam ut delugentium lachrymis exæquentur, *Veneti*, quæso, tantum fines imperii circumspiciat, & leviori,

A credo, pondere *Rhodigium* quam cætera congravatum animadvertet. Quid enim non cladis, ruinæ, miseriarum, *Verona*, *Patavium*, *Vicentia* sustinuit? Quibus non fluctibus undisque malorum *Brixia*, *Bergomum*, *Crema* summersæ sunt? Qua tempestate *Tarvisium*, qua grandine *Mestrum*, quibus procellis *Utinum*, quo nimbo *Tergeste*, quo æstu *Marostica*, quibus undis *Cividale*, qua salugínosa aspergine *Osopium*, aliaque circum oppida perfusa perlitaque non promaduerunt? Ut *Lemniaci*, *Piscariæ*, *Maranii*, nobilissimorumque præterea tot municipiorum damna casusque dissimulem. Externa sane internaque militum manu, ac perpetua sociorum hostiumque

B concursatione perquassata, confracta relisaque sunt omnia: ut si quis suos hæc ad numeros revocet, adamussimque singula perscrutetur, non urbem, non oppidum, non arcem, non prætorium, villam, pagum, hoc Martiali torridum afflatu, bellicoque vapore perustum non admiretur? Ut cum Poëta merito sit exclamandum:

Tantæne animis cælestibus iræ?

Una quidem militari strage subducta Civitas insignis: urbs una tumultus castrensis expers, inarata ligone, mœnibus discincta, propugnaculis exarmata tot inter fragores, bellicosque turbines nusquam inquietata resedit. Hæc terra marique Venetiarum Commendatio.

C potens: decore suo decentissima, specie sua speciosissima, supraque mortalem omnem formam formosissima: venerabilis, elegantissima. Hæc *Adriæ* regina; hæc miseris solatium; hæc desudantibus refrigerium; oberrantibus Pharos, naufragis portus, profugii conceptaculum, domicilium spei, tabernaculum quietis. Hæ *Venetiæ* sunt: deliciarum omnium cælestia Tempe, *Hesperidum* fulgentes horti, omniumque rerum pleno copia cornu. Dii boni, quodque dixisse fas est, plus quam boni, quæ hæc vestra benignitas? quæ clementia? quæ lenitas? quis hic vester mollissime Principibus *Venetis* aspirans favor?

D qualis hæc vestra *Marcicis* irrogata Patribus indulgentia? Una sterilitate sua Civitas fœcundissima: Urbs inopia sua rerum omnium abundantissima, unaque sola omnium sua infelicitate felicissima. Nullus hic arvus ager, non consitus, non floridus, non ulla tellus hic pascua est: & tamen hic pingues gravidæque fruges; hic arbores biferæ, hic florulenta parataque humanis usibus omnia convirescunt; hic esculenta, hic poculenta, hic indiscreto usu promiscua confertissimis velut horreis deprompta cuncta funduntur; ac velut secreto quodam naturæ sublatentis ministerio uberius largiusque suppeditata redun-

E dant. Hæc una tranquillo sita mari maris incommoda nescit: & cum tempestuoso cætera turbine jactata divexentur, hæc ipsa sinu suo quieta, placidisque labentibus secura conquiescit. Longe distat continenti, multoque lapide terra disjungitur: cumque dispendia terrarum ignoret, illarum sentit compendia, illarumque bonis opulenta perfruitur. Hæc, quæso, quæ loci species? quæ rerum pulchritudo? quæ cæli terræque temperies hæc temperatissima? Terra quidem arbustum, olus, frutetum gignit; armenta, lanigerumque pecus nutrit: sed & leonem, tigrim, lu-

F pum, draconem, reptiliaque venenorum suorum telis morsuque nocentia prodit ac fovet; rosæ spinis commiscentur; urtica sæpe legentem decipit; & olentibus herbis aconita coalescunt; cumque genialis platanus salubriter inumbret, funestiores tamen taxi perniciosius virent. Proxima sunt virtutibus vitia, brevioreque confinio bona malis conjuncta sunt: quin & quæ pulchritudine sua delectant, nonnulla etiam intrinsecus labe notantur. Virgo formosa, nativoque can-

dore suo venustissima, vel obliquis oculis, aut distortis labiis, vel inflexo pede deformatur: sparsique per ora nævi splendidam sæpe frontem obturpant. Vir ingenio pollens & virtute clarus nonnullo tum intus aliquando secretiore vitio laborat; & cum plura genius homini feliciter elargitus bona contulerit, adversa quoque malorum confusione permiscet: quoniam non uni omnia Dii dedere. At huic urbi, reor, infallibili Deorum immortalium decreto, nullo malorum participatu, nullaque nocentium communione, bona copiosius & abundantius dispensata sunt, ac benignius impartita: cumque Parcarum malignæ manus aliis pensa durius intorserint, huic aurea pollice *Phryxea* vellera mollius deduxerunt. Eximius poëta *Mantuanus* cum sua illustri tuba laudes *Italiæ* decantaret, nihil, quod diceret, antiquius duxit, quam cæterarum provinciarum *Italiam* carere malis: & cum Cerere, Baccho, olea, armento, pecudeque fœcundam cecinisset *Italiam*, statim intulit:

At rabidæ tigres absunt, & sæva leonum
Semina, nec miseros fallunt aconita legentes:
Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.

Bone *Juppiter*, quam magnum mirumque est, tanti vatis testimonio, tot bonis præditatam insignemque nostram *Hesperiam* abundare; tauros edere triumphales, niveos greges enutrire, arduos ac pernices equos alere: quales *Cyllarus*, *Baliarcus*, *Xantus*, & quorum *Graji* meminere Poëtæ. Ad hæc per abditas dilatentesque venas metalla fluere: splendidos illimesque rivos argento promanare, pretiosissimoque ac cæteris puriore auro scatere, tum genus acre virum, durissimaque hominum corpora, ac rebus gerendis omnibus habilia propagare. Hæc adeo magna tantique æstimata sunt, ut Dei præsentis afflatus Numine Vates sublimis hanc in vocem caste & reverenter irruperit:

Salve magna parens frugum Saturnia tellus,
Magna virum: tibi res antiquæ laudis & artis
Ingredior sanctos ausus recludere fontes:
Ascræumque cano Romana per oppida carmen:

Hæc certe quanquam laudabilia sint, mortalique præconio commendata, laudabiliora tamen sunt, &, si fieri possit, ampliore laudum tubicinio prædicanda, quæ nobis rem *Venetam* admirantibus & suspectantibus obversantur. Etenim quid mirum est, diffusos late fines *Italiæ*, magnosque terræ tractus infero superoque mari perlutos his tot bonis, quot *Romanus* percenset *Homerus*, suoque carmine Musis elucubrato commemorat, ubertim affluere? cum diversis regionibus atque alio alioque situ, una terræ latioris vastitas, unaque diffusa finium propagatorum ambitio, rerum feliciore proventu omnium repleatur. At urbem unam humani generis domicilium, totoque orbe terrarum illustriorem, non terra sed mari sitam, non insula sed fluctu pendentem, non solido sed instabili consolidatam elemento, pulchritudine rerum omnium, opulentia, varietate præsignem, admiratione tota sane recolendam observandamque reor: unamque tota defecatæ mentis puritate, ac defixi animi obtutu præ cæteris omnibus contemplandam existimo. Alii suarum primordia civitatum ad quæstuarios opificesque deos retulerunt; inanibusque fabulamentis inanem sunt gloriam aucupati: *Apollinem Neptunum*que suos *Pergama* conditores jactant, cum ipsi tamen evertisse cuperent ab imo, structa suis manibus perjuræ mœnia *Trojæ*: *Romani* tantæ urbis auspicia, ne meretricio semine togatam gentem dominamque rerum proderent, *Marti* consecraverunt: suosque cælicolas, adulteros ac constupratores patientius tulerunt, quam ut sese humili loco natos humanique generis more procreatos, profiterentur; eaque mira omnia posteris tradiderunt, quæ tot ambagibus tantoque ludibrio sacrati partus involverentur. Hujuscemodi sane ridenda deliria commentitiasque nugas viri prudentes, usuque rerum exerciti subsannant exploduntque. Quæ tametsi turbelæ simplicioris auribus instillentur, eorumque sensibus illapsa leves animos capiant, acriori tamen ingenio refutata, sanis quidem mentibus repudiantur: quoniam humana divinis non commiscentur, longeque discreta sunt hominum Deorumque commercia. Verum quoniam hæc vulgo recepta sunt, omniumque fere conscripta literis, ac linguis decantata sic increbuerunt, ut pæne gestæ rei fidem consaxerint, & nos hæc dissimulanter secuti, ne sanctæ vetustatis sacra profanentur, admittamus. Quid igitur, quæso, præstantes illi mactique ingenio viri, qui hæc confixerunt, aut conficta promulgaverunt, vera nostrarum miracula rerum intuentes meditaturi sunt? quid rogo concepturi? quid tandem elocuturi? Non conductitios mercenariosque Deos, ad exstruenda ædificandaque tantæ urbis fundamenta persuasuros credam; non *Amphionem*, non *Orpheum*, arguto crepitantisque lyræ cantu saxa movisse, non *Martem* urbis auctorem ferent, sed ipsum *Jovem*, qui totum nutu tremefacit Olympum admovisse manum prædicabunt; ipsamque *Cybelem* atque *Minervam*, opificio cælesti plenum divino Numine domicilium absolvisse dicent: & mehercule non injuria, si modo hujus urbis imaginem ac speciem admirandam conspicati fuerint. Adagio percrebuit: *Venetiæ*, *nisi videantur*, *non æstimantur*. Quid hoc est, rogo, quod voce nobis omnium insonuit, nisi qui viderint *Venetias* non æstimaturos? Deos certe sedemque Deorum non inspicimus, nec intuemur: & tamen cogitatione nostra magna ea omnia & mira esse concipimus. Cur non igitur & hæc meditatione nostra, nostræque coactæ mentis intentione tam nova & admirabilia reputamus? nostrique erecti sensus sublimitate, molis operosæ magnificentiam, qualis ea est, quantaque patet, assequimur? Proh Juppiter, ea parœmiæ vis est, eoque tendit vulgare proverbium, ut hæc tam ardua & excelsa esse fateamur, ut humana mente comprehendi certe non possint: nec hujus Urbis amplitudo, nisi visentium oculis subjiciatur, possit unquam integro suo decore ad liquidum perduci. Non ulla quidem extriti pertersique stili politura, non torrentis effusique sermonis facundia, non sublimium ingeniorum adadmiranda felicitas, hæc effingere, paribusque lineis adæquare potuerit. Etenim, cui tanta dicendi vis est, tantaque redundantis eloquii superbia, ut orationis facultate ea usurpet, dixisseque præsumat, quæ dici non possunt: & si quoquo modo recensa sint, non credantur? quis *Demostenes*, rogo, *Pericles*que, quis *Cato Crassus*ve, quis *Homerus* noster *Græcus*ve, suis adeo cothurnis grandibus elati consurgent, suaque inflata majore tuba personabuntur, ut effigiare depingereque ea possit, quæ, cum coloribus adumbrata, ipsaque dicendi arte nobis auscultantibus insinuata fuerint, impossibilia videantur? veluti duo diversaque elementa unum & idem esse; uno eodemque elemento labi & sistere; ambulare, natare; currere, navigare: quod hoc ingens rei spectaculum? hæc quæ nova rerum species? quæ sunt hæc Deorum suspicienda miracula? quis *Vertumnus*, quis *Protheus*, quis hanc histrio scenam agit? nisi qui viderint & senserint, nisi qui periclitentur, in ipsaque re versati fuerint, non credent:

dent: &, cum viderint, hærebunt. Ac ne velut somniantes falsa sub imagine rerum eludantur, captique præstigiis cæcutiant, addubitabunt: quoniam tam disparata conjungi, unoque complicata nexu coire, quanquam oculis ingerantur, fidem tamen hominum excedunt; ipsamque naturæ cuncta moderantis disciplinam supergressa videntur. *Andreas Mocenicus* Patriæ suæ Situm stilo complexus, cum pondera magnitudinemque rei præsentiret, & scrutaretur: *Supra omnia*, inquit, *mira res est*, *quod aquosa super tellure hujusce urbis fundamenta jacta sint*. Rei miraculum exprimere non potuit: quis enim explicet inexplicabile? sed rei speciem summo velut digito præmonstravit. *Aquosa*, inquit, *tellure*: id est, neque aqua neque tellure. Quam hoc ingens & magnum est, ut nullo elemento, aut certe invicem duro liquidoque confligentibus, erecta Civitas totoque terrarum orbe spectanda promineat. Et quæ natura separavit, certoque limite suo disclusit, hæc indissolubili nodo concopulet & innectat. Non hæc hominum sunt opera, sed Deorum; non hæc humana manu, sed, si dixisse fas est, divina, consurrexere miracula. Errantem *Orthygiam*, *Ægæo*que jactatam pelago *Delon*, cum turbinibus & ventis obnoxia fluctuaret, non sunt passa duo Numina diu pererrare; sed divinitus ope contracta, Dii infantes natalem terram *Mycone Gyaro*que revinxerunt, immotamque coli rapidosque contemnere ventos dedere; atqui mirabilius est non insula, sed fluxo ac liquente, præfirmatam elemento, suisque defixam pedamentis urbem educere, magnitudineque sua ponto confidentem, ponti furorem rabiemque ventorum contemnere. Si non uno Numine sed duobus, *Delos* stetit, si non unius ope sed duorum terra firmata est, omnes ausim dicere, Cælicolas, indiscretaque Deorum examina, quibus antiquitas & vana superstitio cælum oneravit, vasto mari, magnæ Urbis fundamenta, sumptibus infinitis, artificioque mirabili, divinitus posuisse. Majores nostri contabulatum *Hellespontum*, nescio quo modo, jactaverunt; *Caligula* mare, quod jactantia ambitioneque sua constraverat, equis rotisque percurrisse gavisus est; dictator *Julius* immenso opere perductis brachiis *Averno Lucrino*que lacu pontum exclusit; sed & jactas moles infesto & profundo pelago legimus: & si quis in mari ædificet, posse eum contemnere novi operis nuntiationem, *Ulpianus* scribit; nisi, ut sibi de damno infecto caveatur, agat. Sed hæc perlegenti mihi ridicula, ac vesculis fragilibusque pampinis bracteata esse videntur: cum urbis magnum magnæ situm obambio; cum molem lateritiam, amplitudinemque contignationis ædituæ, pelago diffusam, emetior; cum suis distinctas interstitiis regiones, medioque mari solidatas ingentes eraso marmore plagas sublego; cum editissimas cælo turres, excelsa nitidaque *Pario* candore prætoria, ac ipsum augustale sacrarium, tranquillo horrore, sanctique Numinis majestate plenum contemplor; cum cœnobia, aras, delubra, percenseo; ipsiusque maxime Dei tutelaris *Marci* Templum admiror, ærea cui gradibus præsurgunt limina, nexæque ære trabes, foribus cardo constridet ahenis; cum *Attalicas* opes, & Orientis & Occidentis, totoque devectas orbe terrarum merces excutio; cum pretiosissima metallorum, gemmarum, lapillorum, margaritarum, cæteraque omnia conspicor, quæ tanta visentium oculis admiratione subvolvuntur, ut ea defixus silentio magis complectar, quam voce vel oratione percurram. Hic etenim omnium, quæ terra, oceano, marique nostro vexantur, conditorium est; hic nobilissimum speciosissimumque mercis omnigenæ promercalis emporium; hic thesaurus incomprehensibilis, ingens, immensus, cui nunquam exhausti satis est. Promulgatum est & in triviis decantatum commune verbum, cum admirabilis insignitique rem pretii designamus: *Num hic divi Marci thesaurus est*? merito dici posse nihil amplius existimantes: cum in hanc usque diem, quod *Veneto*, non dixerim præferri, sed conferri possit ærario, nihil nobis natura commonstraverit. Inde bellorum nervi distenduntur; inde Reipublicæ viscera compinguescunt; inde privatorum medullæ succulentiores fiunt. Numularia res, cum in communes usus dispensatur, addictaque publicis commodis temperanter observit, aspera mitigat; dura præmollit; adversa secundat. Quotiens res *Veneta* concidisset, si lapsitantem extremis rebus suis publicæ privatæque facultates non præfulsissent; si matura suoque decocta tempore Patrum consilia publicæ domesticæque opes non juvissent? Nullius sane pensi prudentia est, si, quæ diligenter pensitata sunt, inopia rerum destituat: verum tunc nostra nobis cautio prodest, & solertia proficit, cum suppetente copia non fraudatur; & mentem pondere curarum anxiam abundans res familiaris allevat. *Veneti* Principes suopte ingenio sagaces, & rebus obeundis omnibus accurati cum prospexerint, emetitique singula fuerint, affluente rerum copia consiliis suis opitulantur; & cum domi nihil desit, foris omnia præsto sunt; cumque in gremio sinuque suo congesta cumulatim omnia comportent, facile, quæ volunt, quæque imperant & edicunt, assequuntur. Felices igitur *Venetiæ*, felicibus auspiciis positæ, quas affatim omni bono prædotatas, omnique laudum genere præstantes, olim cælo summum vatem extulisse, si per rerum naturam licuisset, dignius fuerat & æquius, quam ita cecinisse:

Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma
Septemque una sibi muro circumdedit arces.

Quid enim admirationis habet, urbem septicollem montibus opprimi? imisque convallibus subopacam, egelida nube semper obduci? tum restagnante superfusoque *Tybri*, prætergentibus undis natare, oblimari, casitare, nonnunquam & obrui? ad hæc armis, belloque jugiter divexatam incendi sæpius ac diripi; manuque barbarica frequenter perire; tum quod bonis civibus molestissimum est, commutato servitutis jugo, novis utique successoribus angi: novi Principis nova servitia; novi Regis novum famulitium: collata priori beneficia successoribus abrogantur; & dum novos promereri dominos student, mors importuna medios intercipit. Hic unus Principatus, una Dictatura, unum Imperium, una Respublica, hic sanctissimus Senatus, delectus Patriciatus, hic prædocta bonisque artibus instituta Nobilitas; hic prudentes Viri, bonos præmiis, malos pœnis afficientes: inexorabiles & invicti criminum quæstores Decemviri; Reipublicæ moderatores emunctissimi; integri Magistratus, emaculatissimi juris Administratores, publicorumque Dispensatores candidissimi. Non hic pulso ambitu laudatus *Pompejus*; non hic pecunia dum oppugnatur, *Cicero* conquestus; non hanc urbem venalem *Jugurtha*, non *Hieronymus* Babylonem, non multorum beluam capitum poëta dixisset; nec *Venetum* sublimis Vates respexit imperium, cum in eam vocem dilapsus est:

Non res Romanæ, perituraque regna.

Hic justitiæ æquilibrium, æquitatis temperatura, juris Asylum; hic amœna omnia; blanda quies, molle otium, salubres umbræ: hic humani generis diversorium, mundi deliciæ, solium



lium *Jovis*, sedesque Deorum. Quid nobis igitur mirum fuerit, si hoc tali tantoque bellorum fragore, quo tota succussa est, pæneque constrata succubuit *Italia*, adflicta *Gallia*, percussa *Germania*, commota *Hispania*, cæteræque *Europæ* & *Asiæ* nationes pestilenti vapore suffumigatæ sunt, solis *Venetiis* Dii sua pietate & clementia pepercerunt; si hæc insignis inter tot splendidas *Italiæ* civitates captas, direptas, incensas, sola quievit, eviguit, præfloruit; si non incursione barbarica, nostraque violentiore militia divexata est; si non itu redituque, insiliendo, resiliendo, oppugnando, propugnando, exagitata perculsaque est. Quæ *Italiæ* civitas illustris hoc bellico terrore non intremuit? non horruit? non procidit? quotiens singultatitio gemitu lachrymabunda *Neapolis* lamentata est: cum *Caroli Ludovici*que jugo deglabrata recutitaque cervice prærubuit? Quotiens irrumpentibus & erumpentibus hinc inde diversorum Principum copiis, *Hispanica*, *Gallica*, *Germanica*que vastitate persqualluit? Quotiens suarum oblita deliciarum esurivit, sitivit, defecit? ut innumeras *Apuliæ*, *Calabriæ*, *Campaniæ*, totque arces oppidaque suis cum ruinis collapsa prætercam. Quid ipsa omnium Princeps olim urbs *Roma*, ceremoniarum mater, fidei columen, religionis magistra? quam exaugurata, exsecrata, prophanataque jacuit? ut supergressum ripas majoribus quam unquam incrementis *Tibrim*, ut terræ cælique ruinas, ut elementorum pæne omnium in eam conjurantium furorem prætercam; eaque silentio dissimulem, quæ tametsi prænexo ore reticeam, singultu tamen gemituque suo produntur: & in apertum erumpunt. Quid *Florentina* Respublica tot menses obsessa, totiensque militari manu crudeliter impieque tractata? quid *Bononia*, *Ferraria*, *Genua*, castrensibus flagellis sæpius impulsatæ, bellicis fragoribus consternatæ, populationibus ac rapinis intestinisque cædibus conflictatæ. Hei mihi! quo me stilus meus provexit? quo me res gestæ abhinc annos triginta succedaneo turbine propulerunt? ire iterum in lachrymas, iterum flevisse querendo cogimur, & duros patriæ meminisse labores. Quos dum tota mente repeto, priscasque in angustias solicita cogitatione retrudor, vox faucibus hæret: & quicquid aridum sterileque desudat ingenium, id obliterant & delent turgidis oculis erumpentes lachrymæ meæ. Quid igitur parcam Lachrymis, *Mediolani*que tragœdiam Cæsaris *Anticatone* grandiorem, necdum finitam reticebo? atqui satius fuerit longas malorum nostrorum *Iliadas* angusto margine brevique linea circumscripsisse; nullo veritatis sed magnitudinis præjudicio; æmulatione eorum, qui breviore tabula mundi terminos finesque perscribunt; situmque ejus uno, sic dicam, puncto complectuntur: ut nostræ infelicitatis collatione peregrina magis elucescat. Quid igitur ab ipso *Aureliensis* Principatus auspicio, quo *Gallicano* jubentibus fatis inauguratus imperio *Ludovicus*, summa rerum fastigia soliumque conscendit, irati Dii nobis tutum reliquerunt? profugus Princeps mox restitutus, dehinc captivus, tanta Reipublicæ summique Patriciatus ruina procidit, ut præceps unius viri casus, uniusque Domus augustæ lapsus, universam pæne Rempublicam in interitum attraxerit. Tum quietem nostram interpellantibus *Helvetiis*, cum *Gallicanos* tumores abhorreret *Italia* exacto Rege, Regulus *Hercules Sfortia*, nobis accitus est: ac paulo post cum *Italiam* repetentes *Gallos* manus *Helvetica* profudisset, haud diuturniore otio vernaculus nobiscum Princeps desedit. Siquidem magnis iterum instructis copiis *Gallo* nostras in oras repedante, gentilitia se-

A de detrusus non parva Nobilitatis jactura a barbaris ad barbaros translatus excessit. *Odetinum* protinus odium, insolentissimique Gubernatoris superbia, *Gallicanas* opes, nostrasque res omnes funditus evertit: cumque durior fortuna virum detestata procul exegisset, comparato majore rursus exercitu revocavit; ac e vestigio revocatum expulit; deinceps Admiratum majori fragore concursantem complexata tamdiufovit, quamdiu *Germani Hispani*que, *Francisco II. Sfortia* restituto, *Mediolanum* obsidione solverunt. Interea frémente, & amissam rem *Cisalpinam* indignius perferente *Gallo*, cum ferro, cæde, incendio, B peste, vinculis, exilio, desolata jam exitialiter civitas jacuisset, repercussi sumus; abscedenteque *Francisco Sfortia*, Rex Gallorum *Franciscus* successit. Novo sane tumultu, novaque circumactæ molis vertigine: donec ipsius captivitate Regis, *Mediolanum*, *Insubres*, *Ligures*, omnisque *Cisalpina Transalpina*que *Gallia*, velut suis emota cardinibus tremefacta est; secumque graves ruinas attraxit, tunc cum otium & quietem ex tanto sudore & pulvere speraremus, inedia macerati morbo pallentes, tabeque consumpti sumus; tantoque miseriarum angustiarumque omnium revolubili saxo detriti iterum atque re- C triti, ut cupientibus mori non permitteretur occidi; ut ejulare, exclamare, ut ingemere non liceret. Est aliquod doloris lenimentum lamentari posse; cruciatæque mentis nonnulla refrigeria sunt suspiriis relaxari; & exclamando misericordiam provocare: at in ipsa doloris angustia cohiberi, &, cum tormenta gemitum & lachrymas extorqueant, gaudere ac lætari, speciemque ridentis præbere, hæc nova & inaudita sunt, ut, feritatem omnem & sævitiam excessisse, nemo neget. Exigi domo, fortunis spoliari, vinculis astringi, flagellari, cædi, necari, dura plane sunt & aspera; sed asperiora quidem & duriora ea præ- D stare, quæ, ne præstari possint, natura pernegavit. Lachrymabundus, singultabundus, gemebundus, quo vultu, quæso, tortori carnificique suo tandem arridebit, applaudet, acclamabit? quo modo fidiculis dissecatus, cum omnia condolescant, tripudiabit? qui gestus, qui saltus, qui pyrrichii motus erunt eorum, qui tumidis pedibus, defractis suris, eluxatisque membris omnibus prolanguerint? rogo, qua arte ingenioque fieri potest, ut acetum dulcescat, saccharum inacescat, mel inamarescat? quæ dulcia sunt, dulcescere, quæ amara sunt, amarescere, quæ vero acida, jure suo acescere omnino oportet. Non possunt acuta acu- E mine suo lenire; nec stimulis suis aculei dispunxisse non possunt. Quæ torrent, certe non refrigerant: ac rursus, quæ refrigerant, non contorrebunt. Heu nos miserorum omnium miserrimos! supraque omnem infelicitatis modum infelices, qui hæc effingere, comminisci, præstareque nonnunquam coacti sumus: tanto vitæ nostræ diuturnioris tædio, ut posse mori vita crederetur; amœnioremque cum inferis, ipsisque cum manibus præoptandam consuetudinem omnes existimarent. Permolestum est & grave, vicinum hostem tolerare: sed longe molestius quidem & gravius, eodem sub tecto, eadem in F sede, eodemque cubiculo perpeti; semperque velut canem in puteo rixari, pugnare, digladiari. Actutum præsentanea venena necant; cito gladius interficit; nec prolixiore mora laqueus strangulat: at diebus noctibusque, mensibus & annis exuri nec perire, venenum potare nec efferri, visceribus, medullisque gladium sentire nec tolli posse peracerbum est, & sane modis omnibus asperrimum. Quocirca minime mirum, si his torminibus discruciatis vita supplicium,

mors

mors vero non pœna, sed pœnæ finis esse putabatur. Majores nostri cum hujusce urbis adversa deplangerent, illatam *Federico Ænobarbo* cladem velut omnium extremam ac miserabilem pulpito sublimiore majoreque theatro percensebant: at nos quotiens *Federicum* optavimus! quotiens *Conradum* desideravimus! quotiens *Attilam*, *Vitigem*, cæterosque nostræ urbis hostes infensissimos & eversores deflagitavimus, expetivimus, anhelavimus! Mira sunt ædepol, ut quorum victoriæ nobis insolentes intolerandæque fuerunt, ac late nostrorum effusa strage civium exitiales, horum collatione malorum mites ac placidæ viderentur; cumque hæc nos acerbissima distringerent, illorum fræna mordere, eorumque vinculis implicari summis votis optaremus; atque ut crudelissimos sectores evitaremus, exoptabamus habere carnifices. Quid igitur *Rhodigine Cæli* succenses, & tecum obstrepis, si una tantum & altera civis tuus ustrigine bellorum afflatus, unoque repentino militari subustus est incendio? præstitisset multorum judicio, fortunaque nobiscum mitius egisset, si uno tantum populatu, unaque brevi clade afflicti fuissemus, quam tot annos expilantibus, eradentibus, decoriantibusque nos feris hostibus exsugi, demaciari, concoqui: quanquam nunc benigni Cæsaris *Caroli* Clementia, sanctoque *Francisci Sfortiæ II.* moderamine restituti, pæneque redintegrati sumus. His igitur miseriis angustiisque dilapsos omnes melius contemplari licuerit, amœnissimam *Venetiarum* amœnitatem, quietem quietissimam, ac tranquillissimam tranquillitatem, bellici fragoris expertem, castrensis tumultus ignaram, Martialis fremitus & sonoris immunem: cujus urbis incolumitas & salus tot inter excidia bellorumque ruinas, cælesti decreto præservata est; cujus sanctitas, amplitudo, majestas beneficio Deorum illustrata, quotidie magis ac magis omnium æmulatione gentium ac populorum inclarescit; cujus mores, virtus, disciplina, meam tanta voluptate mentem ceperunt, vel potius rapuerunt, ac rapiunt, ut calle paulisper digressus assueto liberius evagari, lascivireque licentius non temeritate sed amore præsumpserim; veniam, si quomodo fuerit erratum, benigno lectore, consecuturum sperans: cum ardua sublimiaque tentantem periculosa omnia circumsistant; in eumque censura mitior omnium esse debeat, qui, si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

LIBRI QUINTI FINIS.



BER-

BERNARDINI ARLUNI,

Jureconsulti, Patricii Mediolanensis,

DE

BELLO VENETO

LIBER SEXTUS.

His dum *Germanorum Hispanorum*que mutuis impressionibus exagitata magno tractu *Venetia* laborat, & huic adjuncti cæterarum fines provinciarum, pari æstu, parique ægritudinis bellicæ morbo conflictantur, Rex Gallorum *Ludovicus* non minori in ulteriore *Gallia* bello distractus, quam sua *Veneti* Principes in provincia forent, militari negotio finem imponere peroptabat: nec tamen *Cisalpinæ Galliæ*, amissæque rei *Mediolanensis* obliviscebatur; quibus asserendis, revocato sæpius animi dolore, magnisque vehementer incensus stimulis, inhiabat. Quem suis anxium curis, suaque sponte satis incitatum, *Veneti* semper acrioribus incentivis inurebant: quoniam illius ope rei suæ prospectum iri certum erat; gentemque *Lilinam* adventu suo sibi magno futuram præsidio non ignorabant. Et quanquam *Leo* Pontifex Maximus intercederet, enixissimamque daret operam, ut *Hispano* Venetus *Germano*que conjungeretur, quoniam, his consentientibus, ad arbitrium redigi posse cuncta sperabat, *Gallum*que finibus nostris extorrem, omnique prorsus *Italia* sequestratum, propriis circumscribere finibus opinabatur, rem tamen ad exitum perducere, nec ex voto quicquam conficere poterat: cum abjudicari in alienaque jura transire *Veronam Pataviumque Veneti* nullo modo paterentur; a se vero distrahi *Maximilianus* in animum suum inducere non posset. Senatus itaque *Venetus* percussi cum *Ludovico* fœderis tenax erat; ipsumque frequenter hortari suadereque, ut rem e vestigio capesseret, expeditionique celerius accingeretur. Quod quanquam suopte desiderio perfecisse Rex *Ludovicus* maxime cuperet, propensam tamen acclivis animi voluntatem avocabant *Helvetii*, procurante *Matthæo* Mediolanensibus alligati: quos præter ordinem supererogata stipendia emunctæque pressando marsupiis nostris pecuniæ, blandioribus vinculis attinebant; sed & præter cætera montanæ plebis animos emovebat, quod exiles & angustas vicinorum opes, eorumque confinia Principum esse malebant, quos ipsi lacessere liberius & bello conterrere, quam ab his provocari possent & adfligi. Ad hæc præferoces animi *Britannorum*, ab ipsa *Cisalpinæ Galliæ* suscipienda expeditione perpetuis *Gallum* jacturis atterentes prorsus avertebant. Fragilis præterea nec constans *Maximiliani* Cæsaris amicitia, tum & instabilis *Hispaniarum* Regis voluntas, nec minus incerta Pontificis, lubricaque cæterorum *Italiæ* Regulorum intentio, sua semper commoda, suasque proprias opes respectantium *Aureliensem* in tanto futuro æstu bellorum ancipitem & du-

A bium distinebant. His ergo fluctuantem curis, ingentibus *Ludovicum*, curisque majoribus in dies æstuantem, benignior fortuna sublevavit. Ejus etenim uxore de medio sublata, cum funeris tædas accendisset, protinus extulit nuptiarum: *Britannici* quippe Regis soror viro matura, *Galliarum* Regi *Ludovico* nuptui traditur, quæ nuptialibus vinculis *Britannum* inde *Gallum*que constringens, maritum fratremque tenaciori fœdere concopulavit. Celebratis igitur suo de more nuptiis, cum *Britannicorum* incendia bellorum, novis extincta connubiorum aquis subsedissent, duoque Reges *Europæ* potentissimi, mutuis B astricti nexibus tenerentur, *Ludovicus* in *Italiam* iter parat: suis opibus, conjunctique jure sanguinis auxilio Regis maxime fretus, quem tanti fecisse tradunt, tantique pensi semper habuisse, ut hujus unius benevolentia contentus, cætera omnia facile contemneret. Tunc ergo per universam *Galliam*, lateque diffusos per omnes regni sui fines, novos militum delectus habere: velitem, cataphrattum, peditem conscribere; militaria tormenta, murales machinas, commeatum, cæteraque castrensia destinatoque operi necessaria protinus expedire. *Leonem* interea Pontificem Summum, ut in *Italiam* adventanti C suffragaretur, eamque ut in rem nomen suum daret, suadere, hortari, ambireque solicitus: non quia magni suppetias ejus momenti futuro bello duceret, sed quoniam præter cæteras gentes obnoxiam devotamque religioni *Gallicam* nationem callebat, ne rem tantam contra Summi Pontificis Sacrorumque Præfecti mentem aggressus, vel injussu ejus movisse bellum argueretur, ventosas tonsilis patrocinii bullas, inanemque scenæ Pontificalis umbram ambitiosius affectabat. Ille tamen ingenio maturiore perspicacique subhærere, cunctari, verba dare; tum pro tempore locoque rem in op- D portuniora differre: donec vario tractatu, multisque hinc inde seorsum agitatis, dum moras importuniores *Gallus* Pontifexque disposito paratoque negotio subinnectunt, repentino corruptus morbo *Ludovicus* intermoritur. Hic quippe jam adulta ætate provectus, dum matrimonio licentius indulget, moreque nubentium operam Veneri plus æquo navat, omnibus debilitatis spiritalibus membris, humoreque vitali exhausto defecit, planctu sane multorum & lachrymis; magnoque præsertim mœrore eorum, qui voto intensiore, semperque præcordiis conceptam in spem anhelantibus an- E xii, Regis adventum in *Italiam* expectabant, sublatus est. Cujus quidem obitus eo plurimis molestior fuit & gravior, quod in ipsa media capessendi negotii expeditione, digestis jam

jam rebus, omnibusque compositis decessit. Ergo *Mediolani* Patriciorum plurimi subtristes esse; hique potissimum, qui se novo Principi *Maximiliano Sfortiæ* vel defuncti magistratu, vel factione, vel procuratas olim ob res *Gallicas* invisos non ignorabant, acrioribus curis intorqueri angique nimia doloris impatientia cœperunt: quod desiderio suo fraudatis, omnem fortuna violentior spem surripuisset. Contra vero *Sfortiacarum* partium studiosi, quos beneficiis ac largitionibus sibi Princeps devinxerat, gaudere, lætari, insultareque dolori eorum, quos *Gallici* Regis excessu confectos ardentior cura macerabat. Quin & ingentis templi pro foribus, ubi de more parentalia jussu Principis exsoluta sunt, ampliore literarum figura proscriptum legebatur: QUI INGREDIMINI CIVES SPEM VESTRO CUM REGE DEMORTUAM ELUGETE. Hæc adeo invidiosa proscriptio fuit, plenaque livoris, ut exasperati graviter plurimi, cum sese manifestiore indicio male dissimulatus affectus proderet, abscederent. Ita luctus & gaudium dissidentes inter Patricios discordiososque cives agitabatur: sed neutri partium suus diuturnior affectus fuit; neque diu cuiquam lætitia mœrorque suus insedere. *Ludovico* siquidem extincto, *Franciscus* illi jam pridem gener adscitus, *Gallicanorum* consensu Procerum, exultanteque aula suffectus est: qui post editos celebratosque novo genere spectaculorum ludos, cum affecti heroum aulicorumque Primores regia munificentia, magnaque donativorum ac congiariorum largitate fuissent, animum ad arma curamque castrorum convertit; ac vix occeptam a socero subigendæ citerioris *Galliæ* provinciam absolvere, totoque conatu ac studio perficere nitebatur; *Venetis* præsertim adurgentibus, ac propriam communemque causam diligentia solicitudineque sua procurantibus. Verum male fidam *Gallorum* ac *Venetorum Romanæ* libertati imperioque ejus societatem *Leo* Pontifex Maximus prætimebat: cum usurpatas hinc inde, assertasque *Julio* decessore provincias, aversis maleque consentientibus *Venetorum* & *Gallorum* animis possideret. Itaque sub obscuro versatilique ingenio suo Pontifex nihil expeditum nec apertum habere: & quanquam sponte sua *Gallo* infestior adversaretur, odissetque gentis ambitiosæ tumorem, animi tamen sui motum suæque mentis implexæ sententiam ambage multa, multoque rerum involucro convelabat: donec perfectis omnibus, suique ex animi destinatione transactis, cum differre amplius non oporteret, dato *Venetis Gallis*que repudio cum *Hispanis*, *Germanis*, *Helvetiis*, *Florentinis*que, ac cum *Mediolani* Duce *Maximiliano Sfortia* convenit. Tunc itaque *Germani*, *Hispani*que Pontificalibus jussis obsequentes, ubique *Veneto* terrori esse; vastare, populari, incendere: ille, contra, *Liviano* ductante, integris copiis, omnique suppleto exercitu, Rempublicam defensare, cives tutari, omnibus cavere, atque illud inter cætera præcipuum habere, ne læsi fœderis rei fierent, sed ut initam fixamque cum *Gallo* legem sanctam inviolatamque modis omnibus observarent; ac ut mutua pactione conventa cautius exsequerentur. Rex interea Gallorum *Franciscus* in *Italiam* iter molitur, paratisque omnibus *Petrum Navarrum* pedarii ordinis Magistrum, qui omni explorato itinere viarum opportuniora capesseret, præmittit: qui suarum magna cum parte copiarum, leviora speculatus, quanquam dura omnia & aspera, præruptisque montibus confragosa essent, *Susium* applicuit, *Helveticas* phalanges, quæ proximos *Alpium* saltus radicesque tenebant, propulsaturus. Obsederant angustas montium fauces ad numerorum viginti millia: descendentemque *Gallum*, duris pectoribus ac præacutis telis excepturi omnes alacriter præstolabantur. Hac etenim iter facturos hostes opinio frequens erat: quod & præmissi pedites suis cum appendicibus, tum & velites, ac mox cæteri, dehinc invia hac & illac omnia facile arguebant. Sed itinere diverso properantes *Galli*, perque intentatos antea calles ad *Genuæ* confinia sive *Petro Navarro*, sive, quod alii magis autumant, *Jo. Jacobo Trivultio* præmonstrante, dilapsi, dumetis obsitisque cautibus superatis, imposturam, assuetum protritumque servantibus iter *Helvetiis*, fecere, nullo quippe penitus obsidente, cum his nihil ab locorum angustiis timeretur, in aperta planaque demissi, conglomeratique repentina manus *Ligusticos* omnes tractus, patentioraque omnia subito replevere. Harum inculti tramites confragosique viarum, progressu molliore summotum hostem, *Villafrancum* perducebant; ubi *Columella* trecentis cum equitibus custodiam agebat, si quid opus esset *Helvetio*, laboranti præsidium allaturus. Sed circumfuso statim equitatu peditatuque *Gallicano*, priusquam sese præcinctum hostilibus armis sciret, oppressus est; barbaricæque custodiæ, ductor alioquin non indiligens, emancipatus. Ea gravis *Helvetio* jactura fuit: nam præter amissum equitem, hostemque jam in plana dilapsum, cum alia obsidentibus *Helvetiis* aliorsum hostes erepsissent, illud accedebat, quod commeatu fraudabantur; nec expediti equites, sarcinalibus jumentis utensiliaque præferentibus, præstare tutelam de more poterant, intercurrentemque *Gallum* avertere. Itaque male sibi creditos fines, maleque sibi commendatas oras deserere coacti sunt *Helvetii*: agrorumque patentia proruentibus *Gallis*, & majore numero succrescentibus in dies, relinquere. *Transpadanas* interea regiones *Octavianus Fregosius* ex *Genua* proficiscens, magno cum equitatu peditatuque peragrabat; *Cispadanas* vero *Laurentius Cerinas* ex *Crema* relegens, magnisque ferentariorum cataphrattorumque copiis occurrebat barbaro, jam summotis & abscedentibus *Helvetiis* tutiora tenenti; *Livianus* autem integro cum exercitu *Veneto*, & Regi obviam ire, ac *Hispanicis* Pontificalibusque turmis, ne jungerentur, in diversaque properantem *Helvetium* revocarent, festinabat; sed & hostilium copiarum Ductores, ac *Marcicorum Gallicorum*que consiliorum non ignari, quos & *Leonis* Pontificis mandata fatigabant, & ingenitus propagandorum finium suorum ardor accendebat, præcipiti festinatione militem impellebant: ut & proximis hostibus terrori, ac remigrantibus *Helvetiis* subsidio forent. itaque cum *Gallorum* alaudis, tum *Venetorum* legionibus, ac *Ligurum* copiis, dehinc effusis *Helvetiorum* numeris, ac ex diverso properantibus *Hispanis*, omnique coëunte Pontificali armatura, *Insubrium Ligurum*que regiones, omnisque *Cispadani Transpadani*que tractus oræ, militari castrensique fragore confremebant. Dissidentium præterea intestinis odiis civium erectæ factiones, incerto tanti conflati belli exitu, domesticis armis concursabant; intentæque rebus novis hominum reproborum montes insidiosæ, deperdendi boni civis, ejusque fortunarum dilapidandarum, desideriis angebantur; & jam *Helvetii* a *Gallo* longe distracti, suosque in vicos repedantes, *Varisium* usque regressi fuerant, percutiendi cum hoste fœderis potius quam conserendæ manus studiosi. Eo temporis incredibili rumorum varietate, sermocinantium ora constrepebant; ambiguæ voces, alterni mussitantium susurri, sub ipso belli pacisque lubrico miris modis jactabantur: jam *Helvetios Gallos*que invicem pactos centena aureorum millia, jam coivisse, jam sanxisse fœdera vociferabantur; rursus alii fluctuante pelago nuntiorum, refixas pactorum leges, confractasque ta-

tabulas, ac omnia saevi Martis discrimine peragenda contendebant. Sua quisque rem ex sententia futuram esse conjiciebat: eamque suae voluntatis indiscretae desiderio metiebatur. Fuere ea tempestate, qui de Mathesi sua responderent, cum nonnulli solicitius arcana caeli scrutarentur, non nisi magno conflictu, magnaque patrata caede, horum turbines bellorum posse sedari: & multi quidem anxii rerum, futurisque plus aequo semper inhiantes, obscura fatorum per omnem religionis cortinam, Mathematicorumque numeros disquisitius evestigabant; certissimisque vatum praedictionibus persuasissimum habuerunt, priusquam instructi ordines Martis in aciem descenderent, quanquam ab *Helvetiis* cuncta stare viderentur, *Gallos* propediem victores esse futuros. Hoc sub alterno versilique Martis torno, & civium & populorum, & Principum fata multorum contorquebantur: & aliis excidium, rursus aliis incolumitatem hoc sub ancipiti, fortuna portendebat. Quocirca inquieti, instabiles, incertique omnes titubante solo, diversaque semper huc & illuc animum percellente aura convolvebantur: & mordaces curae stimulis mentem acrioribus suburentes animum trahendo distrahendoque divellebant. Igitur *Galli* velut rerum securi, quos liberiore ambitu pervadentes, retrusa longius *Helvetiorum* agmina suis infraenes habenis reliquerant, collibus ac multis terrae jugeribus superatis ultra progressi fuerant: & jam *Trivultius* cujus nutu ductuque cuncta regebantur, haud longe *Mediolano* castra posuerat: extremisque pomerii finibus ad Divi fana *Christophori*, secundoque a moenibus lapide morabatur. Ibi tunc primum de urbe dedenda, deque recipiendo in urbem *Gallo* tractatum: quoniam propulsatis & abeuntibus *Helvetiis*, quorum in bello spes magna spectataque virtus erat, & hoste jam moenibus propinquo, ipsisque paene portis imminente, transigendum meliore consilio videbatur. *Mediolani* tunc rerum summam agitabat *Hieronymus Moronus*, ardenti vir ingenio, animique praevigentis acrimonia sublimis. Hic *Gallicanas* cum primo partes foveret, plenoque Regem amplecteretur obsequio, declinante viri fortuna, ut dignitatem aestimationemque suam externo praesidio comparatam, domesticis suffragiis tueretur, a *Gallo* ad *Sfortiam* desciverat; infensusque barbaricae factioni *Gallo* vehementer adversabatur; omniumque suarum conscius actionum, nec ignarus, si rerum hostis potiretur, de capite fortunisque suis omnibus actum esse, non tam sui pro Principis sospitate, quam propria laborabat. Vir igitur consiliis suis violentus & ferox, cum non parvo metu trepidaret Respublica, omniaque vicinis hostibus, & ipso procul absente praesidio, fluctuarent, plebem in arma concitavit: illiusque perleves animos, ut in docili mobilitate deflectitur, in *Gallum* Regemque *Franciscum* odiosius irritavit. Jam armis assuescere, tela tractare, obequitare, congredi, pulchrum videbatur. Interdictus quoque *Gallicana* censura spatarum olim pugionumque deferendorum usus, sub occasione belli praesentis, adolescentiae juvenili calore praeferventi concessus, mirum in modum arridebat: adeoque sibi praecingendorum hac indulgentia telorum juvenes fori, legumque metu relaxati jactanter applaudebant, ut *Gallicanae* servitutis jugum detestati, perosique ventosae nationis superbiam, nimia sua hilaritate laetitiaque conserendae manus exultarent: ultroque praevalidum hostem incessere provocareque *Lilinam* ferocitatem infraena juventus nostra, vulgarisque simplicitas praesumeret. Quae grandior aetas atque maturior permoleste ferebat: quippe quo res verterent, recasuraque militaris tempestas foret, tot confligentibus invicem bellorum procel-

A lis, ambigebatur. Nam & victorem *Gallum* cohibuisse, ejusque praesertim pedariae fecis colluviem ab insolentis impetu victoriae repressisse durum existimabant. *Helvetium* vero magis indomitum, *Germanica*que saevitia furentem, si eo bello victor evasisset, coërcuisse durius erat: quoniam eorum ductor *Matthaeus Sedunensis* Praesul, junctique cum eo aliquot Proceres infensissimi nobis; execrabilique in nos odio perciti, ferebantur. Nam cum paulo ante conflato jam praesenti bello, post mille millium exsoluta, aureorum, insuper trecenta millia *Matthaeus Sedunensis* efflagitaret a nobis, concussi sumus; raptoque confestim B Dei nostri tutelaris vexillo, in arentis barbari sitim inexpletam, intolerabilemque avaritiam, cum Nobilis juxtaque plebejus indiscretae factionis glutino cohaesisset, exarsimus incredibili tumultu saevientis in barbarum populi: adeo quidem ut se in arcem recipere, domesticisque penatibus relictis ad Principem confugere coactus sit; nec inde regredi praefurente vulgo, justamque plebis indignationem adjuvantibus Patriciis & Summatibus nostris, auderet. Quod illi adeo sane permolestum fuit, ut post abrogatam indictionem; sedatosque tumultus urbicos, excidium nobis interminaretur: & si victorem eum fata nobis C ostendissent, aspere crudeliterque nullo plebis ac Nobilitatis discrimine, ulturum dolorem suum certo scimus. Quocirca consulti prudentesque Viri, illatarum non immemores injuriarum, adversus *Gallos*, quos victores futuros existimabant, commoveri surrigique plebem impatienter aegerrimeque tulerunt; nec his opportuna malis remedia nobis offerebantur: cum non minus ab *Helvetiis* quam *Gallis* praetimendum esset; nec quicquam incolumitatis bonaeque spei nobis armati tribulis afferrent, uno ad arbitrium suum *Hieronymo Morono* cuncta volvente, qui nostra sub cervice Reique publicae periculo, ut gemma biberet, proludebat. D Feciales interea, missique *Mediolanum* ab Rege Legati, summos ad Proceres Ducemque pergunt: admissique protinus in Senatum, cum fandi copia daretur, ipsique *Mediolanum* ex lege reposcerent, quoniam abscedente *Gallo* publicis cautum documentis erat, ut elato *Gallicae* gentis vexillo cederemus, responsum insolentius & arrogantius acceperunt.

Maximilianum Sfortiam Mediolani Ducem gentilitiae sedi suae praesidentem, nequaquam dicto Francisci *Regis obtemperaturum esse: cum jure possideat, & sua jure tueatur; ipsumque* Gallis *inique provocari; neque legitime justoque bello lacessiri.* E *Verum modico tempore, diversarum gentium coacta manu, ferocissimas nationes auxilio futuras, quae Ducem populumque tueantur, strenuissimeque defendant: neque* Gallicas *erigi cristas in Principem oportere, quod* Helvetii *Mediolano longius abscessissent, cum* Hispanicae *Pontificalesque praesto legiones affuturae sint: quae sibi mutuis invicem praesidiis suffragantes, invicta virtute sua, suoque robore* Gallum *imbellem suisque cum nivibus resolutum, profligaturae sint & extemplo dissipaturae. Mirari sese insuper*, ajebant, *quo jure* Mediolanum *reposceret, cum interjacentes asperrimae* Cisalpinum *rupes a* Transalpino *disterminarent: & quod natura jure suo discrevisset,* F *id humana manu non posse neque debere confundi. Ad haec evocatum a populo* Maximilianum *Mediolani Ducem, permissuque Caesaris ac voluntate solio suo restitutum esse: proinde redintegrata consolidataque omnia, quae patre captivo superioribus annis intervulsa postliminio pendebant. Neque potuisse Patricios* Gallicanae*que factioni quosdam addictos Nobiles universo* Mediolanensi *populo praejudicare: ac nec ipsum rursus populum, acquisito jam pridem* Sfortiacae *gentis juri derogare ullo modo potuisse. Qua de re pactum, dictasque leges olim inter populi Regisque Pro-*

Procuratores, ab ipsis Procuratoribus exigerent, non a Duce: qui nec assensit quidem, nec assentiri potuit, aliena devinctus astrictusque potestate. Neque vero Cæsarem, si in vacantis aulæ solium Aureliensem *admisit, icciro* Sfortiadas, *si quo casu sedis in suæ domicilium reponerentur, aut ad paternas opes fortuna benignior promovisset, excludere voluisse. Quod si etiam exclusisset, nunc demum inclusisse; neque de causa, volantateque Cæsaris esse disceptandum, si qua liberiore judicio suæ potestatis arbitretur: laxas ejus potestatis habenas, & cum velit, omnibus legum vinculis absolutas. Proinde* Francisco *Regi socerоque ejus imputandum, si negligens & somniculosus gubernaculis excidit; maleque defenso solio detrusus est: cum alius successerit, qui paterno jureque suo legitimi sceptra tenet imperii. Non oportere rem* Romanam *tantæ jurisdictionis amplitudine fraudari; nec antiquas domino vacare sedes, qui pensum exigenti Cæsari solvat; &, cum oportuerit, armetur. Si concessa præstitaque* Ludovicus Aureliensis *tenuisset, & ipsum certe Cæsarem suffragaturum fuisse, si lapsus est defuncti patris vices agentem suffectumque protegi defendique optimo jure oportere: quapropter abirent & excederent.* Mediolani *Ducem* Maximilianum Sfortiam, *populumque ejus præferocem & in arma dispositum, neque Gallicanos impetus, neque vanas futilesque minas Regis formidaturos: conferre pedem, commiscere manus, conserere tela oportere: medioque Martis campo non ambitione nec jactantia, sed armis, viribus ac virtute periclitandum: atque horum, qui in acie percelluissent, quorumque magis spectata virtus esset,* Insubres Lambranasque *gentes ocyus mandata capessituras.*

Hæc cum in castra Legati retulissent, *Sfortiæ*que Ducis mentem Procerumque ejus animum *Franciscus* Rex perpendisset, exacerbatus est vehementer, nulloque non mœrore subtristis obriguit: quoniam pæne desperata fœderum ac pacis remedia forent, cum armorum asperiora, majorique discrimine prætentarentur; irritato maxime populo, cujus infinitam multitudinem, si strenuo præsertim ductore regatur, formidabilem *Galli* semper habuerunt. Ergo cum rogati *Gallorum* Proceres sententiam dicerent, omnes hostiliter agendum esse contra nos censebant; omniaque cædibus, incendio ac rapinis agitanda, permiscenda, fœdanda; tum obsidendam urbem arctius, & undequaque commeatus intercludendos, ut inediæ penetrabili telo transfixi suffocatique nullo discrimine perirent; ad hæc molitorios fluctus avertendos, obstruendaque fluminum atque rivorum incilia, omnesque sub urbis ambitum triticeos molares sistendos, disjiciendos, frangendos; in diversa mox dimittendam levem armaturam, quæ dispensandam civibus alimoniam in castra Regis averteret. Tunc itaque turmatim agminatimque ferentarius omnis exercitus excurrere, populari, diripere: quæ urbi subfluunt & adlabuntur flumina præcidere, aliorsumque deductis aquis exsiccare. Quibus stomachati cives acriterque plebes indignata, *Gallico* præsertim in dies gliscente odio, arma raptim induunt; tela parant; ensem accingunt. Tum conglobati gregatim *Lino Airoldo* Gallicæ Trivultiacæque factionis infensissimo ductante, *Ticinensi* porta erumpentes, in hostem turbulenti præcipitesque feruntur. Elati pulveris atra nubes, exauditusque concursantium fragor equorum, hostilis adventus *Trivultium* admonuerunt. Hic spe certissima transigendi fœderis illectus, cum a castris abscessisset, suburbano desederat: dederatque sacris operam matutinis, *Eustorgiano* delubro, cum hostis adesse nuntiatur. Itaque derepente circumflexis adversam in aciem militaribus tormentis, omnique statim opposito validiore peditatu, incondito proruentem ordine vulgum summovet: civemque validiori præniten-

A tem agmine, subsidio præsentiore admoto repellit. Mox stataria pugna congressi, tela miscent; cædunt, vulnerant. Ac sicuti plures eorum, qui interfuerunt, testati sunt, feliciore deprælianti populi successu, terga daturus hostis erat: victorque civis sperabatur: quoniam numerosæ plebis & infrænæ *Trivultius* certe non ignarus, majores etiam copias auxiliares mox affuturas præsidio civum existimans, cum de propinquo, & ad manum cuncta suppeterent, agmen contraxerat: recessuque maturiore, sese paulatim in castra suis cum cohortibus recipiebat. Sed his incidit vilissimus omnemque per aulam notissimus scurra *Martinus*,
B qui sive sponte sua, sive alieno suggestu, diversæque factionis impulsore subornatus, elata voce sistendum, belloque temperandum *Sfortiæ* jussu proclamavit. Ea voce audita, quanquam intempestiva, statum est: medioque pugnæ ferventis æstu, sudore pulvereque sordidati milites revocati. Hostis eo prælio turbatus, cum majori quam arbitraretur discrimine vexatus esset, difficiliores casus gravioraque pericula non expectanda ratus, illico revocatos a pugna milites, haud *Melignano* procul Regis in castra reduxit. Cives in urbem rediere, vocem morionis importunam conquesti, quod falso jussu Principis interpellati victoria re-
C cessissent. Quod cum *Hieronymus Moronus* rescivisset, injecta statim manu captum, calentique suspendio strangulatum *Martinum*, sustulit. *Linus*, qui prospere feliciterque pugnaverat, vertente fato, cum jam *Gallus* rerum potitus esset, in carcerem detrusus est, ultimoque supplicio damnatus. Cum capitis sententiam excepisset, affines cognatique ejus supplicium a Rege deprecabantur; & veniam daturus erat Rex ingenio mitiore *Franciscus*: sed assidentes lateri ejus honestissimi Proceres atque Legati, sive delatorum improba voce corrupti, sive quod ingenium audacis, turbulentique viri mores exploratos habe-
D rent, hunc seditiosum plebisque concitatorem, ac regiarum partium hostem infensissimum conquesti sunt; dubiumque Regem a mitiori ad severiorem sententiam reflexere. Quod cum *Franciscus* animadvertisset, tolli jussit. Itaque more reorum ad Gemonias traductus, securique spectante populo percussus est: mox impetrante propinquo sanguine, post dictas lugubres nænias, justaque soluta, Virginali Gratiarum delubro sepultus est; & ad templi dextram, cum ingressus verteris, hac inscriptione, conditorio humiliore repositus:

D. M.

LINO AIROLDO PATRIÆ PROPUGNATORI STRENUISSIMO, IMPIA
E NECE SUBLATO, BALTHASAR FILIUS SIBIQUE, AC POSTERIS, PIISSIME POSUIT UNDECIMO CAL^s JANUAR^s M D XV.

Interea quoniam penes *Helvetios* summa rerum esse videbatur, magnaque ex his futuri belli momenta pendebant, toto Rex conatu summos Proceres, horumque principia studiosissime conciliabat: ac missis libera cum potestate Legatis, qui fœdus *Alpina* cum gente ferirent, indomiti bellatoris pacem enixissime suaque pro virili procurabat. Illi quanquam pulsi fugatique longius essent,
F barbarico tamen more magis inflati, ac pertinaciter arrogantes insolescere, & primum quidem omnium, octingenta aureorum millia, quorum se *Ludovici* Regis, socerique sui creditores esse jactabant, deposcere. Ea cum increscеret plus æquo, lineam omnem obligationis exactionisque modum summa, prorsus excedere visa est. Itaque cunctabantur, & Legati consulendum Regem ajebant: quoniam potestas quanquam libera, ad hujuscemodi stipendiorum enormitatem, nequaquam extendi posse videbatur; & innexi fuerant

perplexiores nodi, quam concessa sibi potestate displicari possent. Ergo iterum atque iterum cum versa vice reversaque, ac pensitatis hinc inde discussisque omnibus, cum ardua difficiliaque cuncta revolverentur, placuit Regi summisque Proceribus ex ea summa centum ac sexaginta millia præsentari, cætera deinceps in annum semestreque spatium prorogari, ac mox congrua præstatione exsolvi. Tum pacta pro fide obsides *Helvetici* Gallo dabantur: pedariaque militia, qua semper hi super omnes cæteros excelluerunt, a *Maximiliano Sfortia* ad Regem conversa, certo numero certisque stipendiis prætaxata, merebat. Dictæ leges erant, fœdusque percussum, ac consancita omnia; &, sicuti quidam opinati sunt, jam numularias mensas, sordidis ære marsupiis oneratas, Regii quæstores agitabant, cum *Hieronymus Moronus*, horum conscius omnium & particeps, *Matthæum Sedunensem* Episcopum, qui Pontificias *Hispanienses*que copias, ex *Transpadanis* in citeriora, contra *Gallum* advehebat, *Helvetici* contractus admonuit; virumque præcipitem vir præceps impulit, ut prolabentem rem propriam communemque defenderet, suoque præfultam robore tueretur. Igitur accepto molestiore nuntio, vir ira concitus & furore terribilis, *Mediolanum* advolat: *Helvetiorum*que Primatibus advocatis, ignaviam illis suam exprobravit; inque stuporem eorum ac stoliditatem iis ardentissime verbis invectus est.

Quæ vestra isthæc est diligentia, diligentes? Quæ hæc, Viri prudentes, prudentia? Vos robore fortitudineque vestra imbecilles, vos impotentes potentia vestra, vos omnium pæne domini rerum, ignave turpiterque cervicem vestram infirmiori jugo subjicitis? & cum nullam Galli *præter* Helveticam *gentem timeant, vos illos vobis prætimendos facitis: vos illis obsequium præstatis, qui vobis obsecuturi sunt? Quæ vestra hæc inscitia est? Quæ hæc alienæ & oppressæ mentis ægritudo? Quis hic vester animi torpentis languor? An non satis ingens vobis, opulenta prædivesque* Mediolanensis *tractus patet ambitio? Num universa* Cisalpinæ Galliæ *Regio vobis angusta est, quam manu vestra tenetis, quam uno (dixerim) digito temperatis? Num vobis omnes fere* Ligurum, Insubrium, Cenomanorum*que regiones patent? Quis* Italiæ *populus, quis* Europæ *Princeps, quis orbis terrarum dominus signa vestra non horret, veretur, expavescit?* Hispanarum *arbiter Catholicus, mundi Cæsar Moderator,* Leo*que Religionis Antistes ac Pontifex Maximus, despectam* Gallorum *potentiam ac contemptam habuere: sublataque præferocis ac strenui Regis* Francisci *vexilla despexere: quoniam non inique suarum vos partium sectatores futuros opinabantur; illos certo certius existimantes bello declarandos esse victores, quos* Helvetici *roboris fortitudo tutata foret, quosque præduris confotos pectoribus alæ vestræ complecterentur. Cur igitur horum judicio Principum fraudem facitis? Cur vincendo victoriam excluditis? Cur hostem terrendo, cædendo, fundendo, vos gladiis vestris terremini, cædimini, fundimini? Si vos aliquando* Galli *profligavissent, si gæsis frameæ cessissent, ferrem ædepol æquiore animo, si deinceps periculosi Martis discrimen* Helvetius *perhorreret: at cum semper in gremio manuque vestra vestrorum sita mors hostium vitaque fuerit, quæ tanta vestræ mentis oculos potest obduxisse caligo, quæ potest oculorum aciem vestrorum cotis aspera retudisse, ut summo lapsi culmine, summoque dejecti gloriæ fastigio, nullo vos in barathrum propellente ruatis? nullo profugante fugiatis? nulloque dorsum flagellante cædamini? At magnum sane pulchrumque est octingenta Flavorum millia condidisse, tantamque relucentis metalli puritatem nulla cruoris macula respersisse. Heu hominum ignaræ mentes! heu cæca futuri pectora! Num putatis, ut, cum avarissima gens* Gallorum *potita rerum fuerit, fidem agnoscat, promis-*

A *sum eroget, nomen exsolvat? His vos bellariis, hoc lito melle gladio, hac suavi permixtaque veneno potione circumventos vos præfocant. Sed esto, cautionis illitas tabulas relinant; oppigneratamque fidem refuso mox auro repignerent: quanto locupletius est octingentis aureorum millibus, refertissimum* Mediolani *horreum, exuberanti omnium largitate redundans? Cum viceritis, vincetis autem, quod & vos scitis, & nos certo scimus, illa multiplicatis tot fulgentibus stragulis mutatoria, illæ Patriciorum abundantes divitiæ, illæ civium opes infinitis sumptibus comparatæ, quas vexant atque revexant, quas fundunt atque profundunt, quibusque per omnem luxum*

B *atque libidinem abutitur matronalis nequitia, civiumque jactantia perditorum, illa, inquam, omnia vestra sunt, vobis addicta, vestrisque semper usibus obnoxia. Nescitis, quia ego ipse sum, cui Marte peracto, quæ populus civisque tenet, donare licebit. Ergo nunc vestris torpentibus membris veternum excutite; expergiscimini: & qui semper aliena fortiter & strenue defendistis, nunc alacriter & impigre vestra defendite.*

Hæc cum paucis *Matthæus* perorasset, tanto conferendæ manus desiderio vehementer omnes accensi sunt & inflammati, ut non percussa fœdera, non præfixæ leges, non ipsum inviolabile

C Jus Gentium, ab impia certaminis injusti temeritate coërceret. Avaram gentem illectaverant, in medium adducta declamatore *Matthæo* quam plurima; sed nostræ præsertim supellectilis desideria, cujus diripiendæ spem certissimam concionator erexerat, incredibili cupiditate barbarum accendebant. Gentis hujus mentem tunc nobis aversam, perniciosaque machinantium consilia pugnatorum, nonnulli subauscultantes exceperant; communicatique invicem fœdi rumores multorum per ora civium irrepsere, quorum, præ metu, familiæ suæ disponentes quam plurimi pretiosa condiderant; alii sese privatis ædibus extulerant;

D nonnulli meliora sperantes victorem *Gallum* comprecabantur: quoniam etsi bello lacessitum temere, non ignorarent, ab illo tamen magis quam ab *Helvetio* posse veniam impetrare sperabant; hic quoniam rem alienam ingrassabatur; ille suam defendebat; & mitior est semper in servum dominus, quam in sontem & noxium prædo. Igitur *Helvetii* tota certaminis aviditate, ac velut in pugnam irritata rabie conspumantes, accersita, *Serono*, *Gallerate*, *Varisio*, circumjacentibusque pagis omnibus, sua omni militia, quæ a *Verbano* ad *Larium* interjacentes oras obsederat, *Mediolanum* tanto agmine confluxerunt, ut infinita multitudi-

E ne barbarorum nostra pæne civitas oppressa laboraret. Præter calones, lixas, equisones, quæque pugnatorem ex sæculi nostri licentia, mulier sequitur, ad septem & viginti millia, qui arma ferrent, fuisse traduntur. Et hunc sane numerum apud nonnullos, qui sic in historiæ contextum retulerunt, legi; de quo mihi parum liquido constat; & ægre quidem taxari potuit: cum ex improviso accersiti, omnibusque pagis suis spe certissima victoriæ coëuntes, die præstituto *Mediolanum* immigraverint. Sed hunc quidem numerum aut paulo minorem fuisse multa declarant: nam & triginta armatorum millia, præter omnem

F equitatum, in castris Regis peditatum hostilem explevisse certe scimus; nec verisimile fuit, *Helvetios* longe dispari numero conflixisse: cum equitatu permodico tenuique, *Gallorum* alis nequaquam conferri possent. Ad hæc, cum *Mediolano* excederent agminatim dispositi, multis ex fide numerum præscire cupientibus, cum infinita multitudine terreremur, dinumerati sunt: & quanquam in eam summam non excurrerent, haud magno tamen illam numero fraudabant. Fama quidem effusissimos suo de more numeros ampliavit:

vit:

vit: adeo majoribus ut nunquam copiis *Helvetios* in aciem descendisse vulgaret. Igitur cum sumptu nostro, omniumque dispendio civium saturati distentique epulis barathrum explevissent, inverso jam sole, per *Tonsam*, *Ticinensem*, *Romanam*que portam, alia deinceps perque alia in unum diverticula coituri, sese *Mediolano* turmatim effundentes proripuere: tanta alacritate gaudioque promoti, ut non majore lætitia, quam si *Gallum* delevissent agerentur. Regii milites omnium securi, cum nihil minus quam hujuscemodi congressum timerent, composito fœdere, rebusque pacatis otiantes, vacabant: verum cum, infestis appetentem telis *Helvetium*, nuntiaretur, ipsumque prætectum oliva gladium retexisse certum esset, quanquam innexam sibi fraudem impatientius ferrent, arma tamen confestim expediunt; tormenta locant, acies disponunt. Non præfandi, non concionandi, non cohortandi tempus fuit; arma vix induere, vix tela capere, ipsumque vix ensem succingere valuerunt. Incredibili tumultu atque fragore, cum armorum tum equorum, ipsorumque Ductorum asperrime cunctos increpitantium omnia late perstrepebant. Indignati milites, turbati Centuriones, accensi graviter justoque dolore Tribuni succensuere; multos metus, injuria multos adflixerat, & omnem pæne *Lilinæ* gentis exercitum non leves irritique pavores incesserant. Tanto siquidem dimicandi studio tantaque decertandi libidine percitos pugnatores *Helvetios* inardescere fama ferebat, ut consistere sustentareque vix posse prævalida corpora *Germanorum*, quos ex ulteriore *Germania* Rex secum advexerat, crederentur: & ipsi Ductores valentissimi bellicis semper rebus exerciti, ab optata placidaque securæ pacis tranquillitate, ad subitariam importuni Martis tempestatem jactati, perhorrebant. Ergo cum explicatæ vix primæ acies posterioresque medium agmen, exercitusque robur, quo *Germanicæ* cohortes, cataphrattique equites omnibus duplicatis ordinibus densissime Regem præcinxerant, circumvallassent, elato clamore, impetuque statim atrociore facto, Gallum *Helvetii* violenter invadunt; adactique totis viribus ac telis in hærentem soloque defixum hostem provehuntur. Sederat animo Ductoribus Regiis, quoniam *Helveticam* vim, gentisque ferocitatem exploratam habebant, consistere, neque loco moveri: ut constipati prædensatique invicem, *Helvetium* proruentem, spumosaque velut rabie debacchantem, validius exciperent. *Helvetii*, contra, nihil impensius agebant, quam aut dextrum aut sinistrum cornu propellere, ipsosque vel antesignanos aut subsignanos, aut triarios irrumpere: ut uno cedente vel quassato ordine, totus disjiceretur & conficeretur exercitus. Proinde cum suis in phalangem coactis ordinibus *Helvetii* congrederentur, emissa repente tormentario tonitru lapidaria tempestas, conglobatum agmen patentiore fenestra discindebat: sed assiduis hiantia foraminibus ora, restrictis illico labiis coibant; at illi tunc demum in hostem concitatius ferebantur. Utrinque magna vis, & animorum & corporum, utrinque pertinax fortitudo terribilem pugnam, immaniumque furore barbarorum crudelem, utrinque datis acceptisque totam per noctem vulneribus, in tertiam exorti solis horam protraxit. Elati perpetua felicitate præliorum *Helvetii*, nativaque ferocitate truculenter immanes, obiter circumque sævorum de more luporum exululabant: acuminataque dentalia ferreosque pectines obviis omnibus, nullo mortis vinculorumque discrimine, profundius & ad vivum defigebant. E diverso, inflammati justo furore *Galli*, spumisque fluentibus returgentes, obsistere; deluctari, rejectare; obarmatum durissimumque peditem *Germanicum* opponere; as-

A sultu resultuque circumagi; cominus eminusque ferire. Quo præduri *Gallorum* obices, adversaque corpora *Germanorum* validius ac fortius enitebantur, eo violentior & acrior impatientium *Helvetiorum* furor impressione relisus ebulliebat. Utrinque conciti magni militum ardores, magnæque commissis pectoribus confligentium flammæ, implacabilibus odiis ac plagis cruore promanantibus confervebant. Ter sese in numerum *Helveticæ* phalanges collegerant; ter suum in agmen suosque ter in cuneos impactæ acies a fronte, a tergo, a latere suprema omnia periclitantes, impetum fecerant; ter repulsæ, detrusæ, rejectatæque sunt;

B & persistente *Gallo*, ictusque prævalidos, quanquam titubante gradu, propellente, conclamatam victoriam, victoriæque spem extinctam, mœrore magno prætristes congemuerunt *Helvetii*. Circumduxerant *Gallorum* Ductores fossam ingentem, præacutaque clavorum cuspide suffixam asperaverant: quam putri gleba superjectoque stramine magister insidiarum occuluerat; concinnatisque dolis hostem suopte ingenio simplicem & incautum in pugnam molliter invitabat. Ignari sublatentis & obscuræ fraudis *Helvetii*, nihilque tale prætimentes, dum huc & illuc ora circumferunt, cunctaque de more feram subodorantis

C molossi perlustrant, hiante solo præcipites irruere: multi transfixi, plures adobruti, nonnulli suffocati. Stabant utrinque acies truculentæ, & atroces utrinque milites erant: ac omnibus ex æquo confligentibus utrinque ferali cum internecione cædes patrata. Desiderati *Gallorum* Proceres plurimi, dum fulcire sustentareque nativo robore, suisque viribus extrema præninuntur: ingenio magnaque virtute pollentes, magnisque natalibus orti Principes Viri, indiscriminatis hostilium telorum ictibus ceciderunt; quo quisque acrior pugnaque ferocior, eo morti suæ propior fuerat & promptior. Ipsum bis terque petitum telis *Gallorum*

D Regem multi prodiderunt: sed in cassum labente ictu, thoracis impenetrabili munimento, resiliisse. Ad pedes ejus circumque prostrati, vulnerati, retritique plures, quos ingrassantis *Helvetii* furor impetusque dispulerat. *Trivultius* bello paceque clarus, omnique castrensi disciplina præsignis, qui pro gloria, mox pro salute hoc prælio dimicavit, cum facti seriem exigentibus amicis recenseret, obstupescebat; hærebatque defixus, adeo quidem, ut majori nunquam discrimine concursum decertatumque contenderet; mirumque magis fuisse quod vicerit, quam si victus fuisset, ajebat; non fortissimorum hominum audaciam &

E vim, sed immanium beluarum feritatem & robur admirabatur. Nihil enim inausum nec intentatum, *Helvetici* ferri rabies debacchabunda, ut victoria potiretur, omiserat: adeo cum languidi debilesque pugnando defecisse omnes crederentur, eo acrius instaurati, *Antæi*que more vigentiores, ardentius in tela ferebantur. Solidam noctem dieique præcedentis & insecutæ multas horas, deprælìando, concurrendo, cædendo pertinax & asperrimus in ferrum *Helvetius* insumpserat; & jam exhausta viribus longoque certamine defatigata *Gallorum* corpora sudoris ac pulveris illuvie diffluebant; flaccescebantque cum vulneri-

F bus, tum armorum æstusque labore Regii milites; & pæne desperata salus erat: cum *Livianus* Venetæ militiæ Ductor egregius confectum ac lassitantem, &, ut multi tradiderunt, jam de fuga cogitantem *Gallum*, velut ex improviso Deus refovit. Tunc recenti milite subortoque fessis animis vigore recreatas *Gallorum* acies, *Helvetii* quanquam repugnantibus & invitis manibus ac pedibus deseruere: omnique potiundæ rei nostræ pedes ad imos spe dejecta, asperrimo omnique sævitia sæviori bello, cruentum finem fecere. Obstinatissimos

mos magnoque contemptu mortis in victoriam anhelantes eorum animos, *Bartholomæi Liviani* salutaris adventus fefellit: siquidem cum *Leonina* signa spirante vento concrispata proluderent, subitoque plausu *Liviani* nomen ac magnis acclamationibus cœlo tolleretur, existimantes omnem suo cum Imperatore exercitum, integrasque omnes copias præsto esse, fracti sunt animo; novisque viribus impares dare terga coacti sunt. Tunc sparsas ex omni campo contrahentes reliquias, afflictamque fatalibus ex arvis armaturam colligentes, non qua fuerant hilaritate *Mediolanum* egressi, regressi sunt: sed discerpti, mœrentes, infirmi, pulvere ac sudore squallentes & sordidi. Staturosa vastaque corpora tunc nobis obvia passim occurrebant; eorumque, velut tumentibus retentata podagris, nonnulla conspicari licuit, quæ nos ignari plagarum ac vulnerum, quæ suffixis pedibus *Helvetii* condolescentes, stridulo gemitu lamentabantur, suspectabamus. Magna pars remeantium nudi pedes, intecto vertice, saucii, titubantes, queribundi; adeoque fusci, nigrantes, & obsiti, ut *Tartareis* emissæ barathris larvæ *Stygii*que manes putarentur. Afflicti plures, elati alii, publico nonnulli valetudinario commendati; pauci solido corpore, vegetisque membris integri, *Matthæum* cædis auctorem reliquosque Duces de summa rerum ambigentes, secuti sunt. Hæc consensu omnium clades cæteris gravior ac perniciosior fuit, quæ ducentos abhinc annos *Helvetiis* inflictæ sint: cum prærepto strenuæ juventutis flore, tum Primariis *Helvetici* roboris Ductoribus extinctis, quos & ingenita ferocitas, & enormium stipendiorum, prædæque nostræ magna spes in bellum attraxerat. *Trivultius* cujus ductu, pæneque dicam auspicio, confecta res est, maximus illatæ cladis auctor fuisse creditur: cum & frater ejus minor natu *Renatus* bellicæ rei scientia præditus, castrensique vir gloria non incelebris, eandem multos ante annos gentem, si non pari, at certe paulo minori clade retrivit. Sed hic juvenis, ille senex; hic propriis, ille communibus auspiciis; hic pro *Mediolani* Duce, ille contra Ducem: nescio, an & uterque pro patria. Præstantissimi valentissimique ductores, qui hoc in bello acieque versati sunt, si quando hujus certaminis mentio, ut inter loquendum plerumque fit, incidisset, rei novitate magnitudineque facinoris attoniti perhorrescebant: cum tanta efferatorum animorum truculentia, tantoque mentis indomitæ spiritu dimicatum vtrinque reminiscerentur. Sævissimo peratrocique certamine confecto, quod sanguine multo, multaque cadaverum strage confusum obhorruit, *Matthæus Sedunensis*, qui suo male perusus lituo, malis avibus sinistrisque pugnaverat, suam adhuc immanitatem ferociamque spirans *Mediolanum* obscurus revenit; pluresque cum eo Proceres *Helvetiorum*, quos adversa belli tempestas perculerat: ingressique arcem, *Hieronymo Morono*, Ducique *Maximiliano Sfortiæ*, parum feliciter infaustoque rem Marte gestam edisserunt. *Hieronymus*, qui *Gallicæ* gentis imperitatum ægerrime ferebat, concitati jam populi plebisque victoriam *Lilinam* detestantis, multitudine fretus, sistendum ajebat; muniendamque propugnaculis & aggeribus urbem, donec *Hispanicæ* Pontificalesque copiæ, quas mora brevior *Mediolanum* advexisset, præsto fuissent; atque interim vulneratorum curanda corpora, refocillandasque militum afflictorum vires, quos turbo gravioris pugnæ disjecerat; ac hærendum sustentandumque donec vel importunæ hyemis asperitas, aut eroganda sumptu infinito stipendia, *Gallum* urbis obsidione procul avertissent. Contra *Matthæus* in re tam dubia, victoriaque Regi prorsus

A acclinante, nihil attentandum esse censebat: sed vela ventis indisciplinata libertate spirantibus, expandenda. Virum movebant propria magis quam *Sfortiæ* commoda. Nam etsi certo sciret, adventantes *Hispanicas* Pontificalesque copias, commota præsertim *Mediolani* plebe, debilitatis longoque defractis itinere, belloque duriore languentibus *Gallis* posse resistere, alieno tamen jussu, alienoque imperio gubernacula contractari oportere callebat; ipsumque, substitutis potentioribus dominis exauctoratum iri: cum proprio præsertim exarmatus præsidio sub alienis signis mereret. Sed & Vir consultissimus maximeque prudens illud
B verebatur, si se procurationem in urbicam *Hispanus* ingessisset, haud ita facile detrudi posse, quemadmodum omnis trepidabunda Cæsaris adventu *Gallia* cessisset. Itaque pro tempore cedendum, molliterque fatis obtemperandum esse suadebat, ipsamque *Jovis* arcem omni munimento præfirmandam, defendendamque custodiis omnibus, donec viribus reparatis, imperante Cæsare, justoque cum exercitu *Mediolanum* advenisset. Id autem intra semestre futurum pollicebatur, seque magnis præfixa die cum copiis affuturum jure jurando omnique religione firmabat. *Matthæi* sententiæ *Hieronymus* assensit: nec *Maximiliani* Du-
C cis voluntas, quanquam introrsum alia præstrueret, adversabatur. Itaque collectis e vestigio sarcinis, impedimentisque repente transvectis omnibus, *Sedunensis* cum *Francisco Sfortia II.* superatis *Alpibus* in *Germaniam* profectus est: ea diligenter ac sedulo procurans, quæ sese facturum, exsecuturumque modis omnibus promiserat. Rex interea Gallorum *Franciscus* donativis ingentibus, conduplicatisque stipendiis peditatum omnem maximeque *Germanicum*, quem multo plebs abusu *Lancigessum* vocitavit, cujusque præcipua virtus in bello prænituerat, affecit. Increbuerat opinio, totamque fere per urbem vulgabatur, *Gallos*, *Ger-*
D *manos*que pedites, qui pro Rege steterant, pollicitationibus ac præmiis ægre retentos, quin incursu subito depopulaturi *Mediolanum* invaderent: sed enormibus stipendiis magnisque largitionibus repressos subhæsisse. Quod nequaquam prudentum judicio receptum est: cum asperrimo prælio conflictati pæne omnes, ac *Hispanico* Pontificalique de proximo circumstrepente exercitu, salutis suæ dubii, quietem ac pacem a nobis, potius quam bellum & arma deposcerent. Neque ambigitur, quin suis integra viribus Civitas, suppletis adventitio vel centuriato milite copiis, sustentatura *Gallo*que bellum illatura fuerit. Sed hujuscemodi
E voces in vulgum projactatas invaluisse plures existimant, ut exinde justior & æquior a nobis extorquendæ pecuniæ demanaret occasio. Honestam quippe suis causam rapinis prætendebant regii quæstores, supererogata militibus beneficio commodoque nostro stipendia, eadem, manu nostra nostroque æri refunderentur. Qua de re popularibus inter nos studiis sæpe fluctuatum est, variisque decertatum inter ipsos civium ordines sententiis: cum Optimates nonnullo propriorum potius quam Reipublicæ commodorum studiosi, majorem ut Regis gratiam aucuparentur, eamque sinu pleniore reconderent, indictam fisco summam inferri, majore quam par esset & enixio-
F re studio contenderent; contra vero boni cives Patriæque suæ defensores æquissimi, ne tributorum fascibus civitas gravaretur, summa ope ac diligentia procurarent. Verum hæc quidem pecuniarum exactio, cum prope justo jure nobis indiceretur, quod Respublica *Gallum* in urbem ex lege non receperat, quod ipsum armatis infesta telis petiverat, quodque bello victa succubuerat, æquiore animo tolerata est. Illa vero gravior atque molestior, omnibusque contumeliosior fuit, quæ

quæ triennio nondum vertente protinus indicta est: & adversæ Nobilitatis factione violenter extorta. Etenim *Galli* quanquam insolentes & tumidi, victoriæque proximioris accessione superbi, viciniore tamen olim commotæ plebis exemplo, quo *Matthæum Sedunensem* armis insectata est, nihil temere nec insolenter attentare præsumpserant: sed nostrorum præsidio Summatum effulti, sese nostras in crumenas blandius ac mollius compressandas insinuaverunt. Tunc nostro quidem in ordine, quia locus & tempus exigebant, ipsaque res paulo durior silentium interpellabat, scio nonnulla dixisse, pauloque liberius, quam infirmitas mea pateretur, esse locutum: cumque alii alia vel odio vel metu aut spe magistratus consequendi confingerent, injuncta mihi communi decreto provincia quanquam invito ac repugnanti ad Regem scripsisse: & quanquam haud integram immunitatem, plenumque beneficii fructum non sim assecutus, Regiæ tamen mansuetudinis, clementiæque ejus abundantia nonnihil a nobis est impetratum. Cujus exemplum Epistolæ candido lectori perlegendum subjecimus.

MEDIOLANENSIUM *Jureconsultorum Ordo Conscriptus* Invictissimo Galliarum Regi, FRANCISCO, Salutem.

Excepimus jucundissimo animo Oratores tuos, Potentissime Regum, & Fortunatissime omnium Francisce *Dux inclyte, qui prædulcem exoptatamque sacratissimi nominis tui memoriam nostris mentibus impressam, una tui numinis mentione, nobis altius defixerunt: qui exactas continentesque victorias, qui celebres triumphos tuos, qui tuo ductu tot exhausta felicissime bella, uno nobis affatu benignius insinuarunt. Audivimus atque percepimus exposita mandata tua, quibus & partam nobis* Gallicano *sanguine tranquillitatem, & atrocissimis præliis tuoque conflictu comparatam nobis pacem, & tueri & augere, pacatis omnibus finitimis, appense prudenterque significarunt: si modo tibi molliter obsequentes, contractas ad tanta peragenda munera pecunias deprompserimus; si nos exemplo nostro reliquos invitemus, si voce nostra cohortemur, ut corrogando æri jussis tuis in communem causam obtemperent. Laudamus, Rex Felicissime, sanctissimum invicti animi tui propositum, exactissimamque perfecti judicii tui censuram, concordi mentis assensu comprobamus: qua bella propulsare, pacem tueri, popularemque concordiam fovere summa ope studioque desideras. Verum perpetuis nos sic impendiis obæratos & inopes, sic comminutas attritasque tot continentibus bellis fortunas nostras, ipsamque tot ingruentium bellorum incendiis exustam Rempublicam ut honestissimo desiderio tuo obsequi non possit, nec nos expetitam opem agendo hortandoque præstare valeamus, discruciamur vehementer & angimur,* Francisce, *Regum Piissime: adeo quidem, ut ægre nostra manus ad hæc breviter exaranda stilum promoverit. Propensi quidem sumus, ac votis tuis obsequio pleniore complectendis, omnibus certe reliquis proniores: sed tot ingesti prægrandesque malorum cumuli benignam voluntatem nostram distringunt & præfocant, ut gravissimum illud & molestissimum* Ulpiani Marcelli*que dictum repetisse cogamur:* Impossibilium nulla obligatio est. *Etenim quæ ad dandum impossibilia sunt, pro non adjectis habentur: neque ulla stipulatione vel pacto, ut præstentur, comprehendi possunt. Cujus rei quidem miseriæ cladesque nostræ majorem certe tibi fidem, quam impolitus rudisque stilus noster, facere possunt. An nescis, Rex Clementissime, sub ipsis Augustissimi soceri tui auspiciis, ipsoque* Gallicani *Imperii exordio, ut ab inde præteritas ærumnas conticeamus, nos trecentis aureo-*

A *rum millibus prægravatos? Quorum cum exactionis difficultate, tum sua in nos omnes pietate incredibili, Rex Mitissimus, cujus tu merito locum tenes, partem remisit; ad hæc specie donationis in Regem, non illius edicto, sed reproborum nonnullorum impostura, nos alio nec minori quidem pecuniario munere divexatos; ipso mox interregno,* Octaviano Sfortia *moderante, primo centum, dehinc* Maximiliano *incubante, bis centum millibus aureorum oboneratos; subinde novis exactionibus, novisque tributis, salinarum, agrorum, molarum, incilium, exquisitissimoque omni vectigalium genere conturbatos, exagitatos, oppressos; nec tamen ideo requiem nobis datam: cum post tot*

B *& tanta privatorum publicorumque damnorum dispendia, Principis edicto, trecentorum aureorum millium superindicta sit civibus nostris collatio. Qua paululum commoti, cum hæc intolerabilia viderentur, cervice jugum excussimus; mox ipso cum Principe contractu inito, ut aliquo compensationis solatio levaremur, partem erogavimus. An ignoras, Rex Optime, tuo exercitu appetente,* Helvetiis *obviam occurrentibus, mox retrolapsis, dehinc remigrantibus, atrocissimoque tecum protinus prælio dimicantibus, neque domi neque foris quicquam reliqui fortunam nobis fecisse; familiarem nostram rem consumptam; devastatos agros; dissipataque omnia? his tamen*

C *angustiis & extrema rerum penuria omnium, ut addictam tibi grati animi voluntatem ostenderemus, & sponte nostra satis incitati, ejusque persuasionibus illecti, quibus perpetuam crumenis nostris tranquillitatem pollicebaris, prætaxata aureorum centena millia a nobis ipsis extorsimus. Ecquid iterum divexamur, Regum* Christianorum *omnium* Christianissime? *Quid post effusam tempestate* Germanica *calamitatem, post tantam exercitus tui pressuram, quem intra urbem, intra domesticos parietes nostros ægre sustentavimus, aluimus, confovimus, iterum tangimur? Quid post exustas domos nostras, quod patienter & æquo animo tulimus, post disjecta & confracta*

D *omnia, denique post datam fidem tuam, qua nihil illustrius nec splendidius unquam in Principe reluxit, quid iterum expilamur, eradimur, decoriamur? Cum* Tiberio *Cæsari vectigalibus onerandas provincias mali consultores male consulerent,* Boni pastoris esse pecus tondere, non deglubere, *rescripsit.* Julianum *Cæsarem* Marcellinus *commendat, quod enixissime caverit, ne quos provincialium prægravaret sarcina tributorum. Et mehercule præstat aliquando repullulantia præsecare, quam stirpitus semel evellere. Elegans, certo scimus, dictum non ignoras:* Qui nimis emungit, elicit sanguinem. *Sed & ille medius fidius lieni fiscum consimilescere non injuria com-*

E *mentus est: quo turgidius pinguescente, cætera omnia commacescunt. Neque tamen hæc eo pertinent, ut ordini nostro, sed civitati tuæque Reipublicæ consulas. Nam etsi nostrorum prærogativa privilegiorum, quæ tu liberaliter & ingenue, sicut cætera omnia, concessisti, nos tutos præmunitosque confidimus, civium tamen nostrorum angustias, extremamque lachrymabilis populi jacturam ac sortem deprecamur: ingemiscimus ac deploramus afflictam miseriis totque calamitatibus oppressam civitatem tuam, quæ piissimis genibus tuis provoluta, si poëtico spiritu exclamare possit, hanc in vocem Lachrymabunda prorumpat:*

Jam te per Superos & conscia Numina veri,
F Per, si qua est, quæ restat adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum: miserere urbis non digna ferentis.

Hæc pietatem fidemque tuam implorat, hæc tuam singultabunda clementiam obtestatur, ut post tantas exagitati maris procellas, sævissimosque confligentium ventorum turbines, tuo sub moderamine, tuoque recepta portu tutissime conquiescat. Quod haud quidem ægre consecuturam speramus, si quassas naufragasque res nostras, si flebiles casus nostros extremo cum

cum fortunarum nostrarum discrimine, memoria repetas; si liberalitatem tuam, quam congiariis, ac donativis honorificentissime cumulasti, paululum conspiceris; si potentiam tuam, qua nihil majus, si genium tuum, quo nihil melius, si fidem tuam, qua nihil excelsius in Principe nec sublimius inclaruit, evolvas, pensites, remetiaris. Princeps quidem legibus solutus est; sed & illud scitissime scriptum legimus: Digna vox est Majestate regnantis, se legibus alligatum Principem profiteri. *Vale: ex sacrario nostro pridie Calend. Decemb. & a partu Virginis* 1517.

Igitur ut leniore tonsura numarios folles nostros *Galli* deraderent, expilarentque blandiore caudam vellicatu, creditum est, vulgoque receptum, *Germanos Gallos*que pedites, nisi suo Regia manus impendio repulisset, urbem ingrassaturos fuisse: cum non minus a nobis illi quam ab *Helvetiis*, quos nuper profuderant, prætimescerent. Et sane cum jam a *Gallo* distracta civitas, ejusque nonnihil amore dilapsa, *Lilinum* victorem abhorreret, magnoque *Maximiliani* Ducis sui studio teneretur, prudentum judicio redintegratura bellum erat, si Principis ipsius deditio non intercessisset. Hic enim Imperium suum pertæsus, cum multis belli pacisque fluctibus jactaretur, secretis cum Rege pactionibus convenerat. Proinde fœderis initi conscia Civitas, cum jam evaporantia tenui nube suffumigia confectæ transactionis odoraretur, ne caducum in parietem inclinaret, aut invitis, quod ajunt, canibus venaretur, *Hieronymo* præsertim *Morono* refrigescente, tempori dominoque cessit. Hic etenim cum summam rerum arcemque teneret, tutelarem causam constanter & fortiter obibat: ipsumque Principem commendataque simul omnia, sua pro solicitudine diligentiaque tutabatur. Verum postquam animadvertit, nimiam sibi solertiam objectari, alienatumque Ducem animo, defensoriasque omnes procurationes avertentem *Gallo* consentire, ne alieno fœdere percuteretur, alienique vulneris dolorem ipse sentiret, manum junxit, *Maximilianum*que *Sfortiam* deditione secutus est. Quæ tametsi nondum explorata, nec omnibus ad liquidum comperta forent, quoniam tamen nonnullorum frequenti sermocinio mussitantium rumoribus alebantur, incolumitate procurata, qua potuit medela conclamatæ ægritudini Respublica prospexit. Atque tunc primum omnium cum transmittendos ad Regem Oratores delegisset, in mandatis speciatim dedit, ut pensiculatim accuratissimeque Majestatis crimen expurgarent atque diluerent: quoniam non publico communique consensu nec præfixa consultantium voluntate, Civitas arma sumpsisset, sed audaces, temerarii, vecordesque nonnulli Principis sui gratiam quæritantes, *Gallicam*que gentem improbitate sua suoque rebelliori studio detestati tela rapuissent; ipso præsertim impulsore *Hieronymo*, cujus violentum & præceps ingenium popularis simplicitas secuta deliraverat; cui dominatum acerbius exercenti, multoque protervius, quam par esset, obsisti non potuit; nec nisi cum fortunarum omnium, periculoque capitis obsequium non præstari. Quocirca non unius improvida temeritate, aut paucorum unius factionem adsectantium delicto, plecti Rempublicam oportere; sed omni reatu forique vinculis exemptam, absolvi; sed & alieno etiam impulsu coactos venia dignos esse. Quapropter luculentissime disertissimeque publicam privatamque causam ex ipso juris rigore disciplinaque legum perorarent, & cum pro Republica veniam impetravissent, singulorum etiam crimina deprecarentur: quoniam alieno subditos imperio facile fuit in adversa dilabi, dominoque suo proclivius obtemperare, quibus tum peractis urbem Decurionum Pa-

A trumque mandato Conscriptorum offerrent ac dederent; imperioque Regis obnoxiam profiterentur. Sed & illud præ cæteris speciali nota rerum Moderatores Legatis injunxerant, ut hospitaturæ militaris immunitatem exorarent; beneficioque Regis ab hospite recipiendo secura Civitas lætaretur. Admissi exceptique sunt Oratores perbenigne, ac super omnia patienter auditi: cum pro Republica facile veniam impetravissent, quod juris esset, in reliquos statuendum esse, censuerunt; tum & multa ad *Ludovici* soceri sui præscriptum redigenda, & ex Senatusconsulto cum delecti Patres *Mediolani* sedissent, temperanda esse, responderunt. B Multis sane, qui Regis consilia mentemque participabant, innotuit, cum ingenita benigni animi lenitate, tum miro *Mediolanensem* in Rempublicam affectu, *Franciscum* omnia privatorum crimina, omnemque reatum una misericordiæ spongia deleturum fuisse: nisi quorundam amaræ voces intersonuissent; liventibusque maculis odiorum, sinceri animi candorem infecissent ac polluissent, qui popularibus armis offensi summo conatu prænixi sunt, ut illatas injurias ulciscerentur, quorum importuno malignoque hortatu dilata res est, & cavillatione suspensa; cumque mox lecti Magistratus optatu Regis jus dicerent, C capitalium Præfecti severissimas Majestatis quæstiones exercuerunt. Igitur cum *Gallo* cedere, *Transalpino*que imperio subjici collibuisset, placuissetque Mediolanensibus *Francisco* victori, venia prius impetrata, civitatem dedi, Procuratores extraque ordinem Regii Magistratus in foro curiaque residere: publicoque confestim edicto promulgatum est, omnibus ignosci, veniam omnibus dari. Securus quisque domi suæ, sua quisque tutus sede maneret; nihil a milite timerent, nihil ab exule proscriptoque cive formidarent; tranquilla, placida, quietaque jussu Regis omnia esse futura. Hoc mulso felle permixto decepti plures, qui fu- D gam paraverant, restitere; multi latebris, quibus delituerant, prodiere: omnes hac sub pergula platanoque, solis ardorem, improvisique sudoris æstum impatientius pertulerunt. Quippe plures exinde cum in carcerem detrusi vinculis tenerentur, deceptos se voce publica, regioque præcone delusos ægerrime ferebant: obstrepebantque reorum advocati legumque scientes indignatione justa succensi: quos prolatis illico tabulis Quæstores parricidæ refellere nitebantur. Etenim publicum rebellionis crimen, quo civitas astringebatur, quod Regem telo petivisset, remissum ajebant: non etiam privatis atrocem injuriam gra- E veque delictum indulsisse. Replicabatur non deliquisse Rempublicam, cum nihil publico consensu nec citatis de more civibus, in Regem exercitumque ejus admisisset: proinde vacuas & inanes ceras non innoxios & insontes complecti, sed qui aliqua culpa erroris arcesserentur, tenere; nec oportere Principis veniam interpretatione maligna, nec obliquo sensu circumvenire: cum præsertim non iniqua mente cives animati, sed *Maximiliani* Ducis obsequio, arma sumpsissent, cui obtemperandum fuit, cum jus & potestatem in caput eorum haberet. Tunc Præfectus fiscique Procuratores instrumenta, testes, rerumque probationes omnium exigebant, quæ reorum patroni non F indiligentes accuratique declinabant: quod notorium manifestumque probare non expediret, sed allegare; cum indubitata fide luceque sua, cuncta clarescerent. Hos itaque per legum anfractus, acutaque senticosi juris spineta plurimi trahebantur: quorum elati alii, rursus alii mitiore fato tractati, flaccescentibus marsupiis evasere. Interea delecti pedites Regii, eorumque Ductator non impiger *Petrus Navarrus* circumfusi distributique vicatim, arcem circumsident; arctioreque distri-
ctam

ctam obſidio premunt: quoniam *Hieronymus Moronus*, qui ſemeſtrem abſcedente *Matthæo* moram ſuſtentaturus convenerat, omnem primo deditionis legem, juraque fœderis deteſtabatur, cum nihil, quod dignitati ſuæ congrueret, priſtinaque dignum amplitudine ſua videretur, ſciret poſſe præſtari. Itaque ad Arcis obſidium expugnationemque deflexerunt pedariæ cohortis Magiſtri: quæ convicinio, propinquiſque omnibus moleſtiſſima fuit. Siquidem pedeſtris turbo, lutulentæque fecis illuvies, convicinales domos, perpetuo ſentinario proluebat. Ad hæc molis operoſæ magnitudo, editæque propatentibus foſſis cælo turres, expugnationem ægram difficilemque cuncta ſcrutantibus præmonſtrabant: adeo quidem, ut nullis muralibus machinis, grandioribusque tormentis ſubigi poſſe crederetur. Quapropter expugnatione ſubterranea, impenetrabilique aditu viam inviam foſſoribus ac cunicularii prætentandam eſſe cenſebant: quanquam multi ſane tormentalis diſciplinæ non expertes, hiſque murorum miniſteriis ſubruendorum exerciti, conatus irritos omnes futuros, prædicarent: quoniam & ſubhiantis foſſæ profundum, omniſque propugnaculi baſis profundior, vim nullam pulveris igne permixti validam & ad ima penetrantem admitteret. E diverſo alii hujuſce artis ſcientia præditi, quanquam ingentes, imoque demiſſos barathro muros, ſubverti poſſe molitionibus occultis opinabantur. Itaque dum quæſtuarii mancipes opificeſque conductitii, magnum opus præcipitant, *Petro*que jubente ſuſceptam omnes provinciam expediunt, *Maximilianus Sfortia*, cujus animo nihil altius inſederat, quam his ocyus moleſtiis liberari, Regis nuntios perlibenter admittere; longeque libentius audire; applaudere, aſſentiri, arridere: contra vero *Hieronymus Moronus*, adverſari, perſtrepere, diſſentiri; fine diſcriminatas interminali ſervitutis imperiique vices ignaro Duci proponere; libertatis ſpeciem omnibus admirandam, ſervitutis jugum omnibus deteſtabile; *Maximilianum* nunc Principem, mox futurum Regis vile mancipium admonere; hortari, ſuadere, ut compedes aureas evitet, ut laneos molleſque deditionis laqueos effugiat; ut *Matthæum* brevi cum Cæſare ſuiſque cum copiis affuturum expectet: ab ipſo *Gallorum* Rege Procuratoribuſque ſuis nihil poſſe tam amplum magnificumque proponi, quod *Mediolanenſi* collatum imperio non evileſcat. His & hujuſcemodi frequenter in medium ſermonibus adductis, cum diſcrepantes invicem, accenſique rebellibus animis nonnunquam acrius committerentur, præfixamque Ducis ſententiam, qua dejici non poterat, *Hieronymus* perpenderet, deflexit; ſuamque cum Principe cauſam qua potuit ſedulitate ſtudioque tutatus eſt; ſuamque primo ſoſpitatem cum fortunis omnibus, priſtinaque cum dignitate, qua Regios inter Senatores Latoclavo conſpicuus reſederat, paciſcitur; tum *Maximiliano Sfortiæ* annua ſex & triginta aureorum millia præſtari in ulteriore *Gallia* convenit. Addidere nonnulli duntaxat viginti millia, poſt adeptam Apoſtolici Senatus Purpuram, quam procurante *Gallo* conſecuturum pollicebantur: verum cum exinde ſuboriri novandarum rerum occaſionem non injuria prætimerent, abrogata flaminis mentione, pactam majorem ſummam in extremos uſque dies prorogaviſſe. Cum in album redactæ leges fœderum placuiſſent, mutuoque conſancita ſtipulatu religionis vinculum aſtrinxiſſet, ſubingreſſus egrediente *Maximiliano* barbarus, arcem capit: armaturaque validiore, firmioribuſque cuſtodiis præmunitam circumcingit; ac *Ciſalpinæ* veluti *Galliæ* tutiſſimum pignus tenet, inexpugnabilis munimenti æternique roboris mole ſecurus. *Maximilianus* arce relicta, privati civis in domum, ipſeque pri-

A vatus, a boveque velut ad aſinum dilapſus, ſeceſſit. Hic *Jo. Angelus Salvaticus* Hieronymi Moroni conſobrinus fuit, quem *Gallicana* ſolertia, quo facilius voti ſui compos fieret, Oratorem ad *Maximilianum Sfortiam*, *Moronum*que delegerat: corruperatque virum, *Morono* jure ſanguinis, vinculoque familiaritatis obnoxium; atque huic inter cætera locum in orcheſtra dederat; humilemque media nobilitate virum eo provexit, ut cum feliciter tranſactæ rei gloria, tum propriæ virtututis ornamento, primatum inter Laticlavios obtineret. Rudis erat impolitique ſermonis; nec ullius elegantiæ ſtudioſus: verum adeo Juris Civilis ſcientia præditus, tantoque ardore prævigentis ingenii ſublimis, ut Claſſicos omnes Jure Conſultos, qui tempeſtate noſtra præfloruerunt, ſi

B longe non exceſſit, ita tamen præteriit, ut proſpicerent illum magis quam conſpicerent. Et ego quidem cum eo nonnunquam collaturus, cum non temere nec imparatus congrederer, præ fulmine tamen exardeſcentis illius ingenii ſolicitus eſſe cogebar: videbarque mihi nonnihil effeciſſe, ſi æquo Marte exinde divellerer. Acerrimum & præcallens ingenium, avaritiæ libidiniſque notæ indelebili macula propolluerunt: ſiquidem, & fœnus exercuiſſe, vulgo jactatum eſt; plurimaſque

C ſpe nuptiarum matronas deluſiſſe, ut potiretur, percrebuit; atque cum frigeſcentis affectæque juventutis, remiſſi jam calore ſuo impetus deferbuiſſent, nobiliſſimæ mulieris *Corneliæ* forma captus eſt, quam & in matrimonium poſtea duxiſſe compertum eſt. Cumque ex difficili vix ægritudine reſtitutus convaleſceret, prænitentis lubricæque mulieris viſco, nondum priſtino membrorum robore confirmatus, inhæſit: brevique relapſus in morbum, quem intempeſtivo coitu contraxerat, elatus eſt. Hic mihi profeſſionis, & ordinis jure conjunctus, fratrique meo natu majori, affinitatis vinculo, quod ex *Cornelianis* nu-

D ptiis nactus erat, alligatus, ſed naturali quodam diſtorti perverſioriſque ingenii ejus diſſidio longe diſtractus a me fuit, & ſemper averſus. Hujus ergo viri cum in domeſticas ædes *Maximilianus* divertiſſet, hoſpitiſque *Salvatici* penates ex arce modicos præoptaſſet, ad eum plurimi civium reviſendi ſalutandique gratia perrexere; multi quoque petulantius inſultantes, deflagitanteſque pecuniam, quam viribus quæſturæ compulſi coactique deprompſerant, refundi ſibi, damnaque reſarciri cuncta depoſtulabant. Quos cum ad numulariæ rei Præfectos ipſe remitteret, replicareturque, ſoluta ejus imperio, non a miniſtris ejus, ſed ab ipſo repeti & exigi oportere, divexabatur

E animo vehementur; quantumque intereſſet, eum, qui Principem locum obierit, nunc privatum agere, moleſtioribus curis præſentiebat: atque adeo ex præcelſi culminis faſtigio ſummaque rerum opulentia, deſpectam ad humilitatem egenamque dejectus eſt, ut cum ad exuendam interulam quotidianæ ſordes interpellarent, quam ſubindueret emaculatam & puram emendicare cogeretur. Amici ejus, *Sfortiacæ*que factionis ſtudioſi, & propriam & Principis vicem doluerunt, quod arcem intempeſtive reſignaſſet: nec enim tam repente deponendum admonebant imperium; cum præ-

F ſertim *Matthæus Sedunenſis* brevi *Mediolanum* magnis cum copiis ipſoque cum Cæſare reverſurus eſſet: proinde & ſibi, & amicis, atque clientibus offeciſſe conquerebantur; gravatimque ferebant. Ille ſuam communemque cauſam defendebat, appenſiſſimeque tranſacta cuncta tutabatur; cum prævalidus ingenſque *Gallorum* exercitus, ab urbe ſummoveri nonniſi magna cum hominum internecione, manifeſtoque civium multorum interitu potuiſſet: itaque Reipublicæ magis quam ſibi proſpectum voluiſſe, cum & acriore in dies

odio, magnaque populi fremitantis & invidia liventis, Ærarii Quæstores, Censusque Magistri, pecuniam conflarent; neque hoc tanto imminente bello, nostrisque cervicibus incumbente, Patriciis plebique mos geri potuisse: proinde viverent, valerent, sibique haberent. Arce *Jovis*, ut instructa parataque tunc maxime fuerat, asserta, Rex Galliarum *Franciscus* armatorum majore pompa quam ferculorum quinto Idus Octobris, cum Idibus Septembris felicissime pugnasset, *Mediolanum* gloriosus ingreditur. Spectaculum tranquilli horroris pavorisque securi plenum, dispositæ suis ordinibus cohortes bellatorum, refulgentibus passim armis emicantes effecerant. Phaleratus omnis equitatus, crebro hinnitu, crebrioreque rotatu, dum læva dextraque præmanso ac spumante freno sessor ferocem circumagit, auram anhelitu resultantem rumpebat. Præsignem triumphum mirabilia cuncta ducebant: sed insignius illud & pulchrius, quod bello sub atroci peramœna pax erat; quod in ipso castrensi fragore, magnorumque tumultu Procerum otiari fas fuit. Lætum pavorem tutamque formidinem insinuabant terrificæ confligentium species, simulatique certaminis præficta dimicatio. Sed præcellebant admiratione omnium & majore pompa phalanges pedariæ *Germanorum*, elatis nigrantibusque vexillis conspicuæ: vasta corpora, suas late prætenta manu relucentes frameas gestantia, popliteque tenus insigniter obarmata, multiplici pugnatorum examine versuque Regem constipabant. Ipse sublimis & arduus, omnique venustiore forma augustior, invehebatur. A fronte, a tergo, dextra lævaque miraculorum omnia plena. Hac spectaculorum molitione fastuque nobis sese *Franciscus* ostentans, cum triumphali porta Civitatem ingressus, vetere religionis instituto, Deos immortales venerabundus delubro Virginis Pontificali salutavisset, non in arcem soceri moreque majorum, sed in *Cecilianam* Basilicam, nunc *Forum Novum*, se recepit: sive, quod Regium Arcis Conclave muro promuralique præcinctum, superatisque mille liminibus evincendum, despiceret; sive, ut majori magisque obvia comitate, Regio fastu deposito, Cives, Patricios omnemque salutationis ordinem exciperet. Interea Primarios Summatesque Viros, qui apud Regem Oratorum vice fungerentur, Senatus *Venetus* delegit: *Antonium Grimanum*, *Dominicum Trivisanum*, *Andream Grittum*, provectioris ævi maturitate, bonorum morum sanctitate, disciplinarum ornamento, omnique peracto sua in Republica Magistratu conspicuos & insignes. Quorum *Dominicus Trivisanus*, cujus in dicendo primæ partes erant, cum Augustale Prætorium omnes introgressi fuissent, *Gallicanæ*que Majestatis amplitudo silentibus cunctis fandi copiam impartivisset, in hæc verba locutus est.

Venetorum Oratorum coram Francisco, Galliarum Rege, Concio.

Ea summi quidem amoris singularisque benevolentiæ certiora sunt argumenta, fortunatorum omnium Fortunatissime Regum, Francisce, *cum immortalium consensu, ipsiusque Dei Optimi Maximi judicio, felix aliquid faustumque contigerit, gratulari, exultare, lætari: tantumque jucunditatis ex amici præprospera secundioreque fortuna, quantum ipsemet ex propria voluptatis capiat, percepisse. Id nostræ profecto Reipublicæ Sanctissimoque Senatui* Veneto, *ex præcelsa illustrique victoria, quam* Donatianis *arvis tuo pectore manuque tua consecutus es, quam amplissime cumulatissimeque contigit. Omnes siquidem ita gestimus, ita lætamur, sic hilarescimus, ut exuberantis lætitiæ nostræ plenitudo, tuæ collata, non minori certe quam tua impetu supergressa, redundet. Nec mehercule præstantius quicquam aut excelsius, quod universæ Reipublicæ nostræ mentes animosque repleret, majoreque gaudio distenderet, aggredi con-* A *ficereque potuit invicti animi tui sublimitas. Adeo hac ex conspicua incomparabilique victoria, quam proximis diebus gloriosissime* Gallicano *sanguine peperisti, omnis ætas, sexus, ordo, tripudiat, salit, totoque resolutus affectu deliquatur: acclamatione, plausu, triumphoque tuo, quem aurea Parcarum fila tibi niveo pollice deduxerunt, erigitur, commovetur, excutitur. Ex lætitia voluptateque tua, quam tanto sudore ac studio consevisti, nutristi, messuisti, velut ipsa nostra Respublica consevisset, aluisset, decerpsisset, prælargum uberemque fructum capit: quod nos jubentis illius mandato tibi primum, mox cæteris omnibus, qui nos vident, & audiunt, liquidum apertumque* B *vultu, gestu, voce, testamur, declaramus, profitemur. Tua quippe felicitas nostra est. Felicissime Regum, paribus auspiciis sacras formidabilesque* Jani *portas referamus & claudimus; paribus telis parique vexillo congredimur; eodem æstivamus sub sole, iisdemque sub pellibus hyemamus. Fortitudo tua, gloria tua, tua omnis laus nostra est: quoniam itidem omnia nostra tua sunt. Quocunque modo foris intusque titillent, tibi omnes nostri sensus obsequuntur. Tu mentem nostram sentis & nos tuam: omnia consiliorum arcana nostrorum percipis, quoniam & nos tuorum secreta percipimus; omniaque invicem communicata pari luce veritatis innotescunt. Omnes in te refluunt exultantium gaudiorum undæ nostrorum,* C *nam & restagnantes lætitiæ tuæ fluctus in nos reciproco fluxu refunduntur. Eodem etenim remigio, iisdem velis, parique sereno per infesta & tranquilla navigamus; eodem sidere dirigimur; eodemque tuto portu confidimus. Nec adversata propitiataque fortuna quicquam nobiscum agit, quod pari sorte parique tecum alea non conferat: cum tuus in* Italiam *adventus tanto belli apparatu, quanto nec ipse prior socer tuus* Aureliensis, *nec ante eum* Carolus *sese nobis olim admirabiles exhibuerunt, sermone omnium, crebrisque rumoribus invalesceret, idque literis & nuntiis nos certum haberemus, recreabamur, confovebamur, dilaxabamur, rerum omnium miseriis* D *angustiisque conflicti, districti, oppressi: quas eo firmius constantiusque Respublica nostra perferebat, quod præsentaneum tuæ manus auxilium, opisque tuæ medelam salubriorem speravit. Nec eam sane præconcepta fefellit opinio: rediviva quippe tuo ex adventu facta est; ex congressu tuo spiritum, animam, vigoremque recepit. Venisti, vidisti, vicisti; sed citius plane quam veneris & videris: nec imbelles* Medos, *aut molles* Persas *Asiatico luxu peregrinisque deliciis diffluentes; sed præduram gentem & asperam, suaque feritate crudelem profudisti, stravisti, trivisti. Superbiebat gens immanis, suisque adeo truculenta natio confisa viribus* E *insolescebat, ut universos, non dixerim* Italiæ, *sed* Europæ *Principes & populos, uno suo distento digitulo confossuram, unoque sublato calce suo proturbaturam sedibus, arroganter inflata dijactaret. Compressa est, tuo reluctante exercitu, tuisque confligentibus copiis præfocata relisaque, prorsus interiit. Admirabatur illa quidem* Galliarum *Regem* Franciscum, *quanquam præpotentem & validum, hanc in aciem velle descendere; tantumque facinus audentem* Gallum *Principem obstupescebat; nec castrorum sudorem & pulverem, indomitæque vim gentis, ac ferro debacchantis ferociam perlaturum opinabatur: sed* F *opinione lapsa est; & cum acriter ipse consisteres, nec jam ex æquo, sed superiori Marte pugnares, incalescentis suffervescentisque animi tui magnitudine rumpebatur. Itaque frequenter assiduoque certamine repetito, propulsata, rejectata, diffractaque coibat; & cum urgente fato profligata retritaque funditus putaretur, reassumpto tunc demum praeferoci spiritu, exagitatique more leonis aut spumantis apri, per exertos enses districtaque per media tela proruebat; tanto quidem impetu tantaque rabie, ut bello sem-*

semper asperiore & atrociore recruderet: donec integra nocte, multoque præcedentis insequentisque diei consumpto spatio, nonnihil & Veneta suffragante manu, cum jam Deos Deasque omnes execrata detestataque devovisset, fractis animis, exhaustis viribus, desperata victoria, omnique pedibus excusso pulvere, tandem excessit; hastamque concreto sanguine pulverulentam & sordidam ingloria perlitis honoribus, lutatisque titulis abjecit. Illa igitur albente nota tibi nobisque dies enumeranda feliciter illuxit: tuus ille dextro Marte congressus augustior omnes pari gradu gaudiorum extulit, pari jucunditatis nectare perfudit, parique lætitiæ largioris Ambrosia pavit. Tantum etenim tua nos hac ex parta fatali victoria, quantum tu gaudes, lætamur; imo non quantum gaudes, sed quantum potes, gaudemus; neque vero nos, quantum possumus, aut quantum volumus, sed longe quidem plus quam possumus & volumus. Certi quippe sunt fines jucunditatis lætitiæque nobis, ab ipsa præfixi circumscriptique prudentia, quos præterire transgredique limitatus censuræ rigor vetat. Hos nos gaudii tui gaudio propollente supergressi quidem excessimus: nec indociles affectus nostros ulla potest hac in re disciplina docere; nec ulla cohibendo temperatura moderari; prosiliunt, expromuntur, erumpunt; & infræno procursu, latisque sensuum nostrorum omnium spatiis pervadentes, bacchantur; neque reclamantem sessorem audiunt; neque præturbidi frænum equitis sentiunt; aut ulla costis impressa calcaria timent; sui juris hoc in campo lætitiæ esse volunt; suasque sibi leges hoc in pelago gaudiorum usurpant: cæteris rebus nobis omnibus obsequentes; sed hac in re tantum exsoluti liberique, quoniam & hæc tua laus tuaque gloria, metis omnibus gloriæ, finibusque soluta est. Proinde nobis Tibique plus gaudere licet, quam liceat; plus quam par sit exultare par est; acclamare, non quantum antehac alii, sed quantum nemo; plaudere, non quantum posthac cæteri, sed quantum nulli deinceps plaudent, aut plaudere valebunt; ac neque, quantum expressisse lingua licuerit, sed quantum vix animo cogitasse, vel concepisse fas est. Quæ ut eo gradu atque tenore, quo cœperunt, procedant, ac ut pectoribus nostris subscatentes hilaritatis undæ perpetuis fluctibus evolvantur, tui juris est, tuæque fortitudinis, Potentissime Regum, providere. Quod actutum efficies, si quassatam disjectamque bellorum tempestate nostram Rempublicam restituere, si eluxata dissitaque tanto fati repugnantis turbine membra componere, si defecta cuncta reficere, depleta replere, exhaustaque omnia instaurare digneris; si te tua fides ad hoc semper inviolata promoverit; si te percussa hac de re fœdera stimulaverint; si mutui amoris, mutuæque pietatis individui nexus, constrictaque multiplici nodo vincula collatorum invicem officiorum impulerint. Sed nec quidem hæc auribus infundo tuis, angustaque hæc voce mea repeto, quoniam fidei religionisque tuæ candori diffidam, Rex Regum Integerrime & Optime, sed ne tuis adeo lætitiis oppressos, cæteri nos Principes existiment, ut nostrarum domesticarumque lachrymarum nos oblitos imprudenter redarguant. Quas ut aliquando clementioris auræ tuæ lenitas abstergat, tuique tepentes Zephyri salubrius desiccent, rogamus, obtestamur, & obsecramus:

Hæc cum *Dominicus Trivisanus* magna auscultantium tranquillitate, summoque faventium omnium studio luculentissime perorasset, quoniam sæculi nostri pravitate, nostræque tempestatis malitia, eo bonarum artium satietas, literaturæque contemptus processit, ut alienæ facundiæ Summi Principes egeant, paucis, præsidentium Præses, qui lateri Regio tunc assidebat, respondit: *Hac Principis Senatusque* Veneti *legatione, hisque benignis Oratorum officiis* Franciscum *Regem non mediocriter esse lætatum: cum inter amicos omnes & socios, qui* Gallicas *partes vel benevolentia vel fœdere sequerentur*, Venetos *omnium fidissimos experiretur atque sentiret; ipsosque regiarum curarum participes suffragatoresque præcipuos certo certius agnosceret: proinde merito gratulatos, meritoque gaudentes, cum Regio pectori nihil altius insedisset, quam beneficiorum pari relatione, collata ab Senatu* Veneto *merita rependere: ideoque brevi enixissimam daturum operam, effecturumque pro virili sua, ut non ipsi solum* Veneti, *sed omnes* Italiæ & Europæ *Reges perciperent, eum esse* Galliarum *Regem* Franciscum, *qui gratos amicorum affectus, præstitaque liberaliter officia nunquam abrogaturus sit; sed quam cumulatissime repositurus.* Plures interea Reguli Ducesque salutationis obsequia præferentes in aulam iere; multique Procerum recolendam ad victoris Majestatem, ac reverentius observandam in atrium admissi sunt; & his adjuncti Civium Patriciorumque nostrorum quam plurimi, qui *Gallicanæ* devotionis affectu tenebantur, ad terreni fastigii culmen adorandum Regiam subiere. Quibus ex ordine salutationis officio perfunctis, ac mox forensibus urbicisque rebus compositis, postque Senatum cæterosque de more Magistratus delectos, Rex *Bononiam* iter parat, *Leone* cum Pontifice Maximo de summa rerum collaturus: *Laurentio Medices* apud Regem, *Bonivet*oque coram Pontifice studiosius id procurante. Et sane quanquam *Gallorum* Heroës plurimi nonnihil addubitarent, nec Pontificiæ fidei concredendum esse Regem arbitrarentur, cum in ipsa delinquendi opportunitate nihil unquam importunum fuerit, in ipsoque sceleris admittendi lubrico fides omnis ægra laboret, omni tamen resoluta subhalantis nube suspicionis, magno Ductorum militumque comitatu (ad viginti equitum & amplius millia traduntur) *Bononiam*, Oratoribus *Venetis* susceptum iter prosequentibus, perrexit. *Transalpinæ* religionis modestia sacrorum Præsidem reverenter persancteque coluit; semperque suis observatum piaminibus, quantum Imperii sui tunc quoque permisit ambitio, venerata est. Etenim omni tunc Rex studio diligentiaque *Franciscus* egit, ut Archiflaminem observasse videretur; nec ejus unquam mandata despexisse: ita tamen, ut a socero relicta tueretur, suisque rem partam a majoribus defensaret. Itaque *Placentiam Parmam*que, *Julio* quondam Pontifice manu nostra distractas, revocare nitebatur: nec id tamen aperto Marte nec armata manu, religionis obsistente cultu reverentiaque, sustinuit. Sed nec ipse ceremoniarum Antistes Præfectusque sacrorum, in tanta victoris felicitate, ventosæque gentis gloria, quicquam attentare, quod exagitati *Gallorum* folles repente proflarent, audebat. Ergo leniter ac benigne mansuetique sermonis temperamento prætentata res est: cumque *Mediolani* priscam in ditionem, ablaqueatæ Pontificio jure, civitates recidissent, resarciri sibi damna, substituique alia deficientium loco Pontifex postulabat; & ipsi Principes *Veneti*, quorum non parva victoriæ momenta præsidiales copiæ *Gallis* attulerant, *Brixiam* atque *Veronam* asserere, suisque finibus concopulare magis oliva quam gladio nitebantur. Ad hæc infensissimi Cæsaris odia lenire, placareque Virum obtentæ pacis remedio peroptabant: quam Pontifice, *Gallo*que, victoriæ præsentis accessione elato, si obiter intercessissent, assequi posse sperabant. Et quidem *Francisco* perhortante, nec abnuente *Leone*, facile *Veneti* Legatos ad Cæsarem impetraverunt: qui reconciliandis dissidentium animis enixissime studerent; qui mutuæ pacis ad fœdera partes hortarentur; quique *Brixiam* atque *Veronam* grandi pacto ære manu Cæsaris avocarent. Eam *Egidius* Anachorita legationem obivit, suaque pro viri-

li mandata Pontificis ac Regis exsecutus est. Mox
A
secretiore tractatu, multisque Regem inter Pontificemque rebus agitatis, placuit cum piscatoris retibus ablaqueatæ civitates *Mediolanensium* finibus accessissent, *Ferrariam* Pontificiis insignibus obnoxiam, cui *Julius* ardentissime semper inhiaverat, ab *Alphonso* Duce revelli; Protoflaminisque potestatem exercitu Regio suffragante subire: cum in eas Leges fœderaque *Romanus* ac barbarus consensissent, magnoque donatum munere *Leo* Pontifex Regem promeruisset, ac ut pleniore devotionis affectu Virum complexatus videretur, nonnullos *Gallorum* Primates in Apostolici Senatus tabulas conscripsisset. Post divinam *Romano*
B
ritu rem peractam, supremosque solennibus verbis affatus in diversa quisque protinus, hic *Mediolanum*, ille *Romam*, abiere. Nonnulli secretorum conscii subdidere, Regem, cum *Mediolanum* appulisset, *Ferrariæ* Ducem internuntiis ac literis initæ cum Sacrificulo pactionis admonuisse, ac ut rei suæ disponeret perhortatum: ipsum certe, quantum per Pontificem fieri licuisset, præsidio futurum. Omni re cognita perceptaque, sagax & prudens *Alphonsus*, urbem emunit; militibus obarmat; auxilia contrahit: omniaque velut bellum excepturus præparat. Quæ cum Pontifici relata forent, imposturis circumventum sese, delusumque manifestiore argumento conjectatus est
C
& moleste tulit: indeque jacta simultatis & odiorum seminaria nonnulli justissime meritoque crediderunt; quæ diuturno mox livore commaceratis animis imputruere; confectaque sanie sic extabuerunt, ut ad vivum præcidenda fuerint, & asperiore ferro resecanda. *Franciscus* interea superatis *Alpibus*, cum citerioris *Galliæ* procuratorem, vicesque suas agentem *Borboniorum* Principem *Carolum* reliquisset, ipse protinus in ulteriorem emigravit: *Cisalpinæ*que rei statu composito, congruisque relictis ad *Mediolani* tutelam legionibus, in diversa profectus est.
D
Tunc Veneti *Brixiæ Veronæ*que recuperandarum soliciti, *Bartholomæum Livianum*, qui *Donatiano* nuper conflictu tantum gloriæ meruerat, ut pæne solus ipse fugientem victoriam revocasse crederetur, *Brixianos* fines irrumpere jubent: adjunctisque *Gallorum* auxiliaribus copiis, quas *Theodorus Trivultius*, Allobrogumque Ductor insignis traduxerat, obsidere urbem mandant. Sed obsidio pugnaque difficilis erat: nam profligato *Helvetio*, cum Regi *Placentia Parma*que cessisset, omniaque pæne victoris ad arbitrium redacta forent, *Hispani Germani*que futuræ pestis *Gallicæ* non ignari, *Brixiam*, exactis omnibus diversæ factionis
E
civibus, majore præsidio, majoribusque copiis emuniverant; sed & intempestivus *Gallicarum* adventus suppetiarum, laxiorem hosti moram effusiusque spatium, quam perdiligens & solers *Hispanus* exigeret, prorogaverat. Qua de re *Livianus* intermissa *Brixia*, quoniam ea durior expeditio videbatur, & quia, si *Veronam* cepisset, facile *Brixiam* subacturus erat, *Athesim* deflexit. Sed inauspicatus ille motus armorum *Liviano* fuit: ardua quippe dum animo suo molitur, apud *Gaidum* difficili correptus ægritudine sublatus est; suique non parvum militibus præsertim desiderium reliquit.
F
Nec tamen interea bello cessatum; *Veneti*que milites non eo minus armis feriabantur: sed *Pischeriam* adorti, magno prævallatam *Hispanorum* præsidio, ferociter oppugnare cœperunt; nec prius quidem destitere, quam, trecentis *Hispanicæ* militiæ peditibus trucidatis, vi caperent. Tum *Leonatum*, *Asula*, *Sermonium*, cum jam *Gallicanæ* victoriæ rumor increbuisset, *Transalpina*que suffragia, quæ *Gallus* auxilio *Venetorum* transscripserat, in castra expectatione magna, magnaque compatrati facinoris gloria, properarent, ad *Venetum* desciverant. Conjunctis ergo *Venetorum Gallorum*que viribus in *Brixianam* expeditionem itum est. *Cisalpinarum Transalpinarum*que legionum *Jo. Jacobus Trivultius* jam antea declaratus Imperator in castra venerat: dispositisque copiis, omnibusque ex bellica disciplina dispartitis ordinibus, ad urbem exercitum promoverat; solidamque murorum compagem, grandium impacti tormentorum molares, ingenti retusis ambitu foraminibus, terebrabant. Assiduo pulsu, perennique flagellantis arietis impressione, quassatum murale propugnaculum gemebat: & intenti duro operi cives, oppidanique tot per repetita semper ictu graviore verbera, distinebantur. Tum acres *Hispani* nec minus expediti, cuncta gnaviter obire: sæpe de improviso congredi; semperque missilibus hostem summovere; interdum speculari, sæpius explorare, quid hostis agat, quid *Gallus* cunctetur, quid *Venetus* maturet; atque cum negligenter aliquando supineque custodias hostes agerent, excubiisque remissioribus otiarentur, ex urbe confestim eruptione facta, tormentarias stationes, septaque earum celeriter insiliunt. Ea peditum sex millia, aquitum vero congruentiores alæ, suis præscriptis stationibus asservabant. Interturbati tamen sexcentis peditibus *Hispanis*, cum ex improviso sternerentur, fœdam omnes in fugam conversi sunt: præter unum *Jo. Paulum Manphronum*, qui pristinæ virtutis suæ non immemor, cum hosticæ acies agminatim ingruerent, triginta militibus impetum repressit; verum omni cum præsidio destitutus urgeretur, & instantes acrius *Hispani* Virum undequaque circumventum opprimerent, cessit. Quo factum est, ut nonnullis cæsis, turpiter vero fugatis pluribus, cum nulla *Gallorum Venetorum*que subsidia laborantibus succurrerent, tormenta ab *Hispanis* in urbem avecta sint: omnisque perustus pulvis tormentarius, nec levi milites ignominia, sicuti quidam scripserunt, affecti. Hanc cladem infamia magis quam militum detrimento perniciosam, *Veneti* juxtaque *Galli* Ductores gravissime pertulerunt: sed inter omnes *Trivultius*, cujus eo tunc in bello præcipua cura fuit. Qui sive casu, sive militum negligentia suorum, cum male rem vertisse videret, ipsisque sub bellorum auspiciis adeo gravem sævivisse fortunam, ut & propriis & adventitiis *Gallorum*, copiis pæne civitatis expugnatio desperaretur, mutanda castra suadebat: quod & infestæ hyemis intemperies hortabatur; & ablatæ *Hispanis* tormentales machinæ magis admonebant. Sed diversa constantioreque sententia statum est: novisque tormentis in castra *Venetorum* revectis, novoque ad opus pulvere comparato, duriore Civitatem oppugnatu, arctioreque pressura distringere statuerunt. Sed *Germanicus* difficultatem peditatus innectebat; quoniam adversus Cæsarem militiam detrectabat. Etenim quanquam a *Gallo* stetisset, Cæsari tamen non adversabatur. Ajebat, se in aciem contra *Sfortiam*, *Sfortiæ*que propugnatorem *Helvetium* descendisse, non contra Cæsarem: quem nullo jure lacessere, nec legitimo quidem bello provocare posset. Ergo cum in tanto munere capessundo frigida manus *Germanorum* hebesceret, dimissi sunt: substitutique dissimili quanquam robore corporum & animorum *Vascones*, auxiliares copias supplevere. Alacres igitur omnesque præcincti, bipartito statim oppugnatu civitatem aggrediuntur: alterum latus *Veneti*, *Galli* latus alterum invadunt. Disposita stationibus opportunis prælonga tormentorum organa, magnam muri partem disjecerant: ingentique hiatu fathiscentes aditus, pugnatores ad statarii congressus discrimen invitare videbantur. Sed præceps & repentina defensionis *Hispanicæ* celeritas, omni de proximo præjacente materia, sabuli-

bulique congestis prægrandibus cumulis, ac omnibus fragmentis atque ruderibus intermissione nulla provolutis, aggerem substruxerat: eduxeratque cælo munimen altius, quod propugnaculi tutioris vicem oppidano præstaret. Quapropter cum disjiciendis in cassum diu muris laboraretur, irritique conatus tormentorum, aggeribus semper firmiori tutela reparatis, effluerent, ad cuniculos subterraneaque remedia militaris solicitudo dilapsa est. Id perdifficile quidem opus erat & arduum, plenumque laboris, atque discriminis. Primum quippe omnium magno profundioreque fastigio decavanda tellus erat; mox longo per cæcas ductu latebras, ad urbis usque mœnia prorependum; dehinc revulsis muri solidioris radicibus, terebrataque saxatili fundamentorum compage, denudanda Civitas, omnique munimine penitus fuerat exarmanda. Quod ægre quæstuarii fossores, operariique mancipes actitabant, tignis, asserculis, tabulisque latioribus superjectis, fluentem terram, soloque subducto casitantem, fulcientes: donec ad extremas pomœrii metas, longosque summoti barathri recessus perventum esset; scalpendique lapides, molesque saxorum ingentium cælis suis exedendæ, mercenariam labore novo manum attrivissent. Omnem igitur hujus operam ignavamque magisterii negligentioris oscitationem anxia diligensque *Trivultii Petrique Navarri* procuratio castigabat: nec ullam improbo labore exemptam diem, nullaque momenta molestiore opificio vacua Duces esse sinebant. Sed & attenta propugnatoris investigatio curaque solicitior, omni intus ingenio arteque cuncta prospicere: igne, flammis, sulphure mercenarios desudantes & exhaustos afflare, novis obicibus, novisque repagulis urbem emunire, vallo fossaque citeriorem præcingere. Interea militares custodiæ *Veronæ* tutelam agentes, pertæsæque laborem commilitii sui perpetuo sudore diffluentis, suos ut aliquo socios lenimento levarent, interpellatamque *Brixianæ* obsidionis expugnationem adventu suo prorsus averterent, instructa acie in castra *Veneta* proficiscuntur: his obviæ fuerunt equitatus peditatusque *Leonini* suis ordinibus cohortes dispositæ, *Paulo Manphrono*, *Mercurio*que ductantibus, *Vallegiano* quondam præsidio destinatæ. Verum cum *Verona* promoventes turmæ, paulo validiores obarmatæque potentius apparerent, *Veneti* confestim abjectis hastis abiere retrorsum: liberumque properantibus alis hostilibus iter dedere. Quod perindigne *Manphronus* graviterque ferens, ut infamem turpique respersam nota militis fugam, acriori virtute sua dilueret, collectis, qui circum erant, militibus, in hostem impetum facit; ardenterque congressus, reliquos durum in certamen provocat. Sed dum strenuissime bello strenuus incumbit, navatque operam armis acriorem, confertissimis hostium globis inseptus, & his & illis violenter impetitus, suffosso tandem equo prolabitur. Verum nec minus pedes fortiter instare, pugnare ferociter, atrociter ferire, nullam sociis hostibusque suis requiem impartiri: donec majori peditum equitumque turba passim ingruente, circumdatus, oppressus, & captus est. His parum prospere levibus confectis, nec ex voto succedentibus præliis, metus ingens majorque formido *Venetos* Ductores incessit. Novæ siquidem ex *Germania* copiæ, novaque in dies subsidia *Brixianis* adventare ferebantur. Cumque prius ægre civitatem oppugnarent, duplicatis nunc demum auxiliis capere posse desperabant. Sed nec intus secura rerum civitas erat: & quanquam agiles acerrimique milites urbem validissime defenderent, haud tamen expertes terroris erant: quoniam ad dilaxandam disjiciendamque muralem zonam fodicularis & operosa

A molitio procedebat in dies; omnesque operi pertinacius incumbebant; nec subterraneo congressu sicut aperto cælo liberiorique Marte resisti poterat. Itaque foris intusque molestiarum ac laborum omnia plena: & cum *Veneti*, ne damno graviore *Germanicis* properantibus turmis afficerentur, obsidium solvere cuperent: *Hispani* quoque difficultate rerum omnium anhelantes, quanquam auxiliares copias opperirentur, otium quærebant. Igitur utrinque data fide publica, peroptatæ fœdera deditionis interloquutores contractare cœperunt, quam intra præfixos quindecim dierum curriculos *Veneti* paciscuntur; non

B quia ullo firmiore argumento consecuturos illam sperarent; sed ut honestiore velamento securoque discessu, gravibus avectis tormentorum machinis, in hyberna secederent: *Hispani* vero, ut dum differunt, interloquuntur, prolatant, occultum expugnationis opus intermittatur; & ex *Germania* demigrantes oppidanum prætristem fessumque perennibus curis armorum auxilio & commeatus ope sublevarent. Quod utrique partium ex sententia cessit. Quippe *Gaidum* sospites *Veneti* majora tormenta, quibus periculum ex *Germanicis* militibus imminebat, devexerunt; mox obsidione soluta, cum omnia cælum asperius bru-

C maque rigentior astringeret, in hyberna nullo hostium fragore perrexerunt: *Hispani* vero cum jam *Amphum* oppidum ex *Germania* profectæ sociales turmæ cepissent, rejectisque *Venetorum* auxiliis, cum demigrantium barbarorum late rumor cum terrore pervasisset, invecto commeatu, novoque milite recreati, firmius urbem (tantum abfuit, ut dederent) vallaverunt. Exinde quoniam paulo durior fortuna, *Venetorum* desideriis male responderat, & confirmatis hostium animis præsenti suffragio *Brixianorum* spiritus invaluerant, de novo militum delectu habendo, deque novis conscribendis copiis, ac mox *Brixiana* obsidione re-

D petenda consultabatur. Et id jam placuerat; consenserantque communi eam in rem Proceres decreto, cum barbaricarum ductor legionum *Odetus*, nostrarum vero *Theodorus Trivultius* (etenim urgente mala ætate *Jo. Jacobus* facile commeatum impetraverat) in castra profecti sunt. Tunc infestare acrius omnia, & agitare turbidius *Cenomanorum* cuncta cœperunt; ac passim tumultuariis excursionibus quotidianisque populationibus inquietare, prædari, exurere; vastare agros, pabulatores avertere, commeatum intercipere; dehinc propinquos omnes saltus occupare; hostem de improviso aggredi; nonnunquam

E & ex insidiis invadere. Sub hos dies *Venetæ* Ductor armaturæ *Mercurius*, Hispanum, qui defendendi pabulatoris sui causa, sese confestim ex urbe *Brixia* proripuerat, non parva clade congressus affecit: nec minori quidem jactura *Joannes Fregosius*, *Joannes*que *Conradus*, ex *Germania* cum pecuniis stipendiorum gratia solvendorum barbaros descendentes, ad *Amphum* male tractatos profligatosque repulerunt. Proficiscebantur in castra Cæsarei Quæstores: oneratique auro argentoque *Brixiam* itinere certo contendebant. Quod cum *Fregosio Conrado*que per exploratores innotuisset, ad *Amphum* progressi venientes gladiis & pilis ex-

F ceperunt: collatisque pedibus ac ferociter conserta manu strenuissime conflixerunt. Diverso itinere, ut argentariis succurreretur, ex *Verona* præcipites aliquot manipli properabant. Intercessere *Pischarienses*, obviæque *Gallorum* cohortes crudiore bello divexatos affecerunt: adeo quidem, ut vix tutus in urbem illis regressus pateret. Pugna sane brevis & repentina, sed atrox & utrinque sanguinaria: quæ neutri partium opitulata, nullos voti sui compotes affecit. Quippe *Veneti*, qui ex *Verona* digressos hostes, & ex *Germania* pecu-

nias afferentes, magna cæde turbatos, multoque perfusos sanguine disjecerant, nequaquàm auro potiti sunt: ipsi vero pecuniarii portitores, intersonantibus classicis avocati, protinus alio perrexere. Nam cum acriter duroque certamine dimicaretur, ipsaque res in ancipitis aleæ meditullio posita prolabaret, conscensis navibus in tuta dilapsi sunt: sed tanta cæde gemituque cum suo tum oppidanorum permixto, ut leviora pecuniæ quam extinctorum detrimenta virorum fuisse putarentur. His dum alternis cladibus bellicis, magnaque cum civium tum militum pernicie varia ancepsque fortuna ludit, *Matthæo*, Sedunensi Episcopo, præstitutum tempus appetebat. Qui quanquam arcis deditione sese magna spe dilapsum sentiret, seque juvenilibus circumventum imposturis gravaretur, nullam tamen peragendæ conficiendæque rei operam prætermittebat. Sed & magno Cæsar favore contractis *Helvetiorum Germanorum*que copiis in bella provehebatur: spe quidem certissima *Lilinæ* gentis solio deturbandæ. Virum urgebant *Britannorum Hispanorum*que Reges *Gallicanis* signis contumaciter adversi: quos parta recens tanta cum laude victoria, *Franciscum* in Regem acrioribus stimulis agitabat. Sed & extorres *Mediolano* cives plurimi *Gallicanos* fastus potentiamque perosi ad arma celerius capessenda Cæsarem vehementer hortabantur, ac ut ocyus in *Italiam* descenderet, omni precum cumulo fatigatum ambibant. Sed unus omnium *Trivultiacæ Gallicæ*que factionis infensissimus hostis *Matthæus* Sedunensis Præsul, remis velisque præceps impellebat: Virumque perorando, suadendo, hortando, ut *Italicæ* expeditioni promptius accingeretur, stimulis omnibus accendebat. Etenim adeo favorabile Cæsaris nomen illita omnium ora melle dulciori perfudisse, demulsisseque prurientes civium aures suavi quadam scabie præmonebat, ut nullo sudore nec pulvere rem assecuturum polliceretur. Et certe parum abfuit, quin ex consiliorum præscripto suorum cuncta succederent: potitusque rerum Cæsar sine controversia tunc fuisset, si *Jo. Jacobus Trivultius*, qui suo ex arbitrio cuncta regebat, attonitos & trepidantes *Gallorum* animos non confirmasset: receptassetque intra urbem saniore consilio profugos ac pavitantes. Hic etenim quanquam insolentiæ barbaricæ tædio gravaretur, virumque virtute sua præsignem *Transalpina* fastidia cepissent; diversæ tamen factionis mores, aversaque nonnullorum civitatis nostræ Primorum studia, quos superiore bello male sarta gratia conciliare, nec ad ullum benevolentiæ obsequium redigere potuerat, ab urbe deserenda prorsus avertebant. Quippe familiæ suæ præsentior interitus, exacerbatis occulto livore multorum animis, imminebat. Ipse quoque reditum in patriam, quem paulo ante tanto discrimine paraverat, amissum recuperare & consequi posse nonnisi difficulter ægerrimeque conjectabatur. Quo circa sustinendam belli fortunam, nec vela fugæ dispandenda ratus, quanquam magno civitatis, exercitus, amicorumque periculo suorum, in urbem sese protinus recepit. Inauspicata dies, omnibusque diris sontibus execranda: quæ futuris deinceps bellis, nos semper hostibus objecit; quæque miseram urbem enormibus damnis confligendam, militibus conceptaculum tabernaculumque paravit. Igitur cum instructæ paratæque *Germanorum* copiæ, & his adjunctæ phalanges *Helveticæ* Cæsaris arbitrio coivissent, primum omnium *Maximilianus* Tridentum profectus est; mox *Veronam*, ad nos quam raptissime commigraturus perrexit: sua diligenter omnia procurante *Veneto*; ac *Vicentiam*, *Patavium*, *Pischeriam*, cæteraque simul oppida, quibus Cæsar iter cum exercitu facturus erat, commeatu, tormento, omnique militia

A præmuniente. Ille proprio *Matthæi*que *Sedunensis* consilio nullibi morandum arbitratus, sed certo *Mediolanum* itinere contendendum, *Olio Mincio*que superatis, ac *Cremona* cæterisque relictis urbibus & oppidis *Abduam* petit: *Mediolanum* trajecto statim flumine, spectatissimum *Galliæ Cisalpinæ* verticem, nullo Marte nulloque conflictu possessurus. Omnes quippe Cæsaris affectatores ejusque partium studiosi, persuasissimum habuerant, si post atrocissimam *Ravennæ* pugnam, tanta clade gloriosi victores *Galli*, Helvetiorum parva turbante manu fœde turpiterque cessissent, nunc vel sola sub ipsius adventantis Cæsaris umbra, B paulo quidem honestius solum esse versuros; cum præsertim hanc in expeditionem Cæsar magna manu properaret; ex adversoque non leves metus *Gallorum* animos perstrinxissent: quippe nobiscum inciviliter superbeque versati, cum sese nobis invisos præsentirent, ne hinc infensiore populo, illinc numeroso exercitu, velut inter novaculam cotemque deprehensi, constringerentur, non immerito prætimebant. Quapropter hostiles impetus declinaturi, daturique terga facile putabantur: cum maxime Civitas exarmata, atque aggere valloque discincta pateret; nec congruam jumentis aut militibus alimoniam in urbem Præ- C fecti castrorum invexissent. Verum in bello sæpe prudentiam temeritas superat: præcepsque fortuna consilium elidit. *Galli* igitur, cum *Maximiliani* Cæsaris adventum fama crebrior evulgasset, ipsique cum primis obvii substitissent, quoniam, etsi *Germanis* equitatu præcellerent, peditatu tamen inferiores erant, mox retrogressi semperque præcipitem hostem declinantes, cum perniciore cursu superatis omnibus Cæsar advolaret, opportuno *Cremonæ*, cæterisque relicto municipiis præsidio, sese citeriorem ad ripam *Abduæ* sospites receperunt: ibique tormentis ac militibus ex castrensi disciplina dispositis, omnique robore D cum hominum tum jumentorum advocato, repressuros hostem, & ejus impetum elusuros arbitrabantur: verum cum sese trajiciendo flumini protinus accingentem viderent, nulloque obice retardatum iri, cum festina celeritate per obvia inviaque Cæsar proveheretur, incitatissimos celerrimosque Viri cursus anteverterunt; omnemque ferentariam ac graviorem armaturam, omnesque *Venetorum* auxiliares copias, intra *Mediolanum*, intraque fossam propiorem contraxere; gravi quidem ærumnosoque, continentium ædificiorum suburbanorumque omnium, si Cæsarem ulterior audacia promovisset, exurendorum consilio. Quod E eventus mox tristior comprobavit: illo quippe propius appetente, suggredienteque pomœriis nostris Cæsariano exercitu, *Romanæ Tonsæ*que portarum interjacentes domos *Galli* correptis statim facibus inflammaverunt; tanto vulgarium ejulatu gemituque popularium, ut cum tumultuantium militum fragore, tum conflagrantium ardore domorum, manifestarias in ruinas prolapsura cuncta esse viderentur. Gravis illa quidem & permolesta clades, exactique proximioris autumni calamitate molestior & gravior; cum foris hostes formidolosi, suaque barbarie truculenter immanes, nec sane mitiores adversæ factionis indigenæ fossas F humiles semirutasque domos nostras oberrarent, qui, si belli vis major in urbem eos propulisset, perniciem nobis interitumque cum fortunis nostris fuerant allaturi: cum præsertim spe certissima demungendi æris nostri, consequendorum stipendiorum suorum, quibus *Germanico* non suppetente ærario fraudabantur, ex *Alpibus* impulsore *Matthæo* promovissent. Ad hæc facinorosi plures & scelerum suorum conscii, quos deformis vitæ turpitudo flagitiorum omnium sentinariis oblimabat, populationibus ac rapinis inextincta siti aridisque fau-

faucibus inhiabant. Qui, si fortuna vertisset, ut multorum opinio ferebat, cum inultis debacchari sceleribus licuisset, asperiores forsitan & acerbiores quam barbari pœnas a nobis exegissent. Intus vero socii molestiores omni nos injuriarum genere prægravatos indignissime conflictabant: dum cubiculis ædibusque suis civem violenter extrudunt; dum turbulentius imperant; imperataque truculentius exigunt. Non ille quidem tumultus nec pavor erat, qualem expugnatæ captæque urbes in ipso æstus bellici furore rebullientis edere solent, cum refractis portis, subrutis mœnibus, vel admoto scalarum gradu superatis, demissi circumquaque furentibus animis & districto gladio milites ingrassantur; ac terribiles horrisonique discursus armatorum captivitate, cæde, incendio, cuncta permiscent: sed ingenti tamen metu trepidabunda, quassataque terrore magno Respublica speciem urbis captæ præbebat. Hinc quippe de improviso irrumpentes in urbem armati, eamque vicatim ædiculatimque percingentes, nullo hospitaturæ militaris diribitore neque magistro, illinc subito correptis ædibus torrentes flammæ, gemitu lachrymisque cuncta replebant; tantoque defixæ tunc hominum mentes horrore præstupuerunt, ut quo pergerent, ubi morarentur, quid secum tollerent, quidve relinquerent, incerti penitus agitarentur. Ambibant alii torridos penates, alii sæva per jurgia suis domibus eliminati deflebant: nonnulli liminibus suis inhærentes miseriarum levamen in cassum quæsivere; multi vicinorum amicorumque suorum occursu, cum diu male dissimulatum mœrorem celare non possent, in mutuas imprecationes sævasque gentis in Gallicæ detestationes erumpebant; aversi multorum antea civium a Gallis animi, plebejæque simplicitatis ignaræ mentes, hoc demum facto aversiores reaccensæque, maceratum intabescentis veneni livorem decoquere conficereque justius visæ sunt. Itaque ne erumperent faces dolorum, gliscenteque populari tumultu, uno desperationis excidio Gallicæ nostræque opes confunderentur, publici moderaminis temperamento prospectum est. Quinquaginta pugnatorum millia plus minusve paschalibus solenniis, quæ decimus sextus Consul supra millesimum ac quingentesimum nobis invertebat, in urbem attonitam, discordiosique civis seditione repugnantem, convenisse certo scimus: eamque tot millibus numerorum conturbatam, ac pæne cum *Gallorum* tum *Venetorum* copiis ingentibus oppressam conspicati sumus. Quam demum exerta civicæ castrensisque disciplinæ censura gubernare, moderatius appensiusque regere par fuit: ut ea nobis imminenti tempestate, circumsonantiumque periculo procellarum *Gallicus* omnis status, omnisque *Cisalpina Transalpina*que res salva foret. Parochiatim itaque tunc delecti sunt & *Gallorum* Proceres & civium Primates nostrorum, qui regionatim ostiatimque cuncta lustrantes, popularium querelas, quas indiscreta militaris hospitatura conciverat, de plano summatimque cognoscerent; cognitaque, manu Regia statim exsequerentur: quoniam forensium more judiciorum agi non oportebat; cum & ipsa militaris urbanique Prætoris jurisdictio conquiesceret. Horum autem præcipuum munus erat, condolescentium civium plebeculæque lamentantis ægra omnia revisere; saniatorumque cunctis ulceribus animorum solando blandius atque tractando, medela blandiore præsentius opitulari; tum infrænem perditumque militem castigare coërcereque metu legum; ac discinctos omnes ad emendatioris vitæ rigorem sanosque mores revocare. Ad hæc insularum fiscali sumptu reparandarum, instaurandæque perustæ cujusque domus cura delegata est; lectique Nobiles, qui libratoribus ad-

A hibitis, repetitoque calculo damna reputarent. Existimaverunt quippe publicarum rerum Provisores, aversæ plebis animum mitiore lenimento promulsuros, si largiore *Francisci* Regis erogatu flammarum dispendia singulis emendarentur. Sed hæc parum nobis utiliter procuratio cessit; eoque parum malis nostris remedio consultum est: cum in hanc usque diem eo rogo conflagratæ domus, ac deinceps aliis erumpentibus incendiis prostratæ super alias aliæ, continentibus bellorum flammis, unaque perpetui Martis ustrigine consqualluerint. Placatis hoc lenimine civium mentibus, & hac ope mitigato populi sævioris parumper odio, provida

B subinde militibus cautione prospectum est, ne repentino furore concita plebes in *Gallum* impetum faceret. Itaque sellulariorum opificumque omnium conventus interdicti sunt; tum prohibita disciplinatorum, cæterorumque honestiorum ordinum conciliabula, ne nostræ collatæ invicem amariores querelæ, nostraque mutuis communicata jacturis dispendia, plebem juxtaque civem in arma commoverent, quem placare modis omnibus, omnique studio delenire *Gallicana* solicitudo reique castrensis anxietas properabat. Quocirca sonoris templorum omnium turribus præligata campani æris veretra; mutaque nullo tintinnabulorum pulsu sacrificia, magno religionis nostræ piaculo,

C magnaque nostrorum ira sacerdotum consiluere; præterea faces excubiarum intentissimis oculis observatæ; dispositique per urbem vigiles, arctissimæque militibus conduplicatis custodiæ; visores insuper assidui, omnique *Argo* oculatiores, cujusque secreta domus exquisitissimis artibus explorabant. *Gallicanæ* factionis asseclæ, quos non minor quam ipsos Proceres cura torquebat, nihil ad communem propriamque salutem improspectum relinquere. Præfectus urbis numeroso ingentique semper obseptus satellitio, die nocteque pervigil, trivia, quadrivia, vicos, ædes privatas publicasque peragrare, adambire, revisere, si

D quem indignatio vel doloris impetus in crimen impulisset, indicta causa, calentique suspendio strangulaturus. *Galli* denique non minus ab urbe quam ab hoste timebant: ac nisi mirum & efficax *Borboniorum* Principis studium in conciliandis retinendisque militibus evigilasset, expediti protinus in fugam omnes vincula dirupissent. Sed *Caroli* Ducis sui reverentia, magnique Herois respectu, qui tunc *Mediolani* Vicariam Regis potestatem agebat, repressi destiterunt. Mirum quidem omnibus ea tempestate fuit, præcipueque rerum cognitione, usuque militiæ multo versatis, cum intus forisque tanto Civitas conturbata terrore,

E tantisque cum barbarorum tum nostrorum militum copiis exagitata contremeret, ingensque necessitatis & inediæ telum, tot in unum coëuntibus hominum millibus timeretur, nihil tamen a nobis in ipso mediæ egestatis pelago nedum ad naturalem allevandam necessitatem, sed ne quidem ad delicias voluptatemque desideratum: adeo nobis affatim ubertimque circumjacentes viculi, oppida, urbesque suavissimos pretiosissimosque poculentorum liquores, *Apicianas*que nepotantibus ganeas profusissime suppeditabant; majori semper lucri desiderio, quam mortis metu; inclyta civitas & perbeata, si agrorum solique lætitiam, ipsa concors hominum benignitas confo-

F veret. Jam otio recreati, confotique nostrarum teporariis voluptatum, novos *Galli* spiritus & animos sumpserant: quos adjecta recens *Helvetici* peditatus octo millia, more suo turgidius inflaverunt. Itaque statim educturos omnem ex urbe militiam, conflicturosque propediem vociferabantur: sed *Helvetiorum* mentes invicem adversæ *Gallicis* consiliis repugnabant. Urbem quippe defensuros, intraque fossas nobis auxilio futuros pollicebant-

A cebantur: sed adversas cognati sanguinis acies, nefariosque polluto pietatis jure congressus, foris avertebant. Etenim cum magna pars eorum Cæsarem secuta foret, nonnulli etiam *Gallum* protinus fuerant subsecuti. Quapropter ad novas artes mitioraque fomenta deventum est, ut quod ferri sævientis asperitas præsecare non poterat, admota propius unguenta maturarent. Proinde *Galli* magnis ingentibusque promissis *Helvetios* attractare, perlicereque sensim illecebris occeperunt: eorum Ductores molliter affari, atque invicem arcana communicare consilia; tum hostilium nullo discrimine tabernaculorum, commeare, remeare, B castra ingredi, regredi, ac velut inter affines & socios omnia inviolatæ hospitalitatis jure comiter exsequi. Quæ vulgo propalamque factitata, nonnullas occultæ conspirationis tenebras, fumumque decoctæ proditionis, mentibus hominum insufflavere. Incerta siquidem & varia maligniore judicio vulgus semper invertit; & quæ neutram in partem declinant, in obliquam distortamque præcipitat; quanquam hic assidua cum hoste conversatio, nimiaque diei ac noctis indiscriminatæ familiaritas, frequentataque diu commercia, nonnullam opinionis sinistræ suspicionem enutrire potuerunt. Sed & flagitio scelerique maturato, si quod fuit, eam *Helvetii* causam prætexe- C bant, quod decepti forent; suisque stipendiis fraudati. Siquidem cum *Mediolanum* appulissent, pactam illis omnem summam præsentaturos Cæsar & *Matthæus* edixerant: quoniam, ut supra meminimus, persuasissimum omnes habuerunt, rejectatis illico fugatisque trans Alpes *Gallis*, tributo nobis enormiore superindicto pecuniam omnem exacturos. Quæ cum aliter, quam cogitarant, cessissent, nec eorum opinionem eventus exæquasset, bonam fidem non agnoscere, nec nomen exsolvere potuerunt: imposturas hinc sibi factas *Helvetii* conquerebantur; proinde unius hominis deditio- D ne, sese alieno ære redimendos ajebant. His insidiis, quas sive falso, sive ex re plures commenti sunt, nonnulli civitatis nostræ Primates suspensa manu mollique cubito lenocinabantur: hi contra Cæsarem apud Cæsarem causam agebant; & cum pro *Gallo* starent, contra *Gallum* luculentissime perorabant. Quod ut omni concinnatum arte texeretur, ambiguisque perobscurum notis prudentibus & attentis errorem involveret, lares proprios amplæque domus suæ penetralia dirui, æquarique solo passi sunt. Quæ cum Urbis Præfecto jubente sternerentur, multaque subruente manu satellitia, sub ipsius vulgi spectantis ora procide- E rent, illico *Jo. Jacobus Trivultius*, sive conscius, sive, quod plures existimant, sceleris ignarus, intercurrit: suaque pro virili demolitionem, domesticæque sedis ruinam deprecabatur. Sed nullis auscultabundus, simulataque præfervens ira *Gallus*, ruinoso deformique opere non abstinuit, donec summa eductæ cælo domus culmina constrata sunt: magnaque ruderum intercedentiumque tignorum congerie subversa sedes, commentitiæ fraudis suspicionem, confictosque tradendi Cæsaris dolos, qui levibus hominum susurris invaluerant, argumento manifestiore dilueret. Reprobi sceleratiorisque facti suspicionem confirma- F vit auxitque repentinus, & præceps ab urbe, Cæsaris abscessus. Siquidem cum flagitium conjurati parturirent, pæneque res ad exitum perducta foret, tumultuante *Helvetio*, exortaque, flagitandorum specie stipendiorum, seditione, expedito comitatu suaque cohorte præcinctus Imperator equum conscendit; exindeque perniciter ac sumptis veluti talaribus, cum *Mediolanum* dies aliquot obsedisset, festinus ac celer evolavit: reclamante *Matthæo*, suisque retentantibus principiis, ac, ut sisteret, enixissime suadentibus. Sed nullo hortatu revocari, nullisque precibus, ut flecteret, evinci potuit: donec omnem *Helveticam* manum, &, qui procul adnectebantur, dispositos insidiarum casses evasisse sibi visus est; sive ipse viciniore argumento dolos, quos artifice barbaro filisque nostris *Gallus* prætexebat, conjectaretur; sive monentibus amicis, ut caveret, aut exploratore aliquo fraudis indicem deferente, manifestius cuncta percepisset. Itaque directo raptim itinere, flumen *Abduam*, mox *Bergomum*, dehinc montium ardua transgressus, in ulteriora *Germaniæ*, comitantibus velitum suorum turmis effugit: insperatamque salutem impartitus est. Atque hæc mihi quidem omnia magno cum dolore, magnaque turbatæ mentis cum angustia repetenti, ea tunc urbis facies nostræ videbatur, quæ irato mari, ac cælo nigra caligine, jactisque fulminibus suo cum tonitru perhorrenti esse solet: cum venti velut agmine facto, tota rabie, totoque furentis impetu diversis cæli regionibus effunduntur, confliguntque ruptis invicem turbinibus agitati. Tunc in altum jactata omnia, omnia vastis succussa fluctibus, pæneque superantibus undis adobruta, præsenti naufragio laborant, & omnino peritura videntur: verum si Dii immortales vectorum infandos casus miserati, supplicibus votis adverterint, benignoque Numine suo periclitantibus affulserint, extemplo pelagi spumantis feritas mansuescit; ponunt venti; subsidunt undæ; omniaque fugatis repente sereno cælo nubibus, tranquillissime silent. Sic cum nobis eo motu & ardore bellorum cuncta vicinam mortem intenderent, sævique stridentes Martis procellæ tormentis ignibusque nobis extrema minarentur, nulla hominum cæde, nullis vinculis, nullaque fortunarum direptione nostrarum in quietem ac pacem unius viri discessu mitissime conquievimus. Quapropter illorum improvidam sum semper hominum temeritatem admiratus, qui bellici pulveris, castrensiumque negotiorum expertes, ac fortunæ lusitantis imperiti, si qua levis aliquando aura sufflaverit, si quem paulisper commotæ frondes sonum dederint, suam extra testudinem distenduntur; extraque calceum pedem suum proferunt: cum non horæ momentaque sint nobis perpendenda, nec ipse quidem dies ab ortu, sed ab occasu sit enotandus. Matutinos flores suo rore conspersos ac summadentes, vespertinus imber, pluviæque serotinæ frequenter prosternunt, & suffocant. Quocirca hi mihi demum sapere videntur, diesque suos congrua ratione disponere, qui disciplinis bonisque artibus emancipati, melioribus studiis detinentur, sua bella militibus, suaque Regibus sceptra relinquentes: ne, dum incerta fluxaque male subaucupantur, certo jure possessa desiderent, in cassumque præterita respiciant.

Emigratu Cæsaris peropportuno, qui nos velut ex insperato Deus affecit, confracta hostium discussaque sunt omnia; omnesque castrorum & obsidionis obices revulsi detritique sunt; ipsiusque *Matthæi Sedunensis* magna cum animi sui molestia futiles conatus omnes effluxere. Tum congestis equorum jumentorumque sordibus, quibus expleta Civitas, pestilentissimisque vaporibus adafflata putrescebat, repurgata tandem suum in nitorem lucemque resplenduit; sed & hæc ipsa lachrymarum gaudiorumque confusione, miris intus modis exagitata est; distractaque repugnantium inter se civium studiis, uno eodemque odii & amoris affectu, contrarias inter sese dissimilesque res conjunxit: ut insperato unius hominis abscessu, qui bella manu lætumque ferret, riderent omnes atque lugerent. Qui *Gallum* secuti, displicitisque sub alis ejus otiantes cantitabant, sereno cælo, improvisæque tempestatis subita claritate

ritate gestientes, exultabant: ac plausibus, tripudiis, omnibusque lætitiæ signis exhilarati, solutiore gaudio ferebantur. Contra vero *Draconarii Sfortiacis*que signis obsequentes, tantæ in cassum cadentis spei ansa dilapsi, recursantibus animum curis ingentibus distringebantur; transfixique doloris jaculo, cum medelam exulcerato vulneri desperarent, nec ulla salutiferæ curationis remedia præstarentur, suo singultantes in sinu gemebant; sibique suo præ dolore succensentes acrius & introrsum conquerebantur, quod prævalidus suapteque natura furens populus, *Gallicanæ* jam gentis vexilla detestatus, cum intramurana plus æquo militia premeretur, omnique lacessitus injuria mœreret, tam propinquo Cæsarianorum incendio, vel una contracta propinqui Martis scintilla, subitas in flammas non exarserit; obustas sudes non incusserit; arma non rapuerit; genuinoque barbariem invisam odio, per exortos repentina seditione tumultus, consertis utrinque manibus ac gladiis extremo exitu non sustulerit. Sed hæc erant ardua; nec ipso minus consilio quam re difficilia: quippe frequenter inanes & evanidæ, quanquam indomiti suisque viribus præpotentis populi vires eluduntur, cum nullo duce coëunt, cum nullis edictis obtemperant, cum nulla signa sequuntur; sed palantes vagique omnes, aut incondite stipati, conglobatim excurrunt; aut ignari quid omittant, quid capiant, quid declinent, quid capessant, incertis motibus auferuntur. Atque tunc populo gratiosi cives, prædilectæque vulgo factionis Primarii, vel eo perculsi bellorum terrore, vel relegationis exilioque fugati, longius abfuere: ut quem reliqui sequerentur, vel extremæ mediæque classis tribules, omnino non haberent. Ad hæc alterius odiosæ populo factionis Summates arbitrio suo cuncta regere; suis omnia consiliis moderari; figere, refigere; inducere, reducere; edicere, interdicere; quin ne mediastini, aut ab ima plebe humiles, quicquam in medium auderent, vetiti sunt consortium omnium sodalitii cœtus; omniumque dignitatum & ordinum concilia severioribus pœnis interdicta sunt. Præterea frequentes custodiæ, perpetui vigiles, assidui visores, exploratores attentissimi, suspensaque tinnientis æris funalia, perpetuo silentis mysterii conticinio, motus omnes plebejos compressere: adeo quidem, ut nec alterum domestico limine proferre pedem, nec manum quisquam vertere sine magistro vel monitore posset. Sagacissimus namque & horum arbiter omnium *Trivultius*, ita sibi *Gallis*que prospexerat, cum non amplius peregrinari statuisset, ut nulli populares tumultus nullæque popularibus armis seditiones per quam occasionem oriri possent. Adventitio præterea milite Civitas prægravata, violentioreque militia singulæ civium domus oneratæ, refertæque lictoriis fascibus, alieni imperii frena mordebant. Quapropter miror equidem, si modo fide constant, quæ nobis nonnullo veritatis argumento relata tunc fuere, Cæsarem cum mœnibus nostris appropinquaret, hostiliaque procul signa contueretur, ac conflagrantium flammas tectorum elatas cælo prospiceret, nos rebelles & imperio Cæsaris aversos dixisse: quoniam non occurrimus, non excepimus, tectisque superbis non de more locavimus. Sic etenim scita Legum mandant; Edictique perpetui jubet auctoritas: quam Cæsaris *Maximiliani* sententia nos læsisse perperam falsoque convincebamur. Etenim si liberi nostrique juris advenientem Cæsarem contempsissemus, ipsaque omni civitas exempta jugo, temeritate Cæsarem vel perfidia sua repulisset, introvertissetque dominum possessione su[illegible], Majestatis certe rea teneretur; & nos hujuscemodi criminum spiris involu-

A ti, nefarii censuram sceleris merito subiissemus: sed obstricti conculcatique alterius incumbentis domini pressura, quam excutere nemo poterat, quo jure, quæso, rebelles facti sumus? cujus delicti sontes accersimur? cujus reatum culpæ s[illegible]stinemus? Neque tua, Cæsar, neque Majorum edicta tuorum imperant, ut ea populus domino præstet officia, quæ aliena vis intercipit; &, ne præstare possit, impressione tyrannica, dominique potentioris gladio, vetatur. Cur generoso succenses equo, latosque calcaribus armos fodiculas, si profundiore barathro cœnoque provolutus inhæret, si prænexis arctiore retinaculo pedibus, capistroque præligatus firmiore, cunctatur? Solve eum,
B & campi liberioris spatio statue: tunc mollia crura reponet; collectumque vomens volvet sub naribus ignem; tunc trement artus; micabunt aures, erectaque cervice sublimis & arduus nullos stimulos, nullaque calcaria patietur. Proinde nobis hac de re diem nemo dicat; neque tu, Cæsar *Maximiliane*, populum tuum *Mediolanensem* hujus delicti reum insimules, quem, si ad judicium accersas, certe non condemnabis: sed potius ut simplicem & incautum absolves. Mira sunt ædepol, semperque fuerunt, tui in te populi declinantis studia, Cæsar: magnaque nostræ in te
C pietatis & fidei argumenta, tam nostra quam majorum tempestate, præluxerunt. Urbis nostræ primordia sic, ut in initio summæ professi sumus, *Transalpino Gallo* debentur; sive enascentis ipsius urbis infantiam respiciamus, sive vigentioris ætatis adolescentiam contemplemur: quoniam etsi luculentissimi scriptores tempore discrepant, in ipsius tamen gentis *Gallicæ* conditores uno omnes ore consentiunt. At innumeras certe clades asper rigensque Septentrio nobis semper intulit; tuique Majores nostræ urbis eversores sæpe leguntur. Quod quanquam Annalium testimonio multorum perliquido constet, idque civitas ipsa nimium
D experta præsenserit, tibi tamen, gentique tuæ sic semper addicta est, ut *Germanum* urbis eversorem, *Gallo* conditori prætulerit: credo equidem omnino non expers judicii: quippe petulantiæ lasciviæque suæ nimium redundantis correctorem castigatoremque nullum *Germanico* magistro seduliorem & acriorem offendit; & quanquam flagellata doleat, in ipsoque doloris fervore lamentetur, cum tamen verbera tempore delenita refrixerint, detumuerintque vibices urentibus virgis inflati, novo suum in censorem amore reaccenditur; ipsumque perlibenter moderatorem suum agnoscit, filiorum exemplo bonorum, qui quanquam severis parentibus vapulent,
E pietatis tamen argumenta præsentiunt; & cum perditus & nequam filius emendatorem obhorreat, frugi quidem bonæque spei filius observat & colit. Verum cum ad purum liquidumque veritatis omnia perscripsisse libeat, hoc interest, quod præceptores seduli sanctique parentes, indociles & noxios flagris exercent; disciplinatis & insontibus parcunt; vitia detestantur, virtutes commendant: sed hæc indiscreta censura tua bonos juxtaque malos uno parique vulnere cædit; neque sontes ab insontibus flagellis tuis discernuntur; neque seorsum ab emendatis flagitiosi pœ-
F nas luunt. Quare obsecro te, Imperator Optime, ut in cognoscendis deplectendisque criminibus nostris, tuæ congrua Celsitudini temperamenta adhibeas, eumque præstes modum & formam, ut bonos præmiis, suis vero malos meritis afficias; ut cum omnium sis Imperator, idem sis omnium æquissimus moderator.

Soluto Cæsaris exercitu, solutoque urbis obsidio, soluti omnes præcipueque barbari milites in diversa perrexere; alii *Laudem*, nonnulli *Bergomum*, plures per implicitas angustoque calle vias,

in pagos vicosque suos repedavere; stomachati omnes iraque præfervidi, quod re consilioque destitutos, omnino fortuna desereret. Sed unus omnium accensus indignatione, bileque terribilis implacata, *Matthæus Sedunensis* disrumpebatur: nec animo satis æquo perferre poterat, quod, qui prius *Gallum* exigua manu profudisset, præpotentemque Regum Mediolano *Ludovicum* exegisset, nunc iterum iterumque congressus, adversante fato, Diisque repugnantibus, vinceretur. Itaque tentare omnia, factitare omnia, experiri omnia, solicitare, instare, ambireque milites, si vagos & emigrantes ad signa revocare posset: suaque sub signa dispalantem exercitum cogere. Atque primo *Bergomi* cunctatus, quo *Brandeburgensis* heros stipendia soluturus advenerat, & ipse summam attulisse majorem professus defectas vires reparabat. Sed cum dictis facta male responderent, fidemque fallerent inanes flaccidique marsupiorum folliculi, ac diu milites demorati frustra viaticum expectavissent, prætristes subiratique retrorsum abiere. Plures etiam pollicitis grandibus illectati, tractique stipendiorum spe certissima consequendorum, *Brixiam* contenderunt: quoniam magno peditatu ad *Gallos Venetos*que desciscente, sua omnis præsidio Civitas destituta vacabat. Verum insecuti continenter *Galli Veneti*que, properantes manipulatimque per invia dispersos, ac intercepto sæpe commeatu, præclusoque frequenter itinere districtos &, ancipites, confragosa per montium cacumina sæpius agitabant: tam prospero felicique semper eventu, ut si conjunctus uterque *Gallorum* ac *Venetorum* exercitus, interpellatam nulla mora victoriam prosecutus esset, nullaque profugum hostem intermissione *Veneti* delassassent, illis sane *Brixia Verona*que nullo Martis discrimine, nulloque confligentium periculo cessissent. Verum dum consultant, pecunias exigunt, jussa Regis expectant, redivivus hostis, redintegratis labente mora viribus, refocillatur: adeo ut justo mox exercitu majoribusque copiis oppugnandæ urbes obsidendæque forent. *Odetanis* igitur auspiciis commota castra *Gallorum*, cum *Venetis* urbes suas restitutum iri placuisset, haud procul ab urbe *Brixia* locata sunt: expugnationique ejus omnes protinus accincti. Milites tamen *Leonini*, quorum causa potior erat, omnem *Gallorum* inertiam ignavasque torpore suo semper alaudas, præcoci dimicatione sua præveniunt: scalas mœnibus admovent; consistentem tormentulis oppidanum rejectant, scandunt, pugnant, feriunt. *Hispani Germani*que, quanquam pauciores, quam tanti ingruentis exercitus, susceptæque pericula defensionis exigerent, obsistere tamen, vehementerque depræliari: proturbatos expugnatores longe prosternere; concreditas sibi stationes fortissime detutari; nusquam loco cedere; aut hostem vincere, aut vita fungi. Quæ cum tanta militum acerbitate digladiantium utrinque conficerentur, paucique multos plerumque superarent, *Veneti* retrocedere desererequemuros coacti sunt. Tunc *Galli*, eorumque præcipue Ductor *Odetus*, cui expugnanda *Brixia* debebatur, oppugnatu quadrifido civitatem aggressi, quo facile perrari defensores undique distracti, fatigatique labore multo deficerent, tormentis omnibus admotis, relisa contritaque mœnia gravissime compulsant: diuque missilibus telis injectis omnibus persistunt. Qua de re propugnatores delassati, cum cadentibus integros sufficere, substituereque recentes non possent, cum hoste paciscuntur: ut biduum bello temperent, urbem arcemque, si præsidia non affuerint, possessuri. Eas oppidani *Veneto Gallo*que leges percupide dixerunt, quoniam adventantes de proximo subsidiales copias, appeten-

A temque *Germanicum Hispaniensem*que peditatum compertum habebant. Sed & indictas bello conditiones *Veneti* non illibentius admisere: quoniam saltus omnes obsederant; obsessurosque deinceps validioribus custodiis, omnemque viam, qua progressurus hostis erat, arctius obstructuros certum habebant, ut præcluso undique aditu, præsepti milites ferendis oppidano suppetiis averterentur. Ex sententia *Veneto* res cessit: quippe cum pactis omnes assensissent, extemplo *Gallorum Venetorum*que dimissæ legiones, ex præscripta jam lege, vacante *Brixia* militibus, tramites devios angustaque viarum diverticula densius occupant. B Tum *Gallo* cum appendice suggressa propius omnis *Venetorum* armatura, translatitiis tormentulis, omnibusque telis missilibus accincta, properantes *Hispanorum Germanorum*que cohortes, ab ipsis ferendis auxiliis avertit. Quocirca cum ex lege dies elaberetur, in cassumque sperata, procul abessent subsidia, ne suo majore detrimento, gravioreque perfractæ fidei jactura, *Venetis* oppidani non obtemperarent, urbem arcemque dedunt: diuque possessa violenter acriterque defensa mœnia relaxant. Ipsi interea jumentis carpentisque omnibus, pretiosa supellectile sua oneratis, quam omni direptione omnique populatu fœdissime congesserant, urbem egressi magno examine, longisque carrorum lineis C per *Tridentinos* saltus, in *Germaniam* abiere. Diverso itinere suis cum copiis excedentes *Hispani* vacua cuncta reliquerunt. Protinus *Odeto* ductante *Galli*, validis suorum præsidiis armatorum elati, nec non & *Andreas Grittus*, Venetis cohortibus, omnique *Marcica* constipante militia, longas veluti post moras, diuturnaque pericula, tandem hoste devicto, triumphantes urbem ingressi sunt: magna populo exultante lætitia, magnisque gaudiorum hac & illac proscatentibus undis, quibus omnis ætas, ordo, sexus, inarentes diuturno D mœrore fibras, exustasque perenni dolore venas, uberius ac redundantius irrigaverunt.

Brixia urbe recepta, *Veronam* contendere, eamque *Veneto* subigere decretum erat. Sed quoniam milites stipendia desiderabant, aureorumque triginta millia, quæ *Gallis* ex lege debebantur, ea sibi præstari oportere, ajebant, dilata res est, & expeditio prorogata: donec *Brixianis Bergomatibus*que nova tributorum exactione vexatis, a *Francisco* Galliarum Rege, datæ sunt *Odeto* literæ, quibus capessenda quam celerrime *Veronensis* expeditio mandabatur. Eam ergo totis in provinciam viribus itum est: cumque *Pischeriam* Gallicanæ primum phalanges appulissent, E trajecto *Mincio* contis trabibusque contextis *Athesim* vincere, ut exinde *Veronam*, quam armatorum novem millia defensabant, obsiderent, barbari nitebantur. Verum cum diversi bellorum rumores obreperent, quæ *Britannum*, commotis in *Gallum* Helvetiis, parare fama crebrior promulgabat, inde recessum est; & quanquam invitis ac repugnantibus *Venetis*, cum asserendæ urbis desiderio incredibili tenerentur, ultra citraque *Mincium* militares dispositi sunt ordines, inibique stativa locata; eo plane consilio, ut hostem perpetuis quanquam levibus præliis infestarent; commeatum interciperent; auxiliaresque procul coF pias averterent: quippe de proximo cum *Gallum* fortuna prosperior extulisset, assertaque *Brixia*, *Veronam* eodem fati pondere laborantem subacturus timeretur, ne prævalidæ defensionis ope destituta procideret, *Helvetiorum* quinque millia ferendis suppetiis festinabant. Sed cum ære alieno prægravati militum Ductores, *Veronensibus* custodiis stipendia deflagitantibus non erogarent, nec illis, unde alerentur, suppeteret, exterriti sunt: eaque vero verior fama, non solum recentem pedi-

ditatum eo contendentem retentavit, sed & ex urbe veterem evocavit. Etenim cum hac de causa seditione commota rixosi milites tumultuarentur, nec Cæsaris Quæstores inopia perurgente quicquam exsolverent, ad *Venetos* duo pugnatorum millia desciverunt. Qua de re lætati admodum Principes *Veneti*, cum in dies magis ac magis obstreperent militares querelæ, magnam in spem sine ulla dimicatione prælioque potiundæ urbis erecti sunt: quam mox fefellerunt propinquantium subsidia *Germanorum*, quæ magnis subinde copiis *Veronensium* auxilio saltibus *Tridentinis* eruperant; quæ suis adeo viribus suoque præfirmata robore convaluerunt, ut non solum ab hostili *Veronam* impetu defenderent, sed longe lateque pervadentia popularentur; ac continuis excursionibus *Vicentiam* atque *Patavium*, circumjacentiaque passim oppida gravius infestarent, atque diriperent. Nec his, solo milite *Veneto* resisti poterat, cum longe numerosior hostis præcelleret; *Gallicæ*que copiæ longius abessent; & ipse Princeps *Odetus* omnino pugnam detrectaret, nec ut militem educeret, ac socios tueretur, quanquam ex fœdere subsidium implorantes, evinci poterat, causatus suum zonam militem perdidisse; nec solvendo Regios esse Quæstores. Itaque vagis & oberrantibus *Germanis* militibus, magnisque rem *Venetam* dispendiis semper adflictantibus, *Pischeriæ* demoratum est: numulariæque rei, contrahendisque omni studio pecuniis impensius advigilatum. Quas cum *Galliæ Venetiæ*que repletis sacculis copiosius exprompsissent, movere castra, hostemque violentius ingrassari, communi decreto sancitum est. Expeditionem adcelerabant assidue tumultuantes oppidani, quos onera tributorum alimentorumque tot in dies extracta prægravabant: adeo quidem, ut exhausta Civitas, omnique pæne nutrimento defecta, ad deditionem spectare videretur; & ipsi milites cum perpetua stipendiorum exigendorum molestia, tum civicarum tædio querelarum affecti, quotidie turmatim manipulatimque ad *Venetos* desciscebant, incomparabilibus sustinendæque militiæ sumptibus infinitis. Ergo cum obsidendæ expugnandæque urbi disposita cuncta & parata forent, *Gusolenum* omnes profecti sunt: cumque profluentem *Athesim* Veneti trajecissent, *Galli* cum jam *Sclusa* potiti forent in citeriore ripa consederunt, continuis hostem incursionibus divexaturi. Mox omnibus admotis ordinibus, cum ope summa Civitas oppugnaretur, omnemque vim tormentariam sutoria porta sustineret, sive casu sive dolo, dum fervidius & properantius æquo commeat, excitatus ignis tanta clade continenter exarsit, ut jumenta, currus, agasones, omnemque funditus pulverem exureret. Tunc itaque tormentalis ministerii cura Provisorum animos distinuit: ipsique castrorum Præfecti reparandis bellicis instrumentis, ac fune, curru, pulvere, omnique tormentario appendice comparando studiosius incubuere. Solicitudinem ac diligentiam præcipitabat cura molestior, mentemque districtam intorquebat, moræ diuturnioris impatientia. His siquidem diebus Cæsarem, ac *Gallum*, *Hispaniæ*que Regem designatum, percussi fœderis sanctitas æterna lege consentientes devinxerat; quorum alligati vinculis accesserant Principes *Veneti*: quos inter omnes cautum erat, ut, si *Veneto* bimestri *Verona* subigeretur, illi sine controversia nutuque omnium cederet; quod si præstituto tempore *Venetus* eam debellare non potuisset, tunc sponte sua Cæsar illam *Veneto* resignaret, si ducenta tamen prius aureorum millia *Venetus* ac *Gallus* ex æquo Cæsari deprompsissent. Ut his ergo communibus sociorum damnis parceretur,

A declinarentque gravissimi sumptus impendia, totis viribus totaque vi laborantem extremis urbem fatis oppugnare statuunt. Paratis itaque dispositisque omnibus *Leone Lilio*que refixis castra movent; & ad *Sutoriam* Episcopalemque portam tormenta totis viribus impingunt: ut expugnatorum agmine bipartito tenues modicæque propugnatorum copiæ, dum hinc & inde distrahuntur, facilius evictæ succumberent. Verum dum cuncta præceleres expediunt, ardenterque omnes accinguntur, nodus incidit, quem de composito prudentes injectum æstimaverunt: quippe castrorum ordinumque Magistri perexiguam levemque pedarii roboris armaturam conquesti, novos pedites, qui tantæ exsequendæ rei sufficerent,

B conscribendos ac deligendos ajebant. Quibus *Veneti* dum obtemperant, rem suo compositam ordine distulerunt; quam & laxius hostis prolatare tentaverat, subornatis, qui tormentariam stationem furtim ingressi, subjecto igne cuncta protinus inflammarent. Quod tentantibus male vertit: nam dum nova suisque majora viribus audent, incauti duo milites ex urbe obsessa sese clam ad hostes proripuere; ac dum *Gallorum Venetorum*que permixti numeris inter hostilia castra diversantur, deprehensi sunt; intortique conti-

C nuo præconceptæ suæ fraudis indicem dedere; tum quas aliis flammas suis artibus instructi male paraverant, eodem ipsi supplicio crudeliter affecti pertulerunt. Interea ex *Patavio*, *Vicentia*, omnique circum tractu pedaria collecta manus coibat: ipseque conductitium militem advocans *Federicus Bozulanus*, quem *Andreas Grittus*, summæque rerum Provisores, ne quid *Gallorum* Præfecti causarentur, numerumque rariorem excusarent, ex stativis evocaverant, in castra profectus est; militarique exceptus alacritate, trajecto confestim *Athesi* portam Episcopalem, cum *Sutoriam* Galli tenerent, obsedit. Tum e regione

D urbis silice ferroque pulsandæ, tormenta suum in rigorem disposita, vastas moles evomere, exspuereque grandiora saxa incredibili fragore cœperunt. Insecutæ muri prolabentis ruinæ, constratique solo mœnium apices horrifico sonore cuncta territabant. Quæ dum hinc & illinc obiter aguntur, ac ultra citraque profluentis ripas intenti omnes urbem expugnant, alio rursus casu pulveris incensi, res interpellata est: quippe dum temere *Gallica* barbaries improspectæque simplicitatis ministerium ignem defert, magnique discriminis scintillam tractat, hæc pulvisculo dilapsa, tanto coruscantes ardore flammas excivit, ut am-

E busti alii, alii pedes manusque retriti, nonnulli semianimes, dum erumpentis impetu Vulcani, radiis rotisque contorti currus agitantur, elanguerint; ipsique *Gallorum* Principes atque inter alios *Odetus*, cum indiscretæ furentesque flammæ perbaccharentur, in tutiora sese concito gradu proriperent; magno hostili risu, magnaque cachinnantium oppidanorum omnium procacitate, ac ultores Deos elata voce contestantium; usque adeo, ut hoc insultu, nimiaque soluti risus intemperantia tacti milites exacerbatique præcipue barbari, contumeliarum ac conviciorum impatientes, vim omnem diruendis æquandisque so-

F lo mœnibus admoverent. Itaque magno tunc verbere geminatis tergeminatisque ictibus, omnique semper acrius repetito pulsu, disjecti murorum obices, qua *Veneti Galli*que saxa pilasque torquebant, foraminibus magnis dispatuere: divulsaque compactæ molis jactum, reserati deformiter aditus, in secreta recessus urbici penetralia bellatorem evocabant. Oppidani e diverso propugnacula munimentaque omnia festini celeresque præcipitare: celsos arduosque conjecta omni materia aggeres surrigere; profundiores fossas de-

cavato egeſtoque ſabulo circumducere; pugnare fortiter, audacter conſiſtere, viribuſque contractis omnibus reluctari; tum organis levibuſque tormentis, omnique telorum emiſſitio genere proruentem hoſtem longius ſummovere. Aſſultu ſubito civitatem invaſerat paulo laxius ſuis ordinibus abſtracta cohors; perque rudera murorumque ruinas excedens ingraſſabatur: ecce de improviſo facibus armati, accinctique medicatis ignibus *Hiſpani*, coacto agmine proſilientes, attonitum hoſtem, ac undique pervolitantibus ignium globis afflatum rejectavere; ardoreque torrentis elementi conſumptis pluribus, nigrantes alii, fumoque tenebroſæ caliginis obſiti, repedare ſtatim in caſtra coacti ſunt. Tunc omnibus iterum diſpoſitis ordinibus quadrato agmine, de urbe expugnanda, aſſultuque majore vehementius impetenda diſtringendaque conſultatum eſt. Placuerat *Venetorum Gallorum*que Principibus, albeſcente luce proxima, cælo matutiniſque ſudoribus irrorante, cunctis viribus adactis omnique admota validiore armatura, qua disjectis civitas mœnibus per ingentes denudata ruinas patebat, aſſilire: totoque circumventum hoſtem ambitu, varioque certamine conturbatum diſtrahere. Firma conſtanſque fuit omnium opinio, ſi modo præmeditata conſiliis Viri Principes exſecuti forent, urbem expugnatore multo circumdatam, oppreſſamque multis armatorum millibus, perlevi modicoque *Venetorum* periculo peſſum ituram: quoniam aſſiduis præliis delaſſati cuſtodes, vigileſque continentibus excubiis fatigati, tum confecti pæne omnes egeſtate; rerumque cunctarum inopia, cum ſuo etiam ſtipendio fraudarentur, languentibus animis facile ſuccubuiſſent. Sed rem factam interverterunt Legati Cæſaris, *Hiſpaniarum*que Regis Oratores: qui cum *Gallorum* in caſtra perveniſſent, admiſſi propere, ſecretis *Odetum* colloquiis ab ineundo prælio revocavere. Hic etenim ſimulato metu, magnoque repente commentitio terrore pervulgato, qui crebrioribus adventantium ex *Germania* militum rumoribus invaluerat, ſublatis ſignis caſtra movit: & cum urbem invadere ſpe certiſſima victoriæ potuiſſet, nonnulla ſiniſtræ ſuſpicionis umbra perfuſus *Villafranchum* abiit; *Andrea Gritto*, *Theodoro*que *Trivultio* comitante. *Jo.* etenim *Paulus Gradonicus*, Andreæ Legati comes, *Manphrono* copias ductante, *Alboretum* tenuit: ut, agente longius *Gallo*, ipſi propius hoſtem infeſtarent; interciperentque, ſi quos penuria commeatus frumentatum, pabulatum, aut lignatum adigeret. Barbarus enim vano futilique metus oborti velamento, legiones retraxerat: vociferabundus, ſeſe *Mediolanum*, ſi res paulo durior impreſſiſſet, repetiturum. Quæ res *Veneto* gravis admodum omnibuſque modis permoleſta fuit: cum intolerabilibus diſpendiis divexati, unius viri pugnam retractantis inconſtantia, urbis potiendæ ſpe certiſſima laberentur. Itaque barbari contumaciam inſolentis elatique ſuperbiam molliter demulcere lenireque cœperunt: tum hortari, rogareque impenſius, ne rem factam infectam vellet; ne conclamata deſertaque deſereret, neve ſuis ſeſe manibus ingerentem victoriam regereret; omnia ſuos ante pedes proſtrata jacere; ne parata differret, ne rem fruſtraretur; non unam eandemque ſemper eſſe fortunam, quæ ſi obvio deprehenſa capillamento non hæſerit, inverſo repente calvitio deluſis inſultat. Meminiſſe vellet, quanto fuerit olim laborantibus Gallis *Veneta* Reſpublica ſubſidio: cum præſentanea ope defectum & pæne fugientem exercitum *Venetæ* legiones revocaverunt, refecerunt, promoverunt; ſociorum communia omnia communibus impenſis promiſcuiſque ſumptibus inſtauranda eſſe atque fovenda. Sciret *Venetam* Rempublicam, quanquam

A nunc attenuatam & debilem, nunquam tamen beneficiorum immemorem eſſe futuram: eoque ſemper animo præditam fuiſſe, ut in ipſam collata, pari manu, parique meritorum relatione compenſet officia. Ille quanquam *Venetis* parum afficeretur, gentilitioque ſagulorum odio togam deſpiceret, quoniam tamen Regis mentem exploratam habebat, ne poſtulante *Veneto* prævaricator, regiæque contemptor voluntatis argueretur, uno aſſultu, unoque certamine, ſucceſſum Martis experiri ſtatuit: & quanquam alieno animo diſcreparet, ab ipſaque gerenda re prorſus averteretur, omnem tamen ſeſe lapidem moturum
B extremaque pertentaturum omnia de plano profeſſus eſt. Noctis igitur intempeſtæ conticinio ſuorum alas velitum præceleres, delecto cum peditatu per latas diſpatenteſque muri projacentis ruinas in urbem ire jubet; imparatumque hoſtem ac repentini caſus horrore alienum, opprimere; tum disjecto ſuaſque per latebras fugato milite, omnibusque ſubitario terrore perculſis, urbem cuſtodia firmiore nudatam capere, parvoque negotio rerum potiri. Sed opinione ſua ſuæque mentis conceptu vir alioquin non imprudens deceptus eſt; inquietæque urbis ſilentio, ſomnoque jugiter excubantis deluſus. Pervigil quippe ſem-
C per & attentus hoſtis, cum adventantem *Gallum* propiusque vallo ſuggredientem conſpicaretur, ſigno repente dato ſocios excitat; arma capit; opem implorat; illico commotis omnibus, unaque conclamantibus voce, ſtatim ad arma ſtationeſque murorum diſcurſum eſt: ac priuſquam aggeres *Galli* tenerent, oppidani concito curſu provolantes, uno diſtentis rigore telis, agminibuſque confertiſſimis inſtipati fortiſſime reſtiterunt. Tunc cum nihil ex ſententia ſucceſſiſſet, nec ſucceſſurum ex voto quicquam barbarus arbitraretur, cum excitati omnes, ac ferro, tormentis, & facibus armati vehementer inſiſterent, receptui cecinit. Subinde tamen urbis capiendæ ſpes non
D modica *Venetum* alebat: quod bellorum nervi, quibus maxime res militaris intenditur & invaleſcit, *Hiſpanum Germanum*que ſua ſemper in caſſum ſtipendia flagitantem, emolliverant ac delaſſaverant; nec præſentes pecuniæ numerabantur, nec ſpes ulla numerandarum firmior ſubrepebat; cum jam pridem effœtum & inane Cæſaris ærarium deflaccuiſſet. Interea tamen ferro flammiſque truculenter agebatur: levibuſque præliis, ſi quos obvios fortuna contuliſſet, ardenter invicem ſæviſſimeque decertabant; alternoque reciproci Martis fluxu refluxuque, nonnullæ arces oppi-
E daque, municipum incomparabili jactura, nunc ad Cæſarem, rurſus ad *Venetum*, ut aſperior in diverſa bellicus turbo propulerat, deſciſcebant. Et quidem *Veneti* cum antea *Scluſam Crovariam*que recepiſſent, iterum conſurgente, dubiique Martis reſæviente procella, nuper amiſerunt: ſed arces inter omnes pulſata jactataque majore bellorum æſtuario *Crovaria* gemebat: quoniam importando commeatu omnibusque *Veronæ* ſuppeditandis utenſilibus, idonea præ cæteris habebatur. Ergo cum *Aquilini* milites *Leoninis* illam faucibus extorſiſſent, *Veneti* rurſus eandem omni ſtudio recuperare nituntur. Itaque *Mercurius* omni ſuo cum levi equitatu, *Theodorus Manaſeus* Epiroti-
F cis cum cohortibus pileatis, totoque cum peditatu ſuo *Babonius*, trajecto amne diſpoſitas hoſtiles turmas, ſuis viribus contractis omnibus invadunt: invicemque ſtataria pugna congreſſi decertanteſque, manum ferociſſime conſertant. Hoſtes animorum corporumque ſtrenuitate præpotentes & validi ſuſtinere impetum, conſiſtere fortiter, acriterque depræliari. Ardentes utrinque valentiſſimique Ductores, utrinque impigri durique milites, ac omnium experti gnarique rerum,

cunctis

cunctis admirandam memorabilemque per sæcula pugnam fecere. Ergo cum utrinque viri præferoces æquo diu Marte dubioque certamine dimicavissent, exacerbati *Venetæ* militiæ Proceres, omni sua coacta vi, acrioreque in adversa agmina impetu facto, tandem rejectatum hostem percellunt & fugant. *Crovaria* capitur, hostis cæditur, rebellis trahitur. Mox cum palantes vagique per ardua montium, amissaque *Crovaria* mœsti subtristesque Cæsariani milites, sua sese diversis ex saltibus ad signa recepissent, redintegrato agmine, reparatisque copiis validiore *Venetum* incursu militem impetunt: truculentius ingrassantur, ac pulsatum impressumque vehementius exagitant; *Crovaria* recuperatur, classis advehitur, commeatus importatur. Tunc ira perciti, omnique rabie præfurentes *Leonini* milites, quos & amissæ tam celeri fato *Crovariæ* dolor accenderat, inflammaratque diripiendi commeatus libido, qui præpropera victoris felicitate subvehebatur, instauratis viribus, omnique instructa acie, turmas in hostiles, acuminatumque ferri præminentis rigorem provehuntur: præcipueque *Mercurius* cum amnem vado trajecisset, illumque sui levites secuti forent, Cæsarianos irrumpit, exculcat, proterit; onustam commeatu classem avehit, dissipat, mergit. Parte alia *Babonius*, tam strenue bellicam operam navante Mercurio, *Crovariam* ingruit, hostem fugat, oppidum capit. Assertam, amissam, recuperatam, tanta cæde periculoque *Crovariam*, ne rursus hosticam in ditionem recideret, jugoque *Germanico* subigeretur, *Veneta* solicitudo diligentiaque providit: cum maxime Cæsarem ex *Tridento* novos commeatus, novaque *Veronæ* præsidia sumministrare certior fama vulgasset. Proinde *Veneti* peditatu, equitatu, bellicoque omni instrumento *Crovariam* emunivere. Quo factum est, ut novis adventantibus subinde copiis auxiliaribus, non resistere modo, sed occurrere, omnemque *Germanicam* manum avertere, præstantes *Veneti* pugnatores Ductoresque fortissimi præsumpserint: succedenteque mox in dies prosperiore fortuna, commissum oppidum concreditamque arcem alacriter tuerentur, atque defenderent. Sed non iccirco Principes *Veneti* minus curis, ingentibusque molestiis adfligebantur: quoniam asserendæ urbis *Veronæ* magna *Gallicis* in legionibus barbarorumque præsidiis sita spes erat. Quorum mentis elatæ distortique ingenii Ductor erat *Odetus*, quem sive naturali *Cisalpinos* inter *Transalpinos*que dissidio, sive propter insitam viro superbiam, blandimentis evincere, nec ad ullum pactæ fidei percussique fœderis obsequium trahere poterant. Hic, ut pecuniam opulento *Venetorum* ærario decuderet, adroderetque pertinaci dentifricio marsupia eorum, vel ut suo orbem digito vertere, temperareque suis rem bellicam edictis videretur, in obeunda expeditione, experiundaque Martis fortuna semper importunum aliquid excusabat; *Mediolanum*que de proximo suis cum copiis recessurum minabatur: quoniam ægre sui milites sustentarent, refugerentque castrorum incommoda, quæ diuturniore bello fatigatis ingerebantur. Itaque quæcunque vir insolens mandaret, ediceret, exigeret, sive militem stipendiaque, sive commeatum atque tormenta, nulla dilatione moraque ea omnia præsentare statim oportebat; omnibusque modis ejus insolentissimæ morem gerere voluntati: adeo quidem ut Princeps Senatusque nonnunquam stomacharetur, maleque dissimulatam indignationem multo livore decoqueret. Sed & aliunde divexati gravius *Veneti*, majore curarum impressione distorquebantur: nam cum nihil impensius agerent, quam æterna Cæsarem pace, reliquosque discordes bello Reges, coire, perpetuisque fœderum vin-

A culis alligari, longe alieno, dissimilique votis suis eventu, rem succedere sentiebant. Unus siquidem ad interturbanda confundendaque omnia natus, quæ maturandæ confovendæque paci remedia proponebantur, ea *Venetorum Gallorum*que perpetuus hostis Matthæus Sedunensis *Brittanniam*, *Burgundiam*, *Hispaniam*, *Germaniam*, inquietissimis incitatissimisque cursibus peragrando semper avertebat; & si quando Cæsarem *Gallo* propensiorem, *Hispanum*que pariter illis acclinantem animadvertisset, repente medius intercedebat; & hos & illos commentis suis & exquisitissimis artibus suadendo, dissuadendo, hortando, dehortando,
B cum aversa repugnantique voluntate commisisset, longius distrahebat. Ergo cum nonnullam pacis ineundæ spem cum Cæsare *Venetus* concepisset, eam intersonante bellorum tonitruo *Matthæus* abortivam excussit, omnique vir ope ferox, & industria diligens, opportuna advocavit: ut diruptis fœderum vinculis, omnique salutiferæ pacis mentione repressa, *Venetorum* præjudicio bellum Cæsar extraheret. Hoc impulsore tunc ex *Germania Tridento*que, duplicata militibus stipendia perferri, concrebescentes sermone omnium voces evulgabantur: evidenti manifestarioque differendi belli discludendæque pacis argumento. Et
C ipsi quidem Cæsaris Legati, qui prius acquiescere dictis legibus, assentirique fœderibus inter *Venetum Maximilianum*que feriendis videbantur, discrepabant; resiliebantque scrupulis ac sentibus semper injectis, & ipsimet quoque vociferari frequenterque jactare, Cæsaris aversam esse voluntatem; nec ullam Senatui *Veneto* resignandæ spem urbis subesse: quoniam ducentis aureorum millibus ex Cæsaris proposito redempturus eam *Franciscus* Rex *Gallorum* foret. Quæ *Veneti* molestissime gravatimque ferebant: cum bellum extrahi, prolatarique laxius, ac infinitos sumptus, augeri, suorum inæstimabili jactura populorum, viderent.
D Quapropter literis internuntiisque Regem sæpius hortari, frequenter orare, nonnunquam obtestari, ut quorum auxiliis ex periculosissimo bello sospes evasisset, quorumque præsidio quondam rem suam strenuissime defendisset, eorum dignitatem fortunasque propitius tueretur; durum Cæsarem obstipæque cervicis, quem evincere ipsi nullo modo poterant, nec ad ullam redigere pacis tranquillitatem ad id temporis evaluerant, illiceret, emolliret, inflecteret: æquum esse violenter ablata primum omnium restitui; *Veronam* suos veteres ad dominos redire; suis omnia juribus subjici; tum reddita suarum cuique rerum possessione, re-
E dintegratisque omnibus pacem asserere, assertam sancire, sancitam tueri oportere. Rex *Franciscus* egregie pro *Venetis* animatus, proque Republica eorum fide præditus inclyta, literis monere, hortari, ne bene jacto pacis fundamento diffiderent; melioraque deinceps omnia, Diis faventibus, augurarentur esse futura: jam siquidem Rex *Hispaniarum* Gallicano devotus obsequio *Linæ* voluntati propensius indulgeret, quem Rex ipse *Franciscus* more majorum *Divi Michaëlis* exornasset insignibus; cujus opera ministerioque Cæsarem *Veneto* conciliatum iri propediem sperabat. Alia præterea multa significare Rex bo-
F nus piusque, percussi fœderis tenax, ac fidei candidus observator in medium afferre. Quibus refecti *Venetæ* Reipublicæ Procuratores, prægravatique Ærarii dispensatores, emergentia bellicorum quotidie damnorum impendia patientius tolerabant: non absurde conjicientes, actutum hujusce rei finem esse futurum. Proinde cum fatigati omnes molestiore bello Duces Principesque boni consulerent, nonnullique summo studio niterentur, ut excusso tandem ferro, quo præduratæ bellatorum manus occalluerant, olivam prætende-

rent, plurimique Regum Oratores eam ob rem contractandam in unum coivissent, placuit *Maximiliani* Legatis, qui prius nomen *Venetum* abhorrebant, quique fœdus cum ea Republica percuti gravabantur, dictis a *Gallo* legibus obtemperare, quibus cautum erat: *Ut Cæsar* Gallus*que pacem percuterent; induciæ* Veneto, *duo de viginti menses irrogarentur*; Veronam *suis cum finibus* Francisco *Gallorum Regi Cæsar traderet, illo vicissim Cæsari ducenta aureorum millia refundente*; *tum* Ripam, Roveretum, *& quæ in* Foro Julii *Cæsar occuparat, teneret*; Venetus *pariter, quæ Regis* Romanorum *essent, possideret: donec* Hispaniarum Galliarum*que Reges electi judices, appensiori cognitas examine controversias eorum dirimerent.* Quibus cum assensu mutuo fideque reciproca Regum Oratores astipularentur, ne per ipsos comprobata, discordibus animis invicem domini repugnantes rescinderent, æquam dilationem, qua suis gesta nominibus & jure & religione rata haberent, duodecim suspendia dierum pacti sunt. Interea, qui Cæsarem sequebantur, *Helvetii*, quique *Matthæo* impulsore promoti fuerant, cum alienatum distracta voluntate Cæsaris animum, *Gallo*que consentientem animadverterent, ipsosque pactas per inducias *Venetos* in fœdus sensim insinuari, itidem & ipsi cum *Gallo* pertentant; multisque postea susceptis aureorum millibus in ejus verba juraverunt. Igitur præfixorum exacto duodecim curriculo dierum, cum interim Cæsar *Hispaniæ* Regem emonuisset, ut pacem, inducias, cæteraque in stipulationem suo nomine deducta, confirmaret; idque suos etiam per Legatos Rex *Franciscus* exsequeretur; nec ipse Summus *Hispaniarum* Arbiter & Disceptator, ab optimo communis otii publicæque tranquillitatis contractu dissentiret: exquisita, desiderataque diu, votisque omnium exoptata, pax tandem solidata consancitaque est; & ubique locorum frequenti tubicinio, cunctisque gaudentibus & exultantibus promulgata. Tum more nostro supplicationes decretæ, actæque Diis immortalibus ad aras & pulvinaria gratiæ. Ad hæc perpetuo lumine summis turribus excitatæ faces: triviis, quadriviis, omnibusque compitis, ardentissimo conflagrante rogo, flammæ tanta claritate præluxerunt, ut nox diem vinceret, & quæ prius obsita curarum tenebris fuligineque molestiarum insqualluerant, nunc coruscis emicantium gaudiorum splendoribus illustrata fulgerent. *Venetiis* omnia, quæ summo apparatu, summaque ferculorum pompa, per sacerdotes perque Pontificem in tanto lætitiæ restagnantis fluctu delubris lectisterniisque Deorum exsequenda fuerant, accuratissime, piissime, religiosissimeque factitata sunt: dicta carmina, dictæ laudes, rythmisque suis preces decantatæ; intentæ, remissæ, suisque modulis intersonante organo voces inflexæ, divina pæne cælestis concentus harmonia, novam inusitatamque mortalium animis hilaritatem contestabantur. Ad hæc æris exagitati perpetuo pulsu crepitus substrepentes, quid sane mirum ac perjucundum inesse mentibus hominum emonebant. Imperio præterea *Veneto* urbes adscriptæ, devotæ arces, addicta oppida, quæque *Divi Marci* reverenter suppliciterque Majestatem gentes adorant, pari mentis exhilaratæ lætitia, parique feriarum obsequio *Venetos* affectus prosecutæ sunt; abundeque festivæ mentis adgestientisque animi sui jucunditatem omnibus ludicrorum ac tripudiorum argumentis declaravere. Ipsa mox præcandente nota dies, alboque suo præsignata est, & in fastis redacta, quæ post exactas tot clades, tamque sævi Martis pestilentissimam luem, exortæ pacis lætitiam amœnitatemque futuris gentibus ac populis omnibus intimaret. Hæc cum latius atque diffusius ebuccinante fama, *Ve-*

A *ronæ* castrorumque Præfectis innotuissent, *Maximiliani*que literis Cæsarianæ militiæ Ductores singulorum admonerentur, nec dissimili nuntio *Gallicanæ* Magister armaturæ sociis Regibus constabilita calleret, bello temperavit; exindeque populationibus ac flammis, vinculisque captivorum, ac cædibus requies data: donec, Legato Cæsaris adventante *Tridentino* Episcopo, propriumque ad arbitrium cuncta disponente, suam res veterem formam accepit. Hic siquidem *Veronam* Hispani Regis nomine susceptam, cum appulisset, eam *Odeto*, regias vices agenti, tradidit: quem prius ipse Præsul arbitris semotis omnibus prævertere seducereque multo sermonis mellificio tentaverat.

B Etenim quanquam exterorum placita Regum eo tenderent, ut manu Cæsaris avocata civitas *Francisco* Regi *Galliarum* emanciparetur, secretiore tamen inter *Venetum Gallum*que tractatu convenerat, ut *Verona* protinus in antiqua *Venetæ* ditionis jura recideret: priscisque dominis suis addiceretur. Quod perindigne Cæsar ferebat: & cum illam ipse nimis obæratus relaxare cogeretur, quod ærarii sui tenuitas bellicis sumptibus non sufficeret, *Francorum* Regem magis quam *Venetum* potiri rerum malebat; sive quod *Lilinam* potentiam barbaricamque temeritatem minus suspectam, quam *Ve-*

C *netæ* sagacitatis cunctationem haberet; sive quod cum apprehensa *Leoninis* unguibus inhæsisset, revelli posse eam omnino desperabat. *Tridentino* igitur Episcopo domini sui causam perorante, seducitur *Odetus*, plurimoque circumventus hortatu sensim in eam sententiam illectatur, ut tradendam sibi statim jussu Cæsaris *Veronam* retineat; neque alienam in manum devolutum iri patiatur: cum ea validum promurale, firmissimumque defendendæ citerioris *Galliæ*, protegendique latioris imperii sui propugnaculum esset; male perperamque *Gallicis* cum rebus agi, si eam extorqueri de manu sua patiatur; regiæ fidei satisfactum esse, si

D ejus opera ministerioque *Brixiam* Venetus recepisset; non etiam malum cumularet; si *Veronam* aliquando *Veneti* possedissent, possessuros actutum omnia, ultroque Regem lacessituros & illaturos arma minabatur; suisque vulneris dolorem alienæ cicatricis medicamento fovebat; proinde omnes, ut in commune consulerent, sibique perficienda in re tanta caverent, quoniam sera ea esset pœnitentia, quam irrevocabilis jactura castigaret, hortabatur. Hæc & hujuscemodi cum auscultabundo arridentique *Odeto* Præsul contulisset, obtemperaturum se dictis ejus non esse magna animi sui cum molestia professus est: præfixamque Regis

E voluntatem, inviolabileque fidei *Gallicanæ* propositum excusabat; integritatemque suam plane non integram, integritate Regis ejus, *Gallica*que fide perfidus commendabat. Neque enim ambigitur, si liber, nec obstrictus alienæ voluntati, cuncta ad animi sui arbitrium agere potuisset *Odetus*, neque *Brixiam*, neque *Veronam*, aut oppidum vel arcem ullam *Veneto* relaxaturum fuisse, cum ipsius perniciosa dominandi libidine, tum nimia animi sui elatioris arrogantia, qua cæteros omnes semper contempsit: verum cum jussa declinare non posset imperio Regis obnoxius,

F qui neque fidei sacramentique religionem, neque suscepti beneficii memoriam interleverat, obsecutus est. Ergo cum neque Regis voluntatem frustrari, neque rem differre longius, æris inopia perurgente, Cæsarem oporteret, appeteretque dies transigendo negotio destinata, Cæsaris Legatus *Veronam* Odeto, *Odetus* Veneto, quanquam invitis dentibus invitisque manibus, clavium oblatione resignat; desideratamque votis omnium possessionem, totque per ærumnas ac partis utriusque calamitates, ac civium populorumque ruinas expetitam, *Andrea Gritto*, *Pauloque Gradonico* Le-

Legatis *Venetis*, suæque Reipublicæ nomine suscipientibus, tradit: excedentibusque propediem *Gallis*, ac omni barbarica protinus evadente militia, quam per tot annos debilitati mancique cives fœde miserabiliterque sustinuerant, domesticæ familiaresque custodiæ successerunt; refulgentibusque passim *Venetis* insignibus, multisque dimissis in hyberna militibus, aliis impetrato commeatu religione solutis, militum vernaculorum prætaxata civitatem observavere præsidia. Tum civicis rebus componendis, reprimendis seditionibus, jurgiis militaribus compescendis, summæ rerum provisores mentem adverterunt; dehinc licitandis vectigalibus, exigendis portoriis, censuque publico in ærarium redigendo, cura successit; mox deligendo Prætore, Præfecto, Quæstore, omnique ex ordine Magistratu creando, suam Patres operam navaverunt; protinus Curiæ, Foro, suisque de more Litibus exercendis vacatum. Exinde, qui res novas moliti fuerant, quique pernicioso reatu perduellionis arcessebantur, sive quia Cæsarem secuti forent, sive quia *Gallum* diversiore studio complexarentur, edicto publico veniam acceperunt: ne tanta dies illustris lætitia, tantaque Nobilium & vulgi plaudentis hilaritate conspicuus, tetra noxiorum caligine suffusus obscuraretur; neve præpurum enitentis animi candorem, reprobi sanguinis notæ respergerent & macularent. Unum etenim paremque omnibus tantæ jucunditatis affectum Augustissimus Princeps, *Veneti*que Patres Conscripti, esse voluerunt, qui, redintegrata sua ex Republica, recompactaque dissolutæ molis compage, bonorum civium benignis mentibus emicuisset: ut hoc omnes tanto communique bono fruerentur; ut eadem perspicui solis claritate, eadem alimentorum alimonia, eodemque cæli felicius irrorantis sereno æque omnes viverent, æque omnes lætarentur ac gauderent; & si quos atrox & impia suorum intorsisset conscientia scelerum, largiore Senatus indulgentia victi oppressique cumulatiore beneficio sanctius purgarentur; seseque deinceps emendati lenius ac mitius meliorem ad frugem sponte sua reciperent. Nec enim satis liquet, an plus bonis moribus conferat Princeps, qui bonos patitur, quam qui cogit. Amara est omnis violenta correctio, quæ sæpius, dum lege sua concutitur, frangit; &, quanquam justis incussa flagellis non rumpat, certe dolet: at ultronea, quæque suorum reputatione delictorum expenditur, salubris est; collatorumque provecta vehiculo meritorum longius excurrit, acrius penetrat, firmius promanet. Sunt quos nulla terrere possunt supplicia; nec ullus infligendarum metus pœnarum flagitio cohibere potest; quos irrogata venia tanto confusionis rubore profundit, ut majori conscientiæ suæ, quam carnificis fustuario molliter emendati cæteris deinceps præstiterint, quos nulla vitiorum unquam contagia polluerunt. Inexpugnabilis, invictæ, inexorabilisque censuræ est, fuitque semper *Veneta* Respublica, quam vel ipsis splendentibus ac nitidis auri sordibus corrumpere inficereque posse, lymphati animi, deliræ mentis, extremæque vanitatis & dementiæ est: viguit, viget, vigebitque semper æternis justitiæ viventis accensa luminibus; nec pervigilem sempiternumque sui juris ignem extinguent superfusi pestilentium fluctus aquarum, laxatæque nocentium vitiorum undæ. Sic enim instituto moreque majorum informata coaluit *Veneta* Respublica, ut publicæ disciplinæ vigorem nulla tempestas unquam inflecteret; nulla sævior procella conturbaret; nullus violentior turbo propelleret: verum cum utilitas publica, bonique majoris ratio suadet, exigitque legum nexus constrictos emolliri, dilaxantur, exasperataque rigentiori contractæ frontis supercilio

Vene- Rei- bli- … om- enda-

A dirium quæstionum crudelitas, permitescit. Tunc ferales carnificum mensæ, pendentiaque suppliciorum flagella, quæ reorum turbam circumsonant, ad lenitatem clementiamque flectuntur: ne præscripto legum exactæ severiores pœnæ, jus iniquum ex æquo faciant; & quæ sedari componique oporteat, magis exagitata turbentur. Et tunc sane præstitit, conduxitque Reipublicæ nocentibus & noxiis parcere, quam delicta severius exsequendo publicam lætitiam impiorum cruore funestare, ne illimes purique fontes, qui tanto gaudiorum melle dulcescebant, aconito dolorum amarescerent; indeque gemitus & lachrymæ promanarent, unde ludi, risus, jocique sperabantur.
B Magnæ censuræ est aliquando censuram cohibere; magnæque severitatis aliquando non esse severum. Venenum, quod ægro propinant docti præstantesque scientia Medici, si non emendetur, manuque solertiore corrigatur, interficit. Expedit furentis æstum febris lenire, molliterque subblandiri, quam acriori medicamentorum antidoto præfocare: illic quidem sensim opportuneque mitigatus ardor subsidet & conflaccescit, sed ægro bonam valitudinem præparat; hic dum importune subitarioque remedio curatur, enecat & extinguit. Vidi ego sæpe intractabiles severosque pa-
C rentes, & in suorum errata filiorum asperrimos, aliquando dissimulare, dormitareque nonnunquam suorum in perscrutanda vita filiorum: ne singulorum severius exacta ratio magis officiat, quam proficiat; ac dum adamussim omnesque numeros solicitus pater cuncta disquirit, commotus juvenis & inconsulto calore præceps, conculcata despectaque paternæ disciplinæ reverentia licentius divagetur, & penitus oberret; patrique plus æquo molestiori, dum nimium succenset, graviora moliatur, ac perditorum illecebris irretitus seductusque paulatim in omne scelus flagitiumque prorumpat. Igitur ex causa locoque tempe-
D randum est, atque alio alioque tempore aliter & aliter animadvertendum; præmonente Poëta:

Temporibus medicina valet; data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Cum præsertim Pontificum legumque monitu variatis actibus statuta quoque varientur humana; & ex sæculi cujusque licentia aliud & aliud prudentia juris indulgeat. Itaque non immerito sed optima ratione inflexibilis *Venetæ* severitatis rigor inflexus est; immobilisque censuræ suæ constantia dimota est: & ipsa ferri ultoris acies, qua feriendus alias reatus fuerat, publicorum impetu gaudiorum contusa relisaque collanguit. Talis
E tantæque jucunditatis nectar veneno mœroris inficere, hilarescentiumque animorum serenitatem pallio lugentium obumbrare obnubilareque, par non erat; nec quidem æquum fuit damnatorum suppliciis, præsentis lætitiæ pietatem impiare. Ille cum rebellium admoneretur, ut tolleret: *Ergo plures*, inquit, *habebimus ex victoria nostra inimicos quam amicos:* Antoninus Philosophiæ sacrarium, a Senatu, ne quis ex adversariis graviter puniretur, impetravit, ne suum pollueretur Imperium; caputque defectionis humari jussit, cum ipso non jubente esset allatum; qui etiam conscios puniri requirique vetuit; qui deportatos re-
F vocavit; proscriptos restituit; *Antiochensibus* ignovit; qui *Alexandrinis* pepercit; qui non posse ab inferis occisos revocare, ut ignosceret, conquestus est. Cujus mira sunt clementiæ & pietatis exempla: qua nihil quicquam est, ut ipse, *Volcatio* referente, scripsit, quod Imperatorem *Romanum* magis gentibus commendet; quæ *Cæsarem* Deum fecit; quæ *Augustum* consecravit; quæ *Trajanum* nobilitavit; quæ *Pium* tanto nomine decoravit; quæ hunc ipsum *Marcum Antoninum Philosophum* ita popularem & amabilem omnibus fe-

fecit, ut lugendum illum non esse censerent: existimantes, quod a superis demissus, humanoque generi commodatus, ad Deos rediisset; cui etiam templum erexerunt; sacerdotes instituerunt, sodales dicaverunt; ac omnia, quæ de sacratis olim decrevit antiquitas, constituerunt; cujus adeo favorabile nomen & omnibus admirandum fuit, ut illius imaginem in domo non habere, si per fortunam licuisset, sacrilegium judicaretur, cujus apud Deos immortales tanta fuit auctoritas, & ingenitæ pietatis reverentia, ut, *Capitolino* teste, cum siti laboraret exercitus, nec flumina fontesque suppeterent, illo pluviam deflagitante cælo laxarent; & adversus hostica machinamenta, cum opis humanæ suffragia non prodessent, ipso deprecante fulmen intorserint; atque hic, qui se talem vivendo semper exhibuit, qualem vix ægreque potuerunt exprimere miranda ingenia, tot divinitus, quæ vera sunt, bonis insignitus, & in primis clementia, alioquin tamen in sontes & reos inexorabilis fuit. Rogo? quid Dei Optimi Maximi Justitia justius? rursus, quid ejusdem clementia clementius? quid illius pietate majus? quid misericordia excelsius? *Annuntiaverunt cæli justitiam ejus*; sed & illud scriptum est: *Misericordia Domini plena est terra*; connexa sunt & indissolubili vinculo copulata. Quibus ipse Dominus misericors & miserator & justus, arbitrio suo suoque judicio, non nostro, decernit & judicat; quæ punienda sunt, punit; quæ temperanda sunt, temperat; quæ rursus absolvenda sunt, absolvit: sic, qui vicem in terris illius gerunt, boni Principes, sanctæque Respublicæ, quas non auri nec argenti colluvies inquinat; quas pravi distortique affectus non trahunt, nec retrahunt; quas in cognoscendis criminibus simultas avaritiaque non tangit; quæque ex publica utilitate, non privata, ex communi bono, non proprio, ex re, loco, tempore, moderantur, regunt, gubernant; quæque non præcipiti nec indiscreta voluntate tumultuantes, sed quiete, prudenter, mature, ex vigore juris, ex præscripto legum, ex indelebili tabularum albo suarum intendunt, remittunt; astringunt, illaxant; absolvunt, atque condemnant; quorum rationem exigere, disquirereque talium per singulos actus varietatem judiciorum, supremæ temeritatis est, & inscitiæ vulgatioris. Quis vecors & nequam servus dixerit Domino, redde mihi hujus & hujus facti tui rationem, ut hoc & illud approbem vel improbem? quis litigatorum judici suo legem imponit, ut ex rei vel actoris arbitrio judicet, non suo? perabsurda sunt hæc, & insani furoris impetu, provectis longe quadrigis delirantia. Alienum est, ut civis suæ Reipublicæ suique Principis addictus imperio, divino concreditorum nutu gubernaculorum moderamen extorqueat; aut solio eodem cum Principe sedeat jura dicturus. Distincta sunt omnia: distinctæ potestates; jurisdictiones certo limite disparatæ; Principes regant; imperent Respublicæ; regnentque Reges: obsequantur alii, alii pareant, patientiusque regantur; & si quid non ex voti sui sententia factum animadverterint, quieto tamen placidoque animo perferant; idque sanctiore judicio, quam suæ mentis infirmitas assequi possit, factum existiment: quanquam humanæ quis adeo societatis expers est, omnique mortalium cognatione remotus? qui *Venetæ* Reipublicæ salubre factum impugnet? qui veniam a sanctissimo Senatu *Veneto* cunctis irrogatam detestetur? qui memorandum illustreque pietatis exemplum ceris expungat? quis ille Diis invisus, quis, inquam, est ille humano generi detestabilis, qui publicam hilaritatem, communemque lætitiam hoc tanto beneficio cumulatam non laudet, attollat, ac prædicet? Lamentabantur atque gemebant, prostra-

A ti, conculcati, relisique omnes, magna ingentique diuturnioris belli pressura; nec, qui tantæ cladis expers esset, quique harum non gravaretur ponderibus ærumnarum, monstrari poterat. Excussi, jactatique bellicis procellis omnes, his undique fluctibus armorum ingruentibus omnes adobruti fuerant. Reddita tandem est omnibus saluberrimæ pacis tranquillitas; & exoptati portus induciarum, adaperti tandem omnibus patuerunt; defecato atra nube polo, omnique conglomerata caligine cælo detersa, perspicuus clarusque sedato turbine dies omnibus tandem subluxit; solemque suum sua sidera norunt. His gaudiis interstrepe-
B bant formidabiles terrore suo Gemoniæ, tantamque lætitiam interpellabant matura criminosi suaque Republica desciscentis supplicia. Vetitum est deferri; vetitum inquiri; nullam defensor aquam metitus est; nullum patronus pulverem excussit: quoniam exclusus accusator delatorque summotus est; impii tortores sævique carnifices fidiculas *Æaco* feriante solverunt; mitigata est publicæ disciplinæ severitas: & ne luctus mœrorque delicti ex lege deplectendi, publicæ voluptatis gratiam adimeret, Senatus *Venetus* irrogata cunctis venia providit; uno omnes edicto pariter absolvit; diem nulli Quæstores acerbius dixerunt,
C nullum in jus vocaverunt; nihil omnino districtius cognoverunt: viverent omnes, gauderent omnes, omnium securi; suas sibi fortunas omnes partas ac relictas haberent; omnes una parique lætitia, una omnes jucunditate fruerentur. Beata dies, omnique beata luce beatior; auspicata dies, omnique auspicio auspicatior: felix, inquam, & fausta dies, ipsaque felicitate felicior & faustior, quæ post tantas strages, tantasque post incendiorum faces, quibus pæne tota *Venetiæ* Regio, collimitiis cum adjacentibus, omnique pæne Sinus *Adriatici* tractu perusta est, omnibus serena, mitis, clemensque reluxit; quæ Principem Rempublicam civi-
D bus suis, suæque Reipublicæ cives suos reddidit; quæ post emissos belli castrorumque fragores, post ingruentia rebullientium præliorum æstuaria, quibus pæne omnes præfocati sunt, securiore pacis domicilio collocavit; tutiore gremio veniæ confovit; confotosque deliciarum blandimento delinxit. Obstupuerant defixi prærigentesque mortalium animi, consternatique terrifico tubarum horribilium sono delanguerant: instaurati, refecti, recreatique degustatæ pacis alimonia roborantur; coalescunt, confirmantur; mellitis illius cibis enutriti omnes hilarescunt, exultant, pinguescunt. Pacem quidem omnes amant, ample-
E ctuntur & diligunt: sed non minori tamen affectu veniam omnibus impartitam *Venetæ* Reipublicæ beneficio prosequuntur. Omnia laudant, omnia extollunt, omnia Principis Augustissimi Sanctissimique Senatus *Veneti* dicta factaque suis laudibus commendant: sed expleri nequeunt, nec tam illustris inclytique facinoris contemplatione satiari, quo pii impiique omnes sontes insontesque lætantur, ne quem districtus juris gladius cæderet, quem hostilis mucro non percusserat; neve forensi vindicta, ferroque legum tollerentur, qui divinitus conservati tanto bello superfuerant; ac non solum præsentes, sed & deinceps omnique
F ævo nasciturі, nec solum, quos propinqui sanguinis sui conjunctio, aut amicitiæ sanctioris affectus, vel soli genitalis charitas astringit, sed & peregrini, extorres, alienigenæ, pari succo voluptatis illecti, parique gestitantium choro tripudiantes, solverentur, mollescerent, eliquarentur. Et ego quidem, qui forensibus subselliis sequestratus, abstractusque tribunalitia cognitione, stilo nonnullos annos historico transegi, tot *Venetæ* Reipublicæ calamitatibus, universæque nationis hujus atrocissimo bello, lectitando, scriptitandoque

que fatigatus, pæne retrita jugum cervice protraxi, ſalutarem exitum & hoſpitalem finem, ubi merito conquieſcerem, ac velut ex naufragio in portum receptus coronatusque celeuſma cantitarem, quærebam. Datus eſt locus, quo merito ſupremum actum clauderem; ac poſt ardentiſſimas exitialis calamitoſique belli faces extinctas, compreſſosque delugentium fletus, ac retroverſa flumina lachrymarum, quas hoſtilis rabies inſanusque furor præcipitavit, ipſis cum omnibus exultarem atque lætarer; amœnaque Genialis ſub umbra platani contemplabundus, toto collectæ mentis intuitu, præcelſam *Venetæ* Majeſtatis ſpeciem recolens, otiarer, luſitarem, oblectarer: ageremque Diis immortalibus immortales gratias, quod Illuſtriſſimæ Invictiſſimæque Reipublicæ beneficio & indulgentia largiore vivere liceret; quod bonis lætari, præmiaque ſperare; quod deterioribus emendari, malisque corrigi fas eſſet; quod Summi Optimique Principis *Andreæ Gritti*, quod Sanctiſſimi Senatus *Veneti* gratia dignitatibus, fortunis, honoribus, omnes fruerentur; tum devota ſupplicique voce comprecabundus conteſtarer & obſecrarem, ut quando piam hanc anſanctamque Rempublicam ab imminenti periculoſiſſimoque bello ſoſpitem exemptamque cladibus ac ruinis, quas per tot annos barbarica manus invexit, eſſe voluiſſent, ſic etiam perpetua ejus imperii gubernacula, quantum Divini Pontificiique Dogmatis ratio patitur, eſſe vellent; duplicatosque magnos annos, quos primus orbis majore circumactus gyro, pigriorique in ſe ipſum recurrens torpore convolvit, ſupra

A ſuas cæli ſtellas, ſupraque maris harenam in omne ævum extenderent: ut hæc una ſit inclyta felixque Reſpublica, quæ, cæterarum pace veniaque omnium dixerim, & morum ſanctitate, & moderaminis integritate, ac ævi prolixioris laxitate merito præcellere præcelluiſſeque cæteris omnibus, quæ ſunt, fuerunt, futuræque ſunt, glorietur. Quod præſtaturos Deos Immortales, amplioraque beneficia deinceps elargituros ſperamus: & ſi quid veri mens augurat, opto. Pergite modo, Patres Conſcripti, veſtrisque totis viribus intendite, ut a majoribus veſtris tradita gubernandæ Reipublicæ tanto moderamine di-
B ſciplina, ſuſceptaque a vobis, & in hanc diem religioſiſſime ſanctiſſimeque cuſtodita, modis omnibus inviolata ſervetur; ut exactiſſimus abſolutiſſimusque juſtitiæ veſtræ rigor, (juſtitiam cum dico omnia dico) tanta ſemper a vobis ratione perpenſus, ut indiſcreta Nobilitatis ac ſanguinis, ſummique Patriciatus ac Principatus prærogativa cunctos tenuerit, incorruptus, indeclinabilis, intemeratuſque permaneat. Bonum enim imperium nulla vis lædit; nec Deo Optimo Maximo quicquam altius inſidet, quam eam Rempublicam excipere, conſervare, & utique bonis augere quam plurimis, ubi ipſe, id eſt juſti-
C tia, perennius & impenſius diverſatur, regnat, dominatur: quæ ſemper a vobis, veſtrisque majoribus impolluta manu ſublevata erectaque, ab impendentibus tot humanis caſibus, fortunæque violentioris impotentia, *Venetum* eripuit & eripiet, ac Diis propitiantibus cuſtodivit, & cuſtodit, ſemperque cuſtodiet Imperium.

FINIS.

INDEX
NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.



Bo-

Fede-

Mar-

Nea-

Q.

R.

S.


T.


Veneti

F I N I S.









ANTIQ
ITALI

TOM V
P IV